DISSERTATIONES

SELECTAE

in

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
Universitat. cath. Lovaniensis.

Tomus V.

MDCCCLXXXV.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII,

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. Lethielleux, via vulgo Cassette, 4. **BRUGIS:** Beyaert-Storie.
TILBURGI: W. Bergmans.

DISSERTATIONES
SELECTAE
in
HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
Universitat. cath. Lovaniensis.

Tomus V.

MDCCCLXXXV.
RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII,
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
PARISIIS: P. Lethielleux, via vulgo Cassette, 4. **BRUGIS:** Beyaert-Storie.
TILBURGI: W. Bergmans.

schismate Petri Leonis Ecclesiae pax et unitas in grave discrimen vocata est, et in societatis catholicae sinu vehementiores controversiae quoad fidei doctrinam ortae sunt, praesertim per Petrum Abaelardum, virum illum ingenio subtilem, doctrina temerarium, fatis vitae famigeratum. Maxime salutarem vero et ingentem influxum, Deo disponente, in societatem christianam ea aetate exercuit s. Bernardus, ita quidem ut ipse per aliquot decennia fere videretur esse cardo circa quem vertebantur res ecclesiasticae. Unde et saeculum s. Bernardi a quibusdam auctoribus duodecimum saeculum appellatum est.

2. Inter eventus qui illi epochae, in qua consideranda versamur, peculiarem characterem dedere, et influxum Ecclesiae ac Romanorum Pontificum in societatem christianam admodum promoverunt, certe recensendae sunt *expeditiones cruciatae;* unde, etsi jam saeculi praecedentis ultimis annis haec sacra bella inceperint, hoc loco de iis generali ratione disserere opportunum videtur. Agemus porro de *Romanorum Pontificum hujus aetatis conditione,* et speciatim aliquas expendemus quaestiones, quae eorum potestatem quoad principatum civilem, vel quoad relationes cum aliis principibus spectant. Considerandum porro venit peculiari modo *schisma Petri Leonis et pontificatus Innocentii II,* ac demum *de controversiis haeresibusve* hujus aetatis tractabimus.

3. Consuli possunt: *Recueil des Historiens des Croisades. Histor. occidentaux 3 voll.* (Paris 1841—1866); *Histor. orientaux, tom. I.* (Paris 1872); Bongars, *Gesta Dei per Francos,* (Hannov. 1611); Michaud, *Histoire des Croisades, 4 voll.* (Paris 1825); Wilken, *Geschichte der Kreuzzüge, 7 Bde.* (Leipzig 1807—13. 1817—32); H. Prutz, *Kulturgeschichte der Kreuzzüge,* (Berlin 1883); Baronii *Annales, Saeculum XII;* Watterich, *Vitae Rom. Pontificum Tom. II.;* Hefele, *Conc. Gesch. B. V.;* Damberger, *Gesch. B. VII.*; Reumont, *Geschichte der Stadt Rom B. II.;* Balan, *Storia d'Italia, Vol. III. LL. XXII. XXIII.; I destini di Roma,* Civiltà cattol. Serie VIII. Vol. VII; Hergenröther, *K.*

Gesch. B. I. S. 885 ff. B. III. S. 252. 284, ubi et alios scriptores invenies indicatos. Varios quoque scriptores citabimus ipso Dissertationis decursu.

I.

De expeditionibus cruciatis.

4. Haud singulos quidem bellorum sacrorum eventus percurrere hoc loco nobis propositum est; sed de eorum occasione, natura, justitia, exitu, fructibus, generali potius ratione quae convenire videntur animadvertemus. — Palaestinae terram ejusque loca sacra, inde a primis saeculis maxime in veneratione habita esse, ac frequenter pias peregrinationes a Christianis tum Orientis tum Occidentis eo esse susceptas, nemo est qui ignorat. Sed saeculo undecimo eo magis fervor populi christiani excitabatur et fidelium animi ad eas regiones sese vertebant, quod audirent, loca sacra et monumenta salutis a Saracenis infidelibus turpissime profanari ac violari, atque duritie immani tum incolas tum peregrinos tractari et opprimi. Quum Hierosolyma anno 637 Saracenis duce Omaro tradita esset, in pactis quidem statutum fuerat, ut Christianorum vita salva esset ipsique bona sua et ecclesias conservarent; at non concedebatur libertas aedificandi novas ecclesias, et tum incolis tum peregrinis durae conditiones imponebantur. Sed subsequenti tempore et maxime inde ab anno 969, quando Moëz chalifa Aegyptum, Syriam et Palaestinam suae dominationi subjecit, pacta illa contrita sunt, et summis vexationibus et injuriis Christiani affecti. Hinc jam Silvester II anno 1000 Christianos Occidentis contra Saracenos evocavit. Saeculo XI licet interdum mitesceret persecutio, tamen generatim valde tristis erat conditio Christianorum et peregrinantibus magna obstacula parabantur. Anno 1073 Turci Seldschucenses sub principe Melek Schah Palaestinam expugnarunt, et exinde dirissima oppressio et tyrannis in Christianos et peregrinos non cessavit.

Palaestinae conditio.

5. Jam Gregorius VII litteras accepit a Michaële Duca Imperatore Graecorum, qui Romani Pontificis et Occidentalium auxilium contra Turcarum conatus et progressus implorabat, atque hic Pontifex inde ab initio pontificatus sui expeditionem sacram in Orientem meditatus est ac praeparavit. Sed quum mox ei gravissima lucta contra Henricum IV suscipienda esset, quod proposuerat exequi non potuit.

Cruciatae praeparatio. Alexius Comnenus Michaëlis Ducae successor Imperator Graecorum, quum Turcae magis magisque Constantinopoli appropinquarent, in summis angustiis positus legatos litterasque misit ad Urbanum II et ad principes occidentales, ut eos ad ferendum Imperio ac Christianis Asiae contra Turcas auxilium excitaret. Eodem tempore Petrus Ambianensis professione et cognomento Eremita fidelium multitudines, praesertim in Gallia, fervida eloquentia, ut Christianis Orientis succurrerent, evocavit. Petrus hic vir nobilis in Picardia vitam eremiticam amplexus erat, ac dein peregrinationem in Palaestinam susceperat. Magna pietatis fama clarus e Terra sancta a. 1093 reversus enarravit calamitates et mala ingentia, quibus illic Christiani eorumque ecclesiae ac pia loca opprimebantur. Praeterea ex parte Simeonis patriarchae Hierosolymitani litteras ferebat ad Romanum Pontificem et ad principes occidentales, quorum omnium auxilium adversus infideles patriarcha implorabat. Asserebat Petrus Eremita, se a Christo ipso in visione, quae sibi in ecclesia Hierosolymitana obtigerat, excitatum fuisse, ut Christianos Europaeos ad ferendam opem fatribus suis in Oriente excitaret.

6. Urbanus II negotium Terrae sanctae serio animo aggressus, Petro Eremitae potestatem fecit praedicandi in Italia, in Gallia et in Germania, crucem seu bellum sacrum adversus infideles. Quod Petrus tanto cum successu praestitit, ut principes, clerici, ingensque populi multitudo ad bellum sacrum ineundum jam se accingerent. Pontifex vero idem negotium prosecutus est in synodis, quas in Italia ac in Gallia celebravit. Anno 1095 die 1° Martii Placentiae synodum celebravit, ad quam permulti ex

Italia, Gallia et Germania praesules et clerici, ac plura millia laicorum confluxerunt. „Legatio Cptani Imperatoris, scribit Bernoldus, ad hanc synodum pervenit, qui domnum Papam omnesque Christi fideles suppliciter imploravit, ut aliquod auxilium sibi contra paganos pro defensione sanctae Ecclesiae conferrent, quam pagani jam paene in illis partibus deleverant, qui partes illas usque ad muros Cptanae civitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium domnus Papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent, se illuc Deo annuente ituros et eidem Imperatori contra paganos pro posse suo fidelissimum adjutorium collaturos.“ [1])

7. Urbanus II porro in Galliam profectus, eodem anno 1095 a die 18° usque ad 28um Novembris Claromonte aliud habuit concilium, in quo iterum de bello sacro actum est. „Anno Dominicae incarnationis MXCV. ind. IV. XIV Kal. decembris celebrata est apud Clarummontem Arverniae synodus praesidente Urbano Papa, considentibus diversarum provinciarum archiepiscopis numero XII, cum episcopis LXXX, abbatibus innumeris. . . . Tunc et expeditio facta est et constituta equitum et peditum ad Hierusalem et alias Asiae ecclesias a Saracenorum potestate eruendas, et in eorum bonis usque ad reditum pax continua promulgata.“ [2]) Pontifex ipse, ut videtur iteratis vicibus, coram multitudine praesulum ac fidelium fervida eloquentia de bello sacro suscipiendo sermonem habuit. Relatis malis in Oriente Christianis ab infidelibus illatis, positis etiam ante oculos omnium periculis, quae Imperium graecum et universam Europam e Turcarum invasione

Concilium Claromontanum.

---

[1]) Bernoldi Chronic. ad a. 1095; ap. Watterich, Vitae Pontificum I. 595.

[2]) Ita in Actorum fragmentis ap. Mansi XX. 815. (Watterich I. 598.) — Scriptores fere coaevi multo majorem praesulum numerum illi synodo adfuisse referunt. Ita Ordericus Vitalis: „In synodo, scribit, Arvernensi XIII fuerunt archiepiscopi et CCXXV episcopi, cum multitudine abbatum aliarumque personarum, quibus a Deo sanctarum curae delegatae sunt ecclesiarum“ Hist. eccl. L. IX. Sed in his exaggeratio quaedam videtur adesse.

manebant, tanta cum vi de bello sacro disseruit, ut omnium corda summo ardore inflammaret, unaque cunctorum vox erumperet: Voluntas Dei est. — In concilio ipso post Urbani allocutionem Ademarus episcopus Podiensis (le Puy) a Pontifice suscipiendae cruciatae expeditionis veniam et benedictionem apostolicam supplex petiit. Ei obsecutus est Pontifex Ademarumque ut legatum suum ac ducem expeditionis constituit. Quam plurimi vero nobiles Ademari exemplum secuti sunt. Ea de re Baldricus, episcopus postea Dolensis, qui et ipse synodo adfuit: „His vel hujuscemodi aliis, scribit, a domino Apostolico his qui aderant luculenter intimatis, alii suffundebantur ora lacrimis, alii trepidabant, alii super hac re disceptabant. Inter omnes autem in eodem concilio, nobis videntibus, vir magni nominis et summae ingenuitatis episcopus Podiensis, nomine Aimarus, ad dominum Papam vultu jucundus accessit, et genu flexo licentiam et benedictionem eundi poposcit et impetravit; insuper et ab Apostolico mandatum promeruit, ut omnes ei obedirent, et ipse pro officio suo in omnibus exercitui patrocinaretur, utpote quem omnes magnae strenuitatis et singularis industriae praesulem noverant. Digno itaque exercitui Dei invento primicerio praebuit assensum multitudo multa nobilium: et statim omnes in vestibus superamictis consuerunt sanctae crucis vexillum. Sic enim Papa praeceperat et ituris hoc signum facere complacuerat.“[1])

Indulgentia plenaria.

8. Pontifex porro omnibus qui crucem susciperent et ad bellum sacrum se accingerent, contritis et confessis concessit indulgentiam plenariam, ita videlicet, ut *quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniae adeptione, ad liberandam ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni poenitentia reputetur.*[2]) Personas autem et bona eorum qui sacrae expeditioni se jungerent, sub protectione ac praesidio Ecclesiae constituit ita qui-

---

[1]) Histor. Hierosolym. ap. Watterich I. 602.

[2]) V. Watterich l. c. p. 603.

dem ut pax continua usque ad illorum reditum servanda esset. Nec destitit Urbanus II omni qua potuit sollicitudine bellum hoc sacrum promovere, meritoque in antiquo illius aetatis catologo Pontificum, *apostolus expeditionis Jherusalem* ipse appellatur.[1] Ad Alexium quoque Imperatorem Cptanum sub finem anni 1096 litteras dedit, quibus cruce signatos exercitus maxime ei commendat. Inter alia: „Cum statutum fuisset, scribit, ad Clarummontem Arverniae, ut communibus votis bellum adversus Saracenos gereretur, tanta hominum multitudo cruce signata est, ut ad trecenta hominum millia censa fuerint, ducum autem fortissimorum tantus ardor, ut de recuperanda Hierosolyma multum sperare debeamus. . . . Ad hos belli maximos apparatus unum illud imprimis est necessarium, ut tuo praesidio commeatuque tantae copiae juventur. Quare abs te peto majorem in modum, ut quibuscumque rebus poteris justissimo bello gloriosoque faveas.“[2])

9. Pauca de exitu primae Cruciatae advertere juvabit. Haec primae hujus expeditionis propria calamitas fuit, ut in ipsis initiis plura millia hominum misere interierint, qui praecipitatione quadam Petrum Eremitam vel alios hujus generis duces imperitos sequebantur. Agminum istorum interitus inde provenit, quod ducibus rei militaris imperitis confiderent, quod praepostera quadam in divinam providentiam confidentia media humana negligerent, quod plures eorum varios excessus praesertim in Judaeos sibi permitterent, quodque neque se in formam justi exercitus componerent, neque earum gentium insidias declinarent, quarum regiones peragrabant. Potius sunt commemorandi illi exercitus, qui duces habebant illustri loco natos et rei militaris peritos. Hi diversis itineribus Constantinopolim convenerunt, et quamvis apud Graecos non eam amicitiam nec ea auxilia quae speraverant invenirent, tamen summa cum virtute iter ac bellum sacrum prosecuti sunt. Omnium dux princeps constitutus est Godefridus Bolionaeus Exitus Cruciatae.

[1]) Lamberti Audomariensis Chronica. MG. SS. V. 66.
[2]) Epist. d. 25 Dec. a. 1096; ap. Watterich I. 605.

inferioris Lotharingiae dux. Gallipolitano freto transjecto Nicaeam Bithyniae urbem principem anno 1097 expugnaverunt. Inde per Asiam minorem in Syriam proficiscentes, anno 1098 Antiochiam ceperunt, quam cum tractu suo Bohemundo Apuliae duci possidendam tradiderunt. Tum Edessam Armeniae urbem occuparunt, cujus dominum crearunt Balduinum Godefridi fratrem germanum; tandem anno 1099 Hierosolymam in ditionem suam redegerunt, qua in urbe novi regni Hierosolymitani sedem collocarunt, et Godefridum regem constituerunt. — Subsequentibus etiam annis varia sub variis ducibus agmina in Orientem advenerunt, et regnum Christianorum magis firmatum est. Hierarchia quoque ecclesiastica in illis regionibus Saracenis ereptis disposita fuit. Daibertus archiepiscopus Pisanus constitutus est primus patriarcha Hierosolymitanus latinus, Bernardus episcopus Ambracensis in Epiro, creatus patriarcha Antiochenus.

Ordines equestres.

10. Expeditio prima cruciata veluti exemplar ac ratio fuit aliarum, quae decursu duorum fere saeculorum vario successu ad defendendam Terram sanctam a Christianis recuperatam susceptae fuere. Singillatim eas prosequi non vacat. — Sed commemorare juvat, bella sacra etiam occasionem fuisse, ut *Ordines equestres* conderentur, quorum praecipui fuerunt tres illi notissimi *Hospitaliorum s. Joannis, Templariorum* et *Teutonicorum*. Ordinum horum institutio fuit admodum pia et utrique reipublicae, civili et ecclesiasticae utilissima; diu etiam valde salutaris influxus ex hac institutione dimanavit in procerum ac nobilium familiarum mores ac pietatem. Qui enim illis Ordinibus se adjungebant, praecipue erant adolescentes ex familiis nobilibus orti. Qui quum ex saeculorum indole armis et luctis assuescerent, magno in discrimine erant, ne in ferocem impietatem atque in libidinosam saevitiam mores eorum degenerarent. Jam vero dum magno numero Ordinibus illis se accingebant, sese adstringebant quoque votis religiosis piisque exercitiis sub communi regula Ordinis fini accommodata. Ita igitur plurimi viri nobiles ordinibus illis adscripti, virtutum bonorumque

morum exempla praebebant, christianae religioni ejusque cultoribus et horum terris adversus infideles defendendis egregiam operam praestabant, pauperum, infirmorum, oppressorum, orphanorum et viduarum tutelam suscipiebant. Inde est, ut illi Ordines militares nobilium constituerent veluti fermentum quoddam efficacissimum, quo fiebat, ut in universo procerum ac nobilium genere, arma et vires validae haberentur jure obnoxia pietati ac defensioni virtutis, illaque esset in honore fortitudo quae Deo, Ecclesiae, fidelibus, inserviret.

11. Non defuerunt bellorum sacrorum seu Cruciatarum detrectatores, qui fanatismo et animo dominandi Pontificum bella ista adscripserunt, injusta ea fuisse proclamarunt, ac multiplicia mala, haud vero bona, ex iis provenisse contenderunt. Jam saeculo XI et XII Albigenses et Waldenses, haeretici falsum spiritualismum prae se ferentes, negarunt istas expeditiones justas esse; multi dein ex Protestantibus et ex incredulis, dum fanatismo cuidam religioso ea bella tribuunt, justitiam eorum inficiati sunt, vel grave dubium de hac justitia moveri posse contenderunt. Simul Romanos Pontifices horum bellorum promotores suis insectati sunt invectivis, et multas calamitates et mala tum societati civili tum Ecclesiae ex Cruciatis provenisse clamitarunt. Etiam ex catholicis auctoribus de istis bellis conquesti sunt quidam, qui veteris severitatis in Ecclesiae disciplina amatores et restitutores videri affectarunt, uti Cl. Fleury et Eibel, auctor libelli famosi: *Quid est Papa.* **Accusationes.**

12. Paucis refellamus istas accusationes. — Quod igitur ad *motiva* attinet, ob quae bella sacra suscepta fuerunt, falsum est, fanatismo et profanae cupidini illas expeditiones esse tribuendas. Quum ea aetate religio christiana in Occidente mire floreret, eâdem maxime ingenia et animi multorum exculta essent et imbuta, fidei vigor esset permagnus, et etiam in lucta contra dominationem et superbiam potestatis saecularis strenue sancti viri dimicarent, jamque triumphos referret Ecclesia: intolerabilia plane videbantur opprobria, ignominia et oppressio, quibus **Motiva bellorum sacrorum.**

christianum nomen, fidelium multitudo, loca sacratissima in Oriente ab infidelibus affligebantur. Et maxime viris cordatis, ferventibus, piis, nihil videbatur sanctius, nihil magis dignum, debitum, meritorium, quam a Saracenorum tyrannide Hierosolymas ac Terram sanctam liberare, et oppressis fratribus auxilia ferre. Ad hoc igitur opus praeclarum ipsi Romani Pontifices Christianos auctoritate et exhortatione sua evocarunt, et bellum sacrum merito censuerunt pertinere ad summa illa negotia, quae ipsorum utpote Pastorum universalium sollicitudini commissa erant, omnesque Christiani vere fideles causam Terrae sanctae eo tempore ferventi pietate amplexi sunt.

RR. Pontificum influxus.

13. Sane quum omnes Christiani in illis expeditionibus veluti foedere sancto jungendi essent, ut negotium quod erat omnibus commune ad felicem perduceretur exitum, merito Romani Pontifices supremam quamdam directionem in istis bellis disponendis susceperunt, ac nonnisi inepte id ambitioni eorum vel dominandi cupidini tribuitur. Illud convenire ac necessarium esse, reges quoque et principes ea aetate ultro agnoverunt. Bene ipse Bossuetus: *Placebat,* scribit, *christianis regibus, in illis sacris bellis praeesse omnibus pontificiam potestatem, ut et conjunctioribus animis et majori religionis reverentia rem gererent. Saepe etiam reges ac principes bellum sacrum savituri se suaque omnia Pontificibus tuenda commendabant.*[1]) Quum vero universim motiva maxime praeclara illis sacris bellis eorumque dispositioni subessent, nemo tamen mirabitur, passim tum a singulis hominibus, tum a ducibus ac militum turmis, varia peracta fuisse imprudenter et improbe. Id enim accidit in omnibus fere rebus humanis quantumvis sanctis, neque auctores illius aetatis qui bella sacra descripserunt id tacuerunt. Ita e.g. Gulielmus Tyrius: „Nec tamen apud omnes erat in causa Dominus, et virtutum mater discretio votum excitabat: sed quidam ne amicos desererent, quidam ne desides haberentur, quidam sola levitatis causa,

[1]) Defens. Declar. P. I. L. IV. c. 5.

aut ut creditores suos declinantes eluderent, aliis se adjungebant."[1]) Sed immerito a quibusdam auctoribus negatur, universim motiva religionis in bellis istis praecipuum locum habuisse. Ipsi quidem motiva illa minus honesta aliquorum, necnon motiva secundaria, temporum adjuncta, ambitionem, novitatis amorem, miseram plurimorum in Occidente conditionem, ita describunt, ac si iisdem revera fundamenta expeditionum in Orientem constituerentur, Romani vero Pontifices variis illis elementis gnaviter usi, speciem sacram dein bellis istis addiderint, et ad Ecclesiae commodum eadem verterint.[2]) Sed dum ita res exhibent, veram indolem commotionis et ardoris, quibus Christianorum animi ea aetate perculsi sunt, haud assequuntur, suisque praejudiciis seducuntur.[3])

---

[1]) Gulielmus Tyrius, Hist. L. 1. c 16. — In Concilio Claromantano, uti vidimus, Indulgentia plenaria conceditur eis qui bona intentione expeditioni se jungunt.

[2]) Cfr. e. g. auctorem recentem Prutz, Culturgeschichte der Kreuzzüge, Einleitung S. 12. ff. (Berlin 1883.)

[3]) Apprime ad rem Ill. Hefele: „Es ist kein Wunder, wenn diese Züge allen denen, die keine warme Liebe zum historischen Christus in sich tragen, als eitle Thorheit und beklagenswerthe Verirrung, oder als schlau ersonnenes Mittel für schlechte Zwecke päpstlicher Herrschsucht u dgl. erscheinen. Der gläubige Christ dagegen fühlt auch heute noch wie vor 800 Jahren tiefen Schmerz über den Verlust des heiligen Landes und über die Gräuel an jenen Stätten, wo jeder Zoll Erde durch das Andenken an den Erlöser geweiht ist. Dieser jedem Christen so natürliche Schmerz wurde im eilften Jahrhundert durch die schrecklichen Misshandlungen, denen die Gläubigen in Jerusalem ausgesetzt waren und durch die barbarische Verwüstung und schnöde Entweihung ihrer Heiligthümer noch hundertfach vermehrt und gesteigert. . . . So kam es, dass viele Hunderttausende willig das Kreuz nahmen, ohne zurückzuschrecken vor den Opfern, die sie bringen, und vor den Gefahren, denen sie entgegen gehen mussten. Die Ueberzeugung, ‚Gott will's', und ‚Christus selbst ist der eigentliche Führer und Feldherr', verscheuchte zugleich alle Zweifel an dem glücklichen Gelingen. Neben diesen edlen religiösen Motiven waren freilich bei Manchen auch irdische und weltliche wirksam: der Thatendrang ruhmbegieriger Ritter, die Liebe zu kühnen und romantischen Abenteuern, die Hoffnung auf reichen Gewinn, die Unzufriedenheit mit den Zuständen und der Lage in der eigenen Heimath u. dgl." Conc. Gesch. B. V. §. 601. (In ver-

Bella sacra justissima. 14. Ex dictis jam facile est colligere, justissimas fuisse bellorum sacrorum causas. — Erant enim revera istae expeditiones *bella defensionis,* quibus contra dominationem et tyrannidem Saracenorum infidelium, qui toti orbi christiano maxima pericula parabant, Christiani se tuebantur. — Ab Imperatore porro Graecorum, cujus Imperium summa injustitia Saraceni destruere et subjugare nitebantur, atque a Christianis orientalibus per Saracenos dire oppressis, occidentales fideles in auxilium vocabantur, et ex *caritatis* motivo, non tantum licitum erat, sed insignis virtutis, ut Christiani fratribus subvenirent, et nominis christiani acerrimum hostem reprimerent. — Postremo ipsam fidem christianam, religionem ejusque honorem et jura, contra infidelium injurias, contumelias, persecutiones merito fideles illis bellis tuiti sunt. Qua in re valent illa s. Thomae: *Sunt* (infideles) *compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles christiani frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia, si etiam eos vicissent et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc, ut eos compellant ne fidem christianam impediant.*[1]) Varia haec motiva indicata etiam inveniuntur in allocutionibus quas Urbanus II Claromonte habuit, ut ad bellum sacrum fideles excitaret. Unde patet inde ab initio perspectum fuisse, ob justissimas rationes illam expeditionem suscipi posse.

sione Gallica Tom. VII. p. 39.) Praeclare Ill. auctor totam hanc de bellis sacris quaestionem evolvit.

[1]) Summa II. 2. q. X a. 8. — Immerito sane contendit Prutz l. c. p. 65, ab Aquinate condemnari expeditiones cruciatas, statuto ejus principio, infideles haud cogendos esse, ut fidem suscipiant. — Auctor hic universim minus justus in Christianos, Saracenos encomiis celebrat. Eo usque procedit, ut etiam asserat, opera quae Arabes medio aevo in re philosophica aliisque disciplinis scripsere talia esse, ut ea aetate nihil hisce aequale a Christianis confectum sit (pp. 52. 58) Dixeris, s. Thomae aliorumque Scholasticorum praeclara opera vix nota esse auctori. De Arabum philosophia comparate ad philosophiam christianam cfr. Stöckl, Geschichte der Philosophie des Mittelalters, B. II. A. et C.

15. Atque haec valent generatim quoad justitiam Cruciatarum. Bellis autem excitatis et susceptis, plurima facta et eventus dijudicanda sunt secundum principia generalia juris socialis. Si passim per duces quosdam vel per copias jura laesa fuerunt, id *non ex indole* illorum bellorum provenit, sed *per accidens* factum est, et singulorum adscribendum est culpae. Simultates etiam illae et luctae quae inter cruciatos et Graecos exortae sunt, profecto non ex natura ipsa illarum expeditionum provenerunt, et quae juste, quae vero injuste a Latinis Graecisve peracta sunt discutere, non pertinet ad quaestionem generalem de justitia illorum bellorum. Illud hoc loco innuere liceat, inde ab initio de Graecorum schismaticorum perfidia cruciatos fuisse vehementer conquestos. Ita apud Gulielmum Tyrium (L. II. c. 10) Balduinus comes scribit ad fratrem Godefridum Bolionaeum: *Noveris, virorum optime, quod tibi contra feram pessimam et cum homine nequam incumbit negotium, cujus propositum est, semper fallere et omnem Latinorum nationem usque ad mortem modis omnibus persequi. Novi enim Graecorum malitiam et odium adversus Latinorum nomen pertinax et obstinatum.* Eique Godefridus respondet: *Novi et fama referente pridem edoctus sum, quod odio inexorabili Graecorum astutiae populum semper nostrum persequi ardentissime studuerunt, . . . quotidie per experimentum addisco plenius.* Abusus per accidens.

16. Si inquiritur, quisnam fuerit Cruciatarum exitus atque effectus, ei qui materiali quadam ratione res ponderat videri posset, inanes plane fuisse Christianorum conatus, in vanum interiisse tot hominum agmina, et sine fructu Occidentalium vires exhaustas fere fuisse. At qui altius repetit ea momenta secundum quae convenit ponderare res et eventus, agnoscet, bellorum sacrorum admodum salutarem fuisse influxum, nec fructus defuisse insignes. — Huc imprimis pertinet, quod religionis et fidei fervor adeo fuerit excitatus, ut postpositis commodis terrenis ob fines maxime nobiles quae religionem spectabant, tanta multitudo arma sumeret et summos labores maximaque vitae pericula subiret, reliquorum vero animi saltem Effectus illorum bellorum.

et sollicitudo occuparentur in expeditionibus istis, pro religionis ac fidelium incolumitate et honore susceptis. — Cohaerebat cum his bellis exaltatio Ecclesiae catholicae et Sedis Apostolicae influxus salutaris et amplissimus, sedatio inimicitiarum et major unio ac pax inter principes, proceres, et fideles christianos Occidentis. In eumdem enim finem sacrum jungebantur, ac pugnae et lites domesticae interdictae erant, dum expeditiones illae suscipiebantur. — Multa etiam instituta sacra, virtutis opera, pietatis exercitia, bellis sacris connexa erant, atque haec omnia conferebant ad fidem et religionem promôvendam.

Utilitas varia.

17. In multitudinem quoque illud dimanavit bonum, quod conditio vulgi, servilis ac dura, magna parte cessaret vel mitigaretur. Plurimi enim conditionis servilis dum cruce signabantur, tanquam Ecclesiae milites libertate donabantur, aliorum vero conditio minus dura ac tolerabilior reddebatur, tum quod Ecclesiae augeretur influxus benignus, tum quod proceres secus eorum timerent seditiones, vel ipsis bellis sacris ad humanitatis et benignitatis sensus adducerentur. — Occidentales porro visitando Graeciam, Asiam, et Aegyptum, vetusta illa culturae, commercii, opificiorum, artiumque domicilia, ubi nondum tempus edax omnes ingenii et industriae fructus absumpserat, et cum Graecis cultioribus conversando, sphaeram suarum cognitionum ampliarunt. Commercio per expeditiones cruciatas inter nationes christianas et inter Orientem ac Occidentem exorto, novarum rerum, natura aut arte productarum cognitio, desiderium earum parandarum, studium, ac proin civium industria, mercatura, navigatio, atque ex his omnibus prodiens opulentia et cultura mirum in modum aucta est.[1]) Atque universim in evolutionem artium ac discipli-

---

[1]) Cfr. P. Vascotti O. S. F., Hist. eccl. v. II. § 10. (Goritiae 1873). Auctor hic dum bellorum sacrorum effectus bonos et malos recenset, quaedam affert quae citare juvat speciminis gratia, quum angustiori, uti nobis videtur, mente, ab ipso uti ab aliis auctoribus proponantur. „Ad mala, inquit, Ecclesiae ex eis enata pertinet superstitio, falsis reliquiis, novis spuriis sanctorum Actis, ac fabulosis narrationibus aucta

narum humaniorum, varius et multiplex fuit expeditionum in Orientem influxus.[1])

Repressio Turcarum.

18. Maxime vero advertendum est, quamvis dominatio Christianorum in Oriente non perduraverit, tamen expugnationem Terrae sanctae ac liberationem Christianorum illarum regionum, fructus fuisse expeditionum ea aetate valde conspicuos et jucundos. Quum vero Turcarum vires in Oriente Christiani attererent, simul liberarunt Occidentem per plura saecula a metu ac terrore illorum infidelium, qui jam pluribus regionibus minitabantur. Auxilia porro efficacia attulerunt Graecis, et bellis sacris profecto id tribuendum est, quod Constantinopolis non jam pluribus saeculis ante a Turcis expugnata fuerit. Quodsi postea tamen per Turcas Imperium Graecum destructum fuit, atque Europae regna per saeva ipsorum agmina infestata sunt, id tribuendum est variis causis ac multorum culpis; inde tamen nequit inferri, bella sacra per se et ex indole sua utilitate et fructu caruisse.

---

et nutrita; disciplina clericorum, cum saecularium tum regularium, per absentiam episcoporum et abbatum magis laxata et enervata; disciplina poenitentialis antiqua, per indulgentias plenarias cruciariis, et postea illis quoque qui pecuniam ad eos sustentandos contribuebant concessas, oblivioni tradita. Mala quae ex cruciatis expeditionibus in rempublicam civilem dimanarunt, in eo potissimum consistunt, quod Occidens pluribus hominum millionibus et magna pecuniarum vi a cruciariis in Orientem asportata privatus fuerit, ut nil dicam de civitatis fulcris neglectis." In his plura sunt exaggerata, et recensita quaedam, quae vel mala non fuerunt, vel tantum per accidens ex bellis sacris secuta sunt. Mirum etiam, quod dum bona recenset auctor, imprimis haec habet: „Inter homines qui in eis (bellis sacris) perierunt. ingens erat multitudo perditorum omnis generis, nobilium, rapacium, et turbulentorum clericorum, ac monachorum perversorum, scortorum, plebejorum ac rusticorum abjecti animi et sua sorte male contentorum. His e medio sublatis, quantum morum honestati et publicae saluti consultum fuerit, nemo est qui non intelligat."

[1]) Erudite et copiose de hisce expeditionum cruciatarum effectibus et sequelis tractat in opere citato Dr. H. Prutz; sed animo aegro ea quae Ecclesiam ac societatem catholicam spectant ipse contemplatur, unde et praejudiciis variis in quaestionibus gravioris momenti plerumque ejus disquisitiones afficiuntur.

Obstacula exitus felicis.

19. Restat, innuere paucis, unde factum sit, ut ex bellis sacris non provenerit, quod intendebatur, videlicet liberatio perdurans Terrae sanctae et incolarum ejus a jugo Saracenorum, regnumque stabile Christianorum in illis regionibus. Erant sane variae causae ob quas spes foveri poterat, fore ut regnum Hierosolymitanum permanens fundari posset. Eo pertinet fortitudo et abnegatio tum plurimorum cruciatorum, tum plurium regum quoque et principum, qui in illis regionibus gubernia susceperunt. Praeclara enim gesta eorum summa laude et admiratione digna sunt. Auxilia quoque ex Europa non defuerunt, et Ordines equestres perpetuum quoddam subsidium, illudque plane insigne, constituebant. Divisio autem principum Saracenorum, et plura felicia bella Imperatorum Optanorum ea aetate suscepta, passim Cruciatorum conatibus non mediocri erant emolumento.

20. Sed ex altera parte dominationi firmae et stabili Christianorum in illis regionibus multa obstabant. Exercitus illi immensi, qui ex Occidente in Orientem profecti sunt, haud tamen obtinuerunt, ut Saracenorum potentiam valide contererent, uti id ex ingenti ejusmodi fortium militum numero exspectari posse videbatur. Haud enim arte militari et strategetica illis agminibus satis provisum erat, nec provideri illo tempore satis poterat, ut summa pericula et incommoda expeditionum in dissitas regiones vincere possent. Hinc defectu commeatus, epidemiis, intemperie regionis cui Occidentales non erant assueti, insidiis hostium imo et Graecorum, plurimi interierunt. Qui vero post expugnatam Terram sanctam remanserunt in praesidium regnorum quae stabilita erant, numero non sufficiebant, ut quae expugnata erant valide possent defendi, neque jacturae satis reparabantur per auxilia quae ex Occidente veniebant. Plerique enim milites, postquam per aliquod temporis spatium in Palaestina dimicarant, in patriam revertebantur; et quamvis Ordines equestres magno subsidio essent, copiae tamen Christianorum numero erant nimis exiguo. Incolae autem illarum regionum, tum anteriores, tum qui ex Europa profecti, domicilia ibi

fixerunt, haud fortes, sed molles atque ignavi erant, mercaturam potius quam militiam ac praelia adamabant, et pro commodis suis paci cum Turcis utut periculosae studebant; hinc non continuabatur satis impugnatio Saracenorum et vigilantia contra eorum insidias. De moribus etiam illorum Palaestinensium dissolutis ac mollibus, ac de eorum cum ipsis Saracenis nimia familiaritate, merito conquesti sunt auctores illius temporis.

21. Constitutio porro feudalis et divisio regni christiani in Palaestina et Syria inter plures principes, ipsius regni robori ac vigori firmo non erat opportuna, eo vel magis quod passim discordiae inter varios principes atque Ordines equestres oborirentur. Infausta fuit etiam regno illi praematura mors plurium regum et principum; inde mutatio frequens regiminis, dissensiones, ambitiosarum mulierum influxus nocivus. — Praecipuum forte obstaculum dominationis permanentis Christianorum in Palaestina ac Syria fuit defectus unionis cum Graecis. Imperatores graeci sibi timebant tum a Turcis tum a Cruciatis, inter quos erant Normanni, hostes acerrimi Graecorum in Italia. Interdum sane duces Cruciatorum et eorum agmina Graecis molestias creaverunt, universim tamen Graecorum schismaticorum infenso in Latinos animo eorumque perfidiae tribuendum est, quod non solum Cruciatos foedere facto haud satis juvarunt, sed etiam insidias eis struxerunt. Quando vero passim Imperatores cum parte aliqua saniori nationis ad unionem et concordiam cum Latinis tendebant, praevaluit tamen factio schismatica. Inde persecutio Cruciatorum in variis Graecorum civitatibus, quae vix Imperatorum dominium agnoscebant, et amicitiam potius cum Saracenis quam cum Latinis colebant.

Constitutio feudalis.

22. Istae igitur sunt rationes quaedam, ex quibus satis explicari potest, unde provenerit quod bellorum sacrorum haud felicior finalis fuerit exitus. Attamen non incongruum est, hac in re prae oculis habere quod variis occasionibus viri insignes, uti s. Bernardus et Innocentius III, significavere. Existimarunt videlicet, illud quidem fuisse consilium Dei ut Cruciatorum expeditiones

fauste succederent, non obstantibus difficultatibus summis, sed ob peccata principum, militum atque fidelium evenisse, ut infaustus passim esset rerum exitus. — Consilium illud divinum videlicet dixeris fuisse conditionatum, quatenus moribus et actibus suis homines dignos se redderent protectione et ope divina; quum vero multis culpis et peccatis multi se inquinarent, Deum specialem illam protectionem non praestitisse.

Cruciatorum excessus.

23. Ita existimarunt multi, quum secunda expeditio cruciata mediante saeculo duodecimo infelicem progressum et exitum habuisset. S. Bernardus, mandante Eugenio III, ad bellum sacrum scriptis et sermonibus excitaverat, et editis plurimis miraculis dum varias peragraret regiones, confirmasse videbatur, Dei voluntatem esse ut expeditio illa susciperetur, Christianosque de infidelibus triumphum reportaturos esse. Quum vero post multas calamitates principes, Conradus Germaniae et Ludovicus VII Galliae reges, et quae reliqua erant militum agmina misere in patriam remeassent, magna animorum commotio facta est, nec defuerunt qui falsum prophetam criminarentur s. Bernardum. Sed tum alii tum ipse varia in rei apologiam scripserunt. Et in his praevalet ea sententia, quam commemoravimus. Ita Joannes abbas Casae Marii in epistola consolatoria ad s. Bernardum: *Siquidem*, scribit, *si hoc quod coeperant, sicut decet Christianos, juste ac religiose prosequi vellent, Dominus cum eis esset ac magnum fructum per eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt devoluti, et hoc nequaquam Dominum qui auctor viae fuerat a principio latere potuit, ut sua providentia in sua dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam convertit clementiam, et immisit eis persecutiones et afflictiones, quibus purgati ad regnum pervenire possent.*[1]) Otto Frisingensis, qui ipsi expeditioni interfuit, de ea re scribit: *Si dicamus sanctum illum Abbatem spiritu Dei ad excitandos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria monita*

---

[1]) Inter epistolas s. Bernardi, ep. 386.

non observantes, merito rerum personarumque dispendium deportasse, non erit a rationibus vel antiquis exemplis dissonum.[1])

24. S. Bernardus brevem apologiam pro se ipso texit *de Consideratione L. II. c. 1,* eamdemque proponit sententiam. *Incidimus,* inquit, *in tempus grave, quod et ipsi paene vivendi usui videbatur indicere cessationem, nedum studiis; cum scilicet Dominus provocatus peccatis nostris ante tempus quodammodo visus sit judicasse orbem terrae. . . . Ecclesiae filii et qui christiano censentur nomine prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. . . . Quam confusi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona. Diximus Pax, et non est pax: promisimus bona, et ecce turbatio. Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed jubente te, imo per te Deo. . . . Judicium hoc abyssus tanta, ut videar mihi non immerito pronuntiare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo. . . . Rem dico ignotam nemini, et nunc nemini notam. Moyses educturus populum de terra Aegypti, meliorem illis pollicitus est terram. Eduxit; eductos tamen in terram quam promiserat non introduxit. Nec est, quod ducis temeritati imputari queat tristis et inopinatus eventus. Omnia faciebat Domino imperante, et opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, durae cervicis fuit, semper contentiose agens contra Dominum et Moysen servum ejus. Bene, illi increduli et rebelles; hi autem quid? Ipsos interroga. Quid me dicere opus est, quod fatentur ipsi. . . . Numquid illorum casus adversus promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei justitiae Dei praejudicant.* — Quamvis difficile sit dispositiones et consilia providentiae divinae accuratius assequi, attamen dum de bellorum sacrorum exitu agitur, haec negligi non possunt. Nutu divino enim expeditiones illae merito videbantur susceptae,

S. Bernardus hac de re.

---

[1]) Citat. in notis Horstii et Mabillonii ad Lib. II. De consid. n. 1.

atque tum in infaustis eventibus quoad haec bella, tum in similibus casibus qui in Ecclesiae historia passim occurrunt, insignes et sancti viri censuerunt, culpae hominum magnas partes tribuendas esse.

II.

De conditione RR. Pontificum.

Pontificum auctoritas aucta.

25. Gregorii VII et successorum ejus virtute ac constantia in reprimendis abusibus simoniae et clerogamiae, et in vindicanda libertate Ecclesiae, universim in societate christiana hac aetate Romanorum Pontificum auctoritas amplificata est ac veneratio aucta. Contulit in hunc effectum etiam non modicum, uti jam innuimus, expeditio illa sacra Hierosolymitana, cujus auctores maxime fuerunt Pontifices; quumque negotium Terrae sanctae et bellum sacrum adeo fidelium animos occuparent, Romani vero Pontifices veluti cardo essent circa quem omnia hac in re vertebantur, fieri non potuit, quin nexus quoque intimiores et multiplices fiduciae ac reverentiae inde provenirent. — Sed quamvis moralis potestas et auctoritas Pontificum hoc tempore satis augerentur, in sua ditione tamen multis ipsi vexati sunt difficultatibus et periculis. Jam vidimus, maxima fuisse discrimina Urbani II et Paschalis II, quum antipapae in ipsa Italia atque in dominio B. Petri saevam luctam contra eos continuarent, Imperatores vero pariter ob controversiam de Investituris summopere ipsos premerent.

26. Cum porro Imperatorum auctoritas propter lites illas diuturnas apud Romanos admodum diminuta esset, nec ipsi pro munere suo Pontificibus sua protectione adessent, Romae nobilium factiones novas vires acquisierunt, et identidem, praesertim in electione Pontificum, turbas excitarunt. Vidimus, quam atrociter Gelasius II a Cencio Frangipani ejusque sequacibus vexatus fuerit. Etiam post mortem Calixti II istae procerum Romanorum tendentiae difficultates crearunt, indeque magna parte

demum schisma Petri Leonis originem habuit. Versus medium saeculum duodecimum vero motus populares Romae excitati sunt vehementiores, novaque pericula principatui civili Romanorum Pontificum creata ex conatibus constituendi in Urbe regimen democraticum. Sed haec innuisse sufficiat, ut generalis notio illius aetatis habeatur; de singulis eventibus inferius accuratius agetur.

27. Modo de eventibus quibusdam tractare opportunum videtur, qui majoris momenti fuerunt, praesertim posteriori tempore, quoad politicam conditionem Pontificum in Italia eorumque relationes ad alios principes. Atque huc imprimis spectat celeberrima illa *donatio*, qua *Mathildis* ducissa possessiones suas amplissimas obtulit Sedi Romanae. Eam donationem Mathildis primum fecit sedente Gregorio VII anno 1077; quum vero donationis documentum periisset vel ablatum esset, sub Paschali II anno 1102, quintodecimo die Kal. Decembris, eam donationem renovavit. In documento hoc inter alia: *Ideo ego,* dicitur, *quae supra, Comitissa Mathilda, iterum a praesenti die dono et offero eidem Romanae Ecclesiae per manum Bernardi Cardinalis et Legati ejusdem Romanae Ecclesiae, sic ut in illo tempore dedi per manum Domini Gregorii, omnia bona mea, tam quae nunc habeo, quam quae in posterum, Deo propitio, acquisitura sum, et tam ea quae ex hac parte montium, quam in ultramontanis partibus habeo, quam quae in posterum, Deo propitio, acquisitura sum alio quocumque jure, pro mercede et remedio animae meae et parentum meorum.*[1]) Territoria Mathildis quae ab ipsa Sedi Apostolicae in haereditatem donata sunt, complectebantur magnam partem Italiae, Tusciam videlicet et Liguriam.[2]) Mathildis quidem bis matrimonio juncta fuit. Primum Godefrido gibboso nupsit, forte anno 1067,[3]) qui a. 1080 interfectus est; dein a. 1089 nupsit Guelfo V crasso (n. c. a. 1073). *In Italia,* inquit Bernoldus ad a. 1089, *nobilissima dux*

Donatio Mathildis.

---

[1]) V. Muratori Scr Ital. T. V. p. 384.
[2]) Hergenröther, K. G. I. S. 772.
[3]) V. Gfrörer, Gregor. VII. II. 164.

Mathildis, filia Bonifacii Marchionis, sed vidua Godefridi ducis, Welfoni duci, filio Welfonis ducis, conjugio copulatur, et hoc utique non tam pro incontinentia, quam pro Romani Pontificis obedientia, videlicet ut tanto virilius sanctae Romanae ecclesiae contra excommunicatos posset subvenire.[1]) In utroque autem matrimonio virginitatem fertur Mathildis servasse; unde quum liberos non haberet, facilius omnia bona Romanae ecclesiae offerre potuit. Pertinebant ejusmodi bona maxima saltem parte ad illud territorium, quod per donationes Caroli M. aliorumque Imperatorum s. Sedi traditum erat; adeoque *de jure* illae possessiones saltem feuda s. Sedis fuissent, quamvis iste nexus feudalis decursu temporis fere obliteratus esset. Moverunt quidem Henricus V aliique Imperatores passim s. Sedi obstacula, eo quod sibi bona illa amplissima arripere vellent, vel feuda Imperii in provinciis contineri contenderent; sed jus universim plane legitimum illius donationis, et possessionis ex parte RR. Pontificum indubium erat. Caeterum si quae fuerunt inter illa bona civitates, quae ad regnum Italiae pertinebant, uti fortasse Mutina, Rhegium, Parma, Mantua, advertendum est, has urbes a Pontificibus regno relictas fuisse. Neque declinabant ipsi examen instituere, si quae in juribus dubia videbantur.[2])

Donatio justa.

---

[1]) Ap. Watterich, I. 580.

[2]) De singulis territoriis hoc loco discutere non vacat. Juvabit tamen citare quae ad rem cl. Balan optime animadvertit. „Matilda avea lasciato erede la Chiesa di tutti i suoi beni venutile o per diritto ereditario o per qualsiasi altro diritto. La Chiesa dunque succedeva in tutto alla Contessa; sui beni allodiali non vi potea essere il minimo dubbio. Sulle terre che un tempo erano della Chiesa, poi erano divenute degli antecessori di Matilde o di lei che aveanle ridate alla Chiesa non vi potea essere dubbio; sulle terre un di usurpate alla Chiesa da alcuno, poi venute in potere di Matilde neppure; tutto questo Matilde o restituiva al vero Signore o donava di pieno diritto a chi voleva; il dubbio poteva venire solo sui feudi regi, (degli imperiali non v'era che forse pochissimo), sui feudi cioè che fossero riversibili al re; ma questi quali erano? (Modena, Reggio, Parma, Mantova facevano parte di questi; ora è da osservarsi che nella controversia la Santa Sede non contestò mai queste città al regno.) La Toscana non

28. Universim sane Gregorius VII, aliique Pontifices et viri insignes illius principia secuti, eo tendebant, ut quemadmodum alia Sedis apostolicae privilegia, ita et ea jura vindicarent, quae in varia territoria secundum documenta in scriniis Ecclesiae conservata ei conveniebant.[1]) Mathildis autem addictissima erat Gregorio VII ejusque successoribus, nihilque magis cordi habebat, quam Sedis apostolicae protectionem. Mulieri igitur piae ac forti gravissima fuere motiva, ut donatione sua Sedem apostolicam ornaret atque firmaret. Mortua est Mathildis comitissa die 24° Julii a. 1115, indeque ejus varia territoria jure haereditario Ecclesiae devoluta sunt. — Subsequenti tempore quum lites cum Imperatoribus orirentur, interdum Pontifices concordiae et paci ita providere studuerunt, ut Imperatoribus eas possessiones vel partem earum instar feudi conferrent. Atque hac ratione Lotharius II Imperator aliquando Innocentio II Pontifici hominium praestitit, propter illas provincias videlicet, haud vero propter Imperium. Donationis motiva.

---

pareva farne parte, giacchè Matilde da gran tempo vi si era fatta independente dal regno, e la lunga vacanza del trono, poi i patti col legittimo re Corrado aveano dovuto mutare d'assai le condizioni di quel paese dinanzi al impero, ed una parte ne apparteneva senza contrasto alla Santa Sede, l'altra dovea a diritto e per patti solenni pagare tributo al Papa che in forza del trattato di Quiersy avrebbe dovuto esserne Signore e che in forza di altri trattati avea consentito a lasciarne il governo a Carlomagno ed a' suoi successori. Ma checche fosse di Toscana, certo è che di Ferrara e di moltissimi altri luoghi ogni ragione spettava al Pontefice; giustizia avrebbe voluto in ogni caso che, lasciato alla Chiesa il dominio di ciò che senza controversia era suo, si venisse a trattare pel resto" Storia d'Ital. Vol. III. L. XXII. n. XXXIX.

[1]) Cfr. Th. Sickel, Das Privilegium Otto I für die Römische Kirche vom Jahre 962; pp. 51. 75. 80 etc. Innsbruck 1883. — Hoc libro, nondum edito quum Dissert. XIX. n. 46 de Ottonis diplomate ageremus, auctor exemplar apographum Privilegii, in archiviis Vaticanis servatum, describit et examinat. atque invicte ostendit, manuscriptum hoc saeculi decimi esse et Ottoni coaevum. Hinc genuinitas Privilegii extra dubium posita est. Enumeratio civitatum ac territoriorum quae Sedi Romanae confirmantur, apprime convenit cum iis quae in Privilegio

Donatio Constantini Imp.

29. Opportunum videtur hoc loco quaedam dicere de alio documento eoque spurio et supposito, quod inde a medio saeculo undecimo frequentius citatur, et insertum quoque fuit in canonum vel privilegiorum s. Sedis collectiones, videlicet de ea quae dicitur *donatio Constantini.*[1]) Venit hac appellatione edictum seu diploma Constantini Imperatoris, quo is sacro renatus lavacro s. Silvestro Pontifici, ejus in Romano pontificatu successoribus, et clero Romano, varia confert honorum privilegia, donat vero praeter alia Pontifici palatium Lateranense, urbem Romam, omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias. *Unde,* dicitur, *ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romanae urbis et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates, saepe fato beatissimo pontifici nostro Silvestro universali papae contradentes atque relinquentes ejus vel successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem et sacram pragmaticam constitutionem decernimus disponenda atque juri sanctae Romanae ecclesiae concedimus permanenda. — Unde congruum prospeximus, nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus et in Byzantiae provincia in optimo loco nomini nostro civitatem aedificari, et nostrum illic constitui imperium, quoniam, ubi principatus sacerdotum et christianae religionis caput ab imperatore coelesti constitutum est, justum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.*[2])

Ludovici Pii (a. 817), et in *Vita* Hadriani de donatione Caroli M. ac Pipini habentur. Affert Sickel varia quoque argumenta pro genuitate Privilegii Ludoviciani, atque urgeri possent plura ex iis quae habet ad firmandam authentiam donationis Caroli et Pipini.

[1]) Distulimus de hac Constantini donatione agere, ut iis uti possemus elucubrationibus, quibus hocce tempore quaestio haec accuratius tractabatur. Prae caeteris eam praeclare elucidavit *Dr. H. Grauert* in sua disquisitione historico-critica: „Die Konstantinische Schenkung.“ München 1883.

[2]) Cfr. Diploma ap. Labbe, Coll. Conc. I. 1530; Martens, Die römische Frage. p. 328; Grauert, Die Konstant. Schenkung I.

30. Conveniunt jam omnes, documentum hoc spurium esse. Argumentis internis et externis id certo demonstratur, nec ea de re hic fusius agemus. — Antiquissimum monumentum, in quo *donatio Constantini* continetur, Monumenta. Codex est manuscriptus qui nunc in bibliotheca nationali Parisiensi asservatur. Hoc diplomatis exemplar scriptum esse saeculo nono, ac maxima cum probabilitate ex s. Dionysii celebri monasterio esse depromptum, accurato examine instituto recens auctor cl. H. Grauert ostendit.[1]) Invenitur porro Diploma in pluribus codicibus Collectionis Pseudo-Isidorianae. Advertere tamen juvat, varios esse Codices qui continent tantum primam partem Collectionis Pseudo-Isidori, videlicet Decretales (spurias) Pontificum usque ad Damasum, atque in hisce Codicibus haberi quidem Silvestri legendam et Constantini confessionem quae dicitur, haud vero Imperatoris *donationem.*

31. Mentionem dein *donationis* Constantini invenimus apud aliquos auctores Francos saeculi noni, videlicet apud Aeneam episcopum Parisiensem (a. 857—870), qui in suo Tractatu adversus Graecos circa a. 869 edito eam commemorat,[2]) apud Adonem Viennensem (a. 859—874) in ejus Chronico,[3]) et apud Hincmarum Rhemensem.[4]) Saeculo undecimo s. Leo IX non pauca ex hac *donatione* affert in epistola a. 1053 data ad Michaëlem Caerularium patriarcham Cptanum, ita ut appareat ipsum hoc diploma omnino genuinum habuisse. Eodem saeculo s. Petrus Damiani diploma donationis laudavit in opusculo quod inscribitur: *Disceptatio synodalis inter regis advocatum et*

---

[1]) Cfr. Grauert l. c. I. Codex hic insignitur n. 2777, antea vero quum esset in Collectione Colbertina n. 5034. — Censuerunt quidem varii auctores, antiquissimum exemplar diplomatis haberi in Codice qui dicitur Colbertinus 3368 (biblioth. nation. Cod. 1455); sed cl. Grauert ostendit, hunc Codicem saeculo decimo attribuendum esse.

[2]) Tractatus adv. Graecos c. 209. Addit: „Cujus donationis exemplaribus ecclesiarum in Gallia existentium armaria ex integro potiuntur." V. Migne P. L. T. CXXI. p. 758.

[3]) Adonis Chronicon, Aetas VI. V. Pertz M. G. Scr. II. 315.

[4]) De ordine palatii c. 13; ed. Sirmond. T. II. p. 206.

Romanae ecclesiae defensorem. Deusdedit vero Cardinalis et Anselmus Lucensis illud inseruerunt Collectionibus privilegiorum, quas sedente Gregorio VII confecerunt, ac saeculo duodecimo Gratianus pariter in suam canonum Collectionem diploma recepit. — Apud Graecos quoque Constantini *donatio* ut genuinum Imperatoris diploma habita est, ac Balsamon illud saeculo duodecimo Canonum collectioni inseruit. Quumque Graeci contenderent, privilegia ecclesiae Romanae collata convenire etiam Cptanae ecclesiae, eo quod Constantinopolis sit nova Roma, gratum ipsis fuit documentum, ex quo patriarchae Cptano varia privilegia vindicare posse videbantur.

32. Medio aevo igitur universim *donatio* Constantini ut genuina considerabatur. Saeculo autem decimoquinto varii auctores, ut Laurentius Valla, Aeneas Sylvius, s. Antoninus, Nicolaus Cardinalis Cusanus eam ut suppositam traduxerunt. Baronius quoque spurium esse illud diploma agnovit, et quamvis postea adhuc varii auctores, ut Gretserus et Augustinus Steuchus, donationis authentiam susceperint vindicare, paulatim suppositio hujus diplomatis ab omnibus habita est ut indubia.

Quando et ubi conficta.

33. Difficilis porro est quaestio, quo tempore, in qua regione, quo auctore, documentum illud spurium confectum sit, atque auctores qui hac de re inquisierunt ac pronuntiarunt, in diversas abiere sententias. Baronius censuit, a Graecis illam *donationem* confictam fuisse, eo quod in eadem primatus Sedis Romanae ejusque privilegia e Constantini decreto repeti videantur.[1]) Sed haec opinio haud nititur solido argumento eique varia obstant. Sufficiat advertere, alia occurrere in hoc documento, ex quibus patet, divinam institutionem primatus ab auctore teneri. Unde quae de superioritate Sedis Romanae super alias sedes patriarchales et episcopales statuit Constantinus, ut confirmatio insiti primatus haberi possunt. Caeterum si a Graecis documentum prodiisset, sedi Cptanae in hoc

---

[1]) V. Baronium ad a. 324. n. 117, ad a. 1191. n. 52 sqq.

diplomate non quartus, sed secundus locus adsignatus fuisset, nec tantis encomiis ecclesiam Romanam ornassent. Praeterea textum graecum versionem esse ex idiomate latino, eruditi jam conveniunt.[1])

34. Multi existimant, Romae Constantini diploma confictum fuisse, ut ea ratione antiqua fundamenta principatus civilis Romanorum Pontificum conderentur. Hanc sententiam varii auctores tum catholici tum protestantes proposuerunt. Petrus de Marca opinatur, illud edictum jussu Romanorum Pontificum procusum fuisse pia quadam industria. Anno scilicet 767 repetentibus legatis Cptanis a Pipino regiones Italiae quas rex ecclesiae Romanae tribuerat, Joannes subdiaconus et Pamphilus, legati apostolicae Sedis, mentionem injecerunt haereseos iconoclasticae a Graecis fotae contra Patrum traditionem. Dein vero de variis legationis capitibus cum Graecis coram Pipino disceptarunt atque in conventu Gentiliacensi ea discussa sunt. Verisimile itaque videtur doctissimo viro, tunc de consensu Pipini regis excogitatam fuisse donationem Constantini, qua pertinacia Cptanorum retunderetur.[2]) — „Verum quis credat, ait merito Natalis Alexander, Pipinum consensisse figmento, quod suam in Romanam ecclesiam munificentiam deleturum erat ex hominum memoria? Quis sibi persuadeat, Paulum I piissimum Pontificem istiusmodi imperasse? Quis suspicetur, illum qui Pipino omnia accepta referebat, voluisse supponere edictum, quod Pipini beneficia oblitteraret?“[3]) An Romae.

35. Nostro tempore inter alios Döllinger Romanam originem diplomatis Constantini pluribus probare nisus est.[4]) Argumenta quae huic suppositioni favent ad haec reduci possunt. Quum Constantini *donatio* in commodum Sedis Romanae ejusque cleri directe vergat, inde jam prae- Rationes.

---

[1]) Cfr. Grauert l. c. IV.

[2]) De concordia Sacerd. et Imperii L. III. c. 12. Cfr. Natal. Alex. H. eccl. in Saec. IV. Dissert. XXV. Art. III.

[3]) L. c.

[4]) Die Papstfabeln, V. Die Schenkung Constantins.

judicium oritur permagnum, Romae eamdem confectam esse. Deprehenditur in hoc documento clare ea tendentia, ut loco dominationis exosae Longobardorum et Graecorum constituatur magnum Italiae regnum sub suprematia Romani Pontificis, et ejusmodi regno independenti fundamenta parantur per confictam illam Constantini *donationem*. Privilegia porro, honores et ornatus, quae Pontifici clericisque Romanis ab Imperatore conceduntur, etiam ostendunt, Romae hoc diploma confectum esse, quum clericis Romanis ornatus ejusmodi et honores gratissimi essent.[1]) In textu dein diplomatis multa occurrunt, quae manifeste quoad formulas ex documentis Romanis anterioribus collecta sunt, ita ut appareat, ejusmodi documentis conformasse auctorem suam scribendi rationem; verba technica quae Romae in usu erant adhibentur ad designanda munera, honores et dignitates. Dictio autem latina, in qua graecismi varii inveniuntur, respondet idiomati latino, uti Romae saeculo octavo in usu erat. Demum Hadrianus I satis clare jam mentionem fecit *donationis* Constantini, quum ep. 61[a] hanc Carolo M. in exemplar proponens scribit: *Et sicut temporibus beati Silvestri Romani Pontificis a sanctae recordationis piissimo magno Imperatore per ejus largitatem sancta Dei . . . Romana ecclesia elevata atque exaltata est, et potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus est; ita etc.*[2]) Hanc epistolam Hadrianus I a. 777 ad Carolum M. dedit; eo tempore proinde ipsi Constantini diploma spurium notum erat.

36. Hisce igitur nisus argumentis, Döllinger statuit, illis annis documentum istud confectum fuisse, quibus Longobardorum potestas declinabat, ita ut ex suppositione ejusmodi donationis auctor jam fructum et commodum pro constituendo independente regno Italiae sperare posset. Adeoque inde ab a. 752 usque ad a. 777, quo tempore

---

[1]) Cfr. Döllinger l. c. p. 72.

[2]) Cod. Carol. ed. Jaffé ep. 61. — Cfr. allata argumenta apud Grauert l. c. IV.

Hadrianus donationis mentionem fecit, annos computari posse, quibus spurium illud diploma confictum est. — Cl. Martens vero non censet, in Hadriani epistola citata ad Constantini *donationem* alludi, atque ipse existimat, documentum hoc ab aliquo clerico Romano post annum 805 vel 806, ultimo tempore Caroli Magni, vel sub initiis regni Ludovici Pii, confectum fuisse. Quum videlicet spes quae in Carolo M. posita fuerat magna parte frustrata fuisset, auctorem voluisse providere tempori futuro, ut opportunitate data adesset ejusmodi diploma, quo Imperator excitaretur ut compleret, quae praestita non fuerant. Quum vero dignitas Pontificis et cleri per motus factionum ac dein per Caroli dominationem ac jurisdictionis exercitium detrimenta passa esset, auctorem fuisse sollicitum, ut privilegiis ac honoribus a Constantino jam concessis, splendorem ecclesiae Romanae extolleret.[1])

37. Quamvis rationes allatae vim quamdam habere videantur, ut ex iis inferatur, Romae Constantini *donationem* confictam fuisse, censemus tamen cum aliis auctoribus ob gravissima motiva, Romanam hujus diplomatis originem non esse admittendam. Sepositis citatis Hadriani verbis quae, uti inferius videbimus, aptissime alio sensu explicantur, saeculis octavo, nono ac decimo, nulla invenitur in Pontificum actis aliisve documentis mentio, quae ad Constantini *donationem* referatur. Attamen varii occurrerunt eventus et occasiones plures, quibus nihil magis obvium opportuniusque fuisset, quam ex illo documento Romanorum Pontificum jura vindicare. Poterat profecto hoc diploma in controversiis cum Graecis de potestate et auctoritate Romani Pontificis magno commodo esse. Ac revera videmus, saeculo undecimo a s. Leone IX, qui illud ut authenticum habebat, ex Constantini *donatione* contra Michaëlem Caerularium jura sedis Romanae strenue vindicari. — Sed nec Hadrianus I, quum Graecos urgeret, ut restituerent patrimonia amplissima ecclesiae Romanae Sententia negativa.

[1]) Cf. Martens, Die römische Frage p. 344 sqq.

ablata et provincias ecclesiasticas Illyrici jurisdictioni patriarchali subtractas, unquam ex Constantini diplomate Rationes. argumenta deprompsit vel illud in medium attulit. Neque saeculo nono Nicolaus I et Hadrianus II, quum in lucta contra Photium ecclesiae Romanae auctoritatem defenderent, et subjectionem patriarchae Cptani sub Sede apostolica vindicarent, unquam mentionem fecerunt *donationis* Constantini. Attamen passim ex historia ecclesiastica commemorant Imperatorum erga ecclesiam Romanam benevolentiam et larga beneficia, ut Imperatoribus Michaëli ac Basilio illorum exemplum proponatur. Quum vero Nicolaus I a. 867 epistola data ad Hincmarum Rhemensem Graecorum arrogantiam, errores, et accusationes in ecclesiam Romanam fusius exponeret, ac praesules Galliae excitaret, ut scriptis suis Graecos et ipsi refutarent, commemorata accusatione Graecorum de jejunio sabbati: *Sed quid mirum,* pergit Pontifex, *cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanae Sedis ad Cptanam ecclesiam transmigrasse et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse.* Ista Graecorum assertio per se concidebat ex *donatione* Constantini, quum haec tota sit in privilegiis Romanae ecclesiae firmandis, et transmigrationem Imperatoris in aliam urbem Constantinopolim explicet ex reverentia in Pontificem Romanum. Adeoque hoc loco veluti per se ingerebat se mentio illius documenti, ut absona jactantia Graeorum perstringeretur. At Nicolaus nihil de hac *donatione* dicit. Certe si donationis diploma jam saeculo octavo vel ineunte saeculo nono Romae confectum esset, post tempus non modicum jam elapsum, Pontifex, uti varii praesules in Gallia ea aetate, documentum genuinum habuisset, fraudemque non amplius agnovisset. Quod igitur diplomate illo maxima opportunitate data, nullo modo utitur, indicio est, *donationem* Constantini ei haud notam fuisse.

38. Ex initio saeculi undecimi citatur diploma Ottonis III *Romam caput mundi,* quo Silvestro II seu Romanae ecclesiae octo comitatus in Italia donat; ac mentio quae-

dam *donationis* Constantini in eo invenitur. Invehit Imperator in anteriores Pontifices, quod ecclesiae Romanae bona et possessiones dilapidaverint, dein vero quidam Pontificum eo tetenderint, *ut maximam partem imperii nostri apostolatui suo conjungerent.* Conatus istos perstringens: *Haec sunt enim*, inquit, *commenta ab illis ipsis inventa, quibus Johannes Diaconus cognomento digitorum mutilus, praeceptum aureis litteris scripsit sub titulo Magni Constantini, longa mendacii tempora finxit.*[1]) Si hoc diploma Ottonis genuinum est, ex eo quidem infertur, eo tempore Constantini *donationem* Romae notam fuisse, Johannem diaconum litteris aureis diploma descripsisse, illudque productum et ostensum fuisse, sed ab Imperatore rejectum ut spurium. Sed de prima origine documenti, quod certe jam medio saeculo nono existebat, ex his nihil eruitur. Caeterum, utrum illud diploma Ottonis III genuinum sit, eruditi dissentiunt. Baronius cum pluribus aliis spurium esse censet hoc diploma;[2]) Pertz l. c. genuinum esse existimat, variique auctores ei adstipulantur. Videtur certe mirum, quod Otto III ita loqueretur de ecclesiae Romanae possessionibus ac de modo agendi Romanorum Pontificum, quum ejus avus Otto I solemni diplomate possessiones amplissimas confirmasset. Inde dubium permagnum de genuinitate documenti Ottonis III exoritur, facileque crederem, tempore litis de Investituris illud confictum et suppositum fuisse. Sed, uti diximus, quoad quaestionem de origine *donationis* Constantini ex ejus mentione in diplomate Ottonis III nihil colligi potest. — A Leone IX autem Constantini *donatio* noscebatur atque ut genuina considerabatur; hinc a. 1053 multa ex ea, ad jura Sedis Apostolicae vindicanda, in epistola ad Michaëlem Caerularium profert.

Ottonis III diploma.

39. Ex dictis igitur satis colligitur, Romae usque ad medium saeculum undecimum, vel saltem usque ad initium

---

[1]) M. G. L. II. p. 162.

[2]) Baron. ad. a. 1191 n. 58. Cfr. Grauert l. c.; ipse valde dubium hoc documentum esse existimat.

hujus saeculi Constantini *donationem*, etiam quum occasiones maxime opportunae sese offerrent, haud in medium afferri. Restat tantum, ut consideremus illa, quae in ep. 61[a] Hadrianus I a. 777 scripsit: *Et sicut temporibus beati Silvestri Romani Pontificis a sanctae recordationis piissimo Constantino magno Imperatore per ejus largitatem sanctae Dei catholica et apostolica Romana ecclesia elevata et exaltata est, et potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus est, ita et in his vestris felicissimis temporibus atque nostris sancta Dei ecclesia, i. e. Beati Petri Apostoli, germinet atque exultet et amplius atque amplius exaltata permaneat.* — In his verbis per se nihil habetur, quo Constantini *donatio* designetur. Etenim Hadrianus tantum generatim proponit exemplum Constantini, qui exaltaverit Ecclesiam. Ut principibus Constantinum in exemplum proponeret piosque principes ei compararet, huic Pontifici consuetum erat; id e. g. etiam in litteris datis ad Irenem Imperatricem Cptanam ejusque filium Constantinum facit, hosque cum Helena et Constantino primo Imperatore christiano comparat. Verba autem, *et potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus est,* profecto non eadem sunt atque ea quae in *donatione* Constantini habentur: *urbem Romam et omnes totius Italiae seu* (et) *occidentalium regionum provincias et loca et civitates.* Sed illa verba congrue sensu generali accipiuntur de favore quo in Italia Constantinus ecclesiam prosecutus est. Jam tunc ecclesia patrimoniis variis ditata est, externumque splendorem et potestatem acquisivit.

Hadriani I epistola.

40. Imo quae in epistola Hadriani sequuntur positive ostendunt, Pontificem diploma Constantini nullatenus cognovisse. Quum enim hac *donatione* jam tota Italia et occidentales provinciae Pontifici concedantur, certe Hadrianus si ejusmodi documentum prae manibus habuisset haud ita prosequeretur: „Sed et cuncta alia quae *per diversos imperatores, patricios etiam, et alios Deum timentes* pro eorum animae mercede et venia delictorum in partibus Tusciae, Spoleto seu Benevento atque Corsica, simul et Sabinensi patrimonio beato Petro Apostolo sanctaeque Dei apostolicae

et Romanae ecclesiae concessa sunt, et per nefariam gentem Longobardorum per annorum spatia abstracta atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur, unde et *plures donationes* in sacro nostro scrinio Lateranensi recordatas habemus." Hic donationes aliorum Imperatorum ac patriciorum eodem censu habet Pontifex, ac Constantini liberalitatem in Ecclesiam, adeoque quum de hujus munificentia in Ecclesiam loquitur, haud respicit ad diploma *donationis*, sed ad alios favores quibus Constantinus sedem Apostolicam locupletaverit.

41. Ex hisce igitur quae exposuimus argumentis jam constare censemus, *donationem* Constantini nequaquam Romae compositam fuisse. Juvabit adhuc alia quaedam argumenta *interna* ex ipsa *donatione* afferre, quae idem confirmant. Advertendum est, in prima parte documenti legendam referri Silvestri, qui ostendit Constantino Imperatori imagines ss. apostolorum Petri et Pauli. Imperator vero agnoscit, hos ipsi in visione nocturna apparuisse. De veneratione autem et cultu talium imaginum nihil adjicitur.[1]) Quodsi documentum compositum esset Romae saeculo octavo, quo tempore controversia de cultu sacrarum imaginum maxime ardebat, additum sane fuisset, Constantinum dein illas imagines magna cum reverentia veneratum fuisse. Silentium vero de ejusmodi cultu potius indicat, diploma confectum fuisse in aliqua regione in qua cultus imaginum minus vigebat. — Quod porro ad amplitudinem donationis attinet, in ea non tantummodo agitur de Italia, sed donantur Pontifici omnes Italiae et[2]) occidentalium regionum provinciae. Scopus videlicet diplo-

Argumenta interna.

---

[1]) „Tunc isdem venerabilis pater imagines eorumdem apostolorum per diaconum suum exhiberi praecepit, quas dum adspicerem et eorum quos in somno videram figuratos ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapibus meis confessus sum eos esse quos in somno videram. Ad haec beatissimus idem Silvester . . . indixit nobis poenitentiae tempus etc." V. Labbe I. 1532 et Grauert l. c. I. p. 21.

[2]) In antiquis codicibus habetur quidem *seu*, sed haec particula in latinitate illius temporis copulativa erat idemque quod *et* significabat.

matis conficti est, ut Pontifici suprematia dominii asseratur in totum Occidentem. Eo etiam tendunt privilegia quoad honores et ornatum ipsi et clero Romano concessa, ut majestate imperiali Pontifex circumdetur. Jam vero Romae Pontifices saeculis octavo et nono ne id quidem tendentiis suis prosecuti sunt, ut totam Italiam dominationi suae politicae subjicerent; multo minus vero primatum politicum totius Occidentis acquirere contendebant. Unde etiam ex hac ratione supponi nequit, Romae diploma illud ea aetate confictum fuisse.[1]) — Immerito supponitur universim, tantam fuisse apud summos Pontifices aut Ecclesiae proceres tendentiam ad amplificandam auctoritatem et potentiam, ut id per fas et nefas, confictis etiam documentis, assequi studerent. Profecto Pontifices aliique magnae dignitatis ecclesiastici viri Romani fraudis et ambitionis foedae insimulantur, dum documentis ejusmodi uti est Constantini *donatio* origo Romana attribuitur. Sed tales dignissimis Pontificibus attribuere conatus ac tendentias injuriosum est, nec adsunt motiva, cur alii viri eminentes in ecclesia Romana ejusmodi fraudum arguantur. Scriptores tamen illi qui proni sunt, ut Romanis suppositionum fraudes quoad documenta illa summi momenti adscribant, talibus praejudiciis teneri passim videntur.

Donatio in Gallia conficta.

42. Caeterum seposita Romana origine, haud ita difficile videtur determinare, ubi spurium illud diploma donationis Constantini ortum suum habuerit. Indicia enim gravissima adsunt ex quibus colligitur, illud, uti pseudodecretales Isidori, in Gallia compositum fuisse. Maxima pars codicum manuscriptorum et quidem codices antiquissimi, in quibus Constantini donatio continetur, ex Gallia oriundi sunt. Ab auctoribus Gallis porro hoc diploma primum brevi post medium saeculum nonum commemoratur; vidimus enim, Adonem Viennensem, Aeneam Parisiensem, et Hincmarum Rhemensem illius *donationis* mentionem facere. Deinde hoc documentum, mox receptum

---

[1]) Motiva allata vide fusius evoluta ap. Grauert l. c. IV.

in codicem decretalium Pseudo-Isidori, ex Gallia magis magisque propagatum fuit. Haec sane sunt gravissima indicia externa, ex quibus colligitur, merito statui posse in Gallia illud Constantini diploma esse compositum.

An Pseudo-Isidorus auctor.

43. Veluti per se hoc loco se offert ea quaestio, annon ipse Pseudo-Isidorus, uti plurimarum decretalium, ita et hujus imperialis diplomatis auctor sit? Haec est sententia Natalis Alexandri. *Melius itaque,* inquit, *meo judicio, in quaestione quae tota nititur conjecturis, asseremus, edictum illud donationis Constantinianae suppositum esse ab Isidoro Mercatore cum aliis epistolis pseudi-epigraphis veterum Pontificum. Convenit enim Isidori celeberrimi impostoris ingenio. Convenit rationi temporis, quo primum venumdari coeperunt Isidori merces, Carolo sc. M. imperante.*[1] *Laudat siquidem illud edictum paulo post Hincmarus. Convenit denique stylo et characteri scribendi plane squallido, quo Isidorus usus est.*[2] Attamen huic opinioni eruditi nostri temporis haud assentiuntur. Etenim revera stylus ac ratio dicendi pseudo-decretalium differt ab indole diplomatis Constantini. Graecismi in hoc documento frequentes, in pseudo-decretalibus haud occurrunt. Decretales porro magna cum arte compositae, ac veluti consutae sunt ex Patrum et Conciliorum antiquiorum plurimis textibus; aliter vero res sese habet in Constantini edicto, quod potius confictum apparet imitatione quadam formularum, quae vario tempore in edendis diplomatibus Imperatorum et Pontificum in usu erant. Demum alius est finis intentus in pseudo-decretalium compositione et evulgatione, alius vero ille, qui in Constantini *donatione* praevalet, etsi hic scopus auctori cuidam Galliae apprime conveniat.

Scopus donationis confictae.

44. Scopum videlicet in conficiendo Constantini diplomate imprimis eum fuisse existimamus, ut institutio et dignitas Imperii Romani occidentalis, contra Graecorum convicia et accusationes vindicaretur. Vidimus enim,

---

[1]) Paulo tardius Isidori Collectionem prolatam esse vidimus Dissert. XVI. II.

[2]) In saec. IV. Dissert. XXV. Art. III.

Graecis saeculo nono valde exosam fuisse sacri Romani Imperii constitutionem, eosque ut illegitimam et inanem arguisse hanc institutionem, nec eos voluisse agnoscere illam dignitatem Carolo Magno ejusque successoribus collatam. Persuasio porro, Romanos Pontifices supremae illius dignitatis esse auctores, ab iisque Imperii hujus institutionem et splendorem esse repetenda, jam animis merito inerat, uti tum ex aliis documentis, tum maxime ex epistola Ludovici II ad Basilium I clare colligitur.[1]) Jus quidem Romanorum Pontificum, ut, attenta conditione infausta Imperii Graeci et considerato statu societatis christianae in Occidente, sacrum illud Imperium Romanum suscitarent, vidimus situm esse in eorum auctoritate suprema primatus. Sed auctor ille qui Constantini diploma composuit, modo peremptorio Graecos refelli posse existimavit, dum Constantini *donatione* aliud quoque fundamentum conderet collati a Pontificibus Imperii, aliumque titulum quo nisi illi dignitatem eam instituerent. Constantini *donatione* enim Silvestro ejusque successoribus summum dominium in Italiam ac totum Occidentem confertur, majestasque et decor plane imperialis, ita ut quemadmodum Constantinus in Oriente, ita Romanus Pontifex in Occidente supremam auctoritatem habere videretur. Etiam diadema imperiale Pontifici confertur, sed dum adjungitur: *ipse vero sanctissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsam ex auro non est passus,* veluti innuitur, Pontificem declinasse, summam dominationem civilem de facto in Occidentem totum exercere, aliisque id esse commissum. Attamen secundum *donationem* de jure ac radicitus Romanus Pontifex habebat supremum dominium totius Occidentis. Atque ita constituebatur fundamentum egregium titulusque splendidus, quo explicaretur institutio Imperii occidentalis ut delegatio summae dignitatis et potestatis, quae vel ex ipso edicto Constantini Imperatoris pleno jure Romano Pontifici competebat.

Titulus constituendi Imperii.

---

[1]) Cfr. Dissert. XV. n. 23.

45. Huic scopo auctoris qui Constantini *donationem* confecit, etiam alius connexus fuisse videtur. Graeci multi videlicet jam dudum, et apertius saeculo nono, jactabant, honores et principatum ecclesiasticum veteris Romae cum sede imperiali translata esse Constantinopolim, et aegre jam primatum Sedis Romanae agnoscebant. In documento isto vero translatio sedis imperialis apparet uti facta ob reverentiam summi Pontificis Romae residentis. Primatus Petri et successorum ejus ex verbis Christi magnificatur, ac dein Imperatoris edicto Sedi Romanae auctoritas supra alias sedes patriarchales firmatur. Demum summi honores Pontifici et clero Romano a Constantino ipso decernuntur. Ita omnis Graecorum jactantia arrogans vetusto hoc diplomate frangebatur. **Splendor Sedis Rom.**

46. Duplex hic scopus, qui in exarato Constantini diplomate deprehenditur, auctori in Galliis degenti versus saeculum nonum medium profecto apprime convenit. Prior quidem, quum ob honorem Caroli Magni et stirpis ipsius viro Franco maxime cordi esset, Imperii occidentalis institutionem ac dignitatem contra Graecorum accusationes vindicare. Sed etiam privilegia Sedis Romanae contra Cptanorum superbiam tueri, simul valde congruit tali auctori. Quum apud Francos disciplinae sacrae florerent, in controversiis illorum temporum Galliae viros doctos magnam partem habuisse vidimus, eosque passim invenimus a Pontificibus evocatos, ut Graecorum errores refutarent. Sed etiam ipsa dignitas ecclesiae Gallicanae in discrimen vocabatur arroganti assertione Graecorum, privilegia ecclesiastica veteris Romae cum Imperio Constantinopolim translata fuisse. Videbatur enim hac ratione primatus quidam patriarchae Cptani in ecclesias quoque Occidentis constitui, quod vel ipso nomine patriarchae oecumenici insinuabatur.

47. Quod demum ad dictionem latinam quae in illo Constantini edicto invenitur attinet, ad graecismos, ad fontes quibus usus est auctor, ad diplomata Imperatorum et Pontificum quorum formulas imitatus est, nihil in hisce

habetur, quod a scriptore in Gallia degente alienum inveniatur. Imo eo tempore fontes et documenta quibus uti poterat, facile ibidem praesto erant. Quum igitur ostensum sit argumentis solidis, Romae haud confectam esse Constantini *donationem*, indicia vero adsint gravissima tum externa tum interna, in Gallia illud diploma esse compositum, hanc sententiam merito adoptandam esse censemus. Confectum porro esse videtur versus medium saeculum nonum, quum paulo post ab Aenea Parisiensi, ab Hincmaro Rhemensi, et ab Adone Viennensi edictum Constantini veluti genuinum commemoretur.

Locus fictionis. 48. Quo loco vero diploma illud spurium excusum sit, difficile est determinare. Conjecturis quibusdam non spernendis cl. Grauert inferri posse opinatur, in monasterio s. Dionysii prope Parisios suam originem Constantini *donationem* habuisse. Diplomata spuria non pauca labente tempore in hoc monasterio composita sunt, unde per se suppositionem fraudis, quam piam et condonandam putaverit diplomatis auctor, rejicere non licet. Pipini regis et Caroli Magni stirps ac fata faustissima magnam connexionem cum celeberrimo illo monasterio habuere, unde etiam monachi s. Dionysii huic familiae ejusque honori addictissimi erant. Florebant in monasterio litterae, praesto erant in ipso et in propinqua civitate Parisiensi fontes et documenta, quae adminiculo esse poterant. Qui vero diploma Constantini primum commemorant, Aeneas Parisiensis et Hincmarus Rhemensis, nexum specialem cum abbatia s. Dionysii habebant. Sita enim ipsa erat prope Parisios; hinc profecto Aeneas, qui primum notarius fuit in aula Caroli Calvi, dein vero inde ab anno 853 usque ad annum 870 episcopus Parisiensis, frequentem consuetudinem cum monachis illius abbatiae habuit. Hincmarus Rhemensis vero, antequam episcopus fieret, in abbatia s. Dionysii vitam religiosam professus erat, ac postea etiam amico favore monasterium illud prosecutus est. Unde suppositio ea sese commendat, utrumque notionem illius donationis hausisse ex monasterio isto. Ado, Viennensis episcopus inde ab anno 859 usque ad annum 870, vixerat

in monasterio Ferrariensi sub abbate Lupo Servato, qui Hilduino abbati monasterii s. Dionysii amicissimus erat. — Advertendum praeterea est, pluribus in diplomatibus spuriis, in abbatia s. Dionysii ad commodum monasterii confectis, quae videlicet privilegia vel donationes factas spectant, Constantini donationem pro confirmatione in exemplum adduci. Unde ex frequentiori usu hujus diplomatis in illa abbatia, conjectura de ejus origine confirmatur.[1])

Propagatio diplomatis.

49. Constantini edictum porro receptum fuit in Collectionem pseudodecretalium Isidori Mercatoris eaque ratione magis magisque propagatum. Ex his codicibus dein transiit in varias Collectiones, quae inde a medio saeculo undecimo ab Anselmo Lucensi, a Deusdedit Cardinale, ab Ivone Carnutensi aliisque confectae sunt. — Jam advertimus tamen, Romae Constantini *donationem* saeculo nono sub Nicolao I et Hadriano II, quantum apparet, haud notam fuisse. Dixeris, huic sententiae opponi posse, quod Isidori pseudodecretales jam Nicolao I ac certo Hadriano II innotuerint. Sed difficultas haec diluitur, dum haec advertuntur. Constantini diploma duplici constat parte. Prima parte continetur Constantini professio fidei ac narratio de ejus sanatione et baptismo per s. Silvestrum, eaque pars *confessionis* nomine designari solet; altera parte recensentur privilegia ab Imperatore s. Silvestro et clero Romano collata et firmata, et haec pars *donatio* dici assuevit. Porro inde ab initio multi fuere et adhuc exstant codices pseudodecretalium Isidori, in quibus haud continentur concilia, decretales vero Pontificum tantum usque ad s. Damasum. In hisce codicibus nonnisi prima pars diplomatis Constantini, videlicet *confessio,* non vero *donatio* invenitur. Facile igitur fieri potuit, ut tantum brevior illa Collectio Isidori Romae tempore Nicolai nota esset. Sane Rothadius aliive, quorum causae contra Hincmarum Rhemensem Romam delatae fuerunt, ad jura sua tuenda apprime ad decretales Pontificum priorum saeculorum appellabant, adeoque per

---

[1]) Vide haec fusius evoluta ap. Grauert l. c.

se admodum probabile est, codicem in quo tantum istae decretales habebantur, Romam primo delatum esse. Etiam Hinschius convenit, Nicolao nonnisi ejusmodi codicem praesto fuisse.[1]) Itaque quum ea quibus in sua contra Photium lucta Nicolaus I uti potuisset, contineantur in illa diplomatis parte quae *donatio* dicitur, subsistit plane vis argumentorum quibus probavimus, hanc *donationem* tempore Nicolai Romae nondum notam fuisse.

Quando Romae innotuerit.

50. Posteriori aetate sane totum diploma donationis Romae innotuit; quando id acciderit, accurate definiri non potest. Saeculo decimo, primisque undecimi saeculi decenniis, in documentis Romanorum Pontificum ejus mentio non invenitur; forte ex adjunctis quoque temporum, quae uti vidimus valde turbata erant, id explicandum est. Usus est, uti diximus, diplomate illo s. Leo IX contra Graecos, pariterque s. Petrus Damiani in sua *disceptatione synodica de Alexandro et Cadaloo,*[2]) ac forte ad privilegia Pontifici a Constantino concessa alluditur in Dictatu Gregorii VII n. 8: „Quod (papa) solus uti possit imperialibus insigniis.“ Subsequente tempore, quamvis Constantini *donatio* haberetur ut genuina, Romani Pontifices tamen vix hoc diplomate ad jura sua vindicanda usi sunt. Etenim donationes Pipini, Caroli M., Ludovici Pii, ac diplomata aliorum Imperatorum, uti Ottonis M. et Henrici II, quibus confirmabantur illae donationes et accurate designabantur, ipsis

---

[1]) „In epistola enim, scribit, ad universos episcopos Galliae a. 865 decretalium Pseudo-Isidori mentionem fecit; . . . in duabus aliis epistolis, altera ad Rodulfum archiepiscopum Bituricensem a. 864, altera ad Arduicum archiepiscopum Vesontionensem a. 865, de jure chorepiscoporum, nihil eorum quae Pseudo-Isidorus de iis statuit attulit. Qua ex re apparet, codicem Pseudo-Isidorianum Nicolai fuisse classis A 2, in quo ut supra dixi epistolae de chorepiscopis a Pseudo-Isidoro confectae non inerant.“ Decretales Pseudo-Isidorianae p. LVII. — Liceat h. l. advertere, cl. Walter censere, Nicolaum Collectionis Pseudo-Isidori aliquod exemplar nondum habuisse, sed tantummodo illos pseudodecretalium cognovisse textus, quos Galliae episcopi variis scriptis ad eum missis citaverant. V. Kirchenrecht ed. XIV. p. 206. n. 13.

[2]) Opusc. IV. Opp. T. III. p. 33. ap. Watterich I. 219.

praesto erat; opportuniusque videri poterat in illis temporum adjunctis eis insistere, quum ab Imperatoribus qui Romae coronabantur firmari solita essent.

51. Etiam in litibus inter Imperatores atque Pontifices, utrimque Constantini diploma ut genuinum habebatur. Sed quum constaret, Constantinum morientem Imperium inter ipsius tres filios divisum reliquisse, ita ut etiam post eum Occidentis fuerit Imperator, de sensu verbis *donationis* subjiciendo controvertebatur, et ab aliis strictiori, ab aliis latiori quadam et vaga interpretatione, diploma illud exponebatur. Otto Frisingensis, qui indubium habet Constantini edictum, id bene indicat scribens: „Sed et aliis exempla dans, caput omnium in tantum Romanam exaltavit ecclesiam, ut B. Silvestro ejusdem urbis Pontifici insignibus regni traditis, ipse se Byzantium transferret ibique sedem regni constitueret. Exhinc Romana ecclesia occidentalia regna sui juris tanquam a Constantino sibi tradita affirmat in argumentumque tributum, exceptis duobus Francorum regnis, usque hodie exigere non dubitat. Verum Imperii fautores Constantinum non regnum Romanis Pontificibus hoc modo tradidisse, sed ipsos tanquam summi Dei sacerdotes ob Domini reverentiam in patres assumpsisse ab eisque se et successores suos benedicendos et patrocinio orationum fulciendos contendunt, atque ad hoc probandum, quod ipse Constantinus regno inter filios diviso alii Occidentem, alii Orientem tradiderit, et sic per successiones Theodosio quoque et aliis, non solum haereticis, sed (et) religiosis principibus cum Occidente Roma sorte devenerit, inducunt. . . . Quae omnia diffinire praesentis negotii non est.“ [1]) Hac ratione igitur quaestio inter theologos, canonistas, jurisque peritos utriusque partis versabatur.

Universim admissum.

52. Sed, uti diximus, Romani Pontifices solemniter jura sua potius ex summa auctoritate primatus et ex recentioribus Imperatorum diplomatibus vindicabant et confirmabant. Dein vero inde a saeculo decimoquinto incepit

[1]) Chron. L. IV. c. 3. MG. Scr. XX.

controversia de genuinitate ipsius edicti Constantini, atque etiam viri Ecclesiae addicti, uti Nicolaus Cusanus, et s. Antoninus dubia sua protulerunt. Permagna eruditorum pars diuturno tempore documentum illud ut genuinum habuit, ita ut etiam saeculo decimo sexto ac decimo septimo celebres auctores ejus authentiam vindicarent. Post Baronicam tamen paulatim praevaluit eorum, qui illud ut spurium agnoverunt sententia, quam demum omnes merito adoptarunt. Romani Pontifices vero in hac controversia haud intervenere, nec *donationis* authentiam vindicare nisi sunt. Apprime enim intelligebant, Ecclesiae privilegia et jura haud ex uno alterove diplomate cujusvis Imperatoris pendere, sed ex insita ipsi indole ac dignitate. Ita et medio aevo influxus ille atque auctoritas salutaris, quam in principes eorumque regna etiam sub respectu civili Ecclesia exercebat, inde ultimatim provenit, quod principia vera de missione divina Ecclesia, disponente providentia Dei, evolverentur et agnoscerentur, atque ita in bonum totius societatis christianae, externum quoque insignemque splendorem et potestatem Ecclesia et Romani Pontifices consequerentur. Perbelle id exprimit Otto Frisingensis post ea quae de Constantini diplomate advertit. „Intueri, ait, tamen libet, quam miro et ineffabili modo civitas Christi inter cives mundi progressa paulatim evescendo ad tantum fastigium profecerit.... Ut securior de regni coelestis promissione fieret Ecclesia, regnum ei temporale regnorum omnium maximum tradidit, sicque paulatim civitas Dei crescens ad summum apicem atque monarchiam profecit. Et notandum, quod ante incarnationem suam civitas Dei ad plenum honorata non fuit, postmodum vero, cum assumptam carnem ad coelos attolleret, quasi accepto regno, juxta parabolam, regnum suum quod est Ecclesiam, ad summum fastigium, quo altius nihil in terra, provexit, ut per hoc civibus mundi se non solum Deum coeli, sed et dominum orbis ostenderet, civesque suos patriae dulcedinem ex peregrinationis prosperitate doceret appetendam.“ [1]) — Sed de Constantini *donatione* haec sufficiant.

Suppositio agnita.

[1]) Chron. L. IV. c. 4.

53. Pro scopo nostro jam quaedam advertamus de conditione Italiae meridionalis ac Siciliae, atque de celeberrimo *privilegio Urbani II,* quo posteriori tempore abusi sunt Neapolis ac Siciliae reges, ut sub titulo *Monarchiae Siculae* dominationem ingentem in res ecclesiasticas sibi vindicarent. — Duces Normannorum qui in Italia meridionali ac Sicilia dominabantur, Robertum Guiscardum ejusque fratrem Rogerium, vidimus regna sua ut feuda a Sede Apostolica suscepisse, ac dein non raro Romanis Pontificibus contra hostes externos et internos auxilio fuisse. Rogerius praeterea de re christiana bene meritus est, quod Saracenos, qui Sicilia potiti crudeliter incolas christianos vexabant et incursionibus suis Italiam terrebant ac vastabant, ex insula ista post gloriosa certamina expulit. Manserunt porro regna illa in dependentia vasallitii a Sede Romana, etsi decursu temporis in aliorum principum manus devenerint, usque ad saecula recentiora.

Normanni in Italia.

54. Ob merita sua in ipsos et Ecclesiam Romani Pontifices Normannorum duces favore indulgenti prosecuti sunt, variaque illis concessere in res ecclesiasticas privilegia. Profecto ipsi principes Normanni, uti eorum cognati in Anglia, dominandi, etiam in rebus ecclesiasticis, valde cupidi erant;[1]) Romani autem Pontifices prudentiae esse judicarunt, varia illis concedere privilegia, quantum salvis ipsorum juribus et auctoritate fieri poterat. Celebre inter alia est privilegium, quod Urbanus II a. 1098 Rogerio comiti contulisse perhibetur. Posterioribus enim saeculis, uti innuimus, eo abusi sunt Siciliae principes, ut jura exaggerata et indebita sub nomine jurium *Monarchiae Siculae* sibi vindicarent.

55. Hujus diplomatis exemplar vel apographum aliquod separatum non exstat. Sed auctor coaevus Gaufredus Malaterra in sua *historia Sicula* L. IV capite ultimo

---

[1]) „Normannus enim ubique est Normannus, eas ipsas in Anglia et in Sicilia volens consuetudines firmatas.“ Chr. Lupus, *de Appellationibus* c 4. p. 23; Bononiae a. 1743.

concessionem privilegii enarrat textumque diplomatis adjungit. Refert, qua ratione Urbanus II quum a. 1098 in Italia meridionali versaretur cum Rogerio comite, quem magni aestimabat, Salerni convenerit, ibique illud diploma principi contulerit. „Alter alterius colloquio, scribit, cum maxima dilectione fruuntur. Sed quia ipse Apostolicus jam dudum Robertum episcopum Troynensem, comite inconsulto, legatum in Sicilia ad exequendum jus sanctae Romanae ecclesiae posuerat, perpendens hoc comitem graviter ferre et nullo modo, ut stabile permaneat, assentire; cognoscens etiam ipsum comitem in omnibus negotiis ecclesiasticis exequendis zelo divini ardoris exfervescere, cassato, quod de episcopo Troynensi fecerat, legationem Beati Petri super comitem per totam Siciliam vel habendam haereditaliter ponit; ea discretione, ut dum ipse comes advixerit, vel aliquis haeredum suorum zeli paterni ecclesiastici executor superstes fuerit, legatus alius a Romana Sede ipsis invitis nullus superponatur: sed si qua Romanae ecclesiae juris exequenda fuerint, chartulis[1]) a Romana Sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipsos consilio episcoporum earumdem provinciarum authentice definiantur. Quodsi episcopi ad concilium invitati fuerint, quot et quos ipsi comiti vel suis futuris haeredibus visum fuerit, illuc dirigant: nisi forte de aliquo ipsorum in concilio agendum sit, in Sicilia vel Calabria in praesentia sua authentice definire nequiverit: et ad hoc commissum perpetualiter permanendum, privilegio suae auctoritatis firmavit, cujus sententiam subtitulamus."

Privilegia ab Urbano II concessa.

Textus diplomatis.

56. *Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo filio Rogerio comiti Calabriae et Siciliae salutem et Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernae majestatis dignatio multis triumphis et honoribus exaltavit, et*

---

[1]) Adverterunt Baronius aliique auctores gravissimi, librariorum negligentia *chartulis* scriptum esse, sed legendum *chartulariis,* quo nomine designabantur legati a Romano Pontifice cum litteris in aliquam provinciam missi ob negotia ecclesiastica tractanda. Cfr. Sentis, *Die Monarchia Sicula* etc. p. 61. Freiburg 1869.

probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, et sanctae Sedi Apostolicae devotam se multis modis semper exhibuit, nos in specialem atque carissimum filium ejusdem universalis Ecclesiae te assumpsimus. Idcirco de tuae probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam litterarum auctoritate firmamus: quod omni vitae tuae tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tuus haeres exstiterit, nullum in terra potestatis vestrae praeter voluntatem aut consilium vestrum legatum Romanae ecclesiae statuemus, quin imo quae per legatum acturi sumus, per vestrum industriam legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere nostro miserimus, ad salutem videlicet sanctarum ecclesiarum, quae sub vestra potestate existant, ad honorem Beati Petri sanctaequae ejus Sedis Apostolicae, cui devote hactenus obedisti, quamque in opportunitatibus suis strenue et fideliter adjuvisti. Si vero celebrabitur concilium et tibi mandavero, quatenus episcopos et abbates tuae terrae mihi mittas, quot et quos volueris mittas, alios vero ad servitium ecclesiarum et tutilam retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, et te a peccatis absolutum in vitam aeternam perducat. Datum Salerni per manum Joannis Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi III Nonas Julii, Indictione VII. Pontificatus Domini Urbani Secundi XI. [1])

57. Subsequenti tempore successores Rogerii frequenter quidem jura varia in res Ecclesiae sibi usurparunt, sed illo Urbani II privilegio, tanquam splendido juris titulo, tantummodo niti coeperunt, postquam illud, quum latuisset per quatuor saecula, initio saeculi XVI in publicam lucem editum fuit. Tunc enim dominatores utriusque Siciliae contenderunt, ex immemorabili consuetudine et ex *privilegio* ab Urbano II concesso *legati a latere* se jure omnia prope negotia ecclesiastica in utraque Sicilia ordinanda et disponenda sibi vindicare. Atque id speciatim contenderunt, Urbanum II Rogerio comiti et **Abusus privilegii.**

[1]) Ap. Baron. a. 1097. n. 23. Cfr. Sentis, Die *Monarchia Sicula etc.* Appendix I.

successoribus suis triplex privilegium contulisse; imprimis ut ipsi dignitate juribusque pollerent legati a latere Pontificis; dein ut alius summi Pontificis legatus intra fines regni non intraret nisi quem ipsi gratum haberent; denique ut ad synodus Romae cogendas eos tantum praesules regni dimitterent quos liberet. — Quum vero reges Siciliae legatos natos vi hujus diplomatis se esse contenderent, etiam omnia quae sunt legatorum a latere se efficere posse statuebant, imo et substituendi potestatem habere cum eadem auctoritate, nimirum ut judicare et punire possint, absolvere et excommunicare quos velint, laicos, monachos, clericos, etiam ecclesiastica dignitate praelatos, abbates, episcopos, et archiepiscopos, imo S. R. E. Cardinales ibidem degentes eidem Monarchiae subditos esse velint. Ejusdemque quoque esse monarchicae facultatis, appellationes ad sanctam Sedem Apostolicam impedire, nuntios ejusdem sanctae Sedis non admittere, atque demum respectu ecclesiasticae jurisdictionis neque ipsam Sedem Apostolicam recognoscere et habere superiorem, nisi in casu praeventionis. Ista sunt quae Urbani auctoritate diplomatis reges in Sicilia sibi licere voluerint,[1]) atque ita non solum in rebus temporalibus, sed etiam in spiritualibus *Monarchas* se esse constitutos gloriabantur.

An diploma genuinum. 58. De authentia illius Urbani II privilegii, ultimis saeculis, quando Siciliae dominatores ex eodem usurpata sua in res ecclesiasticas jura vindicare conati sunt, vehementiores controversiae exarserunt. Baronius qui egregiam *de Monarchia Sicula* dissertationem undecimo Annalium tomo conscripsit, non solum probavit, immerito Siciliae principes ex illo diplomate ingentia privilegia deducere, sed etiam ostendere nisus est, illud diploma, sin minus spurium, saltem mutilatum esse.[2]) Eum secuti sunt gra-

---

[1]) Baron. l. c.

[2]) V. Baronium ad. a. 1097 n. 18 sqq. Pluribus dein scriptis sententiam suam tuitus est. Genuinitatem penitus negavit Nicolaus Maria de Tedeschis in sua *Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia etc.* Roma 1715. — Plura vide ap. Sentis l. c. p. 4.

ves auctores, in eamque sententiam etiamnum cl. Balan propendit.[1]) Praecipuum textus mutilati argumentum Baronius inde petit, quod plura, quae in relatione Malaterrae continentur, quibusque privilegia concessa accuratius determinantur et restringuntur, in ipso diplomate, uti exstat, non habentur. Refert videlicet Malaterra, ab Urbano II Rogerio legati vices concessas esse *ea discretione, ut dum ipse comes advixerit, vel aliquis haeredum suorum . . . legatus alius a Romana Sede ipsis invitis nullus superponatur: sed si qua Romanae ecclesiae juris exequenda fuerint, chartulis* (l. chartulariis) *a Romana Sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipsos* (chartularios) *consilio episcoporum earundem provinciarum authentice definiantur.* Haec igitur in diplomate omissa esse advertit Baronius, sicuti et illa quae dicit Malaterra de episcopis Romam ad synodum mittendis pro arbitrio Rogerii, *nisi forte de aliquo ipsorum in concilio agendum sit in Sicilia vel in Calabria* (cum) *in praesentia sua authentice definiri nequiverit.* Observat Baronius, Sedis Romanae jura apprime vindicari et servari hisce capitibus. „En vides lector, inquit, quanta subtraxerit et quanti momenti veterator, (quisquis fuerit ille), quae si in locum suum restituantur, fient etiam integra una cum Diplomate Sedis Apostolicae jura, et Urbani Papae laudanda prudentia erit, quod ita indulserit roganti comiti, ut tamen voluerit Romanae ecclesiae juribus in omnibus esse consultum.“[2])

Baronii opinio.

59. Attamen huic sententiae, mutilatum ac falsatum esse diploma, argumenta externa haud favent. Etenim in variis codicibus manuscriptis *Historiae Siculae* Malaterrae, tum ejus relatio, tum diplomatis textus, eadem ratione se habent; unde falsificationis vel mutilationis suppositio aegre admitti possit. Praeterea vero contextus diplomatis a regalistis quidem modo arbitrario et impudenti exaggeratione expositus est, ut dominationem usurpatam gubernii vindi-

Privilegium genuinum.

---

[1]) Storia d'Italia T. III. L. XXII. n. XIV.
[2]) Ad a. 1097 n. 45.

carent, per se autem optime convenit cum illis restrictionibus quae ex ipsa narratione Gaufredi colliguntur. Multo melius vero nostra aetate, quinam sit genuinus diplomatis sensus eruitur ex collatione cum alio diplomate Paschalis II recenter invento, quo Pontifex privilegium Rogerio I ab Urbano collatum illius filio Rogerio II confirmat vel renovat, simulque monet, ne jura haud concessa usurpentur. Hujus diplomatis jam verba afferamus, ut dein accuratius determinemus, qua ratione Urbani II privilegium sit intelligendum.

Paschalis II epistola.

60. En igitur Paschalis II epistola: *Paschalis PP. II Rogerio comiti Siciliae. Ante Saracenorum invasionem, Siciliae insula Romanae ecclesiae adeo familiaris fuit, ut semper in ea Romani Pontifices et patrimoniorum suorum curatores et suae vicis repraesentatores habuerint. Patri autem tuo divina gratia praerogativam contulit, ut suo et suorum labore et sanguine Saraceni ab eadem insula pellerentur, et in ea Dei ecclesiae restituerentur. Unde sicut in tuis litteris suggessisti, antecessor meus patri tuo legati vicem gratuita benignitate concessit. Nos quoque tibi post ipsum ejus successori concessimus, ea videlicet ratione, ut si quando illuc ex latere nostro legatus dirigitur, quem profecto vicarium intelligimus, quae ab eo gerenda sunt per tuam industriam effectui mancipentur. Sic enim in Ecclesia saeculares potestates dispositas legimus, ut quod ecclesiastica humilitas minus valet, saecularis potestas suae formidinis rigore perficiat. Nam personarum ecclesiasticarum seu dignitatum judicia nusquam legimus laicis vel religiosis fuisse commissa. Porro episcoporum vocationes ad synodum, quas unquam sibi legatus aut vicarius usurpavit? quod aliquando singularibus, aliquando pluralibus litteris per quoslibet solet nuntios fieri. Cognosce, fili carissime, modum tuum, et datam tibi a Domino potestatem, noli contra dominicam erigere potestatem. Sic enim a Domino Romanae ecclesiae potestas concessa est, ut ab hominibus auferri non possit. Disce in comitatu tuo bonorum imperatorum exempla, ut ecclesias non impugnare studeas, sed juvare, non judicare aut opprimere episcopos, sed tanquam Dei vicarios honorare. Quae a patre*

(tuo) *nobilis memoriae R*(ogerio) *comite ecclesiae data sunt, per te nullatenus minuantur, sed potius augeantur. Noli Deum praecedere, sed sequaris, quia eo duce non offendes, sed vitae lumen habebis. Haec tibi tamquam filio carissimo praecipio, haec moneo; si, ut spondes, obedieris et obtemperareris, tuam profecto salutem obtemperabis* (l. impetrabis). *Dat. Anagniae Kal. Octobris.*[1])

61. Ex collatione igitur documentorum quae attulimus, ea quae ad indolem privilegii Rogerio I ac dein Rogerio II concessi pertinent, hisce complectere licebit. — 1° Anteriori tempore quum Saraceni Siciliam nondum occupassent, legatus perpetuus Sedis Apostolicae in isto regno erat unus ex praesulibus Siciliae a Romano Pontifice ad hoc munus delegatus. Ejusmodi institutum Urbanus II renovare voluerat, adeoque episcopo Traini talem legationem contulerat. Sed id vehementer displicuit Rogerio I, isque ab Urbano obtinuit, ut legatus perpetuus jam nullus ex Siciliae episcopis esset. — 2° Nullatenus tamen ipsi principi dignitas et munus legati perpetui Sedis Apostolicae collatum fuit. Sed statutum est, ut, si negotia ecclesiastica id requirerent, mitterentur singulis vicibus chartularii seu nuntii Romani Pontificis, qui consilio episcoporum adhibito quae facienda erant determinarent. Porro *executio* decretorum non ab ipsis legatis Pontificis prosequenda erat, sed Urbanus illo diplomate Rogerio principi *jus et munus* contulit *exequendi* ea, quae a legatis missis ordinarentur. Unde et ipse hac in re non erat Pontificis vicarius seu legatus, nec directe vices Apostolicae Sedis gerebat, sed tantum *legati vicem in exequendis hujus ordinationibus* habebat. Dicit Urbanus II in diplomate: „Quando ad vos ex latere nostro miserimus, ad salutem

Indoles privilegii.

---

[1]) Ap Jaffé Reg. Pont. ad a. 1097 Oct. 1. n. 4846. — Diploma hoc Baronio aliisque scriptoribus ignotum, nostro tempore primum in Regestis Pontificum publicatum fuit. E cod. Vatican. Ottobon. N. 3057 illud edidit W. Giesebrecht; de ejus vero genuinitate omnes conveniunt. Cfr. Sentis l. c. p. 53. — Quaestio de *Monarchia Sicula* eodem profecto admodum illustratur.

sanctarum videlicet ecclesiarum, . . . quae *per legatum acturi* sumus, per vestram *industriam exhiberi* volumus." Et Paschalis: „Ut *si quando* illuc ex latere nostro legatus dirigitur, quem profecto vicarium intelligimus, quae *ab eo gerenda sunt* per tuam industriam *effectui* mancipentur. Sic enim in ecclesiis saeculares potestates dispositas legimus, ut quod ecclesiastica humilitas minus valet, saecularis potestas suae formidinis rigore perficiat." — 3° Cavet porro Paschalis monetque Rogerium II, ne sibi spiritualem jurisdictionem attribuat, diserteque advertit, ipsum utpote laicum, non posse judicium de ecclesiasticis personis instituere, multo minus vero synodos convocare, quum id (propria auctoritate) ne legati quidem facere possint. „Nam, inquit, personarum ecclesiasticarum seu dignitatum judicia nusquam legimus laicis vel religiosis fuisse commissa. Porro episcoporum vocationes ad synodum, quas unquam sibi legatus aut vicarius usurpavit? quod aliquando singularibus, aliquando pluralibus litteris per quoslibet solet nuntios fieri." — 4° Quod ad tempus seu durationem illius privilegii attinet, Urbanus II neutiquam omnibus Rogerii I in regno Siciliae successoribus in perpetuum illud concessit, sed ad Rogerium I ejusque duos filios Simonem et alterum, Rogerium II, quum principatum in insula obtinuissent, illud limitavit. Dicitur in diplomate Urbani, *quod omni vitae tuae tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui haeres exstiterit etc.* „Duo namque, advertit bene Baronius, Rogerio comiti erant filii, Simon major natu, atque Rogerius, quem voluit expressisse voce illa *alterius*, quod quidem nomen non de pluribus, sed de uno ex duobus dumtaxat dici, sciunt omnes qui latinas litteras didicerunt. Sic igitur cautum, ut filios illos duos Rogerii non excederet." [1]) Praeterea vero quum concessio esset privilegium, revocari poterat a Pontifice. Ac sollicitum videmus ipsum Rogerium II, ut confirmaretur vel renovaretur, forte quod timeret, ut Paschalis II non amplius agnosceret vel ut revocaret privilegium concessum.

---

[1]) Ad a. 1097 n. 33.

62. Ex dictis igitur perspicuum est, immerito inde ab ineunte saeculo decimosexto Siciliae principes ex Urbani II privilegio praesertim sibi vindicasse dominationem illam in res ecclesiasticas, quam *Monarchiae Siculae* appellatione designabant. Jure Romani Pontifices usurpationi eorum restiterunt, etsi moderatione prudenti hac in re quoque usi sint, et conflictus vehementiores passim concordatis et concessionibus terminare studuerint. Demum quum nostro tempore status rerum in Italia admodum immutatus esset, Pius IX a. 1864 d. 28° Januarii litteras apostolicas dedit *(Suprema universi dominici gregis cura)*, quibus praetensa apostolica in Sicilia legatio ac monarchia sic appellata, necnon judex delegatus ejusque tribunal, ministri et officiales omnes, plane abrogantur et delentur.[1]

RR. Pontifices.

63. Modo eo revertamur, ut paucis eventuum seriem in Sede Romana exhibeamus. Jam diximus, Calixtum II die 13^io^ Decembris a. 1124 e vivis excessisse. In electione novi Pontificis influxu factionum nobilium iterum orta est perturbatio periculis plena. Tunc quidem ea feliciter sedata fuit; sed quum paucis annis post ex eadem familiarum nobilium ambitione et lucta schisma infaustum provenerit, jam hoc loco ista de re quaedam juvabit advertere. Eo tempore duae familiae nobiles Romae magnum influxum acquisiverant, *Frangipanorum* et *Petri Leonis*. Frangipani imperiales partes potius Romae tuebantur, et in electione Gelasii ipsi turbas excitarant; Petrus Leonis vero populares regebat partes, sed et Pontificibus in diuturna lucta de Investituris sese ostenderat valde addictum. Erat autem haec familia ex stirpe Judaica, et, sub Leone IX ad christianismum conversa, *Leonis* adoptaverat nomen. Conversi patris Leonis filius Petri suscepit cognomen, atque iste *Petrus Leonis* divitiis, potentia, influxu insignis, sub Urbano II et Paschali II bene de Ecclesia et de Pontificibus meritus erat. Ipsi erat filius pariter *Petrus* dictus isque clero adscriptus, quem juvenem Paschalis II ad Cardinalis dignitatem elevaverat.

---

[1] Cfr. Sentis l. c. p. 238 sqq. et p. 285.

Electio Honorii II.

64. Leo Frangipani igitur post mortem Calixti II, quantum colligi potest ex documentis, evehi in Pontificem desiderabat Lambertum Ostiensem Cardinalem, virum dignissimum, eo forte scopo, ut quum ipsius ope talis vir ad sanctam Sedem eveheretur, auctoritas et dignitas Frangipanorum aliquantisper concussa firmaretur. Convenerat inter Cardinales, ac Petrum Leonis et Leonem Frangipani, ut tantum die tertio post mortem Calixti de electione successoris ageretur, et arte quadam usus est Frangipani, ut Cardinales, qui ei ob turbas in electione Gelasii excitatas diffidebant, securos redderet et pronos, ut ad basilicam Laterani pro electione convenirent.[1]) Attamen parum abfuit, ut Frangipani spes de promovendo Lamberto in Pontificem irrita redderetur. Etenim quum Cardinales et reliqui convenissent, post aliquot verba Jonathas Cardinalis diaconus ss. Cosmae et Damiani, collaudantibus omnibus, ipso etiam Lamberto episcopo, Theobaldum Cardinalem presbyterum sanctae Anastasiae *in papam Coelestinum cappa rubea coelitus induit.*[2]) Jamque hymnum Ambrosianum in gratiarum actionem qui aderant coeperant decantare, quando Frangipani factio sese opposuit huic electioni, et Lambertum Ostiensem in Pontificem proclamavit sub nomine *Honorii II.* Theobaldus quidem schismatis vitandi causa cessit pontificatu; attamen per plures dies discordia et perturbatio fuit in urbe. Quum vero Honorius II etiam censeret, minus canonice se esse electum, pariter post septem dies, *in conspectu fratrum sponte mitram et mantum refutavit atque deposuit. Fratres vero tam Episcopi quam Presbyteri et Diaconi Cardinales, videntes ipsius humilitatem et prospicientes in posterum, ne*

---

[1]) Scribit Pandulphus diaconus qui gestis interfuit: „Leo (Frangipani) per nuntios unumquemque seorsum de capellanis Cardinalium praemonet, ut mane summo diluculo cum pluviali rubeo sub cappa nigra retento, (non) ignorante domino, eumdem suum dominum introducerent. Istud vero propter hoc ingenium adinvenit, quatenus singulos pro accipiendo de manibus ejus papatu attentiores redderet, et sic saltem absque timore venirent." Ap. Watterich, II. 157.

[2]) Pandulphus l. c.

in Romanam ecclesiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat in melius reformarunt, et eumdem Honorium denuo advocantes, ad ejus vestigia prociderunt et tanquam pastori suo et universali Papae consuetam obedientiam sibi exhibuere.[1]) Merito conjici potest ex hisce aliisque gestis, Petri Leonis partem eo tempore Theobaldum Cardinalem voluisse in pontificem promovere, ut interim ipse Cardinalis Leonis ad eam perveniret aetatem, qua pontificatui obtinendo par esset. Non apparet enim, jam tunc Cardinalem Leonis ambiisse pontificatum, sed iis annis quibus Honorius Ecclesiae praefuit, adlaboravit familia ista nobilis ejusque factio, ut praepararet illi accessum ad B. Petri Sedem.

65. Honorius II, vir gravis atque severus, ut dicit Sugerius abbas, Pontifex fuit dignissimus, qui vestigiis praedecessorum insistens Ecclesiae juribus servandis ac disciplinae sacrae promovendae sedulo invigilavit. — Henrico V in Germania a. 1025 successit Lotharius II Saxo, pietatis et rei bellicae laude clarus, attamen non sine oppositione aliquot principum. Honorius II, cujus legati jam Lotharii electioni favorem praestiterant, eam roboravit sua confirmatione, qua simul et Imperii adipiscendi titulus ei conferebatur. Fridericum Sueviae et Conradum Franconiae duces in Lotharium rebelles Pontifex excommunicavit. Lotharius vero inde ab initio Ecclesiae se ostendit valde addictum. Promisit, se non obfuturum esse Ecclesiae libertati, ac servaturum Concordatum Wormatiense; imo se permissurum esse 1° ut electiones praesulum fierent haud praesentibus ipso vel suis legatis; 2° ut omisso hominio a praesulibus tantum juramentum fidelitatis praestaretur; utque 3° investitura per sceptrum in omnibus Imperii partibus post consecrationem fieret.

Honorii II gesta.

66. Difficultates magnas creavit Honorio II Rogerius II Siciliae princeps. Quum videlicet Gulielmus, Roberti Guiscardi nepos, qui in Apulia et Calabria regnabat,

---

[1]) Boso Card. in Vita Honorii II. ap. Watterich, II. 159.

sine liberis obiisset, Rogerius II Siciliae princeps et Gulielmi propinquus, illico ex Sicilia advolans, Apuliam et Calabriam suae dominationi junxit. Qua in re jura Sedis Apostolicae praefracte laesit. Erant enim istae Italiae meridionalis partes, uti vidimus, feuda Romani Pontificis, imo Gulielmus moriens principatum suum Honorio II jure perpetuo possidendum delegaverat.[1]) Praeterea cognatus Gulielmo propior exstabat Bohemundus II, nepos Roberti Guiscardi ex filio Bohemundo I Tarentino. Merito igitur Honorius II Rogerii ausibus sese opposuit, quumque is a coeptis non desisteret, eum excommunicavit, imo a. 1128 etiam ipse copias contra ducem evexit. Quum tamen belli magna impedimenta inveniret, Rogerius vero muneribus et legatis Pontificem flectere studuisset, et quamvis bellum gerens magnam Honorio reverentiam ostenderet conflictumque declinaret dum Pontifex copiis aderat, postremo res compositae sunt. Rogerius Beneventum ab ipso occupatum Honorio restituit, dein vero, quum more vasallorum Romanae ecclesiae hominium praestitisset, Apuliae et Calabriae ducatu investitus est.

Perturbatio in Congreg. Cluniac.

67. Tempore isto in inclyto Ordine Benedictino, tum in Congregatione Cluniacensi tum in abbatia Cassinensi, perturbatio infausta exorta est. Clunii obiit a. 1109 s. Hugo abbas aetate valde provectus, postquam per sexaginta annos Congregationem Cluniacensem rexerat. In successorem electus fuit *Pontius* (de Melgueil) ex nobilissima et ditissima familia oriundus. Is quidem sese ostendit admodum versatum in negotiis publicis gerendis, atque tum sub Paschali II tum sub Calixto II magnas partes habuit in conatibus qui facti sunt, ut concordia inter Henricum V et Pontifices restitueretur et lis de Investituris componeretur. Sed negotiis ejusmodi forte nimium abreptus Pontius disciplinae servandae negligens fuit, fastum prae se tulit incongruum, Archiabbatem se appel-

[1]) Id colligitur ex Gualterii Archidiaconi Teruanensis *Vita Caroli Boni* eo tempore scripta Cfr. Acta Storum die 2° Martii, vel Pagii Breviar. ad Honorium II n. X.

lavit et cum Cassinensibus de praeeminentia certavit, simulque imprudenti prodigalitate bona Cluniacensium dispendit. Hinc multorum conventualium querelae et oppositio in eum exortae sunt, atque dissensionis rumores etiam longe lateque personarunt.

68. „His rumoribus dominus Pontius provocatus, scribit Petrus Venerabilis, indignationis impetum quem in alios fortassis derivare debuerat, in seipsum retorsit, et Romam veluti praecipiti cursu adiens, ut curae pastoralis sollicitudine solveretur, dominum Papam (Calixtum II) instanter rogavit.... Is in primis abbatis Pontii voluntati et petitioni omni exhortationis nisu resistens, postquam eum non posse deflecti a proposito vidit, ab omni cura Cluniacensis ecclesiae, ut postulabat, absolvit. Absolutus inde ejusdem Papae permissione Apuliam petiit, indeque mari transmisso Hierosolymam, semper ut proposuerat ibi mansurus, pervenit. Papa fratribus Cluniacensibus quod factum est mandans, ut sibi Patrem eligerent auctoritate apostolica praecepit."[1]) Electus fuit Hugo II, et quum is post quinque menses jam obiisset, ei successit *Petrus* Mauritii, vir sanctus cui *Venerabilis* cognomen factum est. Ex nobilissimis Arverniae magnatibus originem ducebat. „Mansit deinde aliquot annis res Cluniacensis in pace, et velut sepultis prioribus malis, optimo quietis ac bonorum proventuum successu florebat."[2])

Pontii abbatis fata.

69. Sed anno 1125 Pontius transmarinae habitationis pertaesus remeavit in Occidentem. Cluniacum venit, et Petro abbate absente, abbatiam cum armatis invadit, atque sibi iterum monasterii possessionem, et abbatis honorem ac munus vindicat. Res vero pretiosas tum sacras tum profanas, aureas et argenteas, diripit et conflat, quo stipendia militibus solvat. Hinc magna in ista Congregatione et in illa regione perturbatio exorta est. Quibus compertis, Honorius II misit de latere suo legatum Petrum

---

[1]) De Miraculis L. II. c. 12.
[2]) Ibidem.

Cardinalem, isque adjuncto sibi Lugdunensi primate Hubaldo, Pontium ejusque sequaces Pontianos qui vocabantur, anathemate percussit. Pontium protinus accersiit Honorius II et ad examen Apostolicae Sedis adstare praecepit rationem redditurum. At ille Romam veniens Papam adire distulit, dieque denominato ad placitum summonitus venire renuit, et excommunicationem Pontificis sprevit. Qui tamen cum ipso venerant humiliter se Honorii judicio submiserunt. Pontifex igitur quaestionem satis apertam sua sententia terminavit, ac Petro Venerabili jam ab anno 1122 abbati omnes Cluniacenses obedire jussit. Contemptorem vero Pontium Honorius comprehendi fecit, mandavitque Romae custodiae, ubi brevi post mense Januario a. 1126, grassante morbo pestifero, Pontius occubuit et viam universae carnis ingressus est.[1])

Congregatio Cassinensis.

70. Similis tunc etiam in celeberrima abbatia Cassinensi perturbatio exstitit. Honorius sui exordio sedis (a. 1125) expertus Oderisium juniorem abbatem Cassinensem hominem superbum et bellicosum, contumacem et penitus refractarium, ejus superbiam fregit ipsumque loco deposuit, et in oppositione pertinacem atque Sedis Apostolicae contemptorem demum excommunicavit. Auctoritate Apostolica autem statuit, ut Senioretus abbas Capuani monasterii in abbatem a Cassinensibus susciperetur, quum is par videretur disciplinae collapsae restaurandae. Sed Cassinensium pars, pluribus contradicentibus, antequam Pontificis mandatum ad eos pervenisset, Nicolaum decanum monachum in successorem Oderisii elegerat, ac dein Pontifici obsequi, ut Senioretum susciperet, declinavit. Quum vero nec Oderisius munus suum dimittere vellet, inter ipsum et Nicolaum militibus coactis aliquanto tempore dimicatum est, et abbatiae bona dissipata et vastata sunt. Demum tamen Oderisius Honorio II se submisit, et Romam veniens poenitentiam egit; Nicolaum vero quum minus idoneum ordini restituendo viderent, ipsi

---

[1]) Ibidem c. 13; et Pagii Breviarium sub *Honorio II.*

Cassinenses dereliquerunt, paratosque se declararunt, ut ex mandato Apostolico Honorii Senioretum in abbatem eligerent. Id igitur factum est, atque Honorius II ipse a. 1127 Beneventum proficiscens, in monasterio Cassinensi Senioretum in abbatem consecravit. — Opportunum videbatur commemorare istas commotiones in Congregationibus Benedictinorum, ut clarius perspiceretur, cur s. Bernardus aliique viri insignes de collapsa monachorum disciplina eo tempore satis amare conquesti sint. Sed de s. Bernardo ejusque in res Ecclesiae influxu inferius dicemus. Modo veniamus ad perturbationem illam, quae in Ecclesia et in ipsa Sede Apostolica mortuo Honorio per schisma Petri Leonis excitata est.

III.

De schismate Petri Leonis ac de Innocentio II ejusque succesoribus.

71. Quum Honorius II die 13[tio] Februarii[1]) anni 1130 obiisset, a parte Cardinalium in Pontificem electus fuit Gregorius Cardinalis diaconus s. Angeli, qui *Innocentius II* vocatus est; ab altera vero parte Petrus Leonis Cardinalis sub nomine *Anacleti II* in Sedem Apostolicam evectus est. Haesitarunt eo tempore plures viri insignes, cujus electio legitima habenda esset; atque etiam apud scriptores recentiores quaedam dissensio quoad electionem invenitur. Quamvis enim jam omnes conveniant, legitimum Pontificem esse Innocentium II eumque a *saniore* Cardinalium parte fuisse electum, tamen quidam *majorem* partem Petrum Leonis elegisse scribunt[2]). Hinc utile videtur accu-

Honorii II mors.

---

[1]) Videtur Honorius II obiisse nocte intercedente inter diem 12[um] et 13[um] Februarii, vel forte vespere, die 12° Februarii. Dicitur videlicet in epistola Cleri Romani (schismatici) ad Didacum archiep. Compostellanum: „Obeunte itaque Papa IV feria post datos cineres circa solis occasum.“ (12 Febr.) Ap. Watterich, II. 187.

[2]) Cfr. Hefele, C. G., B. V § 614.

ratius eventum referre ex epistola, qua Hubertus episcopus Lucensis, petente s. Norberto, quae acciderant huic exponit. „Convenientibus Cardinalibus, scribit, in ecclesia s. Andreae Apostoli[1]), statutum est ab eis, octo personis, duobus Episcopis Guilelmo Praenestino et Conrado Sabinensi, tribus Cardinalibus presbyteris, Petro Pisano, Petro Rufo et Petro Leonis, tribus Cardinalibus diaconibus, Gregorio Sancti Angeli, Jonathae, Aimerico Cancellario, electionem Pontificis committi, ita ut si committeret (contingeret) dominum Papam Honorium, qui tunc in articulo mortis positus erat, ab vita transire, persona quae ab eis communis eligeretur vel a parte sanioris consilii, ab omnibus pro domino et Romano Papa susciperetur. Praenestinus etiam cum caeteris decrevit, ut si quis electioni taliter factae eontradiceret, anathemati subjaceret, et si quis alium attentaret eligere, factum pro infecto haberetur, nec ipse ulterius in ecclesia locum consequeretur; quod et ipse Petrus Leonis ore proprio confirmavit adjiciens: Non oportere eos dubitare, quod occasione sua in ecclesia scandalum oriretur, quoniam mallet in abyssum submergi quam propter se scandalum nasci. Deinceps statutum est, ut electores altera die simul convenirent. Caeterum Petrus Leonis cum Jonathan ab eis recedens, ut corvus ille vel submersus vel carnium ingluvie detentus, ad fratres postea redire contempsit et, conventicula seorsim colligens, altare maledictionis erigere satagebat, quod nisi Dominus Papa Honorius, quem credebant jam mortuum, se ad fenestram populo ostendisset, cum fratrum et propinquorum ac muneribus et obsequiis conductorum turba ministrorum praeco Antichristi supra omne quod dicitur Deus, ante tempus se extulisset.“

Praeparatio electionis.

72. Haec acciderunt die 12° Februarii, feria IV cinerum. Dein vespere mortuus est Honorius, dumque reputatur, juxta morem computandi Italorum ad solis occasum designari horam 24^{am} diei, intelligitur, eum dici in-

---

[1]) Haec ecclesia erat monasterii s. Gregorii, in quo Honorius moriens decumbebat.

variis documentis obiisse die 13tio. Subsequente hoc die 13tio se continuerunt Cardinales quinque ex illis octo cum aliis in monasterio s. Gregorii, sed Petrus Leonis cum duobus reliquis electoribus ad eos, quamvis de hoc convenisset, non rediit, at conventicula separata fecit. — Postea quidem hi Cardinales contenderunt, *se non ausos esse redire.* Refertur videlicet in citata epistola cleri Romani ad archiepiscopum Compostellae, missos esse die 12° Februarii duos Cardinales qui munitiones ad ecclesiam s. Hadriani reciperent et occuparent, ut ibidem electio novi Pontificis fieri posset; sed hac in re eos obstacula ex parte aliquot episcoporum invenisse. Id eos habuisse ut indicium malae mentis, et tunc *pars major et sanior* (fratrum) *ad praedictum monasterium* (s. Gregorii) *non sunt amplius ausi redire.* Sed merito censemus, praetextum hunc tantum fuisse, et illos remansisse separatos, ut evectionem Petri Leonis disponerent.

Electio Innocentii II.

73. Pergit Hubertus in epistola ad s. Norbertum: „Itaque quum haec talia praesensissent ii quorum corda Deus tetigerat, Ecclesiae periculum expavescentes et tempestatis procellas jam intumescentes, cum Papa in sexta feria de initio Quadragesimae ad patres suos appositus esset, celebratis exequiis pro necessitate loci et temporis non tamen ex more sicut oportebat, cum calamitatis tempestas instaret[1]), de octo personis ad electionem electis,

---

[1]) Juxta usum receptum Pontifex non erat eligendus, antequam sepultus esset praedecessor, atque si fides habenda epistolae citatae cleri Romani, etiam expresse convenerat. ut antequam Honorius sepultus esset, mentio electionis non fieret. Quum vero Cardinales qui in monasterio s. Gregorii erant adverterent, turbas instare, et Petri Leonis violentam et tumultuariam ambitionem praeveniendam esse, haud solemniter in Laterano, sed provisorio modo in ipso monasterio deposuerunt corpus Honorii II, uti videtur summo mane diei 14 Februarii, et exequias fecerunt. Dein hora tertia (mane hora nona) electio Innocentii facta est, eumque ad Lateranum perduxerunt simul cum corpore Honorii II, ut quum pericula jam se praevenisse censerent, ibi corpus sepelirent. Queruntur enim in citata epistola schismatici: „Quorum laicorum paucitas subito de sepulchro abstractum mortuum Papam ante plasmatum

Praenestinus, Sabinensis, Petrus Rufus, Aimericus Cancellarius quintum Gregorium Cardinalem Diaconum s. Angeli, invitum et omnibus modis renitentem cum religiosis viris Episcopis, Cardinalibus, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus in summum Pontificem elegerunt, cum Petro Leonis qui erat octavus Petro Pisano sexto et Jonatha remanentibus. Quod vero ut compertum est ab his qui dolum in corde conceperunt, ut iniquitatem parerent, (nam et ipse Petrus Leonis a longis retro temporibus ad id pervenire, ut avarus et ambitiosus, affectaverat, sicut multis probatur indiciis, tribus generibus munerum nunc hos nunc illos sibi alliciens): congregatis quos potuerunt, proh dolor! cum episcopo Portuensi rubea cappa illum vestierunt. Quod factum multae sanguinis effusiones, multae locorum urbis destructiones, terribiles sacrarum imagines decrustationes, heu facinus! pro stipendio militum suarum sibique obsequentium, consecutae sunt, quamvis Leo, ejusdem Petri Leonis frater, et alter Leo Frangentis-panem, cum utrique striderent dentibus alter in alterum, antequam Papa obiisset, juraverunt coram Cardinalibus, quod neuter eorum de electione Pontificis scandalum faceret, sed quem ecclesia eligeret, pro domino venerarentur et colerent. Nos autem sententiam et consilium religiosorum virorum catholicorum et orthodoxorum de Tuscia, de Longobardia et de ultramontanis partibus amplexantes, approbantes et imitantes, Petrum Leonis in hoc facinore ut schismaticum, et quoniam suum schisma defendit, haereticum omnimodis abdicamus: dominum vero Innocentium pro patre et summo Pontifice tenemus, recipimus, veneramur et colimus."[1])

Petri Leonis schisma.

74. Ex epistolis porro, quas tum Innocentii II tum Petri Leonis electores ad Lotharium Imperatorem direxerunt, atque ex aliis documentis haec ulterius colligi pos-

---

idolum (Innocentium II) a saepe nominato monasterio s. Gregorii diffugiens, Lateranum deduxit, ita ut in basilicam Salvatoris mortuus et vivus simul intrarent."

[1]) Ap. Watterich, II. 179.

sunt. Postquam Innocentius II hora tertia electus fuit, eum in ecclesiam Lateranensem deduxerunt et in summa sede collocarunt, dein vero in palatio Lateranensi reliquos honoris ritus compleverunt. Sed hora sexta ejusdem diei tres reliqui Cardinales qui ad electionem faciendam designati erant, cum multis aliis, Cardinalibus, episcopis, clericis, laicis, in ecclesia sancti Marci congregati, spreta electione Innocentii II, Petrum Leonis Cardinalem s. Mariae trans Tiberim sub nomine Anacleti II ad Sedem Apostolicam evehere conati sunt. Unde magna in Urbe orta discordia, scribit Boso Cardinalis in *Vita* Innocentii II, episcopi et Cardinales in partes duas se contulerunt. Sed melior et sanior pars eidem Innocentio, qui majoribus studiis et meritis juvabatur, adhaesit. Recenset dein sedecim Cardinales qui inde ab initio ejus partes secuti sunt, tres que alios qui ex adversa parte ad Innocentium se verterunt. — Major tamen pars Cardinalium ex partibus Petri Leonis stabat, nam epistolâ, quam electores ejus ad Lotharium Imperatorem dederunt, recensentur triginta fere Cardinales[1]) et plures abbates praecipuorum monasteriorum, qui Anacletum II se elegisse scribunt, et Innocentium II rejiciunt.

75. Ex dictis quidem colligitur, electionem Innocentii II haud ea ratione solemni et publica factam fuisse, quae exoptanda erat. Sed id evenit ob pericula, quae propter ambitionem Petri Leonis ejusque familiae praevidebantur. Quoad substantiam vero electio Innocentii II valida erat, quum ex octo Cardinalibus quibus negotium electionis rite commissum fuerat, major et dignior pars in Innocentium convenisset. Caeterum Innocentius vir dignissimus erat, et virtutibus insignis, qui nonnisi invite pontificatus munus accepit; Petrus Leonis autem ob vitam saecularem, ambitionem et rapacitatem quam legationibus fungens in Anglia et Gallia ostenderat, male famatus erat.

Discutitur electio Innocentii II.

---

[1]) Cardinales certe viginti sex subscribunt, quoad aliquos episcopos non omnino liquet, utrum fuerint Cardinales.

Cardinales quoque, qui Innocentio II adhaeserunt, dignitate et pietate praestabant, et a Cardinali Ostiensi ipse ex more consecratus fuit.

Innocentius II in Gallia.

76. Initio Petrus Leonis Romae praevaluit. Vi enim pecuniarum, quas partim ex familiae propriisque thesauris, partim ex ecclesiarum spoliis congessit, plebem Urbis ita corrupit, tantamque armatorum multitudinem sibi adjunxit, ut Innocentius II factiosis resistere non valens, vices suas commiserit Conrado episcopo Sabinensi secesseritque in Galliam. Petrus Leonis, datis ad christianos principes litteris, eos sibi conciliare conatus est, ac partibus ejus pertinacius adhaeserunt David rex Scotiae et Rogerius dux Apuliae et Siciliae ab antipapa regis titulo auctus. Caeteri autem principes paulatim omnes Innocentium II ut legitimum Pontificem agnoverunt. Praesertim in Gallia magno cum studio rex Ludovicus VI et praesules examen instituerunt, quis legitimus Pontifex esset, quumque eo tempore s. Bernardus jam auctoritate et sanctitate praeemineret, ejus maxime judicio istud negotium grave commissum fuit.

77. S. Bernardus, re mature perpensa, haud dubitavit Innocentium II habere ut Pontificem legitimum, atque ita factum est, ut jam verno tempore anni 1130 in synodo Stampensi (Etampes), dein vero post adventum Pontificis in synodo Claromontana, mense Novembri ejusdem anni habita, Innocentius II a rege Ludovico VI et plurimis episcopis, ut legitimus Pontifex salutatus sit. Nec destitit s. Bernardus scriptis epistolis ad principes et praesules summo studio adlaborare, ut schisma exstingueretur, et omnes Innocentio II sese submitterent. Ex illis epistolis colliguntur motiva, propter quae vir ille sanctus ac coelesti sapientia praeditus suffragium suum Innocentio contulerit; fusius praesertim ea de re agit in litteris, quas ad episcopos Aquitaniae direxit contra Gerardum Engolismensem. Senex enim iste aliquando in Ecclesiam optime meritus, ambitione abreptus partes arripuerat Analecti II antipapae, quum Innocentius II renuisset ei legati munus in Gallia concedere.

78. Scribit igitur s. Bernardus: *Duo itaque sunt de quibus contenditur, quisnam eorum rectius videatur esse Papa. Quorum primo quidem si personas compares, ut neutri sane vel derogare videar, vel adulari, dicam quod dici passim reperies, et neminem arbitror diffiteri: quia videlicet Innocentii nostri vita vel fama nec aemulum timet, cum alterius nec ab amico tuta sit. Dehinc si electiones discutias, nostra ibidem mox occurrit et promotione purior, et ratione probabilior, et prior tempore. Porro de tempore constat: reliqua duo merita probant, et dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem saniorem invenies tam Episcopos, quam Cardinales diaconos sive presbyteros, et quorum maxime interest de electione summi Pontificis, et quanti in eligendo juxta Patrum scita sufficiant. Quid et in consecratione? Nonne Ostiensem, ad quem specialiter utique spectat, habemus? Cum igitur et electus dignior et electio sanior et actio ordinabilior teneatur, qua isti ratione, imo qua contentione contra jus et fas et vota omnium bonorum, invitae et renitenti Dei Ecclesiae praeficere alium, et illum deponere tentant?*[1]) S. Bernardi sententia.

79. S. Bernardus ab Innocentio Papa a. 1131 legatus quoque ad Henricum regem Angliae et Normanniae missus, regem et episcopos ad obedientiam legitimi Pontificis adduxit. Quinimo rex ipse cum multis episcopis et proceribus Carnotum ad Innocentium II venit, et ad pedes ejus devotissime prostratus, suo suorumque nomine obedientiam illi promisit. Pontifex etiam cum gaudio excepit legatos Lotharii II regis Germaniae, qui regis nomine ei obedientiam professi sunt, regisque desiderium videndi Pontificem significarunt. Innocentius II regis votis annuit, et comite s. Bernardo ad eum profectus est. Die 22° Martii anni 1131 Lotharius Pontificem in civitate Leodiensi, in quam multos episcopos et abbates convocaverat, magno cum honore excepit. Innocentius in hac civitate synodum celebravit, in qua Petrum Leonis seu antipapam Anacletum rursus excommunicavit. Regem ad Lotharius II rex.

[1]) Epist. 126.

Ecclesiae urbisque Romanae defensionem contra perduelles schismaticos hortatus est, eique coronam imperialem promisit.

Quaestio de investituris agitata.

80. Ea occasione etiam de investituris actum est. Lotharius videlicet ibidem vel petiit ut ei investitura permitteretur, vel, quod cl. Hefele probabilius esse existimat, postulavit, ut solveretur iis quae ultra Concordatum Wormatiense ipse quum in regem eligeretur promiserat.[1]) Sed quidquid petierit Imperator, Pontifex ejus postulationi non cessit, ac falso plane Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi scribit, in praefato synodo Innocentium II Lothario investituram per baculum et annulum restituisse.[2]) Alii enim auctores coaevi nihil ea de re scribunt, imo ex iis liquet, Innocentium postulatis Imperatoris constanter restitisse. Otto Frisingensis ista de re scribit: *Indeque profectus* (Innocentius) *apud Leodium Belgiae urbem synodum episcoporum convocans, regem Lotharium ad defensionem sanctae Romanae ecclesiae invitavit. Qui nihil cunctatus, exposito tamen prius modeste, in quantum regnum amore ecclesiarum attenuatum, investituram earum quanto sibi dispendio remiserit, auxilium Romanae ecclesiae promittit.*[3]) S. Bernardus vero epistola 150 Innocentii zelum atque constantiam laudans: *Sed nec Leodii,* scribit, *cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquiescere importunis improbisque postulationibus iracundi atque irascentis regis.* Ipsum s. Bernardum praecipue restitisse Imperatori, tradit Arnoldus abbas Bonaevallis in *Vita* s. Bernardi: *Et* (Innocentius), scribit, *honorifice quidem susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas: siquidem importune ibidem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejus praedecessore Imperatore Heinrico per maximos quidem labores et multa pericula Romana ecclesia vindicarat. Ad quod verbum expavere et expalluere Romani, gravius sese apud Leodium*

---

[1]) V. Hefele, C. G., B. V. § 614.
[2]) L. IV. c. 37.
[3]) Chronic. L. VII. c. 18.

arbitrati periculum offendisse, quam declinaverint Romae. Nec consilium suppetebat, donec murum se opposuit abbas sanctus. Audacter enim resistens regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.

81. In Galliam redux Innocentius II die 19° Octobris anni 1131 copiosam synodum celebravit Rhemis. In hac synodo, cui e Gallia, Germania, Anglia et Hispania interfuerunt fere trecenti praesules et abbates, Anacletus antipapa rursus damnatus fuit, et de disciplina conditi septemdecim canones, qui postea in Concilio Lateranensi II confirmati sunt. A Lothario vero Pontifex accepit litteras, se jam omnia ad expeditionem Romanam disposuisse; adeoque anno 1132 e Gallia Innocentius in Italiam regressus est. Mense Junio Placentiae synodum habuit, ac mense Novembri Pisis convenit cum Lothario, qui eum Romam perducturus erat. Anacletus adhuc urbem tenebat. Versus finem mensis Aprilis a. 1133 Lotharius eo pervenit, ut partem urbis Romae, Aventinum videlicet collem et Lateranum in suam redigeret potestatem; altera vero pars urbis, arx s. Angeli atque basilica s. Petri ad Vaticanum, in ditione remanserunt antipapae. Die 4ª Junii anni 1133 Innocentius II Lothario II ejusque uxori Richenzae solemni ritu coronam imperialem imposuit, postquam hic solitum juramentum hisce praestitisset verbis: *Ego Lotharius rex promitto et juro tibi domino papae Innocentio tuisque successoribus securitatem vitae et membri et malae captionis, et defendere papatum et honorem tuum, et regalia sancti Petri quae habes manu tenere, et quae non habes juxta meum posse recuperare.*[1]) — Lotharii II Imp. coronatio.

82. In hoc juramento homagium vasallitii non continetur, sed, uti jam diximus, Lotharius quamdam vasallitii conditionem iniit, quoad allodium comitissae Mathildis. Hoc enim allodio amplissimo Pontifex Imperatorem investivit, atque ipso petente eodem documento die 8° Junii dato, generum Lotharii Henricum ducem Bavariae. In eo documento dicitur: *Allodium bonae memoriae comitissae*

[1]) Watterich, II. 209.

Investitura de allodio Mathildis.

Mathildae quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus et ex Apostolicae Sedis dispensatione concedimus, atque in praesentia fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, nec non principum et baronum per annulum investimus, ita videlicet ut centum libras argenti singulis annis nobis et successoribus nostris exsolvas, et post tuum obitum proprietas ad jus et dominium sanctae Romanae ecclesiae cum integritate absque diminutione et molestia revertatur. ... Qui vero arces tenuerit vel rector terrae fuerit, beato Petro et nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Caeterum pro caritate vestra nobili viro Henrico Bavariae duci genero vestro et filiae vestrae uxori ejus eamdem terram cum praefato censu et supradictis conditionibus Apostolica benedictione concedimus, ita tamen, ut idem dux hominium faciat et fidelitatem beato Petro ac nobis nostrisque successoribus juret. Post quorum obitum praedictum comitissae Mathildis allodium ad jus et dominium sanctae Romanae ecclesiae, sicut supra dictum est, integrum et absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur, salvo tamen semper in omnibus ejusdem sanctae Romanae ecclesiae jure ac proprietate.[1]) Lotharius forte, quamvis investituram per annulum acciperet, hominium Pontifici haud praestitit; sed hominium praestandum certo erat Henrico Imperatoris genero, cui illico allodium post illum commissum fuit. Ita autem rem Imperator disposuit, ut si moreretur bona illa amplissima tamen ut feuda Sedis Apostolicae ipsius genero remanerent.[2])

83. Quum Lotharius copias non haberet validas, ut varias Italiae partes ad subjectionem redigeret, in Germa-

---

[1]) Ap. Watterich, II. 209.

[2]) Ad ejusmodi Lotharii ob allodia Mathildis vasallitium pertinent, quantum videtur, nota illa verba, contenta versibus inscriptis picturae cuidam in palatio Lateranensi. In eadem pictura Lotharius coronam recipit e manibus Pontificis, et adscripti sunt isti versus:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit papae, recipit quo dante coronam.

In versibus quidem aliquid ambigui habetur, sed ex historia factum illustratur.

niam ipse reversus est, ubi auctoritas ejus in dies crevit, ita ut etiam principes Suevi, qui initio restiterant, ei sese submitterent. Innocentius II vero, quum Romae iterum Petrus Leonis praevaleret, cum s. Bernardo Pisas rediit, ibique anno 1135 magnam synodum celebravit. Plerique praesules Italiae, maxime operante s. Bernardo, Innocentio II obedientiam praestiterunt. Anno 1136 Lotharius iterum in Italiam advenit, et non modo pleraeque civitates Italiae superioris et mediae ejus Imperium agnoverunt, sed in Italia quoque meridionali Imperator Rogerium II, qui Anacletum tuebatur, feliciter debellavit, ita ut hic in Siciliam recedere coactus sit. Etiam monasterium Cassinense, cujus Abbas Rainaldus Anacleto pariter adhaeserat, deposito Rainaldo, Innocentio sese submisit. Innocentius exinde iterum Romae sedit, ac maxima pars territorii s. Petri ei sese subjecit; Petrus quoque Portuensis Cardinalis qui primas partes in electione Petri Leonis habuerat, ope s. Bernardi legitimo Pontifici adhaesit, atque ita partes schismaticae magis magisque diminutae sunt.

84. Lotharius Imp. ex Italia rediens die 3tio Decembris anni 1137 morte abreptus est, eique Conradus III Suevus successit. Anacletus II vero antipapa inopinate obiit die 25° Januarii anni 1138. Ei quidem factiosi substituerunt post quatuor menses Gregorium Cardinalem, qui *Victor IV* appellatus est; sed is brevi post munus usurpatum dimisit ac legitimo Pontifici sese submisit. — Tunc Innocentius II, ut reliquiae schismatis penitus exciderentur, convocavit *Concilium oecumenicum decimum*, Lateranense secundum, quod mense Aprili anni 1139, praesentibus circiter mille ex toto orbe christiano praesulibus, celebratum est. Post Pontificis allocutionem episcopi, qui ab Anacleto ejusque asseclis praecipuis Gilone Tusculano et Gerardo Engolismensi ordinati erant, depositi et munere suo privati sunt. **Finis schismatis.**

85. Ea de re Auctor Chronici Mauriacensis: „Facto igitur incomparabili omnium praelatorum conventu, ipse (Innocentius II) ut erat habitus pretiositate excellentior, ipsius etiam faciei aspectu aliis reverentior, ut etiam

doctrinali litterarum scientia eminentior, de rebus quae opportuniores videbantur tractaturus, inter alios assurgens ita exorsus est.“ Recitata dein Pontificis oratione de schismate et de disciplina firmanda, subdit: „His et hujusmodi assertionibus dominus Apostolicus caeteris praelatis divini sermonis favos impertiens omnibus propatula ratione ostendit, quod Petrus Leonis non aliorum assentatione, imo rapina se Apostolici Petri vicario fecisset aequalem. Cunctisque religiosis viris, quibus illud detestabile schisma displicuerat, verbis ejus cum magna laude unanimiter acclamantibus, respondit: *Unde quia inordinatae personae inordinata sunt decreta, quodcumque ille statuerat, destruimus, quoscumque exaltaverat, degradamus, et quotquot consecraverat, exordinamus et deponimus. Et quicumque per Girardum Engolismensem ad altaris officium accesserunt, apostolica auctoritate interdicimus, ne ipsum impleant et in illo ordinis gradu perenniter demorantes ad superiorem non ascendant.* — His dictis singulos quos reos cognoverat, propriis nominibus exprimens eisque cum indignatione et jurgio exprobrans, pastorales baculos de manibus violenter arripuit, et pontificalia pallia, in quibus summa dignitas consistit, de humeris verecundose abstraxit. Ipsos quoque annulos, in quibus ad ipsos pertinens ecclesiae desponsatio exprimitur, sine respectu misericordiae abstulit. Gaufridus etiam Carnotensis episcopus, . . . totius Aquitaniae legatus, accepta domini Papae praeceptione, omnem Galliae regionem ipsius quoque Aquitaniae studiose circuiens, omnia sanctarum ecclesiarum altaria, quae vel Girardus ille seditionis auctor et obtentor, vel Gilo Tusculanensis episcopus aut eorum complices chrismalis unctionis benedictione in illius odiosi schismatis tempore consecraverant, propriis manibus dissipavit, nec relinquens lapidem super lapidem quem non destrueret, solo funditus adaequavit et ratione dictante alia eorum loco restaurare curavit.“[1])

Concilium Lateran. II.

86. Etiam Petrus Cardinalis Portuensis, quamvis jam antea schismati renuntiasset, tamen sententiae depositionis

---

[1]) Ap. Watterich, II. 250.

involutus fuit. Qua in re forte Innocentius severius egit; exstat enim epistola s. Bernardi ad Innocentium II (ep. 213), qua humiliter quidem, sed libere expostulat cum Pontifice, quod Petrum jam ante reconciliatum eadem cum reliquis sententia damnaverit. *Ubi non est par culpa,* scribit, *par plane non debet procedere poena, nec convenit eadem involvi sententia eum qui peccatum, cum his quos magis peccatum deseruit. Propter eum qui ut peccatoribus parceret sibi ipsi non pepercit, offerte opprobrium meum, et restituendo quem statuisiis, vestrae etiam tam sanae et integrae opinioni consulite.* — Attamen adjuncta rei non satis nota sunt; forte fuerunt Innocentio II motiva specialia, cur severitate utendum esse censeret. — Conditi etiam sunt in hoc Concilio triginta canones disciplinares, inter quos ille quo *privilegium canonis* pro clericis statuitur; variae lites inter monasteria terminatae sunt, et impositum est silentium Arnaldo a Brixia presbytero lectori, qui sermonibus suis multitudinem excitabat contra ecclesiasticos bona temporalia possidentes.

87. Absoluto Concilio Innocentius II ipse cum copiis profectus est ad debellandum Rogerium Siculum, qui post Lotharii Imperatoris discessum regiones Italiae meridionalis brevi sibi iterum subjecerat. Sed uti quondam Leo IX, ita etiam Innocentius II a Normannis captus est, magna cum reverentia tamen tractatus a Rogerio, qui suppliciter, ut pax concluderetur a Pontifice petiit. Annuit igitur Innocentius II, atque Rogerius homagium ligium ei praestitit, ut Siciliam, Apuliam et Calabriam tanquam feuda Apostolicae Sedis possideret; regis titulum ei etiam Pontifex confirmavit. — Romam rediens magno cum gaudio Innocentius II a Romanis exceptus est, qui etiam postularunt ut foedus cum Rogerio initum disrumperet Pontifex. Sed quamvis rex ille plura committeret Pontifici valde molesta, tamen potius habuit Innocentius pacem cum Normannis servare. **Conventio cum Normannis.**

88. Altero anno 1140 Tiburtini seditionem fecerunt in Pontificem et Romanos, hosque etiam cladibus affecerunt; at brevi post a. 1142 auctoritati Pontificis iterum

subjecti sunt. Voluerunt quidem Romani, ut penitus castellum illud Tiburtinum destrueretur, sed restitit eis Innocentius. — Ultimis hisce pontificatus sui annis ab ipsis Romanis is magnas difficultates expertus est. Ea videlicet aetate in Italia municipia paulatim variis ex causis ad magnam pervenere potentiam, ita ut quum antea nobiles et clerus res maxima parte moderarentur, jam ipsi cives imprimis administrationem sibi vindicarent. Formatae sunt magno numero res publicae sui juris, in quibus vel forma democratica vel aristocratica praevalebat, quaeque consulibus et magistratibus electis independentiam magnam ac libertatem sibi vindicabant. Ejusmodi tendentiae etiam Romae exortae et firmatae sunt. Quum Innocentius destructionem Tiburis concedere noluisset Romanis, hi principatum civilem Pontificis agnoscere atque in rebus civilibus ei obedientiam praestare recusarunt. Cives ipsi in capitolio *senatum* elegerunt, qui supremam haberet auctoritatem civilem. Conspirarunt ista in re civium minorum ac nobilium inferiorum multitudo; proceres primarii quidem Pontifici fuere fideles, sed nec ipsi nec Pontifex seditionem istam cohibere valuerunt. Dum ejusmodi motibus Urbs agitaretur, Innocentius II morbo correptus est, et die 24° Septembris anni 1143 in pace quievit.

Difficultates Romae exortae.

Coelestinus II R. P.

89. Tertio post mortem ejus die electus est Guido Hetruscus presbyter Cardinalis omnium suffragiis, qui nomen *Coelestini II* assumpsit. Pontifex is virtutum meritis insignis, brevi pontificatus sui tempore plura negotia ecclesiastica sapienter disposuit. Illud commemorandum, quod Ludovico VII regi Galliae, quem ob varia facinora in Ecclesiae jura patrata, Innocentius II interdicto subjecerat, pacem ecclesiasticam reddidit, satisfactione accepta. Commotionem vero in Urbe Pontifex sedare non valuit. — Post quinque menses pontificatus die 8° Martii anni 1144 Coelestinus II praematura morte decessit.

90. Ab hoc Pontifice incipiunt vaticinationes de RR. Pontificibus usque ad finem mundi sessuris, quae s. Malachiae, hoc tempore archiepiscopo Armachano in Hibernia et s. Bernardo amicissimo, adscribuntur. Verum

viri doctissimi Baronius, Spondanus, Bzovius, Raynaldus, aliique nullam istarum vaticinationum rationem habuerunt, et passim critici usque ad tempora nostra eas rejiciunt. S. Bernardus, qui vitam s. Malachiae conscripsit eique valde familiaris fuit, alias quidem ejus vaticinationes minoris momenti refert, sed illorum vaticiniorum ne minimam facit mentionem. Hucusque igitur nemo aliquod argumentum positivum attulit authentiae illorum vaticiniorum. Primum ea edidit a. 1595 Arnoldus Wion O. S. B. in libro Lignum vitae L. II. c. 40. *Malachias*, ait, *scripsisse fertur nonnulla opuscula, de quibus nihil hactenus vidi, praeter quamdam prophetiam de summis Pontificibus, quae quia brevis est, et nondum· quod sciam excusa, et a multis desiderata, hic a me apposita est.* Non addit, unde eam acceperit. — In ea prophetia Pseudopontifices Victor IV, Paschalis III, Calixtus III, Nicolaus V, Clemens VII, Benedictus XIII, Clemens VIII, Alexander V, Joannes XXIII, Felix V inseruntur Pontificibus legitimis, et duo tantum ex iis Nicolaus V et Clemens VIII ut schismatici notantur. Ordo chronologicus parum servatur, siquidem pseudopontifices Victor IV, Paschalis III, Calixtus III praeponuntur Alexandro III, qui ante ipsos Pontifex fuit, pariterque Clemens VII, Benedictus XIII, Clemens VIII pseudopontifices Avenionenses collocantur ante Urbanum VI qui eos praecessit. — Conficta creditur prophetia haec anno 1590 tempore Pontificalium Comitiorum a fautoribus Cardinalis Simoncelli, quem designarunt hac voce: *De antiquitate Urbis*, siquidem ejus patria erat Urbs vetus (Civita-Vecchia). Itaque quum facile sit vatem esse verum de rebus praeteritis, vaticinatio illa facile aptatur Pontificibus, qui annum 1590 et Gregorium XIV praecesserunt, iis autem qui deinceps fuerunt minus commode atque per vim.[1]) Animadvertendum etiam est, prophetiae verae indoli id parum videri conveniens, ut de Pontificibus futuris aliquid a Deo manifestetur paucis verbis aenigmaticis, quae qua ratione applicanda sint

Vaticinia s. Malachiae adscripta.

[1]) V. Sandini, Vitae Pontificum ad *Coelestinum II.*; V. De Buck, Précis histor. 1870, p. 479 sqq.

passim inveniri nullatenus potest. Verae prophetiae gravitas atque majestas nescio an componatur cum abruptis ejusmodi sententiis, quae stemmata vel patriam Pontificum spectare dicuntur. Dum tales vaticinationes leviter admittimus, periculum est, ne verae prophetiae detrahamus, ejusque vim infirmemus.

Lucius II R. P.

91. Tertia die post mortem Coelestini II Pontifex renuntiatus est *Lucius II,* antea Gerardus Caccianimicus, Bononiensis, quem Honorius II ex canonico regulari Cardinalem cooptaverat. Normanni eo tempore iterum territoria Ecclesiae Romanae subjecta infestabant, et Rogerius II quidem de pace omnimoda constituenda tractavit cum Lucio II, sed discordia non penitus sublata est. Romani vero ab Arnaldo ejusque asseclis excitati, quum jam pridem senatoriam dignitatem instaurassent, patricium quoque tunc elegerunt Jordanem Leonis, Anacleti pseudopontificis fratrem, cui tanquam principi parerent. Postularunt a Pontifice, ut huic cederet omnia regalia omnesque reditus, sibique tantum decimas et oblationes retineret; violento quoque modo palatia nobilium et Cardinalium, imo ipsam s. Petri ecclesiam infestati sunt. Frustra Lucius auxilia petiit a Conrado III Germaniae rege, atque inanes etiam fuerunt ejus conatus, ut per eos qui ipsi remanserant fideles compesceret rebelles eosque ex Capitolio expelleret. Refert Godefridus Viterbiensis, ipsum Pontificem ea occasione lapidibus impetitum esse, et ex vulnere recepto brevi post esse mortuum;[1]) juxta alios auctores aerumnis ac taedio vitae ita affectus fuit Pontifex, ut inde jam primo anno pontificatus sui, die 15° Februarii anni 1145, occubuerit.

92. In ejus locum die 17° Februarii electus est *Eugenius III.* Is antea Bernardus dictus et primum vicedominus Pisanus, dein, omnibus mundanis pro Christo spretis, Claravalle monachus factus est sub s. Bernardo abbate, et postmodum ab eo monasterio Cistertiensi s. Anastasii prope urbem Romam praelatus. Eum igitur Cardinales, quamvis

---

[1]) Panthéon, ap. Watterich, II. 281.

ex ipsorum Collegio haud esset, Pontificem creavere, quod coaevis miraculi instar speciali Dei providentia visum est evenisse. Merito forte sperabant Cardinales, fore ut electo hoc viro religioso, virtutibus insigni, facilius compesceretur populus Romanus, dum apertius videret, haud ob ambitionem et fastum humanum, sed ob Ecclesiae bonum et propter leges justitiae principatum civilem Romani Pontificis vindicari. — Quum Romani nonnisi molestis sub conditionibus Pontificis consecrationem admittere vellent, Eugenius III cum Cardinalibus et episcopis Roma secessit, et in monasterio Farfensi consecratus fuit; dein Viterbii resedit. In Urbe interim partium agitationes, et oppositio contra principatum civilem Pontificis perdurarunt, eoque tempore Romani invitarunt Conradum III, ut ipse veniens antiquum Imperium restauraret et Romae commorans orbem regeret. Ex altera parte s. Bernardus evocavit Conradum, ut Pontifici opem ferret; sed is Imperii honori et gloriae minus providens, expeditionem in Italiam suscipere noluit. Eugenius III R. P.

93. Romani tamen, quum Eugenius III Jordanem patritium excommunicasset, ipsique tum monitis s. Bernardi, tum procerum et aliquot civitatum minis urgerentur, versus finem anni 1145 cum Pontifice conventionem fecerunt, qua ejus principatum susceperunt, ita tamen, ut multa privilegia Pontifex eis concederet, civibusque rerum administrationem magna parte committeret. Sed semel atque iterum propter seditiones a factionum ducibus excitatas Eugenius III ex Urbe discedere coactus, anno 1147 secessit in Galliam, jam a temporibus Urbani II tutissimum perfugium Pontificum Romanorum, ibidemque a Ludovico VII rege honorifice exceptus est. Quo tempore mansit in regno illo, concilia Parisiis et Rhemis habuit, in quibus, uti inferius videbimus, de haeresibus et controversiis eo tempore excitatis actum est. Anno 1149 in Italiam reversus Pontifex, a Rogerio rege et comitibus Tusculi protectus, Tusculi sedem fixit, dein a Romanis susceptus, iterum propter turbas urbem relinquere adactus est. Tandem mense Decembri anni 1152 conventio cum Romanis con-

fecta est, et magno cum gaudio Pontifex in urbe receptus, per reliquum, sed breve, vitae spatium Romanos reverentia et obedientia submissos expertus est. Anno autem insequente 1153 die 7° Julii migravit ad Christum Tibure, quo animi causa sese receperat. Demortui corpus Romam delatum est magna pompa funeris, atque in ecclesia s. Petri sepultum, et *miraculis gloriosis ejus sepulchrum illustratum.*[1])

Anastasius IV R. P.

94. Die 9° Julii in successorem Eugenii III electus est Conradus Romanus, Cardinalis episcopus Sabinensis propter aetatem et curiae peritiam venerandus, qui *Anastasii IV* nomen suscepit. Agitatio quidem Romae perduravit; potuit tamen Anastasius brevi pontificatus sui tempore in Urbe residere. Commemoratur magna cum laude hujus Pontificis in pauperes charitas; obiit autem altero pontificatus sui anno, die 2° Decembris anni 1154. Sub ejus successore inceperunt difficultates cum Friderico Barbarossa, de cujus lucta contra Ecclesiam altera Dissertatione tractabimus. — Restat modo, ut de haeresibus ac de controversiis quibusdam agamus, quibus primis decenniis saeculi duodecimi societas christiana commota est.

IV.

De haeresibus et controversiis hujus aetatis.

Haeresum occasio.

95. Quoad *haereticos* illius temporis generatim potest adverti, ipsum fervorem restaurandae disciplinae qui jam dudum apud multos fervebat, aliquam praebuisse errorum et haeresum occasionem. Veri videlicet et legitimi reformatores cleri et laicorum ac restauratores disciplinae fuerunt Romani Pontifices, praesules fervidi, viri aliquot sancti insignes, inter quos eminent s. Bernardus, s. Norbertus, Petrus Venerabilis. Sed surrexerunt etiam quidam

---

[1]) Scriptor contemp. ap. Pagi ad a. 1153. § 4.

viri sectarii, qui dum declamarunt in clerum ejusque divitias, mox auctoritatem ipsius Ecclesiae aggressi sunt eamque rejecerunt. Inter hos vero alii dum hierarchiam impugnaverant, brevi auctoritatem omnem recusarunt agnoscere, et legem Dei quoque et disciplinam spernentes libertatem passionum praedicavere. Qui aliis vitiis concupiscentiam carnis superabant, falso spiritualismo inhaerebant, vel etiam, uti Arnaldus a Brixia, tendentias politicas erroribus suis commiscebant. Demum novorum Manichaeorum perversissima secta, toti religioni christianae turpissimum systema religiosum et sociale substituere conata est.

96. Inter eos, qui spreta auctoritate Ecclesiae vitae dissolutae habenas laxabant, numerantur praecipue *Tanchelinus* et *Eudo de Stella.* — Tanchelinus vir laicus, sed ab initio veste monastica indutus, primo Ultrajecti, deinde Antverpiae et in locis vicinis haeresis suae venena sparsit. Exstat de ipsius gestis epistola Trajectensis ecclesiae ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem, in qua dicitur: „In maritimis primum locis rudi populo et infirmioris fidei venenum perfidiae suae miscuit, et per matronas et mulierculas... errores suos paulatim spargere coepit, deinde per has conjuges etiam ipsos perfidiae suae laqueis irretivit. Nec jam in tenebris vel cubiculis, sed super tecta praedicare incipiens, in patentibus campis late circumfusae multitudini sermocinabatur, et veluti rex concionaturus ad populum, stipatus satellitibus vexillum et gladium praeferentibus, velut cum insignibus regalibus sermonem facturus procedere solebat. ... Declamabat, ecclesias Dei lupanaria esse reputanda; nihil esse quod sacerdotum officio in mensa dominica conficeretur; pollutiones, non sacramenta nominanda; ex meritis et sanctitate ministrorum virtutem sacramentis accedere. ... Dehortabatur populum a perceptione sacramenti corporis et sanguinis Domini, prohibens etiam decimas ministris Ecclesiae exhiberi. ... Talibus nequitiae successibus misero homini tanta sceleris accessit audacia, ut etiam se Deum diceret, asserens, quia si Christus ideo Deus est, quia Spiritum sanctum habuisset, se non inferius

Tanchelinus.

nec dissimilius Deum, quia plenitudinem Spiritus Sancti accepisset. In qua praesumptione adeo illusit, ut quidam in eo divinitatem venerarentur, in tantum ut balnei sui aquam potandam stultissimo populo pro benedictione divideret, velut sacratius et efficacius sacramentum profuturum saluti corporis et animae. . . . Hoc ad summam dixisse sufficiat, res divinas in tantum venisse contemptum, ut reputetur sanctior cuicumque fuerit Ecclesia despectior." [1]) Antverpiae dein adhuc majorem perturbationem excitavit, in luxuriam plane effusus; maximam autem morum corruptionem in ista civitate ac regione induxit. In cerebro percussus ipse quidem anno 1115 exstinctus est, sed nefaria secta perstitit. Anno 1124 vero s. Norbertus, canonicorum Praemonstratensium parens, a Burchardo episcopo Cameracensi vocatus Antverpiam, eos quos Tanchelinus in erroris et perversionis viam seduxerat, ad catholicam veritatem et religionem, atque ad sacramentorum usum et ss. Eucharistiae cultum reduxit. Hac de caùsa canonici Antverpienses de consilio Burchardi episcopi ecclesiam suam s. Michaëlis concesserunt s. Norberto, qui in ea aliquot e discipulis suis constituit.

Eudo de Stella. 97. Similis generis impostor fuit eo tempore *Eudo* seu *Eon de Stella*, qui errores proposuit tam vesanos, ut mente captum fere hominem dixeris; sed nihilominus turba sectatorum stipatus Britanniam minorem aliasque regiones satis commovit. De ipso Gulielmus Neuburgensis (a. 1197), de rebus Angliae L. I. c. 19: „Eudo is dicebatur natione Brito, agnomen habens de Stella, ludificatione daemonum ita dementatus, ut cum sermone Gallico Eon diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet „per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem." Ita plane fatuus, ut „Eon" et „eum" nesciret distinguere, sed supra modum stupenda caecitate crederet, se esse dominatorem et judicem vivorum et mortuorum. Eratque per diabolicas praestigias tam potens ad capiendos simplicium animos,

---

[1]) Cfr. Acta Sanctorum, Junii I. 845.

ut seductam sibi multitudinem aggregaret, quae tota illum tanquam dominum dominorum individue sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diversas provincias ferebatur; interdum vero morabatur cum suis omnibus in locis desertis et inviis, moxque instigante diabolo erumpebat improvisus, ecclesiarum maxime ac monasteriorum infestator. . . . Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus fastusque regius; et qui cum eo erant sollicitudinis laborisque expertes pretiose indui, splendide epulari et in summa laetitia agere videbantur in tantum, ut plerique qui ad corripiendum eum venerant, conspecta ejus non vera sed phantastica gloria corrumperentur." Praestigiis daemonum videlicet ejus fastum, ac delicias illas tribuenda censet Guilelmus. Quae quidem opinio quamvis argumentis positivis probari nequeat, non est penitus spernenda, quum ea aetate turpes quaedam sectae, uti Manichaeorum, erumperent, in quarum gestis malignos spiritus intervenisse facile existimarem. Saepius a principibus missi sunt qui eum caperent, ac postremo in potestatem archiepiscopi Rhemensis redactus est ipse cum pluribus discipulis. Populus quidem stolidus qui eum sequebatur dilapsus est. Quum anno 1148 Eugenio III praeside Rhemis synodus haberetur, Eudo adductus est, quumque in suis deliriis persisteret, sed fatuus magis videretur quam haereticus, custodiae mancipatus fuit, in qua brevi post mortuus est. Plures vero ex ejus discipulis qui magna cum obstinatione in suis erroribus persistebant, brachio saeculari traditi et ultimo supplicio affecti sunt.[1])

98. Eodem fere tempore quo Tanchelinus in Belgio et Eudo in Britannia minori turbas encitabant, in Gallia meridionali duo alii haeretici pseudospiritualistae multitudinem seducebant et contra clerum atque episcopos evocabant. Isti fuerunt *Petrus de Bruis* (1104—1124) sacerdos depositus, et *Henricus* (1116—1148) diaconus et monachus Cluniacensis e suo monasterio dilapsus. — Petrus de Bruis errores suos in provincia Arelatensi aliisque fini- **Petrus de Bruis.**

[1]) Cfr. Baronium ad a. 1148.

timis sparsit, atque Henricus in iisdem fere regionibus populum seduxit. Scripsit contra hos haereticos Petrus Venerabilis epistolam seu librum, quem cum alia epistola ad archiepiscopos Arelatensem et Ebrodunensem, atque ad episcopos Diensem et Vapicensem transmisit. Ex Petri scriptis colligitur, quantopere perversa illorum doctrina propagata sit, et qualis fuerit ejus indoles. „Scripsi nuper, inquit in epistolae praefatione, epistolam Reverentiae vestrae contra haereses Petri de Bruis disputantem, sed innumeris et magnis negotiis a dictando animum, a scribendo stylum retardantibus, hucusque mittere distuli. Mitto nunc tandem eam prudentiae vestrae, ut per vos haereticis contra quos scripta est, et etiam catholicis quibus forsitan prodesse poterit innotescat. Vobis eam mitto, quoniam in partibus vestris aut circa easdem stulta illa et impia haeresis more pestis validae multos interfecit, plures infecit; sed gratia Dei concitante et adjuvante studia vestra, a vestris regionibus sese paululum removit. Migravit tamen, sicut audivi, ad loca satis vobis contigua, et a Septimania vestra vobis persequentibus expulsa, in provincia Novempopulana, quae vulgo Gasconia vocatur, et in partibus ei adjacentibus sibi foveas praeparavit. In quibus nunc se timore occultans, nunc de ipsis audacia assumpta prodiens, quos potest decipit, quos potest corrumpit, et nunc istis nunc illis lethalia venena propinat.“[1])

99. Recenset dein Petrus Venerabilis praecipua errorum capita a Petro de Bruis proposita et ab Henrico adhuc aucta. „Primum, scribit, haereticorum capitulum negat, parvulos infra intelligibilem aetatem constitutos, Christi baptismate posse salvari, et aliquam fidem ipsis posse prodesse, qui sua uti non possunt, quoniam juxta eos non aliena fides sed propria cum baptismate salvat, Domino dicente: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* — Secundum capitulum dicit, templorum, vel ecclesiarum fabricam fieri non debere, factas insuper subrui oportere,

[1]) Tractat. contr. Petrobrusianos, praefat., ap. Migne P. L. T. LXXXIX. p. 719.

nec esse necessaria Christianis sacra loca ad orandum, quoniam aeque in taberna ac in ecclesia, in foro et in templo, ante altare vel ante stabulum invocatus Deus audit, et eos qui merentur exaudit. — Tertium capitulum cruces sacras confringi praecipit et succendi, quia species illa vel instrumentum, quo Christus tam dire tortus, tam crudeliter occisus est, non adoratione, non veneratione, vel aliqua supplicatione digna est; sed ad ultionem tormentorum et mortis ejus, omni dedecore dehonestanda, gladiis concidenda, ignibus succendenda est. — Quartum capitulum non solum veritatem corporis et sanguinis Domini quotidie et continue per sacramentum in ecclesia oblatum negat, sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere decernit. — Quintum capitulum sacrificia, orationes, eleemosynas et reliqua bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico posse juvare affirmat."

100. Qua ratione ipsi doctrinis opera accommodabant refert idem Petrus scribens: „*Praevenistis scelestis operibus celeritatem verborum, et profundis in religionem odiis, quod vel cogitare scelus fuerat, insigne nostrae fidei tollere attentastis. Quod nunc factum est, quando ad inauditam divinitatis contumeliam, magno de crucibus aggere instructo, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis, et ipso passionis dominicae die paschalem dominicam praecedente, invitatis publice ad talem esum populis, comedistis.*[1]) — Haec videntur referri ad ea quae acciderunt ipso die Parasceves anni 1124 apud s. Aegidium (s. Gilles). Sed fideles, Petri impietate exasperati, tunc ipsum haeresiarcham comprehenderunt ac projecerunt in illum rogum. Atque ita infelix homo periit. — Henricus autem ille, qui paulo ante Petro se junxerat, continuavit impias ejus doctrinas propagare. „Sed post rogum Petri de Bruis, scribit Petrus Venerabilis, quo apud s. Aegidium zelus fidelium flammas dominicae crucis ab eo succensas, eum concremando ultus est, . . . haeres nequitiae ejus Henricus, cum nescio quibus aliis doctrinam diabolicam non quidem emendavit sed

Henricus pseudo-monachus.

[1]) L. c. p. 771.

immutavit.“ — Addidit videlicet Henricus quaedam; inter alia istud: *Irrideri Deum cantibus ecclesiasticis, quia qui solis affectibus piis delectatur nec altis vocibus advocari, nec musicis modulis potest mulceri.*

101. Ad hujus Henrici personam et gesta quod spectat, quum ex monasterio Cluniacensi discessisset, speciem assumpsit praedicatoris qui humana omnia spernens ad poenitentiam omnes provocaret. *Coma succinctus, intonsus barba, corpore procerus, pernix incessu, nudis humo bruma debacchante serpens vestigiis, expeditus affatu, terribilis sono, juvenis aetate, . . . mirae sanctitatis et scientiae circumquaque rumore, non merito, falsitate, non vero habitu, erat celebrior, non moribus, non religione, sed opinione.*[1]) Simulato autem rigori luxuriam miscebat. — Versus annum 1116 venit Cenomanum atque ibi ab episcopo Hildeberto, qui in eo erat ut Romam proficisceretur, summa hummanitate et liberalitate receptus est, eique permissum, ut conciones ad populum haberet. Sed mox erroribus suis dementavit multitutinem, quumque in clerum ejusque vitam atque divitias furibundus declamaret, populum in episcopum et ecclesiasticos excitavit, ita ut omnia maxime perturbarentur. Cenomano pulsus Provinciam et Occitaniam (Languedoc) subsequentibus annis pervagans ubique in clericos debacchatus est, ita quidem ut laici contra eos insurgerent, eos conviciis proscinderent, verberibus afficerent, oblationes et decimas eis denegarent, sacramenta contemnerent, omnem divinum cultum negligerent.

102. Anno 1134 ab Arelatensi episcopo captus et ad Concilium Pisanum deductus, ibi damnatus fuit. „Sed misericordia Dei, dicitur in Actis episcoporum Cenomanensium c. 36, ille Henricus ab Arelatensi archiepiscopo captus est et Domino Papae Innocentio Pisis in authentico Concilio (1134) praesentatus, ibique iterum convictus et generaliter haereticus appellatus, ad postremum carcere mancipatur. Cui postquam permissio concessa est abeundi ad aliam provinciam (Occitaniam), nova secta, novo cursu,

[1]) Acta Episc. Cenoman. c. 35; ap. Mabillon, *Vetera Analecta* p. 315. (Edit. Paris. a. 1723.)

novum iter assumpsit delinquendi, quam protinus ita turbavit, quod minime Christiani ecclesiarum adirent limina, sed divinum contemnentes mysterium, sacerdotibus oblationes, primitias, decimas, infirmorum visitationes, et solitam denegabant reverentiam." Quum Eugenius III a. 1147 in Gallia degeret, ad cohibendos Henrici progressus ejusque errores exterminandos, legationem apostolicam in Occitaniam commisit Alberico Ostiensi episcopo, qui s. Bernardum legationis suae comitem adscivit. Henricus tunc fugit atque delitescere conatus est; sed tandem captus vinctusque legato apostolico traditus fuit. De eo quid ulterius acciderit, ab auctoribus non traditur; credere par est, eum custodiae mandatum, ibique mortuum esse. Asseclae vero ejus, magistro destituti ad catholica sacra, opera praesertim s. Bernardi et Alberici Cardinalis, redierunt.[1]) — Mirum videtur, quod ejusmodi homines, uti Petrus de Bruis et Henricus, tanto tempore provincias ecclesiasticas perturbare potuerint. Id partim inde explicatur, quod illi viri initio viderentur tantum severiorem in Ecclesia disciplinam propugnare, errores vero dogmaticos minus aperte proponerent. Quum igitur eo tempore non pauci severiori disciplinae faverent, et qui supererant abusus eliminare studerent, facilius ejusmodi viros admiserunt, vel saltem tolerarunt, donec eorum impietas evidens fieret. Advertendum etiam est, in multis regionibus magnam agitationem ortam fuisse tum propter expeditiones cruciatas, quarum occasione aliqui praedicatores insolito modo multitudinis fervorem excitaverant, tum occasione luctae inter Imperium et Sacerdotium, ac schismatis Petri Leonis. Inde dependentia hierarchica minus firma fuit illa aetate.

103. In Italia ac maxime Romae *Arnaldus a Brixia* graves turbas excitavit, uti passim jam innuimus. De Arnaldo ejusque indole et gestis breviter et nervose Otto Frisingensis: „Arnaldus iste, scribit, ex Italia, civitate Brixia oriundus, ejusdemque ecclesiae clericus, ac **Arnaldus a Brixia.**

[1]) Gaufrid Vita s. Bernardi. L. III.

lector tantum ordinatus, Petrum Abaelardum olim praeceptorem habuerat: vir quidem naturae non hebetis, plus tamen verborum profluvio quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, novitatis cupidus, cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas haereses schismatumque perturbationes sunt prona. Is a studio e Galliis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans."[1])

Ejus gesta. 104. Arnaldus hic igitur, vertente saeculo undecimo Brixiae natus, adolescens in Gallium profectus, Abaelardi ibi discipulus fuit. In patriam reversus, presbyter factus est habitumque religiosum induit,[2]) moxque in cleri vitam ac possessiones invehens, contra Maifredum Brixiae praesulem seditionem ac turbas excitavit. Repressi tamen sunt Arnaldus ejusque asseclae, quumque Maifredus a. 1139 adesset Concilio Lateranensi II, ipso movente etiam de Arnaldo ejusque doctrinis actum est. Viro turbulento silentium impositum fuit, ac ne amplius turbas excitaret, jussus est ex Italia discedere, ac prohibitus sine Pontificis licentia in patriam reverti. Ut vero haud severius in eum actum sit in Concilio Lateranensi, inde provenisse dixeris, quod eousque nondum proposuerit haereses, sed tantum in clerum ac monachos declamaverit, et exaggerato modo et imprudenti severiorem disciplinam et cessionem omnium bonorum praedicaverit. Contendebat videlicet, bona temporalia a praelatis, ecclesiasticis, monachis illicite possideri, haec omnia esse imperantium civilium, horumque benefi-

---

[1]) Gesta Friderici Imp. L. II. c. 20. V. MG. Scr. XX. 403.

[2]) Recentiores aliqui auctores id in dubium vocaverunt, sed antiqui clare hoc referunt. Uti Otto Frisingensis, ita etiam Historia Pontificalis: „Erat hic dignitate sacerdos, habitu canonicus regularis." C. 31. V. MG. Scr. XX. 537. — Multa quae Arnaldum spectant satis obscura sunt. Bene de ejus vita et doctrinis nuperrime scripsit D. H. Gaggia, Seminarii Brixiensis Professor, in opusculo *Arnaldo da Brescia*, 2a ed. Brescia ap. G. Bersi 1882.

tentia in usum laicorum cedenda.[1]) Ejusmodi autem assertiones laicis admodum placebant.

105. In Galliam profugus Arnaldus mox doctrinis suis turbas excitavit; hinc ei restitit s. Bernardus, cujus litteris exagitatus confugit in Germaniam, et aliquamdiu moratus est apud Hermannum episcopum Constantiensem. Quum id cognovit s. Bernardus, episcopum Constantiensem (ep. 195) de pravis Arnaldi doctrinis certiorem reddidit. Hic vero brevi post se contulit ad Guidonem Cardinalem Innocentii II in Germania legatum, ad quem pariter s. Bernardus epistolam dedit, ne a viro isto circumveniretur.[2]) Videtur tamen Guido legatus benevolus fuisse in Arnaldum, forte quod perversis suis doctrinis renuntiasset.[3])

106. Initio pontificatus Eugenii III, a. 1145, Arnaldus in Italiam rediit, et si fidere fas est *Historiae Pontificali* Viterbii Pontifici solemniter obedientiam promisit. Dicitur enim l. c. cap. 31°: „Exinde post mortem domni Innocentii reversus est in Italiam, et promissa satisfactione et obedientia Romanae ecclesiae, a domno Eugenio receptus est apud Viterbum. . . Et quidem de servanda obedientia solemne praestitit juramentum.“[4]) Inde Romam profectus per aliquod tempus quidem a rebus publicis abstinuit, vita autem severa famam adeptus est asseclasque non paucos. Sed quum Eugenius III a. 1147 in Galliam profectus esset, exinde iterum Romae perversos suos errores disseminavit, ac multitudinis motus seditiosos excitavit. Uti jam diximus, Arnaldistarum factio ita in urbe aucta est, ut Romani consilium inierint abrogandi principatum civilem Pontificis, variosque Pontifices vexaverint magna cum insolentia.

Romae motus excitat.

---

[1]) Cfr. Otto Frising. l. c.

[2]) Ep. 196. Scribit initio hujus epistolae: „Arnaldus de Brixia, cujus conversatio mel, et doctrina venenum, cui caput columbae, cauda scorpionis est, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur esse vobiscum.“

[3]) V. Gaggia l. c. p. 53.

[4]) V. M. G. Scr. XX. 537. 538.

Quum Eugenii III successor, *Anastasius IV*, brevem post pontificatum obiisset die 2° Decembris anni 1154, ei suffectus est *Hadrianus IV* Anglus, Cardinalis Episcopus Albanensis. Pontificis hujus initia Arnaldus ejusque sectatores novis tumultibus turbarunt, ita quidem ut Geraldum Cardinalem presbyterum graviter vulneraverint. Quamobrem Pontifex toti Urbi sacra interdixit, donec senatores a clero populoque compulsi veniam a Pontifice postulaverint, et Arnaldum ejusque sequaces ex Urbe ejusque finibus ejecerint. Arnaldus autem eodem anno (1155) jussu Friderici I Imperatoris in finibus Etruriae captus et Romam ductus, a Petro urbis praefecto ultimo supplicio addictus est, et patibulo suspensus interiit. Cadaver ejus rogo crematum et cineres, ne fanatici asseclae ejus reliquias colerent, in Tiberim projecti sunt. — Quam inepte hujusmodi virum turbulentum et in Ecclesiam rebellem auctores quidem celebraverint, ut genuinae libertatis politicae virtutisque severioris vindicem, ex dictis satus elucet.

Novi Manichaei. 107. Jam primis decenniis hujus saeculi etiam nefanda novorum *Manichaeorum* secta in Occidentis provincias propagata est. In Oriente Manichaei nunquam penitus interierant; imo eorum reliquiae passim invaluerunt, et Imperio graeco non minima creavere pericula. Ex Manichaeorum sectis erant *Pauliciani*, qui inde a saeculo septimo Orientis regiones turbarunt; ineunte vero saeculo undecimo, Constantinopoli detecta est Bogomilorum secta,[1]) quae pariter Manichaeismo addicta erat. Ex Oriente porro sectae variae *novorum Manichaeorum* in Occidentem se propagarunt; ex Graecia videlicet et Bulgaria in vicinam Slavoniam et Dalmatiam, hincque in Italiam, Hispaniam, Galliam, aliasque provincias penetrarunt. In variis regionibus varia illis nomina data sunt; alibi Cathari, Pub-

[1]) Pauliciani nomen habuerunt a veneratione speciali quam in s. Paulum Apostolum profitebantur; Bogomili vero nomen accepisse dicuntur a vocibus bogo milui, quas frequenter in ore habebant, quaeque in lingua Bulgarorum, inter quos primum comparuerunt, significabant „miserere Deus."

licani, Bulgari aut Patereni; in Gallia et Hispania Boni Homines; in Flandria Piphli et Turlepini appellati sunt. Isti igitur saeculo duodecimo apparuerunt; ita Ageni, et Suessionibus a. 1115, Tolosae a. 1119, Perigui (Perigueux) a 1140, Coloniae a. 1146, in regione Trevirensi a. 1157, et eodem tempore in Helvetia, in Suevia, in Bavaria; Mediolani a. 1173, Rhemis a. 1180. In Angliam venerunt a. 1159, ibi vero mox exterminati sunt. Sed doctrinam et mores istorum Manichaeorum in alia Dissertatione accuratius exponemus, dum agetur de bellis tempore Innocentii III contra eos susceptis; modo sufficiat eorum adventum in Occidentem et propagationem in varia regna commemorasse.

108. Superest ut quaedam dicamus de *controversiis aliquot celebrioribus* inter ipsos Catholicos versus finem saeculi undecimi, et primis decenniis saeculi duodecimi agitatis. Controversiae. Advertendum est, inde a medio saeculo undecimo, quando strenuo labore sanctitatem et libertatem Ecclesiae catholicae Romani Pontifices praesulesque insignes vindicaverunt, etiam studia ecclesiastica et profana magnum incrementum cepisse. Illis non tantum Pontifices et episcopi, sed etiam nonnulli principes favebant; ordines religiosi magno animi ardore iis incubuerunt, variique magistri et doctores eximii tum in scholis cathedralium, tum in scholis monasteriorum disciplinas insigni cum honore et successu tradiderunt. Scholae igitur claustrales et cathedrales ea aetate florebant, atque mox etiam sese evolvere coeperunt *Academiae publicae*, quae Universitates dictae sunt, eo quod magistri et scholares ssocietatem seu universitatem inter se inierunt, quae propriam constitutionem tum quoad professores praepositos et discipulos, tum quod disciplinas tradendas accepit.

109. Ea aetate etiam *theologia scholastica* quae dicitur effloruit. Cujus indolem, et distinctionem a theologia positiva ut paucis indicemus, recolendum est, theologo duo incumbere, 1° ut demonstret et ostendat, veritates revelatas in fontibus fidei contineri; 2° ut easdem veritates, quantum

fieri potest, serviente ad hoc ratione et philosophia illustret, explicet, nexum earum patefaciat, atque ita scientificum aliquod systema conficiat. Utrumque igitur cuivis theologo praestandum est. Sed si in aliqua methodo primum elementum praevalet, dicitur *methodus positiva;* si secundum elementum praevalet, appellatur *scholastica*, quia in scholis medii aevi maxime adhibita est. Atque adeo etiam inde theologiae *positivae* et *scholasticae* distinctio et nomen. Praecedentium saeculorum theologi videlicet in eo praecipue versati erant, ut dogmata singula fidei ex Scripturae ac Traditionis testimoniis probarent, et depositum fidei conservarent incolume; scientificam autem expositionem et evolutionem doctrinarum minus attenderant. Ab hac vero aetate explicationi veritatum, philosophica disciplina ancillante, theologi incubuere; ac paulatim effloruit illa theologia scholastica, quae maxime saeculo decimo tertio et decimo quarto peculiarem addidit gloriam. Ejus parens in Occidente habetur s. Anselmus; in Oriente s. Joannes Damascenus aliquatenns ejus methodum quondam secutus est.

Theologia scholastica.

110. Quemadmodum igitur adhibita in servitium philosophia et rationis investigatione subtiliori, disciplina theologica non parum profecit, ita etiam fieri non potuit, quin controversiae subtiliores et difficiliores exorirentur. Dumque doctrinis philosophicis ad res divinas exponendas uterentur magistri, ista certamina haud se continuere in rebus mere philosophicis, sed quaestiones theologicas imo ipsa fidei dogmata attigerunt. Atque ex ipsa indole rerum factum est, ut duplici praesertim sub respectu controversiae vehementiores exardescerent animosque dividerent. Imprimis commemoranda est illa systematum medii aevi divisio, quae sub appellatione *Nominalismi* et *Realismi* notissima est. Quum videlicet philosophiae objectum sint maxime universales rerum rationes, primas fere partes sibi mox vindicavit illa de *universalibus* quaestio, quae jam ab antiquis philosophis adeo exagitata est, et tanta habita, ut eam Porphyrius quoque in *Isagogis* suis, quum de uni-

versalibus scriberet, definire non praesumeret, dicens: *Altissimum enim est hujusmodi negotium.*[1]) Medio aevo autem haec controversia eo majoris momenti fuit, quod res divinas multum ea tangeret, atque errantibus ista in quaestione esset maximum periculum, ne de Deo ejusque ad universum relatione, vel de sanctissima Trinitate perperam plane sentirent.

111. Ut varii eventus qui in hac controversia obtigerunt melius intelligantur; juvabit inde ab initio diversorum doctrinas commemorare. *Nominalium* alii duce Joanne Roscellino contendebant, universalia nec esse ullo modo in rebus, nec concipi; genera ac species conceptus esse collectivos, universalia vero vocabula individuorum collectiones indefinite et confuse significare, ac si quid praeterea dicere viderentur, in eo meras voces esse, seu flatum vocis. — Alii vero Nominalium, Abaelardi sententiam secuti, existimabant, non voces solum universales sed et conceptus haberi, qui tamen conceptus mere subjectivi essent ac mentis foetus, exhibentes *convenientiam* quamdam *rerum secundum idem*, ita tamen ut *convenientia* haec et hoc ipsum *idem* in qua conveniunt non sit *res*, sed solum mentis consideratio. Hujus sententiae sectatores nuncupati sunt *Conceptuales*. **Nominales.**

112. *Reales* hoc nomine signati fuerunt, quod universalia realia constituerent, horumque alii *orthodoxi*, alii *heterodoxi* distinguuntur. *Heterodoxi* docebant, genera et species esse extra individua (universalia *ante* rem et *extra* rem), atque in divina natura realiter contineri; ex quo concludebant, divinam naturam esse omnium rerum essentiam realem. Hic error qui vix est aliud quam merus putusque pantheismus, auctorem habuit saeculo nono Joannem Scotum Erigenam, quem saeculo duodecimo et decimotertio secuti sunt Amalricus de Bène (Amaury de Chartres), et David de Dinant ecclesiastica sententia dam- **Reales.**

---

1) V. Abaelardi epist. 1. seu historiam calamitatum c. 2.

nati. — *Orthodoxi* quoque in diversas abiere sententias, quarum sunt hae duae praecipuae. Altera, auctore Gulielmo Campellensi (de Champeaux), contentebat, genera et species esse ipsam essentiam individuorum realiter ipsis communem, atque adeo individua solis accidentibus distingui. Ab hac vix differt Joannis Duns Scoti, seu potius Scotistarum quorumdam doctrina statuentium, universalem essentiam in individuis existentem suam in ipsis universalitatem vere ac realiter retinere. — Altera sententia, quae concinne a s. Thoma et s. Bonaventura exposita et evoluta fuit, quamque doctorum maxima pars amplexi sunt, docet, esse quidem in rebus naturam, quae in idea universali concipitur, sed non eodem modo ac concipitur. Qua vero ratione, ut haec sententia clarescat, merito distinguatur universale *directum*, et universale *reflexum*, universale *fundamentale* et universale *formale*, docent auctores probati.[1]) Haec autem sufficiunt, ut controversiae de quibus nobis agendum est intelligantur.

Rationalismus.

113. Aliae controversiae inde exortae sunt, quod quidam magistri, et maxime Abaelardus, rationis partibus in negotio fidei et in explicandis dogmatibus abuterentur, et *rationalismum* quemdam in theologiam inducerent. Facile vides, etiam talibus aberrationibus, quamvis per accidens, occasionem praebuisse methodum scholasticam per se sane optimam. Etenim quinam debeat. esse rationis usus et quodnam officium in praeparanda fide, aliqui haud satis perspexerunt, dumque ipsas doctrinas ope rationis et philosophiae subtilius explanare conati sunt, passim a veritate aberrarunt.

114. Primum per Nominalismum in erroneas doctrinas incidit ipse hujus systematis parens Roscelinus, adversariumque invenit s. Anselmum. Roscelinus erat canonicus Compendiensis, qui ibidem scholam dialecticam fundavit atque regebat. Nominalismum suum ipse applicavit

[1]) Vide quae diximus ap. Tongiorgi Logica n. 518 sqq.

ad doctrinas de ss. Trinitate ac de Incarnatione. Essentiam docuit trium personarum divinarum esse merum nomen, non vero realem (unam rem); unitatem enim aliquam praeter personas individuas esse meram vocem. Esse igitur tres personas, tres realitates individuas, ab invicem separatas sicuti tres angelos. Si admittatur unum quid reale commune seu unitas realis essentiae, jam tres personas non posse esse tres reales, indeque consequi, Patrem et Spiritum Sanctum cum Filio esse incarnatos. Unitatem in divinis restringebat ad unitatem seu consensum voluntatis et perfectam aequalitatem in tribus personis. Ei ab adversariis merito oppositum fuit, si non teneatur, essentiam numerice unam et communem in tribus personis esse realem, tres statui deos, ac tritheismum necessaria doceri consequentia. Roscelinus.

115. Roscelinus a. 1092 citatus est ad synodum Suessionensem, in qua, praeside Rainaldo archiepiscopo Rhemensi, ejus doctrina rejecta, ipseque adactus est ut eam revocaret. — Sed postea Roscelinus in eamdem doctrinam recidit declarans, suam ejurationem fuisse coactam, et *se non ob aliud ejurasse quod dicebat, nisi quia a populo interfici timebat.*[1]) S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis tunc edidit librum *de fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi,* quod opus inceperat quum adhuc esset abbas Beccensis, sed intermiserat audiens, Roscelinum in concilio Suessionensi errorem suum retractasse. Postea tamen quum ille ad easdem rediret doctrinas, hortantibus fratribus opus illud perfecit et in publicam lucem edidit. Fata ulteriora Roscelini non accurate noscuntur, eum tamen jam senectute provectum in sinu Ecclesiae vixisse Turonibus ad s. Martini ecclesiam, et canonicatus habuisse in ecclesia Turonensi et Bizuntina ecclesia, colligitur ex epistola Petri Abaelardi ad episcopum Parisiensem et ex Roscelini epistola ad Petrum Abaelardum.[2]) Ex illis epistolis comparatis

[1]) Anselm. De fide c. 1.

[2]) Haec epistola paucis ante decenniis detecta est; invenitur in

liquet, Roscelinum evocasse attentionem episcopi Parisiensis contra errores Abaelardi, quem censebat negata trinitate personarum incidere in Sabellianismnm. Hinc Abaelardus ad illum episcopum et ad ecclesiam Turonensem litteras dedit, quibus Roscelinum acerrimo stylo ut antiquum fidei hostem et hominem infamia notum pungit. Roscelinus acerbae epistolae reddidit acerbiorem, qua Abaelardum ob doctrinas et maxime ob facinora ejus dire exagitat. De objecta haeresi Roscelinus dicit: *Si aliquando vel in verbo lapsus fui vel a veritate deviavi, nec casum verbi, nec assertionem falsi pertinaciter defendi, sed semper paratior discere quam docere, animum ad correptionem praeparavi; neque enim haereticus est qui, licet erret, errorem tamen non defendit.* — Ostendit dein, se Romae et alibi in ecclesiis suscipi. Virum tamen in erronea sententia de essentia et unitate divina haesisse, quamvis praetenderet se esse catholicum, patet ex hisce ejus verbis: *Non igitur per personam aliud significamus, quam per substantiam, licet ex quadam loquendi consuetudine triplicare solemus personam, non substantiam, sicut Graeci triplicare solent substantiam. Neque vero dicendum est, quod in fide Trinitatis errent triplicando substantiam, quia licet aliter dicant quam nos, id tamen credunt quod nos, quia sicut diximus, sive persona, sive substantia, sive essentia, in Deo prorsus idem significant.* Et concludens clare edicit: *Itaque cum de divinae substantiae unitate discrepare videamur, tu quidem de ingenioli tui tenui conatu praesumendo solitudinem ei singularitatis adscribens, ego autem divinarum Scripturarum sententiis armatus similitudinis et aequalitatis unitatem defendens, in hoc tamen convenire nos convenit, ut Deum . . . unanimiter deprecemur.* Superius tamen scripserat: *Dicat melius qui potest. Ego melius non valeo. Sed neque quod dico importune defendo.* — Itaque Roscelinus censebat, doctrinam suam fidem non violare, nec ab Ecclesia separatus erat. Eo tempore ipsum

editione opp. Petri Abaelardi quam curavit V. Cousin Parisiis a. 1849. Vol. II. 792. Epistolam Abaelardi ad episcopum Parisiensem habes ibidem p. 150; forte haec data est post Roscelini ad Abaelardum litteras.

senem fuisse liquet inde, quod sibi applicat verba s. Augustinii ad Hieronymum: *Quamvis pulchrius sit senem docere quam discere, mihi tamen nulla aetas sera est ad discendum.* Epistola autem haec circa annum 1120 vel initio anni 1121 scripta est, antequam synodus Suessionensis (a. 1121) haberetur, in qua Abaelardi liber damnatus fuit. Sed jam de ipso Abaelardo convenit ut agamus.

116. *Petrus Abaelardus*, inde a sua aetate usque ad tempora nostra famosi nominis vir, anno 1079 natus est in minori Britannia, haud procul a Nannetensi urbe in oppido quod Palatium vocabatur, Berengario et Lucia parentibus piis atque nobilibus. Ingenio ad litteras addiscendas facillimo praeditus, acutus, in disputando versatissimus, spiritu autem liberiori, ad moliendas res novas valde proclivi, ad humilitatem admodum dificili, saeculo duodecimo graves simultates et controversias excitavit. Postquam inde a pueris in provincia natali varias litterarum et philosophiae scholas magna cum aviditate frequentasset, venit Parisios. Ibi sub auspiciis Gulielmi Campellensis, tunc archidiaconi Parisiensis et philosophiae peripateticae professoris celebris, in philosophia ita profecit, ut supra commilitones ipsumque magistrum suum brevi exsplendesceret. Non multo post ex auditore scholarum regens evasit; adhuc adolescens Meloduni, dein Corbolii, postea Parisiis scholas instituit, sibique amplissimum nomen artis dialecticae magisterio peperit. Post haec, intermissis biennio philosophiae exercitationibus, Anselmum Laudunensem, magistrum eo tempore celebrem in rebus theologicis, audivit. Deinde Lauduno relicto rediit Parisios, ubi s. Scripturae expositionem, Lauduni jam audaci temeritate inceptam, prosecutus est. Simultates autem multiplices quas istis annis habuit cum magistris suis, Abaelardus ipse in *Historia calamitatum* suarum describit, dumque carpit magistros eorumque ineptiam atque invidiam, satis prodit permagnam fuisse superbam ejus ambitionem,[1]

Petrus Abaelardus.

---

[1]) V. Opera Abaelardi Epist. 1. — Abaelardus rationalistis et aliis

Abaelardi fata. 117. Quae vero tunc ei accidit turpis calamitas, hujus superbiae fuit fortasse poena, uti vel ipse agnoscere videtur, dum dicit eam occasionem fuisse, qua *superbissimum nec divinae gratiae memorem divina gratia humiliatum sibi vindicaret.* Qui antea videlicet continenter vixerat Abaelardus, quum clericus esset, licet in majoribus Ordinibus, quantum videtur, non constitutus, et vir quadraginta fere annorum, turpi amore captus est Heloïsae nobilis virginis. Fulberti canonici insignis ecclesiae Parisiensis haec neptis erat, forma praestans, doctrina praestantior. *Nam quo bonum hoc litteratoriae scilicet scientiae in mulieribus est rarius, eo amplius puellam commendabat, et in toto regno nominatissimam fecerat* (ep. 1). Occasionem autem quaesivit Abaelardus, ut illam feminam sibi domestica et quotidiana conversatione familiarem efficeret. Egit igitur cum Fulberto, ut in domum suam scholis proximam sub quocumque procurationis pretio eum susciperet, ne domestica cura ipsum a studiis impediret, atque modum expensis ponere posset. Annuit Fulbertus et stolida simplicitate etiam maxime institit, ut neptem subsecivis horis in philosophicis et liberalibus disciplinis ulterius erudiret, nihil suspicans de homine propter anteactae vitae continentiam cognitam. Sed Abaelardus mox istam feminam seduxit et insanis amoribus dementavit, quumque re tandem post omnes alios Fulberto innotescente, e domo ejectus esset, brevi post illam e domo avunculi furtim eduxit. Sub habitu monialis eam tunc in Britanniam misit Abaelardus ad suam sororem, ubi natus est filius quem Astrolabum dixerunt. Post haec, ut Fulbertum reconciliaret Abaelardus, Heloïsam Parisios reversam secreto matrimonio sibi junxit. *Parisios,* scribit ipse Abaelardus, *occulte revertimur, et post paucos dies, nocte secretis orationum vigiliis in quadam ecclesia*

Ecclesiae detractoribus vir valde acceptus est; dum ejus ingenium liberius vehementer extollunt, tristia ipsius fata pietate fucata deflent, et Abaelardi adversarios ut homines fanaticos et duros carpunt. Hinc vitam viri breviter sed accurate exponere necessarium est.

celebratis, ibidem summo mane, avunculo ejus atque quibusdam nostris vel ipsius amicis assistentibus, nuptiali benedictione confoederamur. [1]) Sic de Abaelardi matrimonio nullum est dubium.

118. Obstiterat huic matrimonio multum ipsa mulier, eo quod fortunae, gloriae et studiis Abaelardi inde obstacula provenirent; summo studio dein nuptias istas studuerunt celare, imo Heloïsa eas factas esse palam negabat. Sed Fulbertus matrimonium hoc pluribus manifestavit, et neptem ob negatas nuptias crebris affecit contumeliis. Propter hoc ac forte etiam, ut dicteria in ipsum melius effugeret, Abaelardus Heloïsam transmisit ad abbatiam quamdam monialium prope Parisios, Argenteolum dictam, ubi illa olim educata fuerat atque erudita, eamque ibi habitu monialium, excepto velo, indui fecit. Unde Fulbertus ejusque propinqui opinati sunt, se ab Abaelardo esse illusos, illumque sic se facile expedire a muliere moniali factâ. Vindictam meditati miserunt, qui corrupto famulo nocte Abaelardi dormientis cubiculum ingressi, eum crudeli et contumeliosa mutilatione affecerunt. Magna inde totius civitatis commotio exorta est, quum Abaelardus jam insignem famam et gloriam assecutus esset.

119. Abaelardus vero ob inflicti vulneris infamiam pudore suffusus, potius quam devotione excitatus, atque ipso id petente etiam Heloïsa, ad monasticorum latibula claustrorum (a. 1119) secesserunt. Ille monasticum habitum induit in abbatia s. Dionysii, haec vero quamvis parum inclinaret ad vitam monasticam, Argenteoli monialis et dein priorissa facta est. Postea fuit abbatissa monasterii Paracleti, quod Abaelardus fundaverat et, postquam ibi aliquanto moratus est, Heloïsae ejusque monialibus tradidit. — Abaelardus, quum post ejusmodi fata convenisset potius quietae poenitentiae ducere vitam, mox, petentibus abbate Adamo et monachis, philosophicas et theologicas disciplinas tradidit. Ingens fuit numerus discipu-

---

[1]) Epist. 1.

lorum, qui ex multis christiani orbis regionibus ad eum confluxerunt. Vir irrequieti amini, vehemens, minus prudens, multiplices habuit decursu vitae posterioris difficultates, variisque locis pedem figere coactus est; singulos eventus hic recensere non vacat. — Quum vero uti subtilioris ita et audacioris ingenii esset, doctrinis quoque suis Ecclesiae dogmata offendere visus est. Contra eum s. Bernardus doctrinae catholicae veritatem et fidei puritatem vindicavit, ac non semel Abaelardi errores ab auctoritate ecclesiastica reprobati atque damnati sunt.

Abaelardi errores.

120. Abaelardi errores, uti jam innuimus, rationalismo quodam continentur. Opinabatur videlicet imprimis, *dubio serio* praecedente unicuique ad inquisitionem veritatum fidei accedendum esse, veritatesque, antequam fides praestetur, etiam ab intelligentia perspiciendas esse. Ab Ecclesiae propositione ejusque auctoritate praescindebat, vel potius in suo systemate hisce non erat locus. — Porro in ipsa *explicatione* dogmatum plura pariter pro sensu suo rationalistico exponebat, vel ea rejiciebat quae rationi ipsius minus conveniebant. Passim forte insolitis et audacibus formulis praesertim peccavit, sed variis in quaestionibus eum in errores funestos impegisse dubitari nequit.

121. Speciminis gratia hasce Abaelardi doctrinas citamus:

1° Patrem esse omnipotentem, Filium minus potentem, Spiritum Sanctum impotentem. — 2° Spiritum Sanctum quidem a Patre et Filio procedere, sed non esse e Patris et Filii substantia; eum esse animam mundi. — 3° Deum non posse facere nisi ea que fecit, facit, et aliquando facturus est. — 4° Christum non assumpsisse carnem ut homines a jugo diaboli liberaret, sed ut verbo et exemplo suo doceret. — 5° Non culpam, sed solam poenam peccati ab Adamo commissi ad ejus posteros propagari. — 6° Hominem posse libero arbitrio suo sine divina gratia bonum velle et operari. — 7° Nullum committi peccatum concupiscentia, delectatione, aut ignorantia. — S. Bernardus merito de ipso: *Cum dè Trinitate loquitur, sapit Arium; cum*

de gratia, Pelagium; aut de persona Christi, sapit Nestorium. Ita in epistola (192) ad Cardinalem Guidonem de Castello, qui postea fuit Pontifex Coelestinus II.[1])

122. Abaelardus igitur anno 1121 apud Radulphum archiepiscopum Rhemensem multiplicis erroris contra fidem accusatus est. Citatus ab hoc praesule ad *synodum Suessionensem* eo anno habitam, synodi sententia compulsus fuit, ut librum *de Trinitate* a se scriptum igni traderet, et ut professione publica symboli s. Athanasii se ab haeresi purgaret. — Subsequentibus annis varios libros scripsit et edidit, propter quos pariter a variis viris ecclesiasticis, inter quos eminebat s. Bernardus, errores in fide ei objecti fuerunt. Hinc ipse Abaelardus ab Henrico archiepiscopo Senonensi petiit impetravitque, ut sibi cum adversariis suis, nominatim cum s. Bernardo, publice congredi liceret. Ea de causa anno 1140 concilium apud *Senones* habitum est. S. Bernardus ad synodum invitatus, initio repugnavit participem esse hujus cum Abaelardo congressus, existimans, non debere quaestionem institui de erroribus antea damnatis; verumtamen ad synodum venit. Adfuerunt synodo archiepiscopus Senonensis, episcopi plures, Ludovicus VII rex Galliae cum proceribus, s. Bernardus aliique abbates magno numero, et Abaelardus. Primo s. Bernardus scripta Abaelardi in medium protulit et errorum ejus capitula designavit, ut is ea vel sua esse negaret, vel corrigeret aut ad objecta responderet. Abaelardus nihil eorum fecit; sed se synodo subducens ad Innocentium II Romanum Pontificem appellavit. Gaufridus monachus Claravallensis, olim discipulus Abaelardi, in *Vita s. Bernardi* ita scribit de hac synodo Senonensi: *Adfuit dies et ecclesia copiosa convenit, ubi a Dei famulo* (Bernardo videlicet) *Petri illius Abaelardi scripta in medium prolata sunt, et erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi,*

S. Bernardus contra Abaelardum.

---

[1]) Cfr. de erroribus Abaelardi s. Bernardi epistolam 190 ad Innocentium II, seu Tractatum de erroribus Abaelardi; Natal. Alex. H. eccl. in Saec. XI et XII, Dissert. VII. Art. V. VI; Hefele C. G. VII. §. 616.

aut respondendi, si posset, objiciendis atque objectandis sibi rationibus pariter et sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec valens resipiscere, nec valens resistere sapientiae et spiritui qui loquebatur, ut tempus redimeret, Sedem Apostolicam appellavit. Haec ipsa s. Bernardus fusius explicat in epistola 189ª ad Innocentium II.[1])

Abaelardus damnatus ab Innocentio II.

123. Synodus Senonensis a judicanda Abaelardi persona propter institutam ab eo ad Romanum Pontificem appellationem abstinuit; sed errores ejus condemnavit, et de omnibus Innocentium Papam epistola synodica certiorem reddidit, rogans eum, ut pro sui primatus officio eosdem errores damnaret, et confirmata synodi sententia novatorem hominem coërceret. Pontifex vero, re sedulo examinata, sententiam synodi Senonensis confirmavit et Abaelardum ejusque errores condemnavit. In epistola inscripta Henrico Senonensi, Samsoni Rhemensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis, et carissimo in Christo filio Bernardo Claraevallis abbati, inter alia scribit: *Dolemus autem, quoniam, sicut litterarum vestrarum inspectione et missis a vestra fraternitate nobis errorum capitulis cognovimus, in novissimis diebus, quando instant periculosa tempora, in Petri Abaelardi perniciosa doctrina, et praedictorum haereses, et alia perversa dogmata catholicae fidei obviantia pullulare coeperunt. Verum in hoc maxime consolamur et omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, et tempore apostolatus nostri in Ecclesia sua tam praeclaros voluit esse pastores, qui novi haeretici columniis studeant obviare, et immaculatam sponsam uni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque qui in beati Petri cathedra, cui a Domino est dictum: „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“, licet indigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum Episcoporum et Cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, et universa ipsius Petri perversa dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus,*

---

[1]) Cfr. Wouters, Dissert. Vol. IV. dissert. XXII.

eique tanquam haeretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus.[1])

124. Post synodum Senonensem Abaelardus iter arripuit, ut ad Sedem Apostolicam causam acturus se conferret. Quum vero transiens ad Cluniacum monasterium pervenisset, a Petro Venerabili humanissime exceptus est, quumque Petro suum consilium Romam proficiscendi aperuisset, ab eo laudatus quidem est, quod ad Sedem Apostolicam confugeret. Sed quum interim etiam abbas Cisterciensis Clunium venisset, viri isti insignes operam dederunt, ut Petrum Abaelardum cum s. Bernardo reconciliarent, ab itinere inutili eum retinerent, et adducerent ad errores omnes rejiciendos. Res prospere successit, Abaelardus pacem iniit cum s. Bernardo, atque etiam, quantum sufficiebat, errores correxit. **Abaelardi obitus.**

Venit interim, scribit Petrus Venerabilis ad Innocentium II, *dominus Cisterciensis abbas, et de pace ipsius et domini Claraevallensis, cujus causa appellaverat, nobiscum et cum ipso pariter egit. Dedimus et nos operam paci ejus: et ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, si qua catholicis auribus offendentia aut scripsisset aut dixisset, hortatu ejus et aliorum bonorum et sapientium et a verbis suis amoveret et a libris abraderet. Et ita factum est.*[2]) — Petiit dein Abaelardus, ut reliquos vitae suae dies in monasterio Cluniacensi degere posset; idque pro ipso ab Innocentio II obtinuit Petrus Venerabilis, cujus litteris et labore ille gratiae Sedis Apostolicae redditus est.

125. In illo monasterio pietatis, humilitatis aliarumque virtutum dein specimina dedit, et aliquanto tempore

---

[1]) Inter epp. s. Bernardi, ep. 194.

[2]) Epist. ad Innocentium II. Opp. Abaelardi, edit. Cousin, T. II. p. 708.

post valetudinis infirmae gratia Cabilonem missus est, ubi Cluniacenses cellam, seu parvum monasterium, habebant. Brevi post ibidem pie atque devote obiit. Fusius haec describuntur ab ipso Petro Venerabili in epistola ad Heloïsam. De Abaelardi morbo et obitu ait: *Ad solvendum commune mortalium debitum morbo correptus, eoque ingravescente in brevi ad extrema perductus est. Tunc vero quam sancte, quam devote, quam catholice, primo fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis ac vitae aeternae pignus, corpus scilicet redemptoris Domini acceperit, quam fideliter corpus suum et animam hic et in aeternum ipsi commendaverit, testes sunt religiosi fratres, et totus illius monasterii . . . conventus. Hoc magister Petrus fine dies suos consummavit, et qui singulari scientiae magisterio toti paene orbi terrarum notus et ubique famosus erat, in illius discipulatu qui dixit: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde", mitis et humilis perseverans, ad ipsum, ut dignum est credere, sic transivit.*[1]) Ejus corpus, petente Heloïsa monasterii Paracleti abbatissa, Petrus Venerabilis eo transmisit, atque in ecclesia illius monasterii sepultum fuit.

Gilbertus Porretanus. 126. Brevi post s. Bernardus aliud certamen satis acre sustinuit cum *Gilberto Porretano* Pictaviensi episcopo (1142—1154). Gilbertus hic integerrimae vitae vir, cum ab adolescentia usque ad senectutem multum in philosophia operae contrivisset, *consuetus*, ut dicit Otto Frisingensis, *ex ingenii subtilis magnitudine ac rationum acumine multa praeter communem hominum morem dicere,*[2]) in varios incidit subtiles errores. Erat ipse realista exaggeratus, et dum modum excederet, incidit in errores de Trinitate Roscelini Nominalistae erroribus similes. Dum enim censeret, quae notionibus distinguuntur, necessario etiam re distingui, opinatus est, essentiam divinam realiter distingui a Deo personisque divinis. Ac ne quaternitatem in Deo admit-

---

[1]) Epist. ad Heloïsam, Ibid. I. p. 710.
[2]) Gesta Friderici, L. I. c. 46.

teret, docuit, essentiam divinam per quam intelligebat collectionem omnium attributorum seu proprietatum Dei, non esse ipsum Deum, sed esse reipsa a Deo distinctam et ei conferre ut Deus sit. Iste fuit palmaris ejus error, cum quo alii errores cohaerebant. Simili ratione e. g. etiam censuit, proprietates personarum, uti paternitatem, realiter distingui ab ipsis personis.[1])

127. Gilberti asserta cleri dioecesani, praesertim Arnaldi et Cononis archidiaconorum, animos ita commoverunt, ut ab iis anno 1146 Gilbertus apud Eugenium III tunc Senonibus commorantem haereseos accusaretur. Eugenius III anno sequente Parisiis habuit ista de re concilium, in quo Gilbertus multis objectionibus pulsatus doctrinam suam tanta subtilitate et dicendi peritia defendit, ut plenior causae discussio differretur ad frequentius concilium Rhemense, quod anno 1148 habitum est. Ibi Gilbertus praesertim a s. Bernardo impugnatus, ac postremo erroris convictus est. Haud sine difficultate, quum simultas quaedam oriretur inter Cardinales et episcopos Galliae, causa ad finem perducta fuit. Eugenius III Gilberti doctrinam proscripsit, districte praecipiens, ne ejus librum legere vel transcribere quis auderet, nisi prius eum Romana Sedes correxisset. Hac de re Gaufridus in *Vita* s. Bernardi: *Interrogatus,* scribit, *episcopus Pictaviensis, capitulis singulis libere renuntiavit, haec eadem verba locutus: Si vos aliter creditis, et ego; si aliter dicitis, et ego; si aliter scribitis, et ego. Ibidem Dominus Papa auctoritate apostolica de assensu totius ecclesiae quae convenerat, capitula ipsa damnavit, districte praecipiens, ne eumdem librum legere vel transscribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi prius eum Romana ecclesia correxisset. Quumque responderet epis-*

Retractatio errorum.

---

[1]) Neque videtur hac ratione evitare potuisse, ut re revera tres deos statueret Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, qui informarentur forma illa divinitatis quae non sit Deus. Hanc formam tamen censerem eum habuisse ut numerice unam, nam reales excessivi admittebant, etiam in creatis ejusdem speciei entibus essentiam numerice unam.

copus: Corrigam ad arbitrium vestrum: Non vobis, ait Pontifex, haec correctio committetur. — Tandem Gilbertus, summi Pontificis sententia reverenter excepta, et archidiaconis qui ipsum accusarant in gratiam receptis, *cum honoris plenitudine* ad suam dioecesim reversus est.

Vindicatur s. Bernardus.

128. Quum s. Bernardus illis temporibus praecipuus fuerit errorum Petri Abaelardi et Gilberti Porretani adversarius, operae pretium est advertere, minus aequum in s. Doctorem fuisse Ottonem Frisingensem, dum illum ista de re aliquantisper carpit. Etenim revera maximae laudi est s. Bernardo, quod firmiter doctrinam fidei vindicaverit. Scribit Otto Frisingensis: *Erat enim praedictus abbas, tam ex christianae religionis fervore zelotypus, quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut et magistros qui humanis rationibus saeculari sapientia confisi nimium inhaerebant abhorreret, et si quidquam ei christianae fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet. Ex quo factum est, ut non multo ante hos dies ipso auctore, primo ab episcopis Galliae, post a Romano Pontifice, Petro Abaelardo silentium impositum fuerit.*[1]) Et de Gilberti Porretani causa loquens ait: *Utrum autem praedictus abbas Claraevallensis in hoc negotio ex humanae fragilitatis infirmitate tanquam homo deceptus fuerit, vel episcopus tanquam vir litteratissimus propositum astute celando Ecclesiae judicium evaserit, discutere vel judicare nostrum non est. Quod enim sancti et sapientes viri corruptibili carne circumdati frequenter in talibus fallantur, et novis et antiquis probatur testimoniis.*[2]) Sed haec minus aeque ab Ottone Frisingensi episcopo, quamvis et ipse Ordinis Cisterciensis esset et praesul dignissimus, scripta esse, ex dictis facile colligitur. Imo etiam Otto id agnoscere visus est, uti testatur Radevicus illius ecclesiae canonicus, qui historiam Friderici ab Ottone inceptam duobus libris continuavit. Hic enim

---

[1]) De gestis Friderici I. L. I. c. 47.

[2] Ibid. c. 57.

commemorans obitum Ottonis, qui in diem 11um Septembris anni 1158 incidit, scribit: *Dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, et de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter caetera quae sollicitus de salute sua praevidebat, etiam hunc codicem manibus suis afferri praecepit, eumque litteratis et religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Gilberti, ut patet in prioribus, dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque catholicae fidei assertorem juxta s. Romanae imo et universalis Ecclesiae regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione et humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis ss. Mysteriis, in medio multitudinis sanctorum tam episcoporum quam abbatum spiritum Deo reddidit.* [1]) — Atque hic finis esto Dissertationis nostrae.

[1]) L. IV. c. 11.

Dissertatio vigesima quarta.

De dissidiis inter Fridericum I Imperatorem et Romanos Pontifices.

Dissidia Friderici I.

1. Friderico Barbarossa Imperatore (a. 1152—1190), iterum lucta funestissima inter Imperium atque Ecclesiam exarsit, ita quidem ut dissidium illud diuturnum ejusque sequelae alteri parti saeculi duodecimi magna ex parte suam contulerint indolem peculiarem. Quamvis vero luctae hujus objectum generatim fuerit idem, quo etiam dissidium inter Henricum IV ac Gregorium VII ejusque successores excitatum est, Ecclesiae videlicet libertas et jura ab Imperatoribus spreta et concussa, differentia tamen quaedam venit notanda in ista Friderici cum Pontificibus discordia. Henrici IV enim mores perversi, tyrannis, avaritia et simoniae quaestus, multum contulerunt, ut dissidium cum Gregorio VII invalesceret; et quod spectabat ad habitum inter Imperium et Sacerdotium, imprimis de Investituris dimicatum fuit. Fridericus vero, quamvis animus elatus ac superbus et dominandi cupido ad multa mala eum abripuerint, perversorum tamen morum non arguitur, magnamque acquisivit gloriam, quod cum fortitudine, robore et virtute Imperium administraverit et auxerit. Sed eo magis ipsius lucta contra Ecclesiam eum assumpsit characterem, ut *de ipsis principiis generatim,* uti dici solet, seu de habitu inter Ecclesiam et Imperium dimicaretur.

2. Imperii videlicet notionem et ideam efformaverat sibi Fridericus ad mentem et normam antiquorum Imperatorum Romanorum, illudque ceu *monarchiam universalem* sibi immediate a solo Deo concessum arbitrabatur ea auctoritatis plenitudine absoluta, ut sua voluntas jus legis haberet. Ecclesiae quidem protectionem promptus erat suscipere, sed talem, qua in tutelam et subordinationem servilem ipsam dejiceret, atque etiam in Romanos Pontifices, episcopos, clerum universum rerumque ecclesiasticarum administrationem et dispositionem, sui arbitrii exerceret moderamen supremum. Quum igitur ejusmodi principiis inhaesisset Imperator, in iis magis magisque obfirmaretur, et eo quo praeditus erat animi vigore factis quoque et gestis illa principia prosequeretur, ut auctoritatem suam quaquaversus vindicaret et dilataret: fieri non potuit, quin brevi conflictus vehementior exardesceret inter ipsum et Romanos Pontifices, quibus maxime commissum est divinitus, ut Ecclesiae libertatem, jura et privilegia custodiant et defendant. Dissertationis ratio.

3. Nec dissimilis fuit illa lucta, quae eadem aetate de Ecclesiae libertate et juribus in Anglia exorta est inter Henricum II regem et s. Thomam Cantuarensem archiepiscopum. De hac controversia altera Dissertatione agemus. — Dissidia haec in se spectata eventus sunt summi momenti quoad Ecclesiae historiam; idque etiam nobis praestare convenit, ut accuratius examinemus varias accusationes, quibus Pontifices et praesules, qui ea aetate libertatem et auctoritatem Ecclesiae vindicarunt, a Protestantibus aliisque scriptoribus impetiti sunt. Praeterea vero advertendum est, controversiis illis et luctis accuratius determinata fuisse Ecclesiae jura, et relationes inter sacerdotium et regnum. Ita iisdem maxime praeparata fuit Innocentii III aetas, qua Ecclesiae et Sedis Apostolicae auctoritas et potestas efficacissima ratione se manifestavit, solemnius fuit asserta, atque ab orbe christiano cum veneratione agnita. — Agemus igitur in hac Dissertatione primum *de initiis dissidii* Friderici I cum Romanis Ponti-

ficibus, dein *de Friderici lucta contra Alexandrum III*, ac demum *de eventibus post pacem restitutam.*

Quoad quaestiones, quas prae manibus habemus, conferri possunt: Otto Frisingensis et Radovicus, *De gestis Friderici I* M. G. Scr. XX.; Muratori, *Antiquit. Italiae medii aevi tom. IV.*; Baronii *Annales cum Critica Pagii*; Pagii *Breviarium Vitae RR. Pontificum*; Watterich, *Rom. Pont. Vitae, tom. II.*; Palma, *Praelect. hist. eccl. tom. III. p. I. c. 12*; Wouters, *Dissert. vol. IV. Dissert. XXIII. XXV.*; Raumer, *Geschichte der Hohenstaufen*, Leipzig 1823; Cherrier, *Hist. de la lutte des papes et des empereurs de la maison de Souabe. Ed.* 2. Paris 1860; H. Reuter, *Alexander III, ed.* 2. Leipzig 1860; Hefele, *C. G., B. V.*; Meyer Moriz, *die Wahl Alex. III und Victors IV*, Göttingen 1872; Balan, *Storia d'Italia Vol. III. LL. XXIII. XXIV*; Hergenröther, *Kirche und Staat*, IV. n. 6 sqq.; *K. Gesch.* B. I. p. 778 sqq.; B. III. p. 253 sqq.

I.

De initiis dissidii.

Friderici electio.

4. Quum Conradus III Germaniae rex die 15° Februarii anni 1152 obiisset, principes Francofurtum convenientes elegerunt die 5° Martii in successorem ejus Fridericum Sueviae ducem, Conradi ex fratre nepotem, quem iste moriens commendaverat. Quinta postmodum die (9° Martii) unctione sacra pontificum in solio regni, more majorum Aquisgrani sublimatus est. — Pauca jam advertamus, quoad indolem Friderici I, cui, ob barbam rufam, Aenobarbi seu Barbarossae fuit cognomen. Juvabit citare ea, quae post electionem ejus scripsit ad Eugenium III Wibaldus Abbas Corbejensis, vir insignis, qui in negotiis ecclesiasticis et politicis disponendis, consilio et opera sua multum apud Germaniae reges valebat, simulque Romano Pontifici addictissimus erat. Relata electione Friderici: *Et quidem*, inquit, *cor regis in manu Dei est, et pro sub-*

jectorum meritis, quo placet, convertit illud. Hoc ideo dicimus, quod princeps noster, (nondum ut credimus annorum triginta), fuit antehac ingenio acer, consilio promptus, bello felix, rerum arduarum et gloriae appetens, injuriae omnino impatiens, affabilis ac liberalis et splendide disertus juxta idioma linguae suae.[1]) Inde ab initio Fridericus, quum dominandi admodum cupidus esset, quaedam agebat, quibus jura Ecclesiae laedebat. Concordati Wormatiensis statuta, videlicet in electione episcopi Magdeburgensis, parum curavit, atque volebat, ut antequam excommunicationis sententia in latrones et violatores bonorum ecclesiasticorum pronuntiaretur, causa deferretur ad tribunal civile. Qua de re Eugenius III Wibaldum, ut regem compesceret, monuit.

5. Amicae interim inter Fridericum et Pontificem litterae datae sunt, et anno 1153 die 23° Martii ad constituendam concordiam Sacerdotium inter et Imperium Constantiae ab Eugenii III et Friderici I legatis *conventio* inita et utrimque subscripta est. Convenit scilicet inter illos, ut Fridericus nullum cum Romanis vel cum Rogerio rege Siciliae pactum iniret sine consensu Pontificis, Romanos rebelles (Arnaldistas) ad obsequium Pontificis reduceret, et dignitatem pontificiam ac regalia Beati Petri protegeret atque defenderet: Pontifex autem Fridericum, quum Romam venisset, Imperatorem coronaret ejusque auctoritatem protegeret.[2]) **Conventio Constantiensis.**

6. Antequam Fridericus expeditionem in Italiam susciperet, Eugenius III die 7° Julii anni 1153 obiit. Ei in summo pontificatu, uti jam vidimus, successit *Anastasius IV*, quem anno sequenti die 2° Decembris defunctum excepit *Hadrianus IV* Anglus, antea dictus Nicolaus Breakspear, atque Cardinalis episcopus Albanensis. De ipsius electione et indole Boso Cardinalis coaevus scribit: *Transeunte autem modico temporis intervallo obiit Anastasius Papa, et in secunda die convenientibus in unum pro*

---

[1]) Epist. 344 ap. Watterich, II. 314.

[2]) V. Wouters l. c. — Conventio exstat ap. Watterich, II. 318.

eligendo sibi pastore cunctis Episcopis et Cardinalibus apud ecclesiam beati Petri, non sine divini dispositione consilii factum est, ut in ejus personam unanimiter concordarent, et Papam Adrianum a Deo electum tam clerici quam laici pariter conclamantes, eum invitum et renitentem in Sede beati Petri Deo auctore inthronizarunt. . . . Erat enim vir valde benignus, mitis et patiens, in anglica et latina lingua peritus, in sermone facundus, in eloquentia politus, in cantilena praecipuus et praedicator egregius, ad irascendum tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, in eleemosynis largus, et in omni morum compositione praeclarus.[1]) Suam in negotiis ecclesiasticis gerendis peritiam variis in muneribus sub praecedentibus Pontificibus Hadrianus jam ostenderat, atque vigorem animi ei fuisse insignem visum est ex iis, quae contra Romanos rebelles ab ipso gesta esse jam commemoravimus; nec minus id in difficultatibus quas cum Friderico habuit compertum est. Sed difficultates istas non ex aliqua Pontificis duritia vel superbia ortas, colliges ex illa characteris ejus descriptione, quam ex Bosone proposuimus.

Expeditio in Italiam. 7. Interim mense Octobri anni 1154 Fridericus Barbarossa copioso cum exercitu expeditionem in Italiam suscepit; Placentiae comitia habuit, et Ticini, imposita corona ferrea, die 17° Aprilis anni 1155 rex Italiae coronatus est. Itali inter sese divisi erant, dumque aliae civitates regem recipiebant, aliae libertati civili inhiantes, inter quas praecipua fuit Mediolanum, illum admittere recusarunt. Ex quibus Fridericus plures expugnavit et diro modo castigavit. Dein versus Romam profectus est, ut imperialem coronam adipisceretur. Hadrianus Papa, de Friderici consiliis incertus, ab urbe discesserat, atque initio mutuâ quadam diffidentia Imperator et Pontifex detineri visi sunt.[2]) Missis tamen utrimque legatis, et praestito ab

---

[1]) Watterich, II. 324.

[2]) Romae certe Friderici sensus dominio cuidam absoluto inhiantes jam noti erant. Colligitur id inter alia ex iis quae habet Joannes

Imperatore solito juramento de securitate Pontificis et Cardinalium ac de protectione eorum, Hadrianus bono animo cum Cardinalibus Sutrium Friderico obviam venit. Sed quum hic Pontifici in signum venerationis, uti moris erat, stratoris obsequium haud praestaret, Cardinales perterriti recesserunt, Pontifex vero de ritus consueti omissione conquestus, ad pacis osculum Imperatorem admittere declinavit. Fridericus se ad ejusmodi obsequium teneri negavit; sed quum collatione habita principes testarentur, antiquam esse hanc consuetudinem, illudque obsequium etiam a Lothario praestitum Innocentio II, alia die Fridericus *in conspectu exercitus officium stratoris cum jucunditate implevit, et strenguam fortiter tenuit: tunc vero Pontifex ad pacis osculum eumdem regem primo recepit.*[1]) Romani, in Pontifices jam ab aliquo tempore rebelles, ad Fridericum legatos miserant, qui ei, magno cum fastu et eloquentia arroganti, nomine Urbis obtulerunt, ut dato pondere quinque millium argenti librarum, a republica Romana Imperium Urbis et Orbis reciperet. Sed Fridericus cum contemptu eos dimisit; et postquam res cum Pontifice dispositae sunt, ab Hadriano die 18° Junii anni 1155 in Basilica s. Petri solemniter in Imperatorem coronatus est. Quum Romani ex improviso Friderici copias impeterent, magna cum clade rejecti sunt. Tibure dein Pontifex et Imperator solemniter festa ss. Apostolorum Petri et Pauli peregerunt, ac dein Fridericus in Germania cum exercitu suo reversus est.

Coronatio Friderici I.

8. Sed non multo post Pontificem inter et Imperatorem vehementior erupit discordia, cujus occasionem jam

---

Sarisberiensis ep. 59: „Scio, quid Teutonicus moliatur. Eram enim Romae praesidente beato Eugenio (III), quando, prima legatione missa in regni sui initio, tanti ausi impudentiam, tumor intolerabilis, lingua incauta detexit. Promittebat enim se totius orbis reformaturum imperium, Urbi subjiciendum Orbem, eventuque facili omnia subacturum, si ei ad hoc solius Romani Pontificis favor adesset. Id enim agebat, ut in quemcumque, demutatis inimicitiis, materialem gladium Imperator, in eumdem Romanus Pontifex spiritualem gladium exerceret."

[1]) Boso, in Vita Hadriani IV, ap. Watterich, II. 328.

describere convenit. Quum anno 1154 Rogerius rex Siciliae obiisset, ei successit Gulielmus filius, qui inconsulto Pontifice, cujus Sicilia erat feudum, regni coronam suscepit. Hadrianus ea de re ipsum monuit, utque jura sua vindicaret, in litteris haud regis, sed tantum domini Siciliae ei titulum dedit. Gulielmus dein hostili aggressu Romanam ditionem et ecclesiam vexavit, unde in excommunicationis incidit sententiam. Quum proceres plures in regem insurgerent et a Graecis quoque is premeretur, reconciliationem ab Hadriano obtinere studuit, sed resistentibus Cardinalibus negotiatio exoptato successu caruit, atque etiam Pontifex regi intulit arma. Praevaluit autem Gulielmus contra varios hostes, quumque Hadrianus ab ipso Beneventi obsideretur, necessitate coactus pacem et concordiam regi concessit. Ista in pace (mense Junio anni

Hadriani P. pax cum Siculis. 1156) Hadrianus Gulielmum, ab excommunicatione solutum, agnovit ut regem Siciliae et ducem Apuliae, iisque regnis eum investivit; Gulielmus homagium ligium ut vasallus Sedis Apostolicae tributumque annuum (sexcentorum aureorum pro Apulia et quingentorum pro Marsia) se praestiturum promisit. Pontifici jura, visitationis, missionis legatorum, et appellationum ad s. Sedem, solemniter firmata sunt, restrictione tamen aliqua facta quoad Siciliam. *Caetera quoque,* dicitur, *ibidem* (in Sicilia) *habebit Romana ecclesia quae habet in aliis partibus regni nostri, excepta appellatione et legatione, quae nisi ad petitionem nostram et haeredum nostrorum ibi non fient.*[1]) Libertas electionum concessa est, ita tamen ut consensus regis esset expetendus.

9. Hadrianus ad concordatum illud conficiendum angustiis temporum adductus fuit; Cardinales vero aliqui quamvis immerito, postea illud ei exprobrarunt, quod de Ecclesiae juribus aliquid cessisse videretur. Aegerrim

---

[1]) V. Concordatum ap. Watterich, II. 352. — Vidimus, Urbani I privilegium temporarium tantum fuisse, nec valde amplum. Attamen reges Siciliae ob privilegium illud semel concessum, jura peculiari quoad Siciliam appetere et stipulare solebant.

vero tulit Fridericus Barbarossa, quod Pontifex cum Gulielmo pacem iniisset; speraverat enim fore, ut occasione dissidii regis cum Pontifice efficere posset quod animo volvebat, videlicet ut Italiam meridionalem sibi subjiceret et Imperio jungeret. Eousque postea processit, ut Pontificem insimularet violatae Conventionis cum Eugenio conclusae. Sed plane immerito. In eadem Conventione enim statutum quidem erat, ne Imperator invito Pontifice foedus cum Siciliae rege iniret, Pontificis vero pacta cum illo (ipsius vasallo) nullatenus erant interdicta. Generatim tantummodo statuebatur: *Regem Pontifex Imperatorem coronabit, et ad manutenendum atque augendum ac dilatandum honorem regni pro debito officii sui juvabit.* — Erant praeterea inter aulicos, qui pravis suggestionibus Imperatoris superbum et dominandi cupidum animum stimulabant, et ejus in Ecclesiam et Pontificem reverentiam magis magisque exstinguebant. Inter quos primarii censendi sunt Rainaldus de Dassel cancellarius (a. 1156), et Otto comes palatinus.

Fridericus infensus.

10. Pontifex certior factus est de animo regis infenso ac de ejus consiliariis malignis; rumores quoque (falsi) sparsi sunt, quod Fridericus cum Graecis se jungeret, hique ei partem Italiae meridionalis cederent. Praeterea vero illis diebus in finibus Imperii accidit facinus, quod Fridericus, officium advocati Ecclesiae plane negligens, inultum dimisit. Eskyllus videlicet, Lundensis in Dania archiepiscopus et in illo regno legatus Apostolicus, Roma rediens *et per Burgundiam repatriando iter faciens a quibusdam captus fuit, rebusque omnibus denudatus lucri gratia in custodiam missus, dissimulante vel forte connivente Imperatore querimoniamque pro hac re parvipendente.*[1]) Ex hisce aliisque causis mutua inter Pontificem et Imperatorem concordia et amicitia jam magis magisque periclitabantur.

[1]) V. Otto Sanblasianus ap. Watterich, II. 360 nota 1; et Alexandri III ep. ad Arnulfum Lexoviensem, Watterich, II. 490.

caetera dictum fuisse acceperant, dignitatis et honoris plenitudinem sibi a Romano Pontifice collatam et insigne imperialis coronae de manu ejus Imperatorem suscepisse, nec ipsum poenitere si majora „beneficia“ de manu ejus suscepisset, habita consideratione, quanta Ecclesiae Romanae per ipsum possent incrementa et commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem ac praefatae interpretationis fidem auditores induxerat, quod a nonnullis Romanorum temere affirmari noverant, imperium urbis et regnum Italicum donatione Pontificum reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed et scriptis atque picturis repraesentare et ad posteros transmittere. Unde de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit Papae, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisque superscriptio principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles Imperii delata cum vehementer displicuisset, amica prius invectione praecedente, laudamentum a Papa Adriano accepisse memoratur, ut et scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi et discordandi praebere posset materiam.[1])

Rolandus Card.

13. Imperatoris et procerum ira et indignatio etiam aucta est, quum Rolandus Card. Cancellarius, nativae significationi vocis „beneficii“ insistens, et mirans quod tantum tumultum excitaret epistola, (cujus forte ipse erat praecipuus auctor), subderet: *A quo ergo habet, si a Domino Papa non habet, imperium?* Hisce auditis, Otto Palatinus, exerto gladio cervici legati mortem intentavit. Fridericus tunc quidem tumultum compescuit; sed legatos satis ignominiose dimisit et recta via Romam jussit redire.

---

[1]) V. Watterich, II. 360. — Jam advertimus, hominium in illa inscriptione commemoratum referri ad juramentum hominii, quod Lotharius praestitit pro concessis in feudum possessionibus Mathildis, non vero ad collationem coronae imperialis.

utique ac veremur, ne forte in hanc dissimulationem et negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione perversi hominis zizania seminantis, adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam et nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis et rancorem.[1]) Commendat deinde legatos ob hoc aliaque negotia ad ipsum missos.

12. Hanc epistolam legati Pontificis Vesuntione Friderico in procerum consessu tradiderunt, eamque vertit et interpretatus est Rainaldus cancellarius, qui maxime Imperatoris animum in Sedem Apostolicam infensum reddebat. Homo igitur callidus et nequam, maligne vocem *beneficia* in sermonem vernaculum vertit, ita ut *feuda* (Lehen) significaret, atque litteras Hadriani explicavit, ac si Pontifex assereret, se *Imperium ut feudum Friderico contulisse,* et si posset etiam majora feuda ipsi conferre esse paratum. Etiam voces *contulerit* et *conferens* vertit, ac si *concesserit* et *concedens* Pontifex scripsisset. Imperator, uti jam diximus, superba mente, immediate a Deo sibi Imperium absoluta quadam plenitudine convenire, praetendebat. Praeterea vero jam ejus animum ea affecerat suspicio, RR. Pontifices Imperium ut feudum Sedis Apostolicae, atque Imperatores ut vasallos habere. *Talibus litteris lectis,* scribit Radevicus, *et per Reinaldum cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis,*[2]) *magna principes qui aderant indignatione commoti sunt, quia tota litterarum continentia non parum acedinis habere et occasionem futuri mali jamjam fronte sua praeferre videbatur. Praecipue tamen universos accenderat, quod in praemissis litteris inter* **Imperatoris indignatio.**

---

[1]) Watterich, II. 357.

[2]) Fidam non fuisse interpretationem Reinaldi haud dubium est. Ipsi episcopi Germaniae in epistola brevi post ad Hadrianum data scribunt: „Omnes ita continuerunt aures suas, quod nos, salva gratia vestrae sanctissimae paternitatis, ea tueri *propter sinistram ambiguitatis interpretationem* vel consensu aliquo approbare nec audemus nec possumus, eo quod insolita et inaudita fuerunt usque ad haec tempora.“ V. Watterich, II. 363.

caetera dictum fuisse acceperant, dignitatis et honoris plenitudinem sibi a Romano Pontifice collatam et insigne imperialis coronae de manu ejus Imperatorem suscepisse, nec ipsum poenitere si majora „beneficia" de manu ejus suscepisset, habita consideratione, quanta Ecclesiae Romanae per ipsum possent incrementa et commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem ac praefatae interpretationis fidem auditores induxerat, quod a nonnullis Romanorum temere affirmari noverant, imperium urbis et regnum Italicum donatione Pontificum reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed et scriptis atque picturis repraesentare et ad posteros transmittere. Unde de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit Papae, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisque superscriptio principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles Imperii delata cum vehementer displicuisset, amica prius invectione praecedente, laudamentum a Papa Adriano accepisse memoratur, ut et scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi et discordandi praebere posset materiam.[1])

Rolandus Card.

13. Imperatoris et procerum ira et indignatio etiam aucta est, quum Rolandus Card. Cancellarius, nativae significationi vocis „beneficii" insistens, et mirans quod tantum tumultum excitaret epistola, (cujus forte ipse erat praecipuus auctor), subderet: *A quo ergo habet, si a Domino Papa non habet, imperium?* Hisce auditis, Otto Palatinus, exerto gladio cervici legati mortem intentavit. Fridericus tunc quidem tumultum compescuit; sed legatos satis ignominiose dimisit et recta via Romam jussit redire.

---

[1]) V. Watterich, II. 360. — Jam advertimus, hominium in illa inscriptione commemoratum referri ad juramentum hominii, quod Lotharius praestitit pro concessis in feudum possessionibus Mathildis, non vero ad collationem coronae imperialis.

Quum ipsi Romam quae acciderant retulissent, quidam ex clero parti imperiali addicti imprudentiae et imperitiae eos arguerunt, major tamen pars cum Pontifice Hadriano eorum causam tuita est. Atque Hadrianus imprimis ad Germaniae praesules litteras dedit, quibus re ipsis exposita eorum postulavit interventum, ut Pontificis honorem defenderent, ad meliores sensus reducerent Imperatorem, et satisfactionem a Rainaldo praestandam obtinerent.[1]) Sed segniores eos invenit; nuntiarunt Pontifici, se ejus litteras Friderico communicasse, responsumque ipsius Hadriano referunt. Caeterum potius anteriores Hadriani ad Fridericum litteras et concordiam cum Siciliae rege factam ut dissidii occasionem arguunt, et Pontificem rogant, ut *parcat ipsorum infirmitati* et indignationem Imperatoris nova epistola lenire studeat.

14. Fridericus vero acerbissimis litteris in universo regni sui ambitu quae acciderant nuntiavit, invehens in Pontificis legatos ut viros nequisissimos, qui venerint ut spoliarent Germaniae ecclesias, et conquerens, Imperii honorem et gloriam a Pontifice impeti. Ex litteris Friderici (a Rainaldo sane confectis) colligitur ejus sententia de Imperii origine. *Cumque per electionem principum,* inquit, *a solo Deo regnum et imperium nostrum sit, qui in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit, cumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit: „Deum timete, regem honorificate", quicumque nos imperialem coronam pro „beneficio" a domino Papa suscepisse dixerit, divinae institutioni et doctrinae Petri contrarius est, et mendacii reus erit.* In responso autem ad Germaniae praesules Imperator dicebat: *Debitam patri nostro* (Pontifici) *reverentiam' libenter exhibemus, liberam Imperii nostri coronam divino tantum beneficio adscribimus, electionis primam vocem Moguntino archiepiscopo, deinde quod superest caeteris secundum ordinem principibus recognoscimus, regalem unctionem Coloniensi, supremam vero* **Friderici litterae.**

[1]) V. Watterich, II. 362.

quae imperialis est, summo Pontifici; quidquid praeter haec est, de abundanti est, a malo est. . . . Illis abusionibus, quibus omnes ecclesiae regni nostri gravatae et attenuatae sunt et omnes paene claustrales disciplinae emortuae et sepultae, obviare intendimus. In capite orbis Deus per imperium exaltavit ecclesiam, in capite orbis ecclesia, (non per Deum, ut credimus,) nunc demolitur imperium. A pictura coepit, ad scripturam pictura processit, scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus, coronam ante ponemus, quam imperii coronam una nobiscum sic deponi consentiamus.[1])

Hadriani ad Fridericum epistola.

15. Quum Hadrianus de Friderici mente certior factus esset, prudenti moderatione usus, explicatione vocum quae discordiae praecipuam praebuerant occasionem, pacem restituere studuit. Itaque anno 1158 Henricum et Hyacinthum Cardinales ad Fridericum misit cum epistola, in qua cum dignitate apostolica ac libere quidem Imperatoris agendi rationem arguit, nec juris principiis quoad Imperii collationem aliquid derogat: simul tamen voces quae Friderici indignationem excitaverant apte explicat. *Occasione,* inquit Pontifex, *cujusdam verbi quod est „beneficium", tuus animus, sicut dicitur, est commotus; quod utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex „bono" et „facto" est editum: et dicitur beneficium apud nos non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in universo sacrae Scripturae corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione et bono facto ipsius, gubernari dicimur et nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene et honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum*

[1]) Watterich, II. 364.

valeat ab omnibus judicari. Unde quod quidam verbum hoc, et illud, scilicet „contulimus“ tibi insigne imperialis coronae, a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere, non ex merito causae, sed de voluntate propria et illorum suggestione qui pacem regni et Ecclesiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum „contulimus“ nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, „imposuimus“.[1]) Vides, hac in epistola Hadrianum prudenti oeconomia Imperatoris principia praepostera non tangere, sed tantum falsam interpretationem verborum illorum rejicere.[2])

16. Quum Fridericus hisce acquiesceret, dissidia interim sopita sunt. Sed concordiam firmam inter Imperium et Sacerdotium servari, impossibile erat ob illa de Imperio principia, quae identidem Imperator jam protulerat, atque magis magisque executioni mandare conabatur. Jam vidimus, eum existimasse, sicut regnum Teutonicum, ita et Imperium ei immediate a Deo, praevia tantum electione principum, esse collatum. Coronationem imperialem per Romanum Pontificem perinde habebat, ut unctionem qua ex usu ab archiepiscopo Coloniensi in regem Germaniae consecrabatur; videlicet ut ritum honoris debiti potius quam necessitatis. Pugnabant haec sane cum institutione et restauratione Imperii occidentalis et sacri per Leonem III. Dignitas et potestas imperialis, et Imperatoris praeeminentia prae caeteris principibus christianis, revera a Romano Pontifice conferebatur, ac sine ejus interventu, confirmatione et consecratione, nullatenus Imperii jura sibi consta- **Unde discordiae pericula.**

---

[1]) V. Watterich. II. 366.

[2]) Exstant quaedam epistolae Friderici ad Hillinum Trevirensem archiepiscopum, Hillini ad Fridericum, et Hadriani IV ad Hillinum et reliquos Germaniae praesules, ex quibus aliquot auctores collegerunt, jam eo tempore Fridericum ecclesiam Germaniae nationalem et schismaticam voluisse constituere. Sed argumentis solidis probatur, illas epistolas esse supposititias. Probabile est, eas nihil aliud esse nisi exercitia quaedam litteraria in aliquo monasterio medii aevi composita, quae postea inventa, ab aliquot viris habita fuere ut documenta genuina. Cfr. Hefele C. Gesch. V. pp. 487 sqq.

bant. Accuratius haec de collatione Imperii principia ab Innocentio III videbimus evoluta.

Comitia Roncaliis habita.

17. Venit Fridericus Barbarossa eodem anno 1158 mense Julio in Italiam, ut rebelles civitates in ordinem redigeret. Mediolanensibus mense Septembri ad deditionem compulsis, Imperator die 11° Novembris in campis *Roncaliis* celeberrima illa celebravit *comitia,* quibus jura Imperii et majestatis ipsius statuta ac proclamata sunt. Jurisconsulti Bononienses hanc juris publici regulam constituerunt: Imperatori competere summam ac absolutam auctoritatem veterum Imperatorum Romanorum, ipsius voluntate leges constitui ac mutari, illum esse dominum Urbis et Orbis, et ad eum cuncta regalia pertinere. Ipse episcopus Mediolanensis in allocutione ad Imperatorem: *Scias itaque,* inquit, *omne jus populi in condendis legibus tibi concessum; tua voluntas jus est, sicut dicitur: „Quod principi placuit, legis habet vigorem, quum populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem concesserit." Quodcumque enim Imperator per epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel edicto praeceperit, legem esse constat.*[1]) Secundum ejusmodi principia et juris regulas Fridericus libertates et jura civitatum sustulit et suppressit; manus pariter intulit in jura ac privilegia abbatum, episcoporum atque ipsius Romani Pontificis, et hujus possessiones tributis gravavit. Terras Mathildis comitissae, quamvis a Lothario solemniter ut feuda Sedis Apostolicae agnita, Fridericus contulit sua auctoritate Welfio duci ut feudum, et etiam inde tributa colligi jussit. Potestatem etiam summam civilem in urbem Romam sibi competere contendit. Cum enim Hadrianus postulasset, ne Imperator ad Urbem legatos ut magistratus mitteret, cum omnis magistratus inibi B. Petri sit cum universis regalibus, Fridericus respondit: *Haec res, fateor, magna est et gravis, graviorique et maturiori egens consilio. Nam quum divina ordinatione ego Romanus Imperator et dicar et sim, speciem tantum dominationis*

[1]) Radevic. II. c. 4.

effingo, et inane utique porto nomen ac sine re, si urbis Romae de manu nostra potestas fuerit excussa.[1])

18. Contra statuta concordati Wormatiensis Fridericus, dum in Italia degebat, Rainaldum cancellarium suum nominavit archiepiscopum Coloniensem; Guidonem Blandratam subdiaconum ecclesiae Romanae designavit in archiepiscopum Ravennatensem, quum is tamen sine permissione Pontificis ad aliam ecclesiam transire non posset. Permissionem Hadrianus recusavit. Quum porro multis modis Imperator Pontificem vexaret, ille tamen offensionis Hadrianum arguebat. Eo processit, ut immutata consueta litterarum forma, nomen suum praeponi nomini Pontificis juberet, utque, dum de se loquens plurali utebatur majestatis forma, singulari persona alloqueretur Pontificem. Ita superioritatem dignitatis et potestatis imperialis super pontificiam superba affectatione monstrabat. **Jura Pontificis violata.**

19. Mense Aprili a. 1158, quum Imperator in territorio Bononiensi degeret, Hadrianus ad eum plures Cardinales misit, qui de jurium violatione cum Imperatore agerent. Fridericus autem postulatis Pontificis obsequi denegavit, et, quamvis immerito, de violata conventione Constantiae cum Eugenio III facta, ac de aliis quibusdam capitibus conquestus est.[2]) Ita igitur rupta negotiatione, dissidia perstiterunt. Hadrianus IV tunc epistola die 24° Junii data cum paterna dignitate Imperatorem monuit. Inter alia: *Quapropter*, scribit, *dilecte mi in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quod beato Petro et sanctae Romanae ecclesiae illi commissae non quantum deberes reverentiam exhibere videris. In litteris enim ad nos missis nomen tuum nostro praeponis; in quo insolentiae, ne dicam arrogantiae, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro et nobis a te promissa et jurata,* **Dissidium auctum.**

---

[1]) V. Epist. Eberhardi ep. Bamberg. ad Eberhardum Saltzburg. ap. Radevic. II. 30. — Watterich, II. 369.

[2]) Cfr. epist. cit. Eberhardi Bamb. et epist. Friderici ad Eberh. Saltzburgensem ap. Watterich, II. 371.

quomodo eam observes, qui ab his qui Dei sunt et filii excelsi omnes, episcopis scilicet, hominium requiris, fidelitatem exigis, manus eorum consecratas manibus tuis innectis, et manifeste factus nobis contrarius, Cardinalibus a latere nostro directis non solum ecclesias, sed etiam civitates regni tui claudis? Resipisce igitur, resipisce, tibi consulimus, quia dum a nobis consecrationem et coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas, tuae nobilitati timemus.[1] Modo acerbo et injurioso Fridericus Hadriano respondit epistola, quae dictata videtur a Rainaldo, qui aegerrime ferebat, quod Pontifex ipsius nominationem in praesulem Coloniensem confirmare nollet. Inter alia scribit: *Nusquam enim ante tempora Constantini Silvester regale aliquid habuisse dignoscitur, sed ejus pietatis concessione pax reddita est ecclesiae, libertas restituta, et quidquid hodie Papatus vester regale habere dignoscitur, largitione principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici scribimus, jure et antique nomen nostrum vestro praeponimus. . . . Aut igitur episcopi regalia nobis dimittant, aut si haec sibi utilia judicaverint, quae Dei Deo, et quae Caesaris sunt, Caesari reddant* (scilicet hominium). *Cardinalibus utique vestris clausae sunt ecclesiae, ut non pateant civitates, quia non videmus praedicatores, sed praedatores, non pacis administratores, sed raptores, non orbis corroboratores, sed pecuniae ultra modum insatiabiles corrosores. . . . Non enim possumus non respondere auditis, cum superbiae detestabilem bestiam usque ad sedem beati Petri jam reptasse videamus. Paci ecclesiasticae bene providentes, semper valeatis.*[2]) Hadrianus cum audisset Imperatorem iter Romam versus parasse, cum Cardinalibus secessit Anagniam atque ex voto ferventiorum Cardinalium consilium iniit excommunicandi Fridericum. Sed antequam illud consilium exequeretur, die 1° Septembris a. 1159, ex hac vita migravit ad Deum. Pontifex fuit sane dignissimus, qui prudentia quidem et moderatione conflictum inter Imperium et Sacerdotium studuit evitare, at simul,

Hadriani mors.

---

[1]) V. Watterich, II. 373.
[2]) Ibidem.

uti animo principia vera de praeeminentia Ecclesiae super Imperium ac de juribus illius perspecta habebat, ita etiam factis tranquilla cum dignitate illa principia tuitus est.

II.

De lucta Friderici I Imperatoris contra Alexandrum III R. P.

20. Jam sub pontificatu Hadriani aliqui ex Cardinalibus et ex clero factioni Imperatori addictae se junxerant, dum maxima pars cleri et Cardinalium magno cum fervore Ecclesiae jura tueretur. Mortuo Pontifice discordia invaluit. De loco sepulturae Pontificis contentio non parva exorta est,[1]) cujus occasio non plane patet. Quum electio novi Pontificis fieret, ubi defunctus sepeliebatur, probabile est, Cardinales fervidos pro Ecclesiae bono, desiderasse, ut Anagniae Hadrianus sepeliretur, ibique summa cum libertate ac tranquillitate electio novi Pontificis fieret. Cardinales vero aliquot imperiales institisse, ut Romae sepultura fieret, quum ibidem factionis suae ipsi haberent multos asseclas, ac facilius in electione Pontificis se praevalituros esse sperarent. Revera corpus Hadriani IV Romam delatum, ac solemniter sepulturae mandatum fuit. Cardinalium discordia.

21. Quae vero dein acciderint, et qua ratione schisma tristissimum ambitione et perfidia quorumdam exortum sit, hisce explanat Alexander III Pontifex, cui ut fides habeatur, tum viri praestantia, dignitas, virtus eximia, tum aliorum documentorum accurata collatio et consideratio, omnino persuadent. Scribit igitur Alexander III in epistola, qua Syrum archiepiscopum Januensem ejusque suffraganeos de sua electione certiores reddit:[2]) „Porro quum antecessor noster bonae memoriae Adrianus Papa Kalendis

---

[1]) Cf. Epistola Cardinal. schismat. Victoris IV ad universos fideles. Watterich, II. 461.

[2]) Similes epistolas Alexander III ad plures alios praesules insignes dedit.

Electio Alexandri III.

Septembris, quum esset Anagniae, debitum naturae solvisset, et de terris ad coelum, de imis migrasset vocante Domino ad superna, eo Romam deducto et pridie Nonas Septembris in ecclesia beati Petri, praesentibus fere omnibus fratribus, satis honorifice sicut moris est tumulato, coeperunt fratres et nos cum eis secundum Ecclesiae consuetudinem de substituendo Pontifice in eadem ecclesia studiosius cogitare; et tribus diebus inter se de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic oneri et tantae dignitatis fastigio minime congruentem, omnes fratres quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octaviano scilicet, Joanne de Sancto Martino et Guidone Cremense, — Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram sicut est loquimur veritatem, — concorditer atque unanimiter convenerunt, et nos, assentiente clero et populo, in Romanum Pontificem elegerunt (die 7° Sept.). Duo vero, videlicet Johannes et Guido Cremensis, quos praenotavimus, tertium Octavianum in tantam audaciam vesaniamque praeruperunt, quod mantum, quo nos renitentes et reluctantes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiae prior diaconorum induerat, tanquam arreptivum a collo nostro propriis manibus violenter excussit et secum inter tumultuosos strepitus vel fremitus asportavit. Caeterum quum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu divino succensus mantum ipsum de manu eripuit saevientis. Ipse vero ad quemdam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat et paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans et concrepans: „ut mantum, quem secum portaverat festinanter afferret.“ Quo utique sine mora delato, idem Octavianus, abstracto pileo et capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem capellani et cujusdam alterius clerici sui ambitiosius assumpsit, et ipse idem, qui non erat aliquis in hoc opere, capellano et clerico exstitit coadjutor. Verum ex divino judicio credimus contigisse, quod ea pars manti, quae tegere anteriora debuerat, multis videntibus et ridentibus posteriora tegebat, et sicuti

tortae mentis erat et intentionis obliquae, ita ex transverso et obliquo mantum fuit in testimonium suae damnationis indutum. Quo facto portae ecclesiae, quae firmatae erant, reserantur et armorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniae largitione conduxerat, cucurrerunt, et pestis illa mortifera, quia cardinales et episcopos non habebat, armatorum caterva militum vallabatur. . . . Fratres vero tam immensum facinus et inauditum ex insperato videntes et formidantes, ne a conductitiis militibus truncarentur, sese in munitione ecclesiae nobiscum pariter receperunt, ibique novem diebus continuis, ne inde exiremus, fecit nos (Octavianus) quorumdam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sane populo incessanter et jugiter acclamante et in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, fuimus de custodia illius munitionis erepti, sed in arctiori et tutiori loco trans Tyberim nos iidem senatores, recepta inde pecunia, posuerunt. Quumque moram ibi fecerimus, universo populo tantam proditionem atque malitiam de caetero nullatenus sustinente, senatores cum nobilibus et populo venientes nos et fratres nostros per urbem magnifice et honorifice cum immensis laudibus et praeconiis, campanis etiam in transitu nostro ubique pulsantibus, conduxerunt. Et sic tandem a violentia persecutionis erepti, et nostrae redditi libertati, sequenti die dominico, venerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinensi, Hubaldo Ostiensi, Bernardo Portuensi, Gualterio Albanensi, Johanne Signino et Berardo Terracinensi episcopis, cardinalibus quoque et abbatibus, prioribus judicibus, advocatis, scriniariis, primicerio et scholae cantoribus, nobilibus etiam et quadam parte de populo Urbis apud Nympham, non longe ab Urbe, in simul congregatis, munus consecrationis accepimus, et sicut in Romana ecclesia consuetudinis est, ibidem (20. Sept.) Pontificali regno magnifice fuimus ac solemniter coronati."[1]

Victor IV antipapa.

---

[1]) V. Watterich, II. 455.

22. Octaviano et asseclis ejus Alexander III octo dierum dedit inducias, ut ad Ecclesiam redirent; quibus elapsis Terracinae excommunicationis sententiam in eos pronuntiavit. Antipapam maxima Romanorum pars detestabatur, et aegre invenit episcopos qui eum consecrarent. Tandem die 4° Octobris in monasterio Farfensi (quantum videtur) ab Ymaro episcopo Cardinali Tusculano, qui Octaviani partes secutus erat, assistentibus Ubaldo episcopo Ferentino (Octaviani a pueris amico), et Richardo episcopo Melfitano, consecratus est, seseque *Victorem IV* appellavit. — Ambo dein, Alexander III legitimus Pontifex et Victor IV antipapa, electionem suam orbi catholico significaverunt, atque etiam utriusque Cardinales litteras de electione miserunt; Victoris IV Cardinales ad universos episcopos et fideles, Alexandri III Cardinales ad Fridericum Imperatorem. Illas (partis Victoris IV) litteras signarunt unus Cardinalis episcopus (Ymar), duo Cardinales presbyteri (Guido et Joannes), ac duo Cardinales diaconi (Raimundus et Syrus).

Relatio factionis Octaviani. 23. Modo convenit paucis etiam ea tangere, quae de electione Octavianus ejusque factio asseruere, ne videamur illa neglexisse, quae forte contra legitimam Alexandri electionem objici possent. Victor IV ipse igitur in brevi ad Fridericum Imperatorem epistola de discordia in electione orta penitus tacet, et contendit, se consensu Cardinalium, cleri et populi canonice electum esse, ac post duodecim dies Rolandum esse intrusum. Haud necessarium est his immorari; refutantur enim relatione ipsorum Victoris IV asseclarum.

24. Cardinales Victoris IV in sua epistola encyclica enarrant imprimis, discordiam inter Cardinales adhuc vivente Hadriano IV jam exortam esse, eo quod aliqui regis Siculi partes amplecterentur, conventionem cum ipso ab Hadriano initam comprobarent, Imperatorem autem excommunicari vellent; alii vero, (videlicet ipsi), foedus cum Siculo reprobarent, et majestatem bonumque Imperii tuerentur. Illos Cardinales etiam se juramento adstrinxisse, ne alicui in Pontificem electo *in quem Siculi secta*

non consentiret, in consecratione manus imponerent. Quae in hisce exaggerationi et fallaciae malignae adscribenda sint, ex iis quae superius narravimus facile colligitur. — Scribunt porro: „Romam corpore (Hadriani) deportato, prius in verbo veritatis tale pactum unanimiter fecimus, quale nunc sequitur: „In nomine Domini. Amen. Convenerunt episcopi, presbyteri, diaconi, cardinales sanctae Romanae ecclesiae et promiserunt sibi invicem in verbo veritatis, quod de electione futuri Pontificis tractabunt secundum consuetudinem istius ecclesiae, scilicet quod segregentur aliquae personae de eisdem fratribus, qui audiant voluntatem singulorum et diligenter inquirant et fideliter describant, et si Deus dederit, quod concorditer possimus convenire, bene; sin autem, nullus procedat sine communi consensu, et hoc observetur sine fraude et malo ingenio.“ ... Cum propter conspirationem adversae partis electio lente procederet, tertia die fere transacta ad hoc tandem deventum est, quod XIV cardinales ex adverso, qui sacramento constricti tenebantur, Rolandum cancellarium nominaverunt. Nos autem IX numero, qui nefandi juramenti exortes eramus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum, presbyterum cardinalem, virum utique honestum et religiosum ad regimen Apostolicae Sedis et ad concordiae et pacis unitatem inter ecclesiam et imperium reformandam et conservandam dignum et utilem esse cognoscentes, eligimus. Dum res taliter ageretur, et partem contrariam pactum, quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitus transgredi volentem sentiremus, pactum supradictum illis ad memoriam reducentes auctoritate Dei omnipotentis et omnium sanctorum atque nostra eis penitus interdiximus, ne absque communi consensu omnium, sicut in pactione continetur, ullatenus aliquem immantarent, et Rolandum cancellarium eadem auctoritate, ne susciperet, nihilominus prohibuimus. Qui dum verba et ammonitiones nostras vilipenderent, et Rolandum cancellarium manto festinarent induere, nondum tamen illo induto, nos illorum malitiae potius contraire, quam consentire volentes, et quod male conabantur minime permittentes, ad petitionem po-

puli Romani, electione universi cleri, assensu etiam totius fere senatus et omnium capitaneorum, baronum, nobilium, tam infra Urbem quam extra Urbem habitantium, nostrum electum manto induimus et intronizatum in sede beati Petri collocavimus." [1])

Discutitur relatio. 25. Hac in relatione imprimis illud differt a narratione Alexandri III et partis ipsius, quod asseritur *de conventione inita* inter Cardinales, nonnisi unanimi consensu Pontificem electum iri. Id ita manifeste interpretabantur Cardinales Victoris, ac si ad legitimam electionem requisitum fuisset, ut nemo se opponeret omnesque concordarent in candidatum propositum. Censet Reuter, ea ratione revera conventionem factam fuisse; sed quum ejusmodi conventio in illa animorum contentione servari non posset, et Cardinales imperiales nonnisi suum candidatum, Octavianum, vellent, partem adversam seposita conventione Rolandum creasse Pontificem. [2]) Sed cl. Hefele solidis argumentis ostendit, supponi non posse, conventionem aliquam factam esse eo sensu, quod nullus posset eligi in quem non omnes consentirent; Cardinales schismaticos fallaci modo rem exponere. Nec Victor IV, nec concilium schismaticum Paviae habitum, ejusmodi conventionis meminit, ex qua tamen argumentum insigne in favorem Octaviani deducere potuissent. Nec supponi potest, majorem partem Cardinalium, videlicet eos qui Alexandrum elegerunt, antea ejusmodi conventionem iniisse, nullum fore Pontificem, nisi ei omnes quoque Cardinales oppositi suffragium dedissent. Ejusmodi pactum per se erat ineptum, modo anteriori electionum oppositum et plane illicitum, quum pars major et sanior non posset ita restringere libertatem suam ac juri suo plane renuntiare. Cardinales porro schismatici in iis quae narrant, contradictione quadam sese involvunt. Asserunt videlicet, factiones adversas jam ante electionem formatas exstitisse, Alexandrinos

---

[1]) V. Watterich, II. 461.
[2]) Alexander III, B. I. c. 1.

se obstrinxisse juramento, neminem eligendi nisi qui Siculo placeret, et simul iniisse praedictam conventionem. Haec sane parum cohaerent. — Supponendum igitur est, rem aliter se habuisse; convenisse videlicet Cardinales, ut, si quis in secreto scrutinio omnia suffragia non obtineret, tamen concordiam servarent, et negotiatione pacifica tenderent ad talem negotii conclusionem, quae omnibus esset accepta. Id vero reapse Cardinales Alexandrini exsequi studuerunt, ac propterea per tres dies continuos de electione tractaverunt. Sed quando intellexerunt, adversarios nunquam ipsis consensuros esse, neminemque velle eos nisi Octavianum,[1]) periculum autem esse in mora ulteriori, merito electionem Rolandi perfecerunt.[2])

Quot Cardinales utriusque partis.

26. Quod vero attinet ad diversam narrationem quoad *numerum* Cardinalium, qui Alexandrum III, vel Victorem IV antipapam, elegerunt, verax habenda est relatio ipsius Alexandri, rerumque confusione et fallaci expositione abutuntur Victoriani. Videlicet illi, qui actu creaverunt Pontificem Octavianum seseque aperte opposuerunt electioni Rolandi, fuerunt tres, Octavianus, Guido et Johannes Cardinales. Sed refert Gerhoh abbas Reichenspergensis, quum de electione tractaretur, majorem partem Cardinalium voluisse Rolandum, aliquos Octavianum, et quosdam Bernardum Portuensem Cardinalem. Ex hisce ultimis procedente negotiatione aliquos accessisse Rolando, quosdam vero apparuisse viros dubios, quum utrique, videlicet Rolando et Octaviano, devotionis signa darent. Computatis etiam his dubiis, septem Cardinales favisse Octaviano, sed post nova colloquia tantum tres remansisse.[3]) Quum ex hisce igitur appareat, aliquos Cardinales haesisse ancipites, quumque unus alterve forte passive se habuerit in tumultu exorto, ac tres, quantum videtur, postea se Octaviano

---

[1]) Hujus electionem absoluto modo fuisse intentam, vel ex eo colligitur, quod Octaviani capellanus *mantum* pontificium speciale in promptu haberet, quo Octavianus, quidquid accideret, indui posset

[2]) V Hefele, C. G., V. §. 621.

[3]) De investig. Antichristi, ap. Tengnagel, Vetera monum. p. 415.

junxerint, inde ausam potuerunt invenire Victoriani ut contenderent, Octaviano suffragatos esse Cardinales novem, quam partem minorem quidem sed saniorem jactatur concilium Pisanum.[1]) Sed nullum dubium est, Octavianum tantum a duobus Cardinalibus fuisse electum, quibus dein tres alii accesserunt; quinque enim, uti diximus, subscripserunt Encyclicae quam ad episcopos orbis miserunt. Reliqui vero Cardinales Alexandro III remanserunt fideles, numero saltem viginti duo; tot enim signarunt epistolam quam ad Fridericum dederunt.

Friderici immixtio.

27. Eo accedimus, ut rationem agendi expendamus, qua Fridericus Imperator istis in adjunctis usus est. Jam secum is statuerat, ut partes tueretur Victoris, quum perspectum haberet, hunc ei obsecuturum esse, ut dominationem suam in res quoque Ecclesiae extenderet. Inani quadam fictione autem speciem prae se ferre nisus est, ac si partium exsors esset. In hunc finem simulacrum concilii, in quo utriusque causa discuteretur, Imperator convocavit Ticini, mense Octobri a. 1159. Sed jam ante hujus conventus congregationem, per litteras et legatos Papae nomine insignivit Fridericus Victorem, Alexandrum III vero appellabat Rolandum Cardinalem, ita ut aperte ostenderet, cujus partes tueri vellet. — Alexander III, quum ipsius electio legitima manifesta esset, simulque appareret, synodum illam plane subjectam fore voluntati Imperatoris tyrannici et superbi, merito dignitatem auctoritatemque

---

[1]) Schismatici in epistola encyclica dicunt, Alexandrum a XIV Cardinalibus, Victorem a IX Cardinalibus fuisse electum. In concilio vero Papiensi asserunt: „Probatum, quod eo tempore quo electio Romae celebrabatur, in urbe tantum XXII Cardinales, ex quibus cum dominus Victor (tunc Octavianus) et Rolandus segregati fuissent, remanserunt tantummodo XX electores, ex quibus IX, sanioris consilii et nulla conjuratione foederati, dominum elegerunt Victorem." (Watterich, II. 484). Vides, quoad numerum repugnantia dici. — Ex epistola Arnulphi Lexoviensis ad Cardinales (ibid. II. 466) colligi videtur, Ymarum Cardinalem Tusculanum, Victoris sectatorem, non interfuisse electioni, quod, „solus praemature, sicut dicitur, ab electione discesserit, quoniam hora prandii videbatur instare."

Pontificis sibi vindicavit, negavitque, se ejusmodi concilio adfuturum suaeque causae judicium concessurum esse. Legati coram Alexandro III. Hinc quum ad eum ipsiusque Cardinales Fridericus legatos misisset episcopos sibi addictos, Hermannum Verdensem et Danielem Pragensem, qui, signis reverentiae neglectis, deferebant Imperatoris litteras, quibus illis *ex parte omnipotentis Dei et universae Ecclesiae catholicae praecipiebat, ut ad conventum indictum venirent, ecclesiasticarum personarum sententiam audituri et recepturi:*[1]) Alexander III coram Cardinalibus multisque clericis et laicis, Imperatorem arguit, quod jura sua transgrederetur, dignitatem Pontificis legitimi sibi vindicavit, et citationem ad synodum declinavit. Inter alia: *Nos recognoscimus,* inquit, *Dominum Imperatorem ex collato sibi dignitatis debito advocatum et specialem sacrosanctae Romanae ecclesiae defensorem. . . . Miramur itaque, illum sincere (ut convenit) diligentes et excellentiam ejus honorare propensius volentes, ab eo nobis, imo B. Petro et sanctae Romanae ecclesiae, honorem debitum denegari. . . . Nimirum longe a consuetudine praedecessorum suorum recessisse videtur, et dignitatis suae terminum excessisse, dum sine conscientia Romani Pontificis concilium convocavit, et nos ad praesentiam suam, sicut homo super nos potestatem habens, praecepit convenire. Sane B. Petro, et per eum sacrosanctae Romanae ecclesiae, . . . hoc privilegium a Domino Jesu Christo sanctisque Patribus traditum est, et . . . usque ad haec tempora conservatum, ut universarum ecclesiarum causas ipsius auctoritate discuteret ac finiret, ipsa vero nullius unquam judicio subjaceret. Unde quia nunc ab eo contra privilegium ecclesiae inculcatum fieri videmus, per quem deberet ab aliorum impugnatione defendi, et quia ita scriptum est matri, sicut cuilibet abjectae personae: hoc absque admiratione nimia ferre non potuimus, nec debemus. Ad curiam vero ejus vel ad sententiam accedere. canonica traditio, et reverenda Patrum auctoritas non permittit. . . . Divina vide* (re) *tur animadversione dignissi-*

[1]) V Baron. Annal.. a. 1159. n. 59. — Cfr. Bolonis Card. Vita Alexandri III, ap. Watterich II. 377 sqq.

mum, et ab omni ecclesia tanto durius arguendum, quanto amplius ad universalis Ecclesiae periculum redundaret, si per ignorantiam nostrum aut pusillanimitatem spiritus a capite (quod avertat Deus) diebus nostris iste morbus inciperet, et nos Ecclesiam pretioso sanguine Christi redemptam in servitutem redigi sineremus. Ergo pro cujus libertate tuenda patres nostri proprium sanguinem effuderunt, et nos ipsi ad eorum exemplum, exigente necessitatis articulo, extrema audemus pericula sustinere.[1])

Legati coram Victore IV.

28. Imperatoris legati indignati sunt de responso Alexandri III, *et contumaciter redeuntes ad Octaviani praesentiam apud Signiam accesserunt, et ad pedes ipsius procidentes adoraverunt eum. Id ipsum quoque fecit Otto Palatinus comes, quem cum Teutonicis Imperator cunctis delegaverat ad partes Urbis.*[2]) Octavianus spe certa elatus, ipsum ab Imperatore in usurpata dignitate protectum iri, gaudens promisit, se ad synodum venturum ejusque sententiae se submissurum esse. — Ex dictis apparet, ab Imperatore Friderico practice praejudicatum ante judicium, dum per suos legatos recepit in Papam Octavianum invasorem, quem ab eis adorandum voluit et ut legitimum Pontificem salutandum, Alexandro III vero contemptum et hostilem animum ostendit. Theoretice finxit, schisma in Ecclesia ortum, ac dubio de electione Pontificis omnia esse turbata. Hinc sibi arrogavit convocationem concilii, ita ut specietenus praesulibus congregatis sententia relinqueretur ferenda. Sed indubium erat, qualis sub influxu tyrannico Imperatoris, Alexandro infensissimi, conventus foret exitus. Merito igitur Alexander non solum tuitus est electionem suam, quae nonnisi fallaci machinatione in dubium vocari poterat, suamque auctoritatem, sed declinavit etiam oeconomia aliqua practica uti, quatenus cum ejusmodi synodo ista de quaestione discuteret, vel ad objecta responderet.

---

[1]) Ap. Baron. ibid.
[2]) Ibidem.

29. Quum in tractando dissidio inter Fridericum et Romanos Pontifices praecipuum rei momentum in eo sit, ut principia perspiciantur, quibus ex utraque parte adversarii nitebantur, factorum et eventuum seriem jam brevius enarrare licebit. — Convocavit igitur Imperator ex variis partibus Imperii aliisque regnis episcopos ad *synodum oecumenicam* suam Ticini habendam, et die 5° Febr. anni 1160 simulacrum illud concilii a Friderico celebrari coeptum est. Convenerant ex Germania et Italia superiori circiter *quinquaginta* praesules; aliorum enim regnorum episcopi Imperatoris invitationi haud obsecuti erant. Ex parte Alexandri tantum adfuit Guilelmus Cardinalis, quem Pontifex ad Imperatorem miserat, ut supremum reconciliationis tentamen faceret. Quod quum successu frustratum videret Guilelmus, remansit tamen, quamvis id ei ab Alexandro demandatum non esset, ut assisteret conventui illi, in quo partes quidem Alexandri tuitus est, sed mediocri vigore. In allocutione, quam Fridericus I initio concilii ad praesules habuit, inquit: *Quamvis noverim officio et dignitate imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, praesertim in tantis ecclesiae periculis, — hoc enim et Constantinus et Theodosius, necnon Justinianus, necnon recentioris memoriae Carolus Magnus et Otto Imperatores fecisse memorantur, — auctoritatem tamen diffiniendi hujus maximi et summi negotii vestrae prudentiae vestraeque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi.*[1]) Ita dum sibi tribuit (falso) auctoritatem convocandi synodos, callida modestia speciem libertatis episcopis promittit. Synodus Ticini habita.

30. Per aliquot dies inter praesules deliberatio et controversia de isto negotio protracta est; rejecta fuit plurium sententia, ad concilium majus solutionem quaestionis prorogandam esse; arte, promissionibus et minis Rainaldus cancellarius et ipse Imperator effecerunt, ut ad scopum propositum pertingerent. Praesules igitur et alii qui concilio aderant, partim Imperatoris gratia aut

---

[1]) Radevicus, II. 64. — V. Watterich, II. 473.

metu, partim mendaciis quibus Octaviani electio fuerat exposita, moti, Victorem IV declararunt legitimum Pontificem, Alexandrum vero abjecerunt. Confestim Octavianus antipapa anathematis sententiam in Alexandrum III ejusque fautores protulit. — Confecta fuerunt conciliabuli acta et epistola synodi directa ad omnes fideles. In ea dicitur quidem : *Est autem numerus archiepiscoporum et episcoporum, qui praesentes fuerunt, et qui litteris suis consensum suum praebuerunt, centum quinquaginta tres. Abbatum vero et archidiaconorum et praepositorum multorum regnorum inaestimabilis multitudo interfuit, et cum desiderio consensit.* Sed conficta haec esse, subscriptiones falsatas, et plures praesules ut fautores Victoris IV exhibitos, qui eum nullatenus agnoverunt, jam scriptores illius aetatis observarunt.

Friderici violentia.

31. Fridericus omnibus Imperii sui episcopis praecepit, ut Victori tanquam Pontifici obedirent, et eos qui id facere recusabant sedibus privare et in eorum loca schismaticos intrudere conatus est; unde magna rerum ecclesiasticarum exorta est perturbatio. Sed in ipsa Germania ei restitit magna cum constantia Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, nec Hillinus Trevirensis Victorem IV agnovit. — Alii vero reges et principes christiani, quos Fridericus frustra ad schisma pertrahere tentavit, atque ecclesiarum praesules, ubique Alexandrum ceu legitimum Pontificem susceperunt. Imprimis episcopi Palaestinae cum Amalrico patriarcha Hierosolymitano anno 1161 in synodo Nazarethana Alexandro III obedientiam promiserunt, Octaviano vero ejusque fautoribus anathema dixerunt. Eadem de causa anno sequente Henricus II rex Angliae apud Novum-Mercatum, et Ludovicus VII rex Galliae apud Bellovacum episcopos, abbates, proceresque convocarunt, et in utroque conventu Alexander III susceptus, Octavianus vero rejectus fuit.

32. Idem factum est brevi post solemnius in copiosa synodo, quam ambo reges ex utroque regno indixerunt Tolosae, cuique etiam interfuerunt legati Octaviani, Friderici Imperatoris, et regis Hispaniae, et ex parte Alexandri

tres Cardinales, Henricus Pisanus, Joannes Neapolitanus, et Gulielmus Cardinalis ad vincula s. Petri. Eos quidem Alexander III haud expresse deputavit ut suos legatos; sed sine dubio ipso consentiente hi tres Cardinales, quos antea jam ut legatos ad Galliae et Angliae reges miserat, synodo Tolosanae interfuerunt, Pontificisque causam defenderunt. Synodus haec non ejusdem indolis erat, ac conciliabulum Paviae habitum. Reges enim non sibi arrogaverant, uti Fridericus, eam auctoritatem, ut tanquam *supremum tribunal*, cujus sententiae Pontifex se subjicere deberet, synodum convocarent. Sed congregatum erat concilium, ut examine de electione accuratius instituto pleniorem rerum *intelligentiam* praesules acquirerent. Praevidebatur autem ab Alexandro fore, ut ejus electio agnosceretur tanquam legitima, ipsiusque auctoritati sese praesules Galliae et Angliae submitterent. Hinc prudenter egit, quatenus Cardinales aliquot illi synodo interesse curaret, quamvis evitaret quidquid ejus auctoritatem laedere vel diminuere posset. Generatim Alexander III variis occasionibus, quum rex Angliae vel Galliae se passim vacillantes ostenderent in fidelitate, magna prudentia usus est, ut simul nil derogaret dignitati suae, ac nihilominus humanitate et benevolentia sibi principes devinciret.

Synodus Tolosana.

33. In ipsa synodo Tolosana periculum quoddam apparuit, quominus quaestionis pendentis solutio ulterius prorogaretur. Id enim aliqui consiliarii Henrici II saeculari astutia suadebant. Ita dicebant humiliari posse Romanam ecclesiam principibus saepe onerosam, et donec morte alterius Pontificis quaestio solveretur, *posse religionem episcoporum per singula regna sufficere.* Octaviani et Friderici legati idem approbabant, Ludovicus VII se regis Anglorum voluntati rem committere profitebatur, et Henricus rex in id jam propendebat. Cardinales Alexandri quantum potuerunt dilationem istam usque ad mortem unius ex competitoribus, quae sane funestissima fuisset, avertere studuerunt. Atque ea occasione, ut Henricum II devincirent, nuptiis inter Henricum, Henrici II filium septennem, et Margaretam, Ludovici VII filiam triennem

jungendis, data dispensatione, consenserunt.[1]) Tunc Henricus a consilio concepto destitit, et a synodo Tolosana Alexander III ut legitimus Pontifex agnitus est. Cardinales qui cum Alexandro Anagniae erant, hanc rationem agendi trium Cardinalium qui adfuere synodo, reprehenderunt; sed epistola ad illos scripta Arnulphus Lexoviensis episcopus, qui et ipse multum pro Alexandri causa laboraverat, eos defendit. Exposito rerum discrimine, inter alia scribit: *Quia igitur de arbitrio regis Anglorum tota causa pendebat, exaudiendus erat potius, quam severitatis alicujus austeritate terrendus, de cujus simplici favore in momento Francorum, Anglorum, Hispaniae, Hiberniae et novissime etiam Norwegiae regna cepistis.*[2]) Nec videntur revera arguendi illi Cardinales, quod ad redimendam injustam vexationem, et ad conciliandam regis benevolentiam, illam dispensationem in se licitam concesserint.

Alexandri III iter in Galliam. 34. Interim Alexander III, convocatis anno 1160 apud Anagniam Cardinalibus et episcopis, Octavianum ejusque fautores anathemate perculit; in Imperatorem etiam, quem frustra ad meliora perducere tentavit, excommunicationis tulit sententiam. Fridericus copiis missis ditionem Sedis Apostolicae infestavit, quumque jam plurimis in partibus hostes praevalerent, Alexander vicarias vices Romae commisit Cardinali Praenestino, et navibus Sicilianis profectus, confugit Januam (21. Jan. 1162) ibique duobus mensibus moratus est. Sed quum Imperator, devictis Longobardis eversaque Mediolanensi civitate, jam Januensibus immineret, Pontifex confugit in Galliam, ubi a

---

[1]) Exoptabat nuptiarum conclusionem vehementer Henricus II, eo quod, conclusis nuptiis, dotem aliquot castellorum ei afferebat Margareta ex parte patris sui. Id videlicet in contractu sponsalitio statutum erat. Margareta erat desponsata Henrico, et juxta morem temporis jam degebat in curia regis Angliae. Inscio autem Ludovico VII illa dispensatio obtenta est. Nec enim hic in animo habebat, ut tam cito illa castella in Normannia, de quorum possessione contendebatur, Henrico II cederet. Unde post nuptias etiam simultas et bellum inter Ludovicum VII et Henricum II iterum exarserunt, licet ad breve tempus.

[2]) V. epist. ap. Watterich, II 510.

Ludovico VII magno cum honore exceptus est. Eodem anno apud Montem-Pessulanum synodum habuit, in qua rursus in antipapam ejusque complices excommunicationis sententiam promulgavit. Anno sequente frequentiorem synodum coëgit apud Turones, cui interfuerunt 17 Cardinales, 124 episcopi ex Italia, Gallia et Anglia, 414 abbates, magnusque clericorum et laicorum numerus. Habuit Arnulfus Lexoviensis orationem insignem de unitate et libertate Ecclesiae; atque iterum Octavianus ejusque ordinationes rejecti sunt; varii praeterea de disciplina conditi sunt canones.

35. Frustra Fridericus omnes vires intendit, ut pseudopapae Victoris IV auctoritatem firmaret, neque huic Rainaldi cancellarii artes et eloquentia multum profuerunt. In negotiationibus autem illis maxime apparuit, quantopere schismaticorum principia Ecclesiae et primatus indoli et auctoritati essent funesta. Identidem enim conquesti sunt Fridericus et Rainaldus, jura Imperatoris violari ab aliis principibus, si Victorem IV rejicerent; Romam esse Imperii urbem primam, adeoque ad Imperatorem spectare, ut instituat vel confirmet hujus civitatis episcopum, vel dirimat quaestionem, quis sit Romae urbis praesul. Jurisdictionem quamdam in urbe Romana sibi arrogare *provinciarum* (Galliae et Angliae) principes, dum sibi jus praesumant aliquod statuendi in ea quaestione, quis sit Romanus episcopus. Haud minus id repugnare, quam si Imperator litem dirimere vellet de episcopatu alicujus dioecesis Galliae vel Angliae. Talibus sophismatibus auctoritatem et dignitatem Romani Pontificis eo coarctabant, ut is esset per se tantum episcopus imperialis civitatis Romae, primae urbis Imperii; per accidens, ob urbis dignitatem, primas inter praesules catholicos.[1]

Principia schismatica.

36. Quum Octavianus antipapa die 20° Aprilis anni 1164 in urbe Luca diem obiisset supremum, haesitavit quidem aliquantulum Fridericus, utrum pacem cum Alexandro III iniret, an novum Pontificem constitueret. Sed

[1]) Cfr. Hefele, C. G., T. V. §. 628.

Rainaldus cancellarius audaci festinatione effecit, ut mox novus antipapa constitueretur. Secunda die post mortem Victoris IV schismatici qui Lucae aderant, videlicet duo Cardinales, aliquot episcopi Itali et Germani, et praefectus urbis Romae, electionem fecerunt. Quum Henricus Leodiensis episcopus schismaticus dignitatem pontificiam ei oblatam declinasset, electus est Guido Cardinalis, qui sub nomine *Paschalis III* ab Henrico consecratus est. Hunc mox suscepit Fridericus I, sed aegre tantum partem episcoporum ad ejus obedientiam adducere potuit, variique praesules, uti Conradus Moguntinus archiepiscopus, Imperatoris propinquus, Alexandro III se junxerunt. Intrusus tunc est in sedem Moguntinam, ejecto Conrado, Christianus, vir indignus et voluptati deditus, sed rei militaris peritissimus.

Paschalis III antipapa.

37. Factionem autem schismaticam firmare conatus est Fridericus, eo vel magis quod speraret, Angliam, in qua lucta inter regem et s. Thomam Cantuariensem archiepiscopum exorta erat, ab Alexandro defecturam esse. Hinc Imperator mense Majo anni 1165 comitia Imperii habuit *Wirceburgi*, quibus adfuerunt varii principes et quadraginta episcopi. Ibidem jurejurando ipse spopondit, se nunquam Rolandum (Alexandrum III) suscepturum, sed in Paschalis III obedientia perseveraturum esse. Idem juramentum praescripsit proceribus Imperii et praesulibus qui convenerant, et reluctantes minis ad id praestandum coëgit; illudque paulo post exactum quoque fuit a dignitariis Imperii et Ecclesiae, qui conventui haud adfuerant. Ut vero multitudinem ad schisma alliceret, eodem anno ex auctoritate Paschalis III, praesente Imperatore, per Rainaldum, qui tunc (29^0 Dec. a. 1165) consecratus fuerat archiepiscopus Coloniensis, Aquisgrani peracta est elevatio et canonisatio Caroli M., quem magna veneratione Germaniae populi jamdudum prosequebantur.

Italorum foedera.

38. Interim plures Italiae civitates contra Fridericum, qui jura earum arbitrarie conculcabat et per praefectos suos dire Italos vexabat, foedus inierant contra Imperatorem.

Romae pars Pontifici Alexandro III addicta praevaluerat, et Pontifex a Romanis invitatus ut rediret, e Gallia in Italiam reversus est, summoque omnium gaudio die 21° Novembris anni 1165 urbem intravit. Etiam ipse, ut jura sua defenderet et sese opponeret constitutioni illius monarchiae universalis absolutae, ad quam Fridericus tendebat, manus junxit cum foederatis Italiae civitatibus et cum Gulielmo I Siciliae rege. Sed Gulielmus obiit jam mense Majo anni 1167, relicto filio adhuc puero Gulielmo II. Fridericus verno tempore anni 1167 expeditionem novam suscepit in Italiam, quo jam auctumno anni praecedentis Rainaldum cancellarium cum copiis praemiserat. Praematura regis Siciliae mors opportunam videbatur ei praebere occasionem, ut non solum superiorem Italiam, sed etiam meridionalem ac Siciliam sibi submitteret, et, Alexandro III ejecto, Paschalem III, qui Viterbii degebat, in sede Petri collocaret. Plures civitates ab Imperatore captae, Romani cum copiis ex urbe egredientes a Rainaldo magna clade affecti sunt, ac dein urbs arcta obsidione cincta est. Mox partem civitatis Imperator expugnavit, et, occupata basilica S. Petri, inthronizatus est Paschalis III, qui ibidem die 1° Augusti anni 1167 Fridericum ejusque uxorem Beatricem imperiali corona ornavit. Romani, exceptis magnatibus qui se in arcibus suis tutati sunt, ad resistendum impares se Imperatori dediderunt, et Paschalem antipapam susceperunt. Alexander III vero, quum se Romae tutum jam non videret, medio Augusto, assumpto habitu peregrini Româ excessit, et primum Cajetam, dein Beneventum incolumis pervenit. Eo ipsum secuti sunt Cardinales.

Friderici I clades.

39. Pervenisse videbatur Fridericus I ad auctoritatis et potestatis fastigium; sed iisdem diebus vehementer contritae sunt vires ejus, atque ipsius et schismaticorum fortuna penitus immutata est. Jam die 2° Augusti funesta peste Imperatoris exercitus correptus fuit, et paucis diebus permulti perierunt milites et proceres, inter quos etiam fuit Rainaldus schismatis incentor praecipuus. Imperator mox, relicta Roma, regressus est Ticinum. Civitates vero Longo-

bardiae sua foedera contra Imperatorem renovarunt, quumque deperditis copiis Fridericus eis resistere non posset, mense Martio anni 1168 paucis cum comitibus et magno cum discrimine in Germaniam reversus est.

Fridericus I excommunicatus.

40. Alexander III interim collecta synodo Fridericum cum auctoritate apostolica imperio et regno privavit, subditos juramento fidelitatis solvit, et anathematis sententia denuo Imperatorem percussit. Qua de re scribit Joannes Sarisberiensis, qui fuit postea episcopus Carnotensis, clarus inter celeberiores hujus saeculi scriptores, illustrior autem ex s. Thomae martyris familiaritate, cui etiam a secretis erat: *Spes est in Domino, ut vociferantibus tubis sacerdotalibus in proximo corruat et Hiericho, et regnum proprio sanguine acquisitum obtineat triumphator Jesus et in pace possideat, quod sui juris est, sponsus et custos Ecclesiae Christus. Cum enim Romanus Pontifex per patientiam Teutonicum tyrannum diutius exspectasset, ut vel sic provocaretur ad poenitentiam, et schismaticus abutens patientia ejus peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur, vicarius Petri a Domino constitutus super gentes et super regna, Italos et omnes qui ei ex causa imperii et regni religione jurisjurandi tenebantur adstricti, a fidelitate ejus absolvit, et Italiam fere totam a facie furentis et persequentis tanta felicitate et celeritate excussit, ut in ea nihil habere videatur, nisi tortores, quos evitat interdum, et angustiarum, quas evitare non potest, juge supplicium. — Abstulit ei etiam regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnavit, et inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete et pace gaudeat, donec fructus poenitentiae condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorii VII decessoris sui, qui nostra aetate Henricum Imperatorem Ecclesiae privilegia convellentem deponens, in concilio Romano simili sententia condemnavit. Et quidem illa sententia effectum sortita est; et hanc de privilegio Petri latam videtur ipse Dominus confirmasse. Hoc enim Itali audito, ab eo discedentes reaedificaverunt Mediolanum, schismaticos expulerunt, catholicos reduxerunt episcopos et Apo-*

stolicae sedi unanimiter adhaeserunt.[1]) De tempore et loco hujus excommunicationis dissentiunt auctores. Baronius existimat, anno 1168 in concilio quodam Lateranensi hanc depositionem et excommunicationem factam fuisse; sed eo anno Alexander III Romae haud fuit, atque ea quae Joannes refert de rerum immutatione post Pontificis sententiam, ostendunt, eam in Fridericum latam esse anno 1167. Hinc Pagius[2]) et Hefele[3]) censent, verno tempore anni 1167 in Concilio Lateranensi illa peracta esse; et revera id inde firmari posset, quod Mediolanum post illam damnationem Friderici reaedificatum dicit Joannes. Attamen existimarem potius, latam fuisse ab Alexandro III sententiam Beneventi, postquam Roma aufugerat, forte mense Augusto. Joannes Sarisberiensis nullatenus dicit, Romae synodum illam habitam esse, calamitates autem Imperatoris describit, ac si statim post anathema ei inflictum accidissent. Jam vero usque ad medium annum 1167 Fridericus potius in fastigio fuit potestatis suae, et fortuna ejus immutata est ultimis mensibus illius anni. Ut Mediolanum restauratum post Pontificis sententiam memoraret Joannes, fieri potuit, quod haud tam accurate seriem rerum nosceret, vel quod per tempus diuturnius in aedificanda civitate laboraretur.

41. In Italia igitur auctoritas et potentia Friderici magis magisque contritae sunt, quamvis ipse tum arte politica satis dolosa, tum armis per plures annos fortunam suam restaurare conaretur. Confoederatio civitatum Italiae superioris amplitudine et vigore aucta est; Longobardis vero juncti erant Alexander III et Gulielmus II Siciliae rex. E vivis excessit Paschalis III antipapa jam die 20° Septembris anni 1168, atque tunc schismatici, quum nullus Cardinalis factionis suae reliquus esset, in Pontificem elegerunt Joannem abbatem Strumensem, intrusum ecclesiae Tusculanae episcopum, quem *Calixtum III* appellaverunt. **Continuatio luctae.**

[1]) Ep. 184a. Opp. T. II. p. 66. (Ed. Giles.)
[2]) Critica ad a. 1168, n. VI.
[3]) C. G. V. §. 629.

Imperator, in schismate pertinax, suscepit novum antipapam Calixtum, sed in Italia huic tantum pauci adhaeserunt. Bellum contra Fridericum Longobardi strenue continuarunt, et eodem anno 1168 novam aedificaverunt civitatem munitissimam, ut esset contra Imperatorem propugnaculum; in honorem Pontificis eam dixerunt Alexandriam, et anno 1170 civitatis praefecti eam propriam reddiderunt Sedi Apostolicae, cui etiam tributum annuum solveretur.

Negotiatio de pace.

42. Fridericus cum frustra negotiatione callida foedus inter Pontificem et Longobardos solvere tentasset, anno 1174 novas copias in Italiam duxit; sed quamvis magna cum constantia ac fortitudine bellum susciperet, haud tamen praevaluit. Imo ab obsidione Alexandriae (a. 1175) post quinque menses desistere coactus fuit; anno vero 1176 die 29° Maji praelio ad Lignanum commisso, tanta clade affectus est, ut vix ipse incolumis evaserit. Tot igitur malis fractus, Imperator animum ad ineundam cum Alexandro III concordiam inflexit. Mense Octobri ipse legatos ad Alexandrum misit Christianum Moguntinum et Wichmannum Magdeburgensem archiepiscopos, et Conradum episcopum Wormatiensem, qui Anagniae cum Pontifice convenerunt et de pace tractarunt. Jam tunc conditiones concordiae cum Pontifice statutae sunt, sed institit Alexander III, ut simul pax cum Longobardis et cum rege Siciliae concluderetur. Hinc anno sequenti tum Pontifex, tum delegati regis Siciliae et Longobardorum Venetias venerunt, ibique inter ipsos et Imperatorem, superatis multis difficultatibus, postremo pax et concordia confecta est.

43. Postquam res pro conclusione pacis diuturna negotiatione dispositae erant, Fridericus solemniter a Venetianis in civitatem deductus est. A Cardinalibus ab Alexandro III deputatis ab excommunicatione absolutus fuit, et dein die 24° Julii a Pontifice ad gradus ecclesiae s. Marci honorifice exceptus. Fridericus sponte coram Pontifice procidens ei obedientiam professus est; Alexander III

vero ei benedictionem et pacis osculum praebuit.[1]) Altera die (25°) Pontifex secundum vota Imperatoris missarum solemnia illo praesente celebravit, homiliamque pronuntiavit; die vero 1° Augusti solemniter pax et concordia juramentis solitis firmata est. Fridericus cum suis schismati renuntiarunt, Alexandrumque agnoverunt ut legitimum universalis Ecclesiae caput; mutuam protectionem et auxilium sibi promiserunt Imperator et Pontifex, statutumque fuit, ut bona ecclesiae Romanae erepta redderentur. Cum Longobardis induciae sex annorum, cum Gulielmo Siciliae rege pax quindecim annorum, firmatae sunt. Magna indulgentia in schismaticos Alexander usus est. Convenit videlicet, ut Joanni Strumensi (Calixto III) antipapae abbatia concederetur, et reliqui schismatici in anterioribus suis muneribus, in quibus ante schisma erant, persistere possent; de variis sedibus episcopalibus insigni cum prudentia Pontifex disposuit. Quum Fridericus adverteret, Alexandrum III nulla sibi ipsi commoda quaerere, non mediocri erga cum veneratione affectus est, et exinde usque ad Alexandri III obitum concordiam cum ipso servavit.

Pax Venetiis inita.

44. Quodsi ea perpendis, quae de conflictu Hadrianum IV et Alexandrum III inter et Fridericum Imperatorem enarravimus, illud sane manifestum est, culpam penitus ex parte Friderici fuisse, Hadrianum vero et Alexandrum auctoritatem, dignitatem et jura pontificatus merito contra eum vindicasse, uti id eorum officio incumbebat. Quoad indolem schismatis exorti advertendum tamen est, primariam controversiam fuisse de *personis* Pontificum, non vero de *ipso primatu*. Unde facilius fieri potuit, ut

---

[1]) De iis quae Venetiis gesta sunt narratio accurata exstat Romualdi Salernitani episcopi, qui tanquam legatus Gulielmi regis Siciliae omnibus intererat, suasque in iis habuit partes. V. Watterich II. 655 sqq. — Ab omnibus eruditis sanae mentis jam rejicitur inepta illa fabula, Alexandrum III pede pressisse caput Imperatoris eique insultasse his Psalmistae verbis: „Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.“

varii seducerentur, ac postea indulgentia permagna in eos exerceretur. De electione Alexandri III, uti vidimus, praecipue dimicatum fuit, et apud aliquos viros etiam probos dubia orta fuisse, colligitur ex iis quae scribit Gerhohus Abbas Reicherspergensis in libro I *de investigatione Antichristi*.

Controversiae difficultas.

— *Nostro in tempore,* ait, *in Romana ecclesia talia erumpunt schismata, qualia non sunt audita nec visa, in illa praesertim ecclesia, ex quo Christiani esse coeperunt. . . . In quolibet schismate quod ad nostra usque tempora catholicam scindere moliebatur unitatem, facile erat discernere, quaenam pars in catholicam esset Ecclesiam et quae in haeresim reputanda, existentibus nimirum causis manifestis, pro quibus haec cuilibet catholico acceptanda, altera vero detestabilis existeret, sicut in Wibertiano eodemque Henriciano, et Burdiniano etiam ipso Henriciano, necnon in Petri Leonino schismate advertere promptum est. At nunc in schismate de electione Romani Pontificis exorto, quod jam non solum Urbem, sed et Romanum vexat Orbem, ita contentiose invicem partes utraeque concertant, tantaque se multitudine hinc inde muniunt, ut, cum duo sint Romani Pontifices dicti et consecrati, non facile, nisi a valde prudentibus viris, et nihil in causa praeter veritatem quaerentibus, adverti possit, quis inter duos electos et consecratos pro Papa catholico assumendus et deligendus, et quis pro schismatico dicendus, aut saltem, quis e duobus sustinendus, quisque contemnendus sit.*

45. Gerhohum, quamvis a majore parte Cardinalium Alexandrum electum agnosceret, satis turbabat, quod de facta contra Imperatorem conspiratione illis Cardinalibus objiciebatur. *Duplicem autem,* scribit, *iis conspirationem vel conjurationem objiciunt, unam, qua contra Augustale Imperium Friderici Imperatoris, et contra laudamentum in verbo Domini factum, adhuc vivente Papa Adriano, cum Siculo Wilhelmo et Mediolanensibus aliisque inimicis Imperii foederati sint. Secundam, qua ut easdem contra Imperium conceptas inimicitias ad finem usque destinatum perducerent, inter se sacramenti firmitudine convenerint: decedente Papa Adriano non alium se in Papam electuros, nisi qui ejusdem*

conjurationis consors exstitisset.[1]) Gerhobus tamen mox, uti in *praefatione* praefati libri scribit, *postquam mendaciorum nebulae contra canonicam Alexandri electionem confictae coeperunt rarescere,* persuasum habuit, Alexandrum III esse legitimum Papam, et cum Eberhardo archiepiscopo Salisburgensi in Germania ejus partes constanter tuitus est. Accusationes falsae.

46. Quod vero ad conjurationem illam spectat, plane falsum erat, aliquam ejusmodi conjurationem Cardinalium factam fuisse. Pontifices autem foedera iniisse cum rege Siculo, ac dein etiam cum Mediolanensibus, ipsis vitio verti nequit. Jam vidimus, immerito Hadriano a Friderico exprobratum fuisse, quod conventione cum Siculo facta, violaverit pactum Constantiae ab Imperatore cum Eugenio III initum. Pactum vero aliquod cum Mediolanensibus inivit Hadrianus IV, quantum ex chronicis colligi potest, nonnisi versus mensem Augustum anni 1159, quum metu Friderici Romam reliquisset. Imperator eo tempore Longobardis, eorum juribus conculcatis, justam belli causam praebuerat, seseque infensum Pontifici et Ecclesiae ostenderat, ita ut Pontifex saluti et libertati Ecclesiae providere deberet. Ea de re in *Chronico de rebus in Italia gestis* legitur: *Sed interim dum obsideretur Crema, Mediolanenses cum Brixiensibus et Placentinis juraverunt, mittentes ambaxatores ad Adrianum Papam qui erat apud Anagniam, concordiam facientes cum eo: Quod exinde non paciscerentur vel concordiam facerent aliquam cum Imperatore Friderico absque licentia domini Papae vel ejus successoris. Et dominus Papa e converso idem convenit et: Quod usque ad XL dies excommunicaret Imperatorem; non tamen juramento firmavit. Accidit autem, ut infra statutum terminum dominus ad superos convolavit.*[2]) — Alexandrum III manus dedisse Longobardis profecto repreheudi nequit, quum juste contra Friderici dominationem arbitrariam tum

[1]) V. Seb. Tengnagel, Vetera monumenta contra schismaticos etc. p. 415. Ingolstadii a. 1612. — De scriptis Gerhohi cfr. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen II. 237.

[2]) Ap. Watterich, II. 451.

ipse, tum Longobardi sese defenderent.[1]) Caeterum influxum maxime salutarem ipse exercuit, ut Venetiis universalis concordia iniretur.

C. Cantù de Italiae statu.

[1]) Friderici usurpationem jurium hisce describit Cantù: „Frédéric voyant la Lombardie attérée par l'humiliation de sa principale ville, convoqua une diète à Roncaglia, pour définir les prérogatives royales, qui diversement appréciées en Allemagne et en Italie étaient une source de débats sans fin. Les Allemands, déduisant leur constitution des usages germaniques et féodaux, ne voyaient dans le roi que l'élu des chefs du peuple, le premier au milieu de ses égaux. En Italie, où l'étude de l'histoire et de la jurisprudence avait repris une grande activité, l'empereur était considéré comme le successeur de ces Césars dont la volonté était l'unique loi de l'ancienne Rome. — En conséquence les quatre plus célèbres jurisconsultes d'alors, Bulgaro, Martin Gossia, Jacques et Hugues de Porta, furent appelés, avec deux députés (jurisconsultes) de chacune des quatorze républiques, à déterminer en quoi consistaient les droits régaliens. Mais comme les consuls et les scabins n'avaient plus été nommés par les empereurs depuis que la juridiction des comtes était devenue héréditaire, et que chaque empereur était venu en Italie avec des idées différentes sur ses droits qu'il mesurait le plus généralement d'après sa force, ils eurent recours au droit romain. Or, ils décidèrent que, dans leur opinion, tous les droits royaux appartenaient à l'empereur, ce qui comprenait les droits exercés dans les duchés, les marquisats, les comtés; plus les monnaies, le fodrum ou droit d'être nourri et hébergé par les vassaux et les villes pendant le séjour en Italie, ainsi que les impôts perçus sur les ponts, les moulins et les fleuves, la capitation, le droit de faire la paix et la guerre, la nomination des consuls et des juges, avec l'assentiment du peuple. — Les comtes et les évêques depouillés de leur domination, applaudissaient à ces prétentions exorbitantes, espérant qu'il leur en reviendrait quelques parcelles, mais les peuples frémissaient en voyant l'empereur prêt à devenir de seigneur feudataire, le véritable souverain de l'Italie; car les cités n'avaient aucun privilège à lui opposer sur un fait qui n'avait jamais existé, et sur des droits appuyés par une forte armée. . . . Sur ces entrefaites, il (Frédéric) expédie dans toutes les cités des délégués nommés podestats, parce qu'ils exerçaient les pouvoirs royaux avec une juridiction très-étendue, non sans grand péril pour la liberté. Les Milanais, à qui leur capitulation primitive garantissait leurs propres magistrats, loin de prendre la chose tranquillement, repoussent à coups de pierres (1159) les délégués royaux venus pour exécuter les décrets de Roncaglia, et se préparent à la défense." Hist. univ. L. XI. Ch. XX.

III.

De eventibus post pacem restitutam.

47. Alexander III Venetias pace confecta reliquit (mense Septembri anni 1177), ac primum Anagniae et Tusculi resedit; dein quum Romani id petiissent, ac fidelitatem et securitatem Pontifici jurejurando spopondissent, Romam die 12° Martii 1178 rediit. Joannes de Struma seu Calixtus III antipapa initio quidem schisma continuare visus est. Sed die 29° Augusti anni 1178 *reatum suum agnoscens Montem Albanum,* (munitionem in quam se receperat), *deseruit, et apud Tusculanum ad pedes Papae Alexandri cum quibusdam de suis clericis humilis et devotus accessit. In conspectu Cardinalium et multorum, se peccasse publice confessus est,* veniam a Pontifice petiit et omnem haeresin et schisma abjuravit. *Quem Alexander Papa, ut erat pius et humilis, non objurgavit et reprehendit, sed secundum innatam sibi mansuetudinem benigne recepit. De caetero Alexander Papa eum et in curia et in mensa sua honorifice habuit.*[1]) *Quem postea Rectorem Beneventi constituit.*[2]) Paucorum factio mense Septembri anni 1179 in antipapam elegerunt *Landonem Sitinum,* Octaviani et Guidonis Cremonensis diaconum Cardinalem s. Angeli, sub nomine *Innocentii III,* quem praesertim, tradita ei munitione in urbe Roma, tuitus est Octaviani frater. Sed jam mense Januario anni 1180 interceptus fuit, et in Cavense monasterium relegatus. Atque ab hoc tempore schisma exstinctum est. **Schisma exstinctum.**

48. Mense Septembri anni 1178 Alexander III, uti in pace Venetiana jam convenerat, Concilium oecumenicum annuntiavit, celebrandum tempore Quadragesimae sequentis anni, legatosque ea de re misit in varia regna christiana.

---

[1]) Romuald. Salernitanus, V. Watterich, II. 642.
[2]) Anonym. Cassinens. ap. Muratori Script. V. 69. — Watterich ibidem.

Concil. Lateran. III. Atque revera hoc Concilium oecumenicum XI (Lateranense III) mense Martio anni 1179 habitum est tribusque sessionibus absolutum. Convenerunt plus quam trecenti episcopi (302), permulti abbates aliique clerici, ac nuntii fere omnium imperatorum, regum, principum totius christianitatis, ita ut circiter mille personae synodo interfuerint. Ex Oriente adfuerunt Gulielmus Tyri episcopus aliique aliquot praesules Palaestinae. Praesedit Alexander Pontifex, Conciliumque eo scopo habitum est, ut exscinderentur schismatis reliquiae, condemnarentur enascentes haereses, et restitueretur ac firmaretur disciplina ecclesiastica. Eo pertinent etiam decreta seu canones viginti septem, qui hac synodo conditi sunt. Juvabit ex istis canonibus commemorare primum de *electione summi Pontificis* et ultimum *de haereticis.*

Decretum de electione. 49. Quoad electionem summi Pontificis statuitur: *Statuimus, ut si forte, inimico homine superseminante zizania, inter Cardinales de substituendo Pontifice non potuerit concordia plena esse, et duabus partibus concordantibus tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium praesumpserit ordinare: ille Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus fuerit electus et receptus. . . . Si a paucioribus aliquis quam a duabus partibus fuerit electus ad Apostolatus officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur. . . . Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus et aliis ecclesiasticis* (forte ecclesiis) *praejudicium generetur, in quibus majoris et sanioris partis debet sententia praevalere, quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio definiri. In Romana vero ecclesia aliquid speciale constitutitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.* — Haec dispositio exinde semper viguit usque ad tempora nostra. — Canone XXVII *de haereticis* statuitur: *Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones, catholicorum tamen principum constitutionibus adjuvatur, ut saepe quaerant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium. Eapropter quia in Gasconia, Albegesio et partibus Tolosanis et aliis locis ita haereticorum, quo*

alii Catharos, alii Patrinos (Patarenos), *alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, et ad suum consensum simplices attrahant et infirmos: eos et defensores eorum et receptores anathemati decernimus subjacere: et sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere praesumat. . . . De Brabantionibus et Aragonensibus, Navariis, Bascolis, Coterellis et Triaverdinis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, ut nec ecclesiis nec monasteriis deferant, non viduis et pupillis, non senibus et pueris, nec cuilibet parcant aetati aut sexui, sed more paganorum omnia perdant et vastent: similiter constituimus, ut qui eos conduxerint, vel tennuerint, vel faverint per regiones in quibus taliter debacchantur, in dominicis et aliis solemnibus diebus per ecclesias publice denuntientur, et eadem omnino sententia et poena cum praedictis haereticis habeantur adstricti, nec ad communionem recipiantur Ecclesiae, nisi societate illa pestifera et haeresi abjuratis. Relaxatos autem se noverint a debito fidelitatis et hominii, ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint, quicumque illis aliquo peccato* pacto) *tenentur annexi. Ipsis autem cunctisque fidelibus in remissionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus se viriliter opponant, et contra eos armis populum christianum tueantur. Confiscenturque eorum bona, et liberum sit principibus hujusmodi homines subjicere servituti. Qui autem in vera poenitentia ibi decesserint, et peccatorum indulgentiam et fructum mercedis aeternae se non dubitent percepturos.* — Dein et indulgentiae conceduntur iis qui contra hos haereticos dimicaverint.[1]) Canon de haereticis.

50. Biennio post Concilium Lateranense Alexander Papa III senio et infirmitate detentus, XXII[0] anno Papa-

[1]) Coll. Conc. Labbe, T. X. coll. 1506 sqq. — Qui dicuntur Brabantiones, Aragonenses, etc. erant homines feroces ex illis regionibus, qui vel stipendiis alicui militabantur, vel more latronum per regiones vagantes incolas dire affligebant.

tus sui viam universae carnis ingressus, migravit ad Dominum apud civitatem Castelli, die 30° Augusti anni 1181. Sepultus fuit in Lateranensi basilica, atque merito dicitur in epitaphio „*Lux cleri, decus ecclesiae, pater urbis et orbis.*“ Quemadmodum autem eximius fuit in Ecclesiae regimine, ita etiam scientia et eruditione sacra eminebat Alexander III. *Ad cujus litteraturam*, ait Robertus de Monte, *pauci de praecessoribus ejus infra centum annos attigerunt. Fuit enim in divina pagina praeceptor maximus, et in decretis et canonibus et in Romanis legibus praecipuus. Nam multas quaestiones difficillimas et graves in decretis et legibus absolvit et enucleavit* [1]) Atque, ut hujus Pontificis laudes paucis concludamus, Alexander III jungendus sane est Gregorio VII et Innocentio III, illis medii aevi Pontificibus, qui prae caeteris eminuerunt.

Lucius III R. P.

51. In Alexandri III successorem die 1° Septembris electus, et die 6° consecratus fuit *Lucius III*, patria Lucensis, antea Humbaldus Allucingolus, Cardinalis episcopus Ostiensis, vir grandaevus et de Ecclesia jam optime meritus variis in muneribus, quibus sub Alexandro functus erat. Ut decessores sui, civili seditione et multiplicibus vexationibus Romanorum valde exagitatus fuit, ita ut vix unquam Romae posset versari. Apostolicae Sedis jura eo tempore fervide defendit Christianus Moguntinus episcopus, rei militiae peritissimus, quem Imperator in Italia reliquerat; ea ratione hic vir anteactae vitae facinora minus digna expiare visus est. Sed quum anno 1183 Pontifici auxilio venisset, aestate illius anni incidit in febrim mortiferam, et quum confessionem pie apud ipsum Pontificem peregisset ab eoque ultimis sacramentis munitus esset, 25° Augusti diem clausit extremum. — Lucius III dein Veronam profectus mense Novembri anni 1184 ibidem, praesentibus Imperatore et multis episcopis et proceribus, synodum habuit.

52. Imperator interea jam anno 1183 cum Longobardis pacem concluserat aequam. Sublatis videlicet decretis

---

[1]) Ap. Watterich, II. 649. n. 2.

Roncaliae quondam editis, confoederata municipia Italiae superioris vasallis aequiparata sunt, horumque ipsis jura concessa; simul suprema jura imperialia servata fuere, et pro ecclesiis ea statuta, quae jam in Concordato Wormatiensi pacta erant. Veronae Lucius, Friderico multum annuente, decreta emisit contra haereses in Italia magis magisque serpentes, similia illis quae in concilio Lateranensi condita erant, ac varia negotia cum Imperatore feliciter disposuit. Sed quoad aliqua capita dissensio quaedam perstitit. *Tractabant inter se dominus Papa,* scribit Arnoldus Lubecensis, *et Imperator de patrimonio dominae Mechtildis, matronae nobilissimae, quod Imperator in possessione habebat, dicens, ab eadem imperio collatum, et e converso dominus Papa sedi Apostolicae ab ea datum affirmabat. Cumque in argumentum probandi testamenti ex utraque parte privilegia porrigerentur, nullo fine causa terminata est. Aliud tamen habebant negotium, quod maximum et praecipuum erat: de electione Trevirensi. Siquidem metropolis Trevirensis vacabat, in qua duo electi erant: Volcmarus et Rhudolfus. Volcmarus quidem prior a saniore parte electus est. Rhudolfus vero posterior a parte infirmiori. Cumque schisma inter eos esset, Volcmarus quasi de canonica electione praesumens, ad sedem Apostolicam appellavit, Rhudolfus vero ad Imperatorem se contulit. Imperator ergo audiens quod factum fuerat, propter dissensionem electionis, investituram dedit Rhudolfo. Apostolicus itaque affirmabat partem Volcmari propter canonicam electionem. Et Imperator pro Rhudolfo erat propter electionis dissensionem. Sicque ab invicem discesserunt, ut quivis suam partem diceret esse justiorem.*[1]) — In utraque hac quaestione Lucius III quod justum erat tenebat. Quaestio de electione Trevirensi ulterius discussa fuit, nec hujus Pontificis tempore terminata. — Magis etiam res turbabat insolentia Henrici adolescentis, filii Friderici. Imperator petiit, ut hunc ipso vivente Lucius in Imperatorem coronaret; quod declinavit Pontifex asserens, haud convenire ut duo Imperatores regnarent. Sic quaedam

Synodus Veronae habita.

[1]) Ap. Watterich, II. 659.

semina dissidiorum remansere; attamen sub Lucio III haud graviter concordia inter ipsum et Imperatorem turbata est.

Urbanus III R. P.

53. Lucius Papa die 24° Novembris anni 1185 Veronae e vivis migravit. Altera die in ejus locum summa Cardinalium concordia evectus est *Urbanus III,* antea Lambertus Cribellus, Cardinalis archiepiscopus Mediolanensis, qui, turbatis adhuc Romae rebus, Veronae mansit. Sub hoc Pontifice discordia cum Imperatore vehementer invaluit; Fridericus enim persistens in sua dominandi cupidine, varia ei ab initio negotia facessivit. Friderici filius Henricus eo tempore (27 Jan. 1186) in matrimonium duxit Constantiam, amitam Gulielmi II regis Siciliae, quae decem annis aetate excedebat Henricum. Sed quum Gulielmus prole careret, Constantia erat haeres Siciliae, et per ejusmodi conjugium Fridericus id obtinere visus est, quod dudum animo volvebat, scilicet ut Italiam meridionalem domui suae vindicaret. Ejusmodi autem Imperatorum in istis partibus dominatio plena, admodum periculosa erat Pontificibus, et eo magis ipsis invisa, quod reges Siciliae erant Sedis Apostolicae vasalli, a quibus passim auxilia et protectionem contra excessus Imperatorum vel Romanorum obtinuerant. Istis in nuptiis Fridericus etiam Henricum a patriarcha Aquilejensi Mediolani regem Longobardiae coronari fecit; deinde eum propria auctoritate Caesarem et Imperatorem dixit. — Ista profecto admodum displicuere Urbano III, qui patriarcham Aquilejensem et quosdam episcopos, qui sine ipsius consensu coronationi illi interfuerant, officio suspendit.

Dissidia cum Friderico I.

54. Erant porro Pontifici etiam aliae de Friderico querelae. „Dominus Papa, scribit Arnoldus Lubecensis, ut zelator justitiae pro defensione sanctae Romanae ecclesiae constanter agebat, nec terreni imperii metuens principatum, quae sui juris erant intrepidus requirebat. Arguebat sane Imperatorem de patrimonio dominae Mechtildis, de quo supra mentio facta est, quod ab illo injuste occupatum dicebat. Affirmabat etiam, quod episcoporum exuvias injuste acciperet, quae dum ipsis mortuis de ecclesiis rapiantur, ec-

clesiae quasi corrosae et exspoliatae ab episcopis subintrantibus inveniuntur, ita ut ex necessitate quadam raptores inveniantur, dum ablatis stipendiis, quae confiscata fuerant, de novo resarcire cogantur. Tertium etiam contra eum proponebat articulum, quod abbatissarum congregationes plurimas in dispersionem dedisset, dum propter enormitatem ipsarum, sub emendationis occasione usurpatis sibi stipendiis, personas quidem removisset, nec alias ad honorem Dei vel Ecclesiae augmentum sub meliore professione reddebat. . . . Inter haec autem Volcmarus electus Trevirensis, de quo superius dictum est, contra voluntatem Imperatoris per manus Domini Papae ad summum sacerdotium meruit promoveri (1° Junii 1186). Imperator hoc audiens iratus est nimis, et ex illa die manifestissimae inimicitiae inter ipsum et Dominum Apostolicum exortae sunt. Et facta est in ecclesia Dei perturbatio non modica, quia, dum inter se discordarent cardines orbis, facta est confusio elementorum, praelatorum videlicet hinc inde placere volentium."[1])

55. Germaniae praesules initio Pontificis causam contra Imperatorem sustinuerunt, sed brevi post, colloquiis habitis cum Friderico, et turbas vehementiores pertimescentes, plures ex illis potius ab Urbano III petierunt, ut indulgentia quadam uteretur, neve nimium postulata urgeret. Qua de re miratus est Pontifex, quum maxime episcoporum jura contra Fridericum tueri studeret. Quasdam etiam querelas Friderici de Pontifice praesules huic retulerunt, quae tamen haud magni erant momenti. — Illud porro hoc loco praeterire non convenit, aliquos censuisse, Pontificis animum infensum fuisse Friderico, ob injurias anteriori tempore Urbani familiae illatas. Videlicet *contigit olim cum Imperator Fridericus Mediolanum, civitatem magnam, obsessam ad deditionem contigisset, cognatos et parentes domini Urbani Papae inter caeteros captivos teneri, quorum quosdam proscriptione damnavit, quosdam mutilatione mem-* Praesules Germaniae.

[1]) Watterich. II. 666.

brorum deformari praecepit.[1]) Sed quamvis forte ob ejusmodi facinus in Fridericum parum propensus esset Pontifex, et ad indulgentiam minus pronus, tamen justissime eum Ecclesiae bona et praerogativas tuitum esse, nec vitio verti posse eidem, quod jam severius in Imperatorem animadvertere vellet, ex iis quae retulimus satis colligitur. At dum Pontifex jam in animo haberet, ut excommunicatione Imperatorem plecteret, morte praeventus est. Occubuit videlicet Ferrariae die 20° Octobris 1187, ibidemque sepultus est.[2])

Gregorius VIII R. P.

56. In locum Urbani III die 21° mensis Octobris electus fuit *Gregorius VIII* Beneventanus, antea appellatus Albertus Cardinalis, cancellarius. Pontifex tum quod animo benevolo esset in Imperatorem, tum maxime quod propter calamitates Terrae sanctae atque ad expeditionis cruciatae praeparationem summi momenti censeret, pacem inter Imperium et Sacerdotium conservare, nisus est exortas difficultates pacifice componere. Hinc legatos, qui a Friderico ad Urbanum III missi Gregorium jam invenerunt Pontificem, comiter recepit, et cum litteris ad Imperatorem benevolentia plenis remisit. Similem epistolam etiam dedit ad Henricum regem Italiae. Fridericus gavisus est de Pontificis benevolentia, atque exinde cum fervore animum vertit ad suscipiendam expeditionem in Orientem. Haud vero mirandum est de mutata Sedis Apostolicae ratione agendi. Namque in rebus practicis latitudo quaedam adest

---

[1]) Gesta Trevirorum (98), ap. Watterich, II. 665.

[2]) Quod non pauci annalistae narrant et multi repetunt auctores, Urbanum III, accepto nuntio de civitate sancta Jerusalem capta per Saladinum, dolore cordis sauciatum occubuisse, erroneum videtur. Etenim civitas sancta capta est die 3° Octobris, et tam cito tristis ille nuntius aegre usque Ferrariam provenire potuerit. — Accuratius Gulielmus Neubrigensis, III. 21: „Sane quum in Oriente illud christianae plebis exterminium (apud Hittin mense Julio) atque irruptio sanctae civitatis sub pontificatu Urbani contigerint, eidem tamen datum est, tantae infelicitatis fama minime sauciari. *Rerum quippe infra octavas Apostolorum Petri et Pauli infeliciter gestarum nuntii* circa festivitatem beati Lucae Evangelistae ad Apostolicam sedem venerunt, Urbano paulo ante ex hac luce subtracto et mature substituto Gregorio."

agendi, atque uti sapientia et prudentia id suadent, interdum justitiae rigor merito adhibetur, interdum indulgentiae temperantia non incongrue exercetur. Rationes, quas sequebatur hac in re Gregorius VIII, ipse explanat in epistola die 30° Novembris data ad Volcmarum archiepiscopum Trevirensem. Is, quum ad dioecesim suam ab Imperatore non admitteretur, et etiam ex parte aliquot suffraganeorum ac plurium clericorum molestias pateretur, dum Rhemis in Gallia moraretur, acrius non paucos censuris ecclesiasticis contrinxit. Monuit igitur eum Gregorius datis litteris, ut propter temporum adjuncta a severitate abstineat. In ea: *Propositum,* scribit, *vincit affectus, et supervenientes causae saepe compellunt mutare, quod firma dispositum fuerat voluntate, Nec locus ex hoc reprehensioni relinquitur, cum Salomon dicat: „Omnia tempus habent", et „est tempus loquendi et tempus tacendi". Ex hoc siquidem est, quod Ecclesia Dei sua interdum variat pro filiorum necessitate instituta, aut cohibet aut differt saepe vindictam, quam quieto et pacato tempore statuerat exercendam, juxta hoc quod Salomon dicit: „Sapiens videns malum declinat, stultus transilit confidenter." Haec vero cautela etiamsi alio tempore potuerit intermitti, hoc vero tempore tanto circumspectius est tenenda, quanto ex casu orientalis ecclesiae in majori turbatione videtur christianus populus constitutus. Nec facile patet ex humana infirmitate successus, nisi ad hoc majorum principum corda contigerit ex sancti Spiritus inspiratione moveri. Ex quo siquidem est et ex aliis multis causis, quod nos corda sublimium principum et Ecclesiae defensorum, Imperatoris scilicet et filii ejus, ad bonum volentes per humilitatem Ecclesiae provocare, in bona cum ipsis ducimus mansuetudine ambulandum, et non tam contra eos humanum requirendum auxilium, quam divinum, si debitam, quod non credimus, Ecclesiae reverentiam decreverint subtrahendam.*[1]) Dein ipsum jubet etiam a severitate abstinere. — Forte quidem si per plures annos Ecclesiae profuisset, principum violentiae adegissent Gregorium VIII,

Moderatio prudens.

[1]) Ap. Watterich, II. 690.

ut, seposita mansuetudine, et ipse severa justitia jura Ecclesiae et Sedis Apostolicae vindicaret. Sed Pontifex qui inde a primis Pontificatus sui diebus magna cum solertia laborabat, ut, concordia inter Christianos restituta, expeditionem in Terram sanctam pararet, brevi tempore Ecclesiae praefuit. Pisis enim, quo venerat, ut civitatem cum Januensibus reconciliaret et utriusque reipublicae auxilia pro cruciata expeditione obtineret, repentino morbo correptus, die 17° Decembris anni 1187 excessit e vivis et in pace migravit ad Christum.

Clemens III R. P.

57. Tertio post die Cardinales Pisis in Pontificem elegerunt Paulinum Romanum, Cardinalem Episcopum Praenestinum, qui *Clemens III* appellatus est. Etiam hic Pontifex omnes conatus eo direxit, ut suscepta expeditione cruciata Saracenorum jugo Hierosolyma et Terra sancta eriperetur, ac propterea, vestigiis Gregorii VIII insistens, concordiam cum Imperio aliisque principibus servare nisus est, et foedus principum ad Terrae sanctae recuperationem confecit. Litem Trevirensem aliqua compositione Imperatori accepta terminavit. Sepositis videlicet duobus competitoribus Rudolpho et Volcmaro, ac dioecesi ab obedientia Volcmari absoluta, novam electionem liberam Trevirensibus concessit. *Accepta igitur electionis suae libertate, Trevirenses suggestione et precibus regis, qui tunc temporis in civitate praesens erat, dominum Johannem imperialis aulae cancellarium unanimiter elegerunt, electum regi investiendum praesentaverunt. Peractis autem omnibus solemnitatibus electionis, auctoritate Apostolica a Cardinali* (legato Gofrido) *confirmatus est.*[1])

58. Cum Romanis quoque jam dudum seditiosis Clemens III pacem composuit, et magna prudentia eo pervenit, ut principatum civilem a Romanis adeo impugnatum firmaret. Conclusa enim est pax ea lege, ut Urbs esset in potestate Pontificis, abrogato patricio restitueretur praefectus, et senatores annui auctoritate Pontificis crearentur. Romanis autem concessit, ut diruerentur munitiones urbis

---

[1]) Gesta Trevirorum (109), ap Watterich, II. 704.

Tusculanae, quae Pontifici propria erat, Romanis vero valde exosa, eo quod hostilem in ipsos animum frequenter Tusculanenses ostenderant. Composita pace Clemens III summa Romanorum laetitia in Urbe receptus est (mense Febr. anni 1188). — Quum mense Novembri anni 1189 Gulielmus II Siciliae rex sine haerede masculo, nec relicto testamento, obiisset, secundum jus feudale illud regnum ad Sedem Apostolicum, cujus feudum erat, recidisset. Sed elevatus in thronum a magnatibus et populo fuit *Tancredus* comes Licii, qui erat ex stirpe principum Normannorum, illegitimis licet natalibus, eique Pontifex investituram regni concessit. Perspiciebat enim, magna fore pericula independentiae Romani Pontificis, si Apulia et Sicilia in potestatem venirent Henrici regis, qui, uti diximus, ea spe illectus Constantiam amitam Gulielmi II duxerat uxorem. Brevi post tamen Henricus se accinxit, ut armis Italiam meridionalem sibi submitteret, et sub successoribus Clementis III isto de negotio graves difficultates cum Sede Apostolica exortae sunt.

Siciliae regnum.

Expeditio cruciata.

59. Expeditio cruciata interim magno cum ardore suscepta est. Pisani anno 1188 cum classe quinquaginta navium profecti pervenerunt Tyrum, et opem opportunissimam tulerunt Conrado marchioni de Monteferrato Tyri domino, ad repellendos Saladini impetus. Brevi post in Asiam advenerunt Crucigerorum exercitus a Dania, Germania, Belgio, Gallia et Anglia collecti, opemque tulerunt Guidoni Hierosolymarum regi, qui anno 1189 Ptolomaidem oppugnandam suscepit. Hoc ipso anno autem, versus festum s. Georgii (23° Aprilis 1189) Fridericus I cum copioso exercitu iter in Orientem aggressus est, maxima omnium spe fore, ut Imperator virtute bellica clarus Saracenorum potentiam confringeret. Superatis insidiis et vexis, quas Isaac Angelus Imperator Graecorum ei struxerat, in Asiam minorem pervenit, sultanum Iconii duplici praelio vicit, Iconium expugnavit, iterque in Syriam prosecutus venit Seleuciam. At post immensos ejusmodi labores, infelici et insperata morte Imperator exstinctus est. Die 10° Junii, quum in Saleph fluvio se balneo refrigeraret,

vel eum transnatare vellet, aquis inopinate abreptus est et submersus. Uti mors Friderici ingentem dolorem universis, ad quos nuntius pervenit, incussit, ita etiam permagna fuit ista calamitas, quantum ad exitum expeditionis cruciatae Notum est, hanc expeditionem exoptatum finem non habuisse.

Mors Friderici I.

60. Henricus porro filius Friderici, Germaniae rex certior factus de obitu patris, varios Germaniae principes cum quibus vel ipse vel Fridericus simultates habuerant sibi reconciliavit, ac dein *misit nuntios suos ad Clementem Papam et ad Cardinales et Senatores Urbis, petens Romanum imperium et promittens, se in omnibus leges et dignitates Romanas servaturum illaesas. Clemens vero Papa habito cum Cardinalibus et senatoribus et populo Romano super petitionibus regis Alemannorum cum deliberatione consilio concessit regi Alemannorum quod petebat, salvis dignitatibus et consuetudinibus Romanorum, et statuerunt ei terminum veniendi Romam proximum pascha sequens. Sed antequam illuc venisset Clemens papa obiit.*[1] Clemens III videlicet e vivis excessit die 20° Martii anni 1191, eique mox successit Hyacinthus Cardinalis diaconus ex familia Orsinorum, vir grandaevus octoginta quinque annorum, qui dictus est *Coelestinus III.* Quaenam vero inter ipsum et Henricum VI Imperatorem intercesserint relationes, alio loco videbimus.

---

[1]) Roger de Hoveden, ap. Watterich, II. 707.

Dissertatio vigesima quinta,

De causa s. Thomae Cantuariensis Archiepiscopi.

---

1. In Alexandri III tempora incidit etiam lucta celeberrima, quae inter Henricum II Angliae regem et Thomam Becket archiepiscopum Cantuariensem exorta, vehementer invaluit, et non solum Angliam, sed totum fere orbem christanum exagitavit. Negotium tale fuit, ut ejusdem participes evaserint hujus temporis summi viri; indoles luctae fere eadem erat, qualis in dissidio Friderici cum Alexandro invenitur; dimicabatur videlicet de principiis, quibus habitus inter Ecclesiam ac regnum nititur, de Ecclesia libertate, juribus et auctoritate. Hujus autem certaminis ortu, progressu et exitu, mire commoti sunt animi omnium, quibus res Ecclesiae cordi erant, utque principia vera de Ecclesiae praerogativis firmarentur, non parum profuit Thomae in certamine constantia et per mortem cruentam victoria. Controversiae igitur historiam ita exhibebimus, ut eventibus quanta fieri potest brevitate commemoratis, iterum praecipue attentionem vertamus ad principia, quibus ducebantur varii qui in hac lucta inter sese concertaverunt. **Dissertationis indoles.**

2. Jam diximus, Normannorum principum fuisse proprium, ut dum Ecclesiae vel Romanis Pontificibus suo auxilio passim praesto essent contra hostium aggressiones, vel disciplinam ac mores in clero juxta statuta conciliorum satis tuerentur et promoverent, tamen sicuti in pro-

ceres et subditos territoriorum suorum, ita et in clerum, in praesules eorumque ecclesias atque in res ecclesiasticas, dominationem suam fere absolutam exercerent, et suo arbitrio, uti profana, ita et sacra disponere vellent. In Sicilia igitur, in provinciis Galliae, quibus dominabantur, atque in Anglia eadem fere ratione ultra modum ecclesias sibi subjicere studuerunt. In Anglia quum praesules timore detinerentur, vel prudenti quadam oeconomia tolerandum censerent, quod sibi videbantur non posse impedire, paulatim eo devenerunt, ut res ecclesiasticas fere omnes arriperent, et in servitutem Ecclesiam redigerent. Henricus II Angliae rex demum attentavit adigere praesules, ut abusus ejusmodi sub nomine *avitarum consuetudinem* comprobarent et reciperent, quo conditio illa misera et indigna ecclesiae *juris* perennis sanctione obfirmaretur. Tunc vero intrepide ei restitit Thomas Becket, Cantuariensis archiepiscopus et Angliae primas. Plurium annorum duro certamine is Ecclesiae jura defendit, exilium multasque aerumnas sustinuit, ac demum martyrio glorioso pacem et libertatem ecclesiae Angliae acquisivit. — Agemus igitur primum *de controversiae causis ejusque initio:* dein *de continuatione luctae ac s. Thomae exilio;* demum *de s. Thomae martyrio.*

Auctores. 3. Documenta, quae vitam ac martyrium s. Thomae Cantuariensis spectant, maxima parte habentur in collectione inscripta *Patres ecclesiae anglicanae,* quam edidit J. A. Giles. Sub titulo *Thomas Cantuariensis* octo volumina prodierunt. Tomo I et II continentur variae *vitae ac relationes martyrii* s. Thomae, jam a coaevis confectae, vel ex coaevorum scriptis subsequenti tempore compositae; tomo III et IV habentur *epistolae* s. Thomae, Alexandri III, Rotrodi archiepiscopi Rothomagensis, Wilhelmi archiepiscopi Senonensis etc.; tomo V et VI prodierunt *epistolae* Gilberti Foliot episcopi Londinensis, Theobaldi archiepiscopi Cantuariensis, Rogerii archiepiscopi Eboracensis etc.; tomo demum VII et VIII habentur *scripta Heriberti* de Boseham, scilicet vita s. Thomae, liber melorum et epistolae. Etiam quae in eadem Collectione editae sunt *epi-*

stolae Joannis Sarisberiensis (2 vol.), *Arnulphi Lexoviensis* (1 vol.), et *Petri Blesensis* (1 vol.), multa continent, quae ad causam s. Thomae Cantuariensis spectant. — Posteriori tempore non pauci fusius de s. Thoma Cantuariensi scripserunt. Inter alios cfr. Baronii *Annales* ad annos 1162 et sequentes; Natalis Alexander *hist. eccl. in saec. XI—XII, Dissertatio X,* cum notis Roncaglia et Mansi; Hefele *Conc.-Gesch. B. V;* Stolberg-Brischar *Geschichte der Religion J. C. B. 48;* Buss, *Der h. Thomas, Erzbischof von Canterbury etc.* Mainz 1856; Darboy, *S. Thomas Becket etc.* (2 vol.), Paris 1859; Reuter, *Alexander III, B. I et II;* Balan, *Storia di san Tommaso di Cantorbery e dei suoi tempi,* 2 vól. Modena 1867; Lingard, *History of England, Vol. II. Chap. V.;* Morris, *Life and martyrdom of St. Thomas Becket etc.* London 1859; Robertson, *Becket, archbishop of Canterbury,* London 1859, et *Materials for the history of Thomas Becket, archbishop of Canterbury,* 3 vol. London 1876—81; Palma, *Praelectiones etc. Tomus III. P. I. Cap. XV.;* Wouters, *Dissert. T. IV. Dissertat. XXIV.;* Hergenröther, *K. G. T. I. p. 864 sqq., T. III. p. 278.* Plerique auctores qui de s. Thoma Cantuariensi scripserunt citantur ap. *Chevalier, Repertoire des sources historiques du moyen-âge, Bio-Biliographie, sub nomine: Thomas Becket.* (Paris 1877—1884.)

I.

De causis initiisque controversiae.

4. Gulielmus I duro jugo ecclesias Angliae subjecerat, multaque modo arbitrario in rebus ecclesiasticis agebat, ita ut frequentes de eo essent apud Gregorium VII querelae. Sed quum regi quaedam virtutes non deessent Ecclesiaeque videretur satis addictus, propter angustias temporum Pontifex benigna erga ipsum usus est oeconomia, ac toleravit quae nonnisi cum maximo discrimine impediri poterant. Gulielmus II (Rufus) durius etiam ecclesias vexavit et oppressit, quumque simul multis vitiis scateret, tyrannica ejus dominatio omnibus fuit valde exosa. Qui ei successit **Reges Angliae.**

Henricus I, princeps quidem erat melioris frugis, sed etiam ipse auctoritatem suam et potestatem in praesules et res ecclesiasticas exercere atque urgere non destitit, et de investituris ac de hominio ab episcopis praestando cum s. Anselmo et cum Sede Apostolica acerrima dissidia habuit. Qua quidem in re s. Anselmus, dum jura Ecclesiae constanter defenderet, exilia multasque aerumnas perpessus est; plures autem episcopi et viri ecclesiastici dominationi principum jam assueti eorumque indignationem metuentes, satis ignavos sese exhibuere. Postremo tamen s. Anselmi constantia Pontificumque moderatione sapienti lis ita terminata est, ut dignitas et independentia Ecclesiae saltem quoad essentialia salvae essent. Rex investituris renuntiavit, hominium vero praesulum tolerantia quadam Ecclesiae concessum fuit. Caeterum Henricus I quantum potuit ecclesiis dominari conatus est. — Post mortem ipsius (a. 1135), quum prolem masculam non reliquisset, *Stephanus* comes Blesensis, Henrici I nepos, Angliae throno potitus est. Sed Mathildis quoque Henrici I filia, Henrici V Imperatoris vidua, et secundis nuptiis comiti Godefrido (Plantagenet) Andegavensi juncta, sua in regnum jura armis vindicavit. Inde bellum civile exarsit, diuturnum, quod anno 1153 terminatum est eo pacto, ut Stephano quidem regnum remaneret, sed ei defuncto succederet Mathildis filius, Henricus Normanniae dux. Quum igitur jam anno 1154 Stephanus obiisset, iste *Henricus II* (natus a. 1133) Angliae regnum obtinuit, quumque in Gallia praeter Normanniam alia quoque territoria ab uxore Eleonora ei allata possideret, non mediocri fruebatur potestate.

Henrici II tendentiae. 5. Temporibus Stephani regis, quum in bello civili ab adhaesione cleri multum dependeret nec semper juxta arbitrium voluntatis suae princeps res disponere posset, praesules dignitatem suam et libertatem aliquatenus servare potuerant. Sed Henricus II, juventute fervens et dominandi cupidine, exempla secutus est Gulielmi I et Gulielmi II, et dominationem absolutam in clerum recuperare, imo et amplificare studuit. Quae igitur aliquando principes Normanni de facto usurpaverant, vel quae ipsius do-

minationi alioquin opportuna videbantur, *avitae consuetudinis* titulo rex sibi arrogare conatus est. Quum vero eo progrederetur, ut juberet consuetudines ejusmodi quae dicebat, praesulum sibi firmari acceptatione solemni, adeo ut ad instar juris normalis perinde haberentur, ei restitit, uti diximus, Thomas Cantuariensis archiepiscopus, et postremo constantia sua regis conatus elisit. Sed jam de vita hujus viri deque eventibus, qui ad hanc causam pertinent, paulo accuratius agamus.

Thomas Becket.

6. Natus est Thomas Becket die 21° Decembris anni 1117, *patre Gilberto qui et vicecomes fuit, matre Mathilda, civibus Londoniae mediastinis, neque foenerantibus, sed de redditibus honorifice viventibus.*[1]) A parentibus ad omnem pietatem ab initio institutus, litterarum deinde et jurisprudentiae studiis operam praesertim Parisiis dedit; Londinum in posterum venit. Ibidem statum clericalem amplexus est, et postquam apud proceres quaedam obiit munia, ad Theobaldum archiepiscopum Cantuariensem se contulit, qui viri peritiam perspiciens mox ad gravia negotia eum adhibuit, diaconum ordinavit, imo ad munus amplissimum archidiaconi ecclesiae Cantuariensis promovit. Dein opera Theobaldi etiam factum est, ut regis cancellarius fieret. De ista promotione ac de vita Thomae, dum cancellarius erat, ita habetur in Thomae *Vita* quadripartita: „Succedentes post modicum Henrico Duce Normanniae et Aquitaniae Stephano Anglorum regi in regnum, elaboratum est ab antedicto archiepiscopo, suspectam habente novi regis adolescentiam, quam pravorum hominum consilia pervertere moliebantur, ut archidiaconus suus efficeretur regis collateralis et cancellarius, cujus ope et opera novi regis, ne saeviret in Ecclesiam, impetum cohiberet, et consilii sui temperaret malitiam et reprimeret audaciam officialium, qui sub obtentu publicae potestatis et praetextu juris, tam Ecclesiae quam provincialium facultates diripere conspiraverant. Cernebat quippe pontifex juvenem, cujus mores et industriam in variis jam rerum eventibus exper-

[1]) Guilelm. Stephanides, Vita Thomae, ap. Giles, Tom. I. p. 185.

tus fuerat, in agendis strenuum, in consiliis fidum, in dubiis securum, in adversis magnanimum, in apparatu magnificum, ad jussa promptum, in obsequio sedulum, in omni denique opere providum et circumspectum. Unde et talem aula dignum et aulae gratum futurum, nec immerito, arbitrabatur, sperans exinde nihilominus eo procurante inter regnum et sacerdotium deinceps pacis gratiam et unitatis vinculum firmius observari. Agente igitur et procurante pontifice Thomas aulam ingreditur, et tribuente rege officium cancellariae suscepit. — Archilevita igitur aulam ingressus, et in aula, ut diximus, cancellariae officio mancipatus, levitam pro tempore exuit et cancellarium induit. Regis siquidem se conformans moribus, pariter nugis vel seriis intendere, pariter venari, et idem prandendi dormiendique tempus observare satagebat. Ad haec curiales facetias amplecti, numerosa clientela gaudere, gloriam quaerere popularis aurae, fallacibus delectari. . . . Verumtamen licet ei mundus in omnibus lenociniis suis adulari et applaudere videretur, tamen quod rarius accidere solet, in affluentia rerum mirandus et imitandus erat corporis castitate, ut secundum vanitatem et castitatem derisorem beati Martini Britium videretur exhibere. . . In omnibus autem lenocinantis mundi blandimentis, et prosperitatis arridentis applausu, memor Thomas conditionis suae, et honoris sibi impositi, quotidie, hinc pro domini sui regis salute et honore, inde pro necessitate Ecclesiae et provincialium contra bestias curiae pugnavit, et quatenus regia severitas et reverentia permisit, contra regem contendens. tanquam quodam futurorum praesagio sub pacis tempore dimicabat in acie."[1])

Thomas Cancellarius. 7. Quum Thomas cancellarius esset, post archiepiscopum Cantuariensem summo honore in regno fruebatur, re-

[1]) Vita quadr. L. I. c. IV. V. — Quatuor ex s. Thomae fidelibus amicis vitam ipsius descripserunt, Joannes Sarisberiensis, Gulielmus Stephanides, Alanus, et Heribertus de Bosham. Ex hisce Vitis mandante Gregorio XI compositus fuit Quadrilogus seu Vita quadripartita. Typis edita fuit haec Vita primum Parisiis a. 1495; post eam edidit cum epistolis s. Thomae Christ. Lupus ord s. Augustini et Professor in Universitate Lovaniensi, Bruxellis a. 1682.

gisque et regni negotia prae caeteris disponebat. Quaerunt porro auctores, qua ratione potuerit fieri, ut Thomas dum cancellarius erat, eousque vitae aulicae indulgeret, regis in omnibus sectaretur obsequium, atque etiam in negotiis ecclesiasticis principis partes strenue tueretur. Ac prouti de charactere et indole Thomae diverso modo judicant, diversa etiam ratione respondent. Censet Reuter, Thomam fuisse virum, magnis quidem dotibus, et ea animi dispositione praeditum, ut vitae et muneribus quoque valde diversis se penitus accommodare posset, illudque unice ei semper propositum fuisse, ut totus esset in illis negotiis quae susceperat, et omni ex parte eum locum teneret illudque munus expleret, quae ipsi contigerant. Hinc virum haud certa principia esse secutum, nec scopum aliquem nobiliorem, sed facilitate simul et constantia magna, varias prouti eveniebat induisse personas, haud tamen specietenus, sed serio modo, ut ex toto animo eam ageret personam quae cancellario, nec minus postea eam valde oppositam, quae archiepiscopo Cantuariensi conveniebat.[1])

8. Sed ejusmodi delineationem characteris magni illius viri haud accuratam esse existimamus. Merito igitur cl. Hefele[2]) animadvertit, diversam rationem agendi et vivendi variis ex rationibus congrue explicari. Dum Thomas erat cancellarius, pro munere suo regis commoda tuebatur, et censebat, praesulum esse sese opponere, si nimiam auctoritatem et influxum in res ecclesiasticas princeps sibi vindicabat. Quum vero episcopi haud reclamarent, ea quae rex sibi tribuebat privilegia strenue tuitus est. — Addendum censeo, videri quidem Thomam in sua vivendi ratione faciliori se regi multum accommodasse, ut ejus favorem sibi conciliaret, caeterum vero quantum spectat ad res ecclesiasticas cum prudentia egisse, ita ut simul sollicitum se ostenderet pro regis praerogativis, simul vero eum moderaretur, ne ulterius progrederetur. Id enim ex Ratio agendi Thomae.

[1]) Reuter, Alexander III. B. I. S. 246 ff. 272 ff.
[2]) C. G., B. V. §. 624.

relatione coaevorum colligitur. Quum v. g. ante concilium Tolosanum regisque definitivam sententiam duo episcopi Normanniae Alexandrum jam proclamassent legitimum Pontificem, Henricus II vehementi ira exarsit, sed a Thoma pacatus fuit. Ipse etiam intervenit, ut obtenta dispensatione pro filii nuptiis, rex Alexandro III adhaereret.

Interdum forte segnior. 9. Attamen passim aliquid humani passum esse Thomam cancellarium, regisque commoda ferventius, Ecclesiae jura segnius curasse, haud difficulter admiserim. Exstant ad Thomam cancellarium Theobaldi archiepiscopi Cantuariensis epistolae duae, quas senex jam morti appropinquans ad eum dedit. Prima amice urget Thomam, ut abusibus Ecclesiae noxiis abolendis adlaboret; altera paterna severitate conqueritur, quod monitis repetitis non obsequatur, et ipsum aegrotum invisurus Cantuariam non venerit, ut simul de abusibus tollendis tractarent. Excusat quidem ipsum quod negotiis regiis detineatur, sed enixius rogat, ut Ecclesiae bono provideat, Deique gratias ei concessas haud negligat.[1]) Non apparet, Thomam desideriis Theobaldi satis obsecutum esse; hic vero paulo post e vivis excessit. Videtur cancellarius quidem, uti innuimus, singulis in casibus et eventibus prudenti oeconomia res attemperasse et disposuisse,[2]) at principiis abusuum haud obviasse, sed ut persisterent toleravisse in principis obsequium. — Nimium quoque eum regi cessisse dixeris, quando eo petente bello in Gallia gerendo ut dux praefuit. Quod quum clericus esset et diaconus, secundum canones non conveniebat. Attamen nobilis ac fortis animi laudem cancellarius eo in bello sibi meruit, et exemplo aliorum, etiam episcoporum, licitum id existimare potuit.[3])

---

[1]) Cfr. Materials for the history of Thomas Becket etc. T. V. p. 10 sqq.

[2]) Auctor coaevus Thomae cancellarii indolem hisce versibus exprimit:

„Hic est qui regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pii principis aequa facit."

Materials etc. Tom. IV. p. 14.

[3]) Ea de re Lingard advertit, cancellarium satis acriter caeteroquin perstringens: „Had he been a military adventurer, his conduct in this

10. Caeterum Thomas dum cancellarii munus per plures annos gessit, certe advertere potuit, ab episcopis multa regi permitti, quae pro munere ipsorum recusare et inhibere debuissent; at opinatus est, ipsius non esse praesulum partes agere, sed potius regis promovere utilitatem. Perspexit porro acrioris ingenii vir currentibus annis, immixtionem illam regis in res Ecclesiae fundamentis solidis carere, scatere periculis, Ecclesiae dignitati et indoli esse maxime obnoxiam. Hinc quando archiepiscopus factus est, non ex ambitione, sed ne conscientiam laederet, constanter luctam pro Ecclesiae juribus sustinuit. — Dum ad maturiorem aetatem pervenit Thomas, etiam perfectione morum animique profecit, atque ita quando archiepiscopatum obtinuit dioecesis, cujus ecclesiae cathedrali junctum erat capitulum monachorum Benedictinorum, ex quibus plerumque archipraesules eligebantur, merito censuit, abjiciendum sibi esse etiam quidquid ultra debitum mundana saperet, ne dispar a capitulo videretur episcopus. In descriptione autem vitae ejus mundanae, tempore officii cancellarii, forte aliquid exaggerationis habetur. Vividioribus coloribus descripserunt ista vitae Thomae auctores, tum quod tantam adverterent differentiam inter cancellarii splendorem mundanum et archipraesulis mores venerandos, tum quod ipsi, instituti monastici sectatores, severius de magnificentia illa ac de fastu saeculari judicarent. Sed jam ad eventuum seriem enarrandam revertamur. **Mutatio unde.**

11. Itaque quum obiisset Theobaldus archiepiscopus Cantuariensis et jam tredecim mensibus sedes illa vacasset, rex iniit consilium, ut Thomas cancellarius ipsius ecclesiae isti proponeretur. Quum igitur Henricus ex Normannia, ubi degebat, Thomam negotiorum gratia in Angliam

---

campaign might have deserved praise: but it savours little of the meek and peaceful spirit of the christian churchman. Something perhaps should be indulged to the manners of the age. The preceding reign had often beheld Henry of Winchester at the head of armies: Becket might allege, that what had been tolerated in a bishop and legate, was equally allowable in a deacon and chancellor." Hist. Vol. II. Ch. 5.

Thomas creatur archiepiscopus.

mitteret, ei quoque aperuit, ipsius voluntatem esse, ut ad sedem illam primatialem Angliae promoveretur. Praevidisse perhibetur Thomas, conflictus inter ipsum et principem orturos esse, regique dixisse: *Quam religiosum virum, quam sanctum, in tam sancta sede, et super tam celebrem et tam sanctum conventum monachorum constitui desideras? Scio certissime, quia si Domino disponente acciderit sic, certissime a me auferes animum, et gratia quae nunc inter nos tanta est, in atrocissimum odium convertetur. Novi quippe, te nonnulla exacturum et in ecclesiasticis te tam multa praesumere, quae ego sustinere non possum. Et ita occasione nacta interponent se invidi, qui exstincta gratia perpetuum inter nos odium excitabunt.*[1]) Rex tamen videtur sperasse fore, ut Thoma ipsius amico archiepiscopo, etsi forte interdum pro more quaedam lites orirentur, facilius tamen ipse augmentum auctoritatis consequeretur. Rege itaque urgente, et suadente Henrico Cardinale Pisano Pontificis in Anglia legato, Thomas acquievit principis voluntati. Quum Henricus suam voluntatem capitulo significasset, etsi quibusdam canonicis monachis (haud immerito) displiceret, viro qui rebus mundanis potius eousque videbatur addictus, tale munus conferri, tamen eum in archiepiscopum elegere, atque mox Thomas in presbyterum ordinatus et in episcopum Cantuariensem consecratus est. *Convenerunt,* inquit Gervasius Doroborrensis in Chronico ad a. 1162, *Cantuariae praesules et principes regni, ut tantae assisterent consecrationi. Sabbato igitur octavarum Pentecostes in presbyteri gradum ordinatus, in crastino archiepiscopus consecrandus.*

12. Archiepiscopus factus Thomas Benedictinorum habitum induit, vitamque ducere coepit vere sanctam et sublimi munere suo dignam. Cancellarii vero officium dimisit, ut liberius gregis curam gerere posset, et ab Henrico juniore, regis filio, cujus institutioni praefuerat Thomas, ipse a ratione muneris gesti reddenda absolutus est. Brevi

---

[1]) Vita quadr. c. VI.

post evectionem suam Thomas plura bona ecclesiae Cantuariensis, quibus injuste nobiles potiti erant, repetiit et ecclesiae addixit. Ecclesiae enim bona servare, ut tum ipsius ecclesiae, tum pauperum necessitatibus provideri posset, procerumque rapinas compescere, praesuli propositum fuit. Conquesti sunt proceres apud regem, qui tamen initio partes archiepiscopi tuitus est. *Jam quibusdam regni magnatibus, viris magnis et potentibus, de praediis per praedecessorum impotentiam seu incuriam ecclesiae suae ablatis quaestionem movet; quaedam repetendo, nonnulla vero ubi manifesta videbatur injuria, absque quaestione revocando. Conventus vero quare hoc faceret, respondit, nullo modo se velle litigare super his quae ad dominium suum pertinere fuisset notissimum, etsi quocumque titulo injuste alienata. Et ita feuda omnia illa, quae firme feudales dicebantur, pro voluntate sua tenuit et ordinavit, donec exturbatus haec et alia propter justitiam proscriptus perdidit. Unde hujuscemodi motis quaestionibus, oriuntur pontifici mox contentiones et lites et adversarii multi. . . . Verum qui se laesos sentiebant aut laedendos verebantur, regem extra regnum agentem adeunt, et conquerentes exponunt, aliqui se passos, aliqui se passuros esse injuriam per pontificem, nisi regia clementia justitiae adhibeat manum. . . . Sed rex, qui opere et veritate eum diligebat, a talibus avertebat auditum.*[1]) Etiam quando rex anno 1163 in Angliam venit, magno in favore Thomam habuit, ita ut ei proponeret administrationem regni in Anglia suscipiendam, dum princeps in Normannia degeret. Id vero Thomas prudenter declinavit.

Defendit bona Ecclesiae.

13. Eodem anno 1163 Thomas, consentiente rege, cum aliis episcopis profectus est Turonas (mense Majo), ubi Alexander III synodum celebrabat. Peculiari modo a Pontifice Thomas honoratus est, magnasque partes habuit in condendis illius synodi decretis, praesertim contra bonorum ecclesiasticorum usurpatores et libertatis ecclesiarum oppressores. Perhibetur autem Thomas, quum conscientiae

---

[1]) Vita quadr. c. XIII.

scrupulis urgeretur ob electionem ipsius minus libere et canonice, sed regis gratia et voluntate factam, munus suum occulte resignasse in manus Alexandri III, et ab eo dein illud iterum recepisse, ut quicumque defectus ea ratione sanaretur.

Dissidium de privilegio fori.

14. In Angliam reversus est dein archiepiscopus, et continuavit bona Ecclesiae a magnatibus erepta eidem strenue vindicare. Sed brevi post dissidia cum rege exorta sunt. Ansam praestitit quaestio de *privilegio fori;* quamvis inde ab initio mens regis ea esset, ut sibi suprematiam in ecclesias firmiter vindicaret, atque universim harum subordinationem sub potestate civili disponeret. Primum igitur conatus est Henricus rex clero eripere illud privilegium fori, seu immunitatem jure canonico sancitam, qua fiebat, ut causae clericorum, etiam quando de criminibus agebatur, a judicibus ecclesiasticis dirimerentur. Postulavit igitur pluribus in casibus, ut clerici criminum rei, e gradu clericali exauctorati judicibus saecularibus traderentur, quo efficacius punirentur; sed archiepiscopus fortiter ei restitit. Ita presbyterum homicidii reum exauctoravit quidem Thomas, et ad perpetuam poenitentiam in monasterium relegavit, sed eum curiae saeculari tradere recusavit, juxta principia juris canonici tunc etiam in Anglia vigentis, atque decretum expressum Stephani regis, quo hic a. 1136 illud privilegium cleri confirmaverat. Pariter Philippum canonicum, qui regio magistratui injuriam intulerat, poenis canonicis quidem addixit, imo et virgis caedi fecit, ne minus severe agere videretur; verumtamen neque hunc judicibus regiis tradere voluit, uti princeps poscebat. — Sed rex aliquot clericos occasione data ad judicia saecularia violenter detulit; atque discordia non mediocris exorta est.[1]) Archiepiscopus de difficultatibus

[1]) Alia etiam additur dissidii occasio. Thomas vacantem ecclesiam Ameformiae contulerat administrandam cuidam Laurentio. Sed Wilhelmus dominus villae, sibi vindicans jus patronatus, Laurentium expulit ecclesia; Thomas vero audaciam Wilhelmi excommunicatione castigavit. Quum hoc fecisset inconsulto rege, princeps magnam concepit indignationem, contendens, nullum ministrum regium, (qualem contendebat

exortis litteris certiorem reddidit Alexandrum III; rex vero convocavit ad diem 1[um] Octobris procerum et praesulum conventum ad oppidum Westmonasteriense, ut de causa ista ageretur.

15. Quum convenissent episcopi, postulavit ab illis Henricus II privilegii fori eam modificationem, quae abolitioni appropinquabat, videlicet ut 1° archidiacono, quum nomine episcopi judicem ageret, adjungeretur officialis regius; 2° ut clerici gravium criminum rei ab auctoritate ecclesiastica degradarentur, et dein ad eos puniendos traderentur potestati saeculari. Afferebat rex rationes satis speciosas, cur communi jurisdictioni in criminalibus subjectos vellet clericos, videlicet pacem, securitatem et bonos mores in regno, quum nimis indulgentes essent judices ecclesiastici, ac poena ab ejusmodi tribunalibus clericis inflicta multo mitior. Hinc crimina et flagitia clericorum multiplicari. Sensa eorum qui regis conamini et postulatis ista in re suffragabantur, colliguntur ex iis, quae scribit auctor coaevus, Gulielmus Neubrigensis: „*Regi circa curam regni satagenti, et malefactores sine delectu exterminari jubenti, a judicibus intimatum est, quod multa contra disciplinam publicam, scilicet furta, rapinae, homicidia a clericis saepius committerentur, ad quos scilicet laicae non possit jurisdictionis vigor extendi. Denique ipso audiente declaratum dicitur, plus quam centum homicidia intra fines Angliae a clericis sub regno ejus commissa. — Nempe episcopi dum defendendis magis clericorum libertatibus vel dignitatibus, quam eorum vitiis corrigendis resecandisque invigilant, arbitrantur, obsequium se praestare Deo et Ecclesiae, si facinorosos clericos, quos pro officii debito canonicae vigore censurae coërcere vel nolunt vel negligunt, contra publicam tueantur disciplinam. Unde clerici, habentes per impunitatem agendi quodcumque libuerit licentiam et libertatem, neque Deum neque homines habentes potestatem reverentur, cum et*

Conventus Westmonasteriensis.

---

esse Wilhelmum), comitem aut baronem, citra suam scientiam excommunicari posse. Eo in casu Thomas regi cessit, excommunicationemque sustulit.

episcopalis circa eos sollicitudo sit languida, et saeculari eos jurisdictioni sacri eximat ordinis praerogativa.[1]) Insistebat rex in conventu isto praesertim in eo, quod poena ecclesiastica, e. g suspensio, a perversis clericis sperneretur ac nimis mitis esset, quodque jura Ecclesiae salva essent, si clerici post degradationem brachio saeculari traderentur.

Resistentia Thomae. 16. Petiit Thomas moras pro dando responso, sed quum rex ea in sessione rem vellet diremptam, secessit cum episcopis, ut deliberarent. Atque episcopi, rationibus speciosis seducti nec gravitatem rei perspicientes, satis proni fuerunt, ut regi postulata concederent, eo vel magis, quod ignavia et timore tenerentur. Sed archiepiscopus apprime perspiciebat, quaestionem gravissimam de ipsis principiis huic subesse negotio, regemque, quum jurisdictionem exemptam cleri abolere studeret, primum veluti gradum facere, ut subordinationem Ecclesiae sub potestate civili constitueret. Abusus profecto, qui objiciebantur a rege, non erant tales, ob quos clerum privilegio fori renuntiare aequum esset. Rigor in punitione minor dignitati status clericalis conveniebat, si vero aliquando nimia indulgentia adhibita fuerat, id facile corrigi poterat. Archiepiscopus igitur exprobravit reliquis praesulibus ignaviam, eosque monuit, ut constanter libertatem Ecclesiae tuerentur. Qui quum in ipsius sententiam cessissent, jam convenit inter eos, quid regi responderetur.

17. Itaque secundum postulatum, videlicet ut clericus exauctoratus ab auctoritate spirituali dein potestati civili traderetur, episcopi omnino recusarunt.[2]) Quoad primum

---

[1]) De rebus Angliae L. II. c. 16.

[2]) Thomas quoad hoc caput apud praesules multum in eo insistebat, injustum esse, clericum delinquentem bis judicio ac tribunali subjicere; nec ab ipsis tolerandum esse, ut Ecclesiae libertas opprimatur. „Nec enim Deus judicat bis in idipsum. Quod enim, inquit, judicat Ecclesia, aut justum est aut injustum; erit ergo justum. Si ergo damnatur reus cum exauctoratur, non debet aliud judicium inchoari ad ejusdem condemnationem peccati. Ad haec quoque cavendum est, inquit, nobis, ne nostro consensu opprimatur et pereat libertas Ecclesiae, pro qua, exemplo summi sacerdotis nostri, ex officio tenemur usque ad

caput, quod erat minoris momenti, videntur minus repugnasse, videlicet ut in tribunali ecclesiastico officialis regis praesens esset. Ita enim non renuntiabatur jurisdictioni exemptae, sed tantum regi praebebatur occasio ut videret, haud nimia indulgentia judices ecclesiasticos uti. Quamvis regi vehementer displiceret, quod postulatum ejus praesules non acceptarent, pro tempore tamen dissimulavit indignationem suam de hoc capite. Qua in re artificio quodam usus est. Dum enim in re peculiari cedere videbatur, ad quaestionem generalem se vertit, ut ea eliquata ex sententia sua, eo facilius scopum attingeret. **Quaestio de consuetudinibus avitis.** Petiit igitur ab episcopis, ut saltem declararent, se velle observare et vereri *consuetudines avitas,* i. e. jura regis in res ecclesiasticas consuetudine introducta, quo titulo palliari poterant quaecumque princeps sibi usurpabat in Ecclesiam jura, eo quod aliquando praedecessores ipsius talia sibi arrogaverant.

18. Habita cum episcopis ista de quaestione deliberatione, Thomas cum reliquis praelatis respondit magna cum prudentia, se velle illas consuetudines observare, *salvo nimirum ordine suo*[1]) *et jure Ecclesiae.* Hac ratione captiosae quaestioni, indeterminata quadam, sed prudentissima restrictione responderunt. Unus episcopus Cicestrensis, ut regis animum leniret, respondit, se consuetudines illas servaturum *bona fide.* Sed nec unum nec alterum responsum principi fuit acceptum, et vehementissima ira in episcopos exardescens eis insalutatis discessit Ex illo die inimicitia contra Thomam archiepiscopum regis animo insedit, et jam altero die coepit eum variis postulationibus vexare.

19. Quodsi episcopi Angliae in dissidio exorto concordes fuissent et Thomae partes constanter tenuissent,

---

mortem certare. Nondum autem usque ad mortem restitistis." Guilelm. Stephanides, Vita s. Thomae, ap. Giles Tom. I. p. 210.

[1]) I. e. salvis juribus, quae ordini seu statui episcopali conveniebant.

Praesules Thomae adversi.

Henrici indignatio vix effectus sortiri potuisset. Sed brevi post varii praesules, primatem deserentes, principis partes secuti sunt. Variis negotiationibus rex eo pervenit, ut eos praesules ad se alliceret; quod minus difficile fuit, quia illi episcopi haud toto corde primatis sententiam amplexi erant nec negotii gravitatem perspexerant, sed in ea remanserant opinione, satius esse regi obsequi, quam conflictu cum ipso agitari et turbari. Simul ignavia tenebantur, et aversione quadam in Thomam, quem nimis pertinacem in suo sensu habebant; forte etiam simultate in ipsum agebantur. Praecipui adversarii Thomae exinde fuere Rogerius archiepiscopus Eboracensis (York), et Gilbertus Folioth episcopus Londinensis. Gilbertus hic erat praesul sacrarum disciplinarum eruditione conspicuus, inde ab adolescentia monachus (Cluniacensis), vitae admodum severae, ita ut nec carne nec vino uteretur. Ecclesiae valde addictus videbatur, et Alexandri III partes magno cum fervore defendebat. Quando rex postulavit a capitulo Cantuariensi electionem Thomae in archiepiscopum, Gilbertus, eo tempore episcopus Herefordensis, aperte id improbavit, eo quod Thomas esset homo rebus mundanis addictus. Tempore vero dissidii Thomae cum rege, quum interim ipse promotus esset in sedem Londinensem, sese exhibuit ut acrem Thomae adversarium. Joannes Barisberiensis aliique Thomae amici, uti et ipse Thomas, contenderunt, magnas hac in re partes habuisse occultam ambitionem et invidiam viri, qui ipse desideraverit primam regni sedem. Gilbertus quidem id peremptorie negabat; sed interdum homines caeteroquin probi ducuntur aliqua passione aliis manifestata, ipsis vero fatali aliqua deceptione occulta, dum alia actionum motiva sibi conquirunt.[1]

---

[1]) Avertit Reuter (Alexander III T. II. p. 61), etiam Rogerium Eboracensem archiepiscopum, Gilberto amicissimum, post litem finitam in epistola ad Alexandrum III fassum esse, Gilbertum ductum fuisse invidia. „Hunc, scribit Rogerius, lacessivit invidia integritatem ejus lacerare tentans, quae supra firmam petram fundata non poterit sentire defectum.“ Ap. Giles, Epistolae Gilberti Londinensis V. II. p. 172. Sed ex contextu patet, sensum verborum plane alium esse. Rogerius

Poterant Gilbertus aliique episcopi eam sibi cudere opinionem, Thomam duci caeca pertinacia in re, quae ipsis haud tanti videbatur momenti, et melius esse, amicitiam colere regis et servare concordiam, quam sequi placita viri, qui antea vitae ecclesiasticae gravitate ipsis fuerat satis inferior. Quidquid sit ista de re, vides, quantae fuerint inde ab initio dissidii s. Thomae difficultates, quum magna pars episcoporum, iique viri graves et integri, ab ipso recedentes regi adhaeserint.[1])

20. Interim Alexander III quidem (mense Octobri a. 1163) Thomam litteris consolatus est, et, ut Ecclesiae libertatem tueretur, monuit. Sed exilio amicorum, uti Joannis Sarisberiensis, aliisque vexationibus rex praesulem affligebat, crebris vero episcoporum et abbatum hic impetebatur suasionibus, ne unius verbi occasione se ipsum una cum universa Ecclesia in discrimen adeo patens importune conjiceret. Supervenit etiam ex Normannia Philippus abbas de Eleemosyna, qui asserebat, *se a Romano Pontifice directum, qui regis eum voluntatibus obtemperare persuaderet, dicens, dominum regem jurejurando cavisse, quia nihil in praejudicium ecclesiae postularet, sed honorari coram optimatibus suis dumtaxat exoptaret, et per hoc postulationibus ejus vel umbratilem et qualemcumque consensum sufficere ad reformationem pacis. Si quid sic praesumatur, Dominum Papam sibi malle imputari, quam pacem non reformari.*[2]) Litteras etiam ostendebat Cardi- **Philippus de Eleemosyna.**

---

vindicat ab omni accusatione Gilbertum, et asserit, adversarios invidia motos calumniasse (lacessivisse) Gilbertum virum integritatis eminentis

[1]) Perhibetur Arnulphus episcopus Lexoviensis, Alexandri III in Anglia legatus, qui caeteroquin pariter fuit vir Ecclesiae addictissimus, Henrico II suasisse, ut principium sequens: *Divide et impera,* partem praesulum ad se allicere studeret. Imprudenter regi illud dedit consilium, quum ejus favorem quaereret, negotii vero gravitatem tunc non perspiceret. V. Vita quadr. c. XX; Ed. Grim, Vita s. Thomae, ap. Giles. Vol. I. p. 25.

[2]) Vita quadr. I. XX.

nalium eo sensu conscriptas; pars enim Cardinalium cedendum esse existimabat. Quas ostendebat litteras ab Alexandro III scriptas, confictas fuisse censent graves auctores.[1]) Sed non apparet, Philippum protulisse epistolam Alexandri ad Thomam directam; hinc, si revera provocavit ad litteras Pontificis, forte actum est de aliis epistolis, quibus Alexander universim spem concordiae exprimebat, vel abbati committebat munus, ut conaretur reconciliationem inter regem et archiepiscopum obtinere.[2]) Praesulum igitur instantiis flexus, Thomas regem ad oppidum Woodstock adiit, eique affirmavit, 'se a promissione sua ablaturum verba illa quae majestati ejus displicuerant, seque *bona fide* consuetudines servaturum. Quamvis princeps etiam ejusmodi additionem antea recusasset, tunc tamen eam acceptavit, et quum solemni modo avitas consuetudines firmari intenderet, generalem omnium ordinum conventum coëgit Clarendonam in diem 30um Januarii anni 1164.

Cedit Thomas.

21. Convenerunt igitur proceres et episcopi statuta die, atque *exegit rex instantius, ut promissa sibi solverentur*. Vidit illico Thomas, rem non se habere, uti Philippus abbas asseruerat, regemque non intendere meram quamdam formam deferentiae ex parte praesulum obtinere, sed meditari subjectionem Ecclesiae sub potestate regia. Hinc quum aliter res se haberet quam supposuerat, quando paratum

---

[1]) Hefele, C. G. V. §. 625; Hergenröther, K. G. I. 864; Reuter I. 355.

[2]) Etiam anno subsequente (27° Febr.) Alexander III Thomam epistola data hortatur, ut „cautius temporum qualitatem attendens, Henrico Anglorum regi in omnibus et per omnia salva honestate ecclesiastici ordinis deferre satagat, et ejus sibi gratiam et amorem incessanter recuperare intendat.“ Giles, Epp. Thomae Vol. II. p. 1. — Falsam fuisse Philippi abbatis assertionem, se a Pontifice missum esse, existimat Reuter (I. 355); sed aegre crediderim, abbatem, virum ob sua merita *magnae opinionis et famae* (Rogerius de Pontin. in *Vita s. Thomae* ap. Giles I. 122), plane finxisse se a Pontifice missum esse. Censerem potius, Alexandrum Philippo de Eleemosyna in Angliam proficiscenti saltem commendasse, ut conaretur litem componere; abbatem vero spe felicis successus adductum, hortatione et promissis ultra mandata Pontificis esse progressum. Cfr. Stolberg-Brischar l. c. p. 163.

se ostendit principis desiderio obsequi, mutato consilio iterum archiepiscopus firmiter restitit regis postulatis. Nec principis minae feroces eum terruerunt. Sed quum episcopi eum adjurarent, ne summa pericula ac mala in ipsos et Angliae ecclesias pertinacia sua provocaret, quumque quidam consiliarii regis ex una parte violentiam minitarentur, ex altera assererent, agi tantum de forma quadam, nullaque inde Ecclesiae incommoda proventura, tandem animo turbatus cessit Thomas et *annuit de consilio episcoporum regis voluntati parere. Primus igitur ante omnes archipraesul in praetacta forma se obligat, quod videlicet regias consuetudines foret observaturus „bona fide", verbo illo suppresso scilicet „salvo ordine". Et quasi juratoriam adjiciens cautionem, haec se facturum in verbo veritatis spopondit, peccatum peccato adjiciens. Et idipsum in eadem forma singulatim universi pontifices jurarunt. Et incontinenti facta obligatione in forma hac per quosdam regni proceres, qui has nosse debuerunt, facta est regiarum consuetudinum recognitio, et sicut publice, ita et expressim recensentur* [1]) Conventus Clarendonensis.

22. Atque hoc loco jam convenit exhibere catalogum illarum *consuetudinum,* uti eas ex codice Vaticano recensent Baronius (a. 1164 n. 37) et Mansi (XXI. 1194), adjecta in codice sententia pontificia Alexandri III, qua vel damnandum vel tolerandum aliquod caput censuit.[2]) — 1. „De advocatione et praesentatione ecclesiarum, si controversia emerserit inter laicos et laicos, vel inter clericos et laicos, vel inter clericos et clericos, in curia domini regis tractetur et terminetur." — Primum hoc damnavit S. R. E. sub Alexandro III. — 2. „Ecclesiae de feudo domini regis non possunt in perpetuum dari absque assensu et concessione ipsius." — Hoc toleravit. — 3. „Clerici citati et accusati de quacumque re, moniti a justitia regis, venient in curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, unde videbitur curiae Articuli Clarendonenses.

---

[1]) Hist. quadrip. L. I. c. 21.; cf. Willelmi Cantuar. Vita s. Thomae ap. Giles Tom. II. p. 8.

[2]) Inveniuntur etiam in Opp. Herberti de Bosham, Giles T. VIII. p. 201.

Articuli Clarendonenses.

regis quod sit ibi respondendum, et in curia ecclesiastica, unde videbitur quod sit ibi respondendum: ita quod regis justitia mittet in curiam s. Ecclesiae ad videndum, quomodo res ibi tractabitur. Et si clericus convictus vel confessus fuerit, non debet de caetero eum Ecclesia tueri." — Hoc damnavit. — 4. „Archiepiscopis, episcopis, et personis regni non licet exire de regno absque licentia domini regis. Et si exire voluerint, si regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo, perquirent malum sive damnum domino regi vel regno." — Hoc damnavit. — 5. „Excommunicati non debent dare vadium ad remanens (i. e. remanendi in domicilio suo), nec praestare juramentum, sed tantum vadium et plegium standi judicio Ecclesiae ut absolvantur." — Hoc damnavit. — 6. „Laici non debent accusari nisi per certos et legales accusatores et testes in praesentia episcopi, ita quod archidiaconus non perdat jus suum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et si tales fuerint qui culpantur, quod non velit nec audeat aliquis accusare eos, vicecomes requisitus ab episcopo faciet jurare duodecim legales homines de visueto, seu de villa, coram episcopo, quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt." — Hoc toleravit. — 7. „Nullus qui de rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum ejus excommunicetur, nec terrae alicujus eorum sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex si in terra fuerit conveniatur, vel justitia ejus si fuerit extra regnum, ut rectum de ipso faciat, et ita ut quod pertineat ad curiam regiam ibidem terminetur, et de eo quod spectabit ad ecclesiasticam curiam ad eamdem mittatur, ut terminetur." — Hoc damnavit. — 8. „De appellationibus si emerserint ab archidiacono debent procedere ad episcopum et ab episcopo ad archiepiscopum, et si archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, ad dominum regem perveniendum est postremo, ut praecepto ipsius in curia archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non debeat ulterius procedere absque assensu regis." — Hoc damnavit. — 9. „Si calumnia emerserit inter clericum et laicum vel e converso de ullo

tenemento, quod clericus velit ad eleemosynam attrahere, laicus vero ad laicum feudum, recognitione duodecim legalium hominum per capitalis justitiae regis considerationem terminabitur,[1]) utrum tenementum sit pertinens ad eleemosynam, sive ad feudum laicum, coram ipsa justitia regis. Et si recognitum fuerit ad eleemosynam pertinere, placitum erit in curia ecclesiastica; si vero ad laicum feudum, nisi ambo tenementum de eodem episcopo vel barone advocaverint, erit placitum in curia regia. Si uterque advocaverit de feudo illo eumdem episcopum vel baronem (tamquam arbitrum vel judicem), erit placitum in curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam (possessionem juridicam) non amittat qui prius saisatus fuerat." — Hoc damnavit. — 10. „Qui de civitate vel castello vel burgo vel dominico manerio regis fuerit, si ab archidiacono vel episcopo de aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eidem respondere, et ad citationes eorum respondere noluerit, bene licet eum sub interdicto ponere (a sacris excludere), sed non debet excommunicari (ne videlicet alii eum vitare debeant), priusquam capitalis minister regis villae illius conveniatur, ut justitiet eum ad satisfactionem venire. Et si minister regis inde defecerit, ipse erit in misericordia regis, et exinde poterit episcopus ipsum accusatum ecclesiastica justitia coërcere." — Hoc damnavit. — 11. „Archiepiscopi, episcopi et universae personae regni, qui de rege tenent in capite (qui immediate feudales regis sunt), et habent possessiones suas de dominio regis, sicut baroniam, et inde respondent justitiis et ministris regis, et sequuntur et faciunt omnes consuetudines regias et rectitudines, et sicut caeteri barones, debent interesse judiciis curiae domini regis cum baronibus, usque perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem." (Scilicet tunc abesse possunt). — Hoc toleravit. — 12. „Cum vacaverit archiepiscopatus, vel

Articuli Clarendonenses.

---

[1]) Recognitiones ejusmodi, in Anglia frequentes, ita fiebant, ut viri aetate provecti assumerentur, qui testarentur, qua ratione res anteriori tempore se habuerit.

Articuli Clarendonenses.

episcopatus, vel abbatia, vel prioratus de dominio regis, debet esse in manu ejus, et inde percipiet omnes redditus et exitus sicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad consulendum ecclesiae, debet dominus rex mandare potiores personas ecclesiae, et in capella ipsius debet electio fieri assensu regis, et consilio personarum regis, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet electus homagium et fidelitatem domino regi, sicut ligio domino, de vita et membris et de honore suo terreno, salvo ordine suo, priusquam sit consecratus." — Hoc damnavit. — Usurpatio regis erat in eo, quod episcopatus et alia beneficia ecclesiastica penitus ad instar feudorum haberet, et possessores tanquam feudales. — 13. „Si quisquam de proceribus regni diffortiaverit (recusaverit) archiepiscopo, vel episcopo vel archidiacono de se vel de suis justitiam exhibere, rex debet justitiare, (i. e. eum sententia cogere ut justitiam exhibeat illis): et si forte aliquis diffortiaverit domino regi rectitudinem suam (recusat quod ei debetur), archiepiscopi vel episcopi et archidiaconi debent eum justitiare ut domino regi satisfaciat." — Hoc toleravit. — 14. „Catalla[1] eorum qui sunt in regis foris facto (proscriptione), non detineat ecclesia vel coemeterium contra justitiam regis quia ipsius regis sunt, sive in ecclesiis sive extra fuerint inventa." — Hoc toleravit. — 15. „Placita de debitis, quae fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei sint in curia regis." (Contra sententiam, negotia in quibus intervenit juramentum vel promissio juramento similis pertinere ad forum Ecclesiae.) — Hoc damnavit. — 16. „Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini, de cujus terra nati dignoscuntur." — Hoc toleravit.

23. Manifestum est, hisce dispositionibus multiplices usurpationes regis in res ecclesiasticas contineri, et Ecclesiam potestati civili subordinari et subjici. Libera communicatio episcoporum cum Romano Pontifice impeditur

[1]) Bona mere mobilia, ut exponit Somnerus in glossario.

praesules tanquam vasalli ecclesiae, et beneficia ecclesiastica uti feuda regia tractantur, libertas electionum evertitur, jurisdictio ecclesiastica et privilegium fori convelluntur. — Confecta sunt tria exemplaria hujus catalogi, quorum unum Cantuariensi archiepiscopo, alterum Eboracensi traditum est; tertium repositum fuit in archiviis regis. Postulatum fuit a Thoma, ut sigillo et subscriptione muniret illos articulos; sed id declinavit ipse inducias poscens, ut accuratius eos perpendere posset. Rex vero deputavit duos nuntios ad Romanum Pontificem, ut impetraret ab eo consuetudinum confirmationem, atque legationem Apostolicam in universa Anglia pro Rogerio archiepiscopo Eboracensi (in odium Thomae Cantuarensis), quam petitionem paulo ante declinaverat Pontifex. Addidit etiam litteras suas ad postulata impetranda, ac Thomam quoque epistola juncta commendasse Pontifici confirmationem articulorum, videtur colligi ex epistola data ab Alexandro ad Thomam die 27° Februarii 1164. Inde autem sequitur, Thomam, quamvis plane invite Clarendonae regi cessisset, non statim tamen, uti plures coaevi scriptores referunt et multi recentiores tenent auctores, amarum illum dolorem concepisse de infirmitate sua, illosque conscientiae remorsus, ob quos a sacris ultra mensem abstinuit.

24. In epistola Alexandri III ita habetur: *Cum* (rex) *nuper venerabilem fratrem Lexoviensem episcopum et dilectum filium nostrum Pictaviensem archidiaconum a nobis et fratribus nostris instantius postulasset legationem totius Angliae Eboracensi episcopo indulgeri, et tam tibi quam universis episcopis mandari rogasset, ut antiquas regni sui consuetudines et dignitates conservaretis, nobis ejus petitiones praeter suum arbitrium moderantibus, statim post reditum nuntiorum suorum, vix audito quod a nobis reportaverant, dilectos filios nostros Gaufredum, archidiaconum tuum, et magistrum Joannem ad nostram praesentiam destinavit, et per eos quod prius petierat, et amariora, a nobis instantissime postulavit. Et ut suo desiderio faciliorem animum* **Epistola Alexandri III.**

praeberemus, fraternitatis tuae et[1]) *praedicti episcopi Eboracensis ad nos litteras impetravit. Quod enim de antiquis consuetudinibus et dignitatibus conservandis prius mandari rogaverat, nuper, sicut tu et alii observare promiseratis, ea cum multa instantia petiit auctoritate Apostolicae Sedis sibi et suis posteris confirmari. Sed nos petitionem istam nequaquam admisimus. Verumtamen ne ad nimiam amaritudinem et vehementiorem animi turbationem eum circa nos et te ipsum provocaremus, ne etiam id consideratione tui putaretur quomodolibet impediri,*[2]) *nos tibi et nobis, (ne forte in majorem calorem iracundiae adversus te exardesceret), consultius providere volentes, et pensantes tempora periculosa, legationis litteras praefato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus.*[3]) Epistolam Thomae ad Pontificem commemorat porro Eduardus Grim, monachus et coaevus, in Vita s. Thomae. Narrat, venisse episcopum Ebroicensem (Evreux), ut regem et archiepiscopum reconciliaret, regem vero eam cònstituisse conditionem, ut Thomas scriberet ad Papam pro confirmatione Consuetudinum. *Instante episcopo,* ait, *per eumdem scripsit sanctus archiepiscopus Domini Papae, ut dignaretur sua auctoritate et sigilli impressione regias traditiones confirmare. Papa vero perpendens illico quod hanc petitionem archiepiscopus summa constrictus necessitate fecisset, scriptum cum indignatione quadam a se*

[1]) Apud Labbe, Harduin, et in Collectione regia Conciliorum illud *et* non habetur, sed legitur „fraternitatis tuae praedicti episcopi Eboracensis litteras impetravit“, ita ut sensus esse possit *fratris tui praedicti episcopi.* Ea in suppositione non eruitur ex his litteris Alexandri III, Thomam petiisse confirmationem consuetudinum; contextus potius contrarium suaderet. Attamen de epistola Thomae etiam auctores coaevi quos citamus loquuntur.

[2]) Quomodo haec, si Thomas ipse litteris datis petiit confirmationem Pontificis? Est gravis objectio; potest tamen responderi, Pontificem novisse Thomam nonnisi invite scribere, ipsum illis consuetudinibus esse valde oppositum, regemque potuisse conjicere, ob Thomae oppositionem denegari confirmationem a Pontifice.

[3]) Labbe, X. c. 1194; Giles Epp. s. Thomae T. II. p. 1.

repulit et reprobavit.[1]) In vita s. Thomae a Gulielmo Cantuariensi conscripta, cujus tantum supersunt fragmenta (in Vita quadripartita), habetur ita: *Unde cum episcopus* (Ebroicensis) *ad pacem instaret, et archiepiscopus Ecclesiae profectum desideraret, qui sine pace provenire non poterat, mittit ad Romanum Pontificem, tanquam rogans consuetudines illas confirmari. . . . Nimirum majoris arbitrio reliquit, quod per se non praesumpsit, ut a se culpam transferret, et domino suo satisfaceret; sed beati Papae religio circumveniri non potuit, qui regis et archipraesulis certamen ex ordine cognovit.*[2])

25. Ex hisce itaque colligi videtur, s. Thomam adhuc aliquanto tempore, quamvis invitum, inhaesisse approbationi consuetudinum factae Clarendonae. Sed brevi post magis magisque perspiciens, suppositis illis consuetudinibus pessumdari libertatem Ecclesiae canonesque everti, ac postquam vidit ex litteris Pontificis, hunc nolle confirmare easdem, facti sui seu juratae promissionis eum adeo poenituit, ut a missa celebranda abstinendum censuerit severamque sibi imposuerit poenitentiam. A Pontifice porro per nuntium missum petiit veniam et absolutionem canonicam.[3]) Alexander III sanctum praesulem per litteras d.d. 1 Aprilis 1164 consolatus est, culpam magis ex obreptione quam e mala voluntate commissam excusavit, et canonicam absolutionem largitus est. Scripserat Pontifex etiam, **S. Thomae poenitentia.**

[1]) Ap. Giles, Vitae T. I. p. 32. — Ex litteris Alexandri III, supposita lectione quam dedimus, eruitur e contrario, Thomae epistolam per duos nuntios regis missam fuisse. Eduardus Grim legationem hanc refert accidisse, postquam Henricus cognovit, Pontificem nolle confirmare consuetudines avitas. Auctor manifeste hic errat, unde etiam quaestionem de Thomae epistola haud peremptorie censerem ex ipso posse definiri.

[2]) Giles t. II. p. 10. — Etiam hic auctor minus accurate narrat, postea missos esse nuntios ad obtinendam legationem pro archiepiscopo Eboracensi.

[3]) Labbe X. c. 1194.

uti jam innuimus, ad Thomam et omnes Angliae episcopos (d. d. 27 Febr.) litteras, quibus eos monet, ut Ecclesiae jura tueantur, et mandat, ne quid regi promittant, quo laedantur illa jura. *Si autem,* scribit, *jam dicto regi super hujusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promisistis nullatenus observetis, sed hoc potius revocare curetis, et de promissione illicita Deo studeatis et Ecclesiae reconciliari.*[1]) Reliqui tamen praesules perstiterunt in ea agendi ratione, qua regi obsequendum esse censuerant.

Curia Northamptonae habita.

26. Quum vero Henricus II videret, s. Thomam in sua perseverare oppositione, acerrima mox eum persecutione vexavit. Occasione actionis cujusdam Joannis regii militis, qui bonum aliquod Ecclesiae sibi vindicabat atque ad tribunal regium appellaverat, Thomas ad diem 11um Septembris ad curiam regiam citatus est. Quum vero ob aegritudinem non venisset, princeps eum citavit coram magna curia procerum et episcoporum Northamptonae die 8° Octobris congreganda, secundum articulum 11um Clarendonensem. Nihil aliud ibidem rex ejusque consiliarii egerunt, nisi ut Thomam damnarent suaque dignitate spoliarent. Prima die sanctum praesulem reum judicarunt, quod, vocatus a rege uti vasallus, coram ejus majestate non se stitisset. Omnium bonorum mobilium ejus decreta est confiscatio iis verbis: *De omni mobili suo in regis misericordia judicatus est.* Ex usu haec poena mutata est in mulctam 500 librarum argenti. Fideijussores se praebuerunt episcopi, excepto Gilberto Londinensi. Secunda die rex rationem postulavit de redditibus 300 librarum argenti. Quum Thomas reponeret, ad restauranda regis palatia eas, imo summam pecuniae majorem, esse impensas, princeps id admittere recusavit, et archiepiscopus condemnatus est ut regi pecuniam solveret; pariterque fideijussores hac in

---

[1]) Scite advertit Ill. Hefele, s. Thomam poenitentiam sibi imposuisse circa 1um diem Martii. Litterae enim Pontificis d. d. 1° Aprilis quibus eum absolvit et consolatur. versus 10um diem Aprilis videntur ad Thomam pervenisse, dicit autem Herbertus de Boseham, eum per quadraginta circiter dies poenitentiam egisse. Unde, hanc initio Martii inceptam esse, colligitur. C. Gesch. T. V. p. 559.

re Thomas invenit. Dein condemnatus est, ut principi redderet 500 libras argenti, quas rex se mutuo dedisse Thomae contendebat. Hic reposuit, se pecuniam illam dono accepisse a rege; sed quum id documentis probare non posset, etiam pro ista pecunia fideijussores constituere compulsus est. Thomas, ut quantum posset regi deferret, ista in re cessit.

27. Sed die tertia, 10ª Octobris, rex postulavit, ut Thomas rationem redderet de redditibus omnium vacantium episcopatuum, abbatiarum et baroniarum, quos perceperat dum cancellarius esset. Agebatur autem de 30000 vel 40000 libris argenti, et postulatio erat plane iniqua, quum Thomas a ratione reddenda solutus fuisset, quando ad archiepiscopatum promotus est. Petiit s. Thomas moram deliberandi de re cum reliquis praesulibus. Quum plane perspicerent, regi propositum esse, ut archiepiscopum perderet, plures episcopi, inter quos erat Gilbertus, ei suaserunt, ut abdicaret dignitatem suam, haud aliter enim posse summa mala averti. Post duos dies adhuc episcoporum ignavia aucta est, qui petierunt, ut regis misericordiae se Thomas committeret. Sed archiepiscopus merito censuit, ipsius et Ecclesiae jura tuenda esse. Hinc quum videret abire in partem adversam praesules ignavos, postquam eos objurgavit, quod injustitiae se participes redderent, jure primatus interdixit, ne ulterius contra ipsum in curia regia cum laicis tribunal componerent, atque ad summum Pontificem appellavit. Appellatio ad Pontificem.

28. Quo facto Gilbertus Londinensis reposuit, se pariter appellare ad Pontificem contra illam prohibitionem archiepiscopi; ac dein secesserunt episcopi. Quamvis vero adversarentur s. Thomae, tamen quum rex postularet, ut cum proceribus de ipso sententiam condemnationis pronuntiarent, satius habuerunt opportune uti illa prohibitione archiepiscopi, et abstinere a sententia in eum ferenda. Sese igitur a curia judicii separarunt praesules, simul tamen omnes appellarunt ad Pontificem contra archipraesulem, quem perjurum dixerunt, quod leges regni ab ipso juratas transgrederetur.

Fuga s. Thomae.

29. Post haec seorsim sedentibus episcopis, comites et barones tribunal coram quo judicandus esset s. Thomas constituere ausi sunt, ac primus eorum Robertus Leicesterensis ipsi regis mandatum de rationibus reddendis significavit, alioquin ferendam in ipsum esse sententiam. Id se facturum negavit archiepiscopus, quod electionis suae tempore ab omni obligatione curiali fuisset absolutus, Henrico principe regis filio et regni haerede id palam denuntiante. nomine et mandato patris. Tum vir fortissimus comitem his verbis compellavit: *Quanto dignior est anima quam corpus, tanto magis Deo et mihi teneris obedire, quam terreno regi. Nec lex nec ratio permittit, ut filii patrem judicent vel condemnent. Unde regis, tuum et aliorum declino judicium, sub Deo solo a domino Papa judicandus, cujus coram omnibus vobis praesentiam appello, ecclesia Cantuariensi, ordine et dignitate mea, cum ad eam pertinentibus sub Dei et sua protectione positis Nihilominus* (i. e. pariter) *vos, fratres et coëpiscopi mei, quia magis homini quam Deo obeditis, ad domini Papae audientiam et judicium voco, et sic catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedis auctoritate munitus hinc recedo.* — Reliquit deinde locum consessus, nec ausi sunt eum retinere, vel statim in eum sententiam proferre. Eadem vero nocte, 13ii Octobris, s. Thomas fugam arripuit, et incolumis pervenit in Galliam die 3° Novembris. — Altero vero die post fugam s. Thomae (14° Oct.) iterum convenerunt proceres et praesules cum rege, atque princeps eam decrevit inire viam, ut causam deferret juxta Thomae appellationem ad Pontificem, sperans, fore ut Alexander III, adhuc magno in discrimine positus, contra archiepiscopum in partes ipsius facile inclinaretur. Hinc illico amplissimam legationem procerum, ducibus Rogerio Eboracensi et Gilberto Londinensi praesulibus et infensis Thomae adversariis, Senonas ad Pontificem misit.

30. Rex tamen per legatos istos non obtinuit quod intendebat, videlicet ut Alexander III quoad causam archiepiscopi regi consentiret. Postulabat rex, ut a Pontifice legatus plena cum potestate mitteretur in Angliam, ad rem ibidem dirimendam; sperabat autem, se artibus et

muneribus legatum ad suas partes pertracturum esse. Quamvis pars Cardinalium Henrico II faveret, et ipse Pontifex, in angustiis positus, sollicitus esset, ne rex Angliae ejusque regnum ab ejus obedientia deficerent, tamen Thomae causam tuitus est. Archiepiscopi adventum et defensionem exspectandam esse legatis declaravit; unde re infecta isti in Angliam reversi sunt. Postquam vero Thomas advenit, et articulos Clarendonenses regisque postulata Pontifici exposuit, ea Pontifex penitus reprobavit. *Dominus Papa,* dicitur in Vita quadripartita, *lectis et relectis singulis consuetudinibus . . . inquit: Inter abominabilia haec nulla quidem bona, sed quaedam tolerabilia sunt, quae Ecclesia utcumque tolerare potest, sed horum major pars reprobata et ab antiquis quidem et authenticis damnata est Conciliis, utpote directe sacris sanctionibus adversa. Et haec quidem Dominus Pontifex in audientia omnium reprobavit, et ab Ecclesia in posterum damnanda censuit.*[1])

S. Thomas coram Pontifice.

II.

De exilio s. Thomae ac de luctae continuatione.

31. Ab Alexandro cum honore dimissus s Thomas, moratus est in abbatia Pontiniacensi ordinis Cistertiensium, ibique vitam duxit severam, monachi indutus habitu. Exinde per aliquot annos inter Pontificem, s. Thomam, episcopos et regem Angliae de causa Cantuariensi, de terminandis dissidiis, vel justitiae et censurarum ecclesiasticarum severitate, vel benigna aliqua transactione, ac de pacis et concordiae restauratione, tractatum est. Longius sane foret singula enarrare, quae in celeberrimo hoc negotio acciderunt. Sufficiat innuere, qua ratione variae personae, quae in hoc conflictu intervenere, res disposuerunt. S. Thomas quum videret, regem persistere in ausi-

[1]) L. II. c. 11.

Tendentiae variae in hac causa.

bus suis firmandi consuetudines illas Ecclesiae juribus ac libertati adeo oppositas, et eum bonorum confiscatione multisque excessibus in Ecclesiam saevire; quumque animadverteret, plures episcopos Angliae, imprimis Londinensem, Eboracensem et Sarisberiensem, adversarios suos, non solum regi non resistere, sed eum vehementius excitare: censuit, rigore ecclesiastico esse utendum, et per censurarum poenas reducendos esse ad obedientiam illos homines. qui Ecclesiam turbabant et opprimebant. Alexander III semper quidem Thomae causam tuitus est, et legationem Apostolicam in universam Angliam ei commisit, ita ut excommunicationis aliarumque censurarum sententias ferre posset. Sed nihilominus visus est passim temperamentis variis uti, impedivitque identidem, quominus archiepiscopus remedia illa acriora adhibere posset. Ob schisma videlicet Friderici Imperatoris periclitabantur res ecclesiasticae, adeoque prudentiae videbatur patientiam et moderationem adhibere. Instabat Henricus II, princeps ad iracundiam praeceps, asperrimis minis, querelis in archiepiscopum pertinacem, blandimentis dolosis; muneribus etiam amplis varios Cardinales ad suas partes allicere studuit. Ac revera inter Cardinales, qui vel in curia Romana consiliis et opera sua Pontifici aderant, vel uti Pontificis nuntii et legati in Galliam et Angliam missi sunt, fuere qui remissius s. Thomae causae inserviebant, et transactionem ac reconciliationem inter ipsum et Henricum II qualicumque ratione obtinere conabantur. Quidam forte ita egerunt, quod sic expedire arte politica existimarent, alii vero, quod munera regia affectum eorum nimium ac turpiter in principem inclinaverant. — Rex et Angliae praesules appellatione ad Pontificem se atque Angliae regnum contra archiepiscopum defendere et tueri nitebantur; quum vero juris canonici praescripta ista in re sollicite observarent, conatus s. Thomae magna ex parte elidebant. Varii porro ecclesiastici, etiam in Gallia, potius transactioni et reconciliationi favebant, et identidem archiepiscopum rigoris nimii in tuendis principiis arguebant. Sed merito sanctus praesul animum flectere noluit; id enim

in omni transactione Henrico II propositum erat, ut specietenus se benevolum ostenderet, sed quoad consuetudines illas avitas dominationemque in res ecclesiasticas ne latum unguem quidem cederet.

Joannis Sarisber. querela.

32. Ex dictis autem facile intelligitur, quare in epistolis s. Thomae et Joannis Sarisberiensis amariores interdum occurrant querelae et accusationes, quae in quibusdam justae, in aliis severiores inveniuntur. Magnae erant s. Thomae suorumque in exilio difficultates et augustiae, cumque rem protrahi videbant prudentia quadam politica, vel etiam gestis quorumdam haud probandis, vehementius in litteris suis sensa sua expresserunt. Eo pertinet e. g. epistola Joannis Sarisberiensis ad Joannem episcopum Pictaviensem, quum Alexander III potestatem legationis Thomae commissam pro aliquo tempore suspendisset, et se in regem benigniorem ostenderet, quumque varios Cardinales auro regio corruptos fuisse novisset. *Rex dixit episcopo Wigorniensi*, scribit Joannes, *quod ipse et alii episcopi omnes excepti sunt a potestate Cantuariensis. Praecepitque non timere minas aliquas, quia nunc dominum Papam et omnes Cardinales habet in bursa sua. Adeoque gloriatur, ut palam dicat, se nunc demum avi sui consecutum privilegium, qui in terra sua erat rex, legatus apostolicus, patriarcha, imperator, et omnia quae volebat. Et fere quod ad ecclesiam Romanam probabile est quod dicit, quid enim ei amplius contulisset Octavianus vel Cremensis haeresiarcha? Quid aliud fecissent Cardinales eorum, quam praefati illi domini, qui exacuerunt linguas Anglorum et ignem et venenum fecerunt evomere, ut terrerent dominum Papam, et inclinarent ad libitum suum? Haec in ecclesiae Romanae scribentur annalibus. Et certe, Deo propitiante, qui scribant non deerunt, quod ad petitionem et comminationem regis Angliae, cujus intolerabiles excessus tanto tempore sustinuerat, praeconem veritatis, libertatis assertorem, praedicatorem justitiae pro causa Domini, cum infinita multitudine innocentum jam quadriennio exulantem, neglecto rationis et juris ordine, velut criminosum officii sui potestate privavit. Non quidem quia illi meruerunt, sed quia placuit tyranno. Et*

tamen patentibus litteris quae apud nos sunt concesserat, ut officii sui potestate pleno jure uteretur. . . . Praecipit Apostolus episcopum instituens: „Ministerium tuum imple." Et ecce Apostolicus praecipit: „Ab officii tui ministerio desiste." Provideat, quaeso, dominus Papa conscientiae suae, provideat et famae, et honori, et saluti Ecclesiae. Et vos haec ei diligentius intimate, et persuadete dominis Cardinalibus, ut meminerint judicii Dei, quod jugiter implorant pauperes Christi contra omnes libertatis Ecclesiae inimicos.[1]) Vehementiora sunt haec Joannis et exaggerata. Alexandro enim vitio verti non poterat, quod dum legatos miserat qui conciliationem tentarent, per temporariam suspensionem auctoritatis haud archiepiscopalis sed delegatae, inhiberet regis et episcoporum excommunicationem. Caeterum Joannes Sarisberiensis, vir cui virtus exilio et aerumnis probata permittebat libertatem loquendi, aliis litteris summa cum laude de Alexandro III loquitur, et passim ipsius s. Thomae ardorem arguit et mitigat.

Acrior s. Thomae epistola.

33. S. Thomas pariter, uti jam diximus, pluribus epistolis amare dolet et queritur, quod ejus causa remissius agatur et deseratur, quodque adversarii potius protegantur. Ita e. g. postquam Joannes de Oxeneford, ab ipso excommunicatus, Romam a rege delegatus redierat absolutus et confirmatus in dignitate decani, referens etiam legationem Gulielmo Cardinali esse commissam, s. praesul scribit ad Joannem Cantuariensem, clericum suum: *Ecce Joannes de Oxeneford et alii nuntii a curia redierunt, extollentes se supra id quod dicitur aut quod colitur Deus, dicentes, se impetrasse omnia in curia quidquid desideraverunt, videlicet quod rex exemptus sit a potestate omnium episcoporum praeter quam domini Papae quoad excommunicationis innodationem; et quod habiturus sit legatum quem petivit, Willelmum scilicet Papiensem, qui inimicus noster est plusquam manifestus, cum plenitudine potestatis in omnem*

---

[1]) Ap. Giles, Ep. 239 (a. 1168). — Cfr. etiam Baronium ad a. 1167, n. 62 sqq.

terram regis, ut aedificet et plantet, et praesertim eradicet et evellat, omni remedio appellationis sublato, et maxime ad decidendam principalem quae inter regem et nos vertitur causam, et omnes incidentes, omni exceptioni omne de caetero, ut dicitur, praejudicium allaturas. . . . Quae si vera sunt, tunc procul dubio suffocavit et strangulavit dominus Papa non solo personam nostram, sed et se et omnes ecclesiasticas personas utriusque regni; imo etiam utramque ecclesiam tam Gallicanam quam Anglicanam. Quid enim exemplo hoc pessimo non audebunt caeteri principes terrarum adversus ecclesiasticas personas? Ad quem recurrent? Quomodo confidere poterunt de ecclesia Romana, quae nos pro ipsa stantes, et usque ad sanguinem decertantes ita deseruit et destituit. . . . Securus sit dominus Papa, quod nulla ratione intrabimus terram regis litigaturi, nec stabimus judicio inimicorum nostrorum et praesertim Papiensis, qui non sitit nisi sanguinem nostrum, ut obtineat sedem nostram, quae revera, ut accepimus, ei promissa est, dummodo a nobis possit liberari. Est et aliud in quo gravamur, quia nobiles viri tam proceres quam episcopi et alii praelati de regno Francorum, jam quasi desperati de nobis, coëxules nostros, quos misericorditer sustentabant, nobis remiserunt, qui frigore et fame de caetero peribunt, sicut et quidam jam perierunt. Haec omnia diligenter domino Papae insinua, ut remedium aliquod contra haec mala nobis provideat, sicut petimus; si quid zeli Dei in eo remansit, quod adhuc speramus, et utinam spes non confundatur.[1]) Exaggerata ex parte erant quae Thomae relata fuerant. Willelmo regis amico junxerat Alexander Ottonem Cardinalem, providens satis causae Thomae, ac simul sperans, Willelmum ob regis favorem utilem fore ad pacem restituendam.

34. Acrius etiam s. Thomas conqueritur, quum Alexander III Gilbertum Londinensem episcopum a Thoma excommunicatum absolvisset, in epistola ad Albertum presbyterum Cardinalem. *Soluti sunt,* scribit, *apostolico man-* **Alia epistola similis.**

[1] Giles, Ep. t I. ep. 90.

dato Londoniensis et Sarisberiensis episcopi, quorum alter incentor schismatis et totius malitiae artifex ab initio dignoscitur exstitisse, et tam Sarisberiensem, quam omnes quos potuit, in crimen inobedientiae impegisse. Nescio, quo pacto pars Domini semper mactatur in curia, ut Barrabas evadat et Christus occidatur. Auctoritate curiae jam in finem sexti anni proscriptio nostra et ecclesiae calamitas protracta est. Condemnantur apud vos miseri, exules, innocentes, nec ob aliud, ut ex conscientia loquar, nisi quia pauperes Christi sunt et imbecilles, et a justitia Dei recedere noluerunt: absolvuntur e regione sacrilegi, et homicidae, raptores, impoenitentes, quos, mundo reclamante, nec a Petro, si praesideret, apud Deum absolvi posse, libera voce, Christo auctore, pronuntio. Ait enim in evangelio secundum Lucam: „Si peccaverit in te frater, increpa illum; et si poenitentiam egerit, dimitte illi.“ . . . Numquid otiosa sunt verba Christi quibus ait: „Si poenitentiam egerit?“ . . . Nequaquam de otiositate verbi redditurus est in die judicii rationem, sed potius eos damnaturus, qui contra formam quam dedit, iniquos sine confessione et poenitentia vanis absolutionibus justificare praesumunt, et justificare animas qui non vivunt. . . . Nonne nostra aut potius ecclesiae spolia sunt, quae nuntii regis Cardinalibus et curialibus largiuntur et promittunt? Quae iniquitas manifesta est, si illa quae in ecclesiam Dei apud nos exercetur occulta est? Nos Ecclesiae libertatem tueri non possumus, quia Sedes Apostolica proscriptionem nostram jam in finem sexti anni protraxit. Viderit Deus, et judicet. Sed pro ea mori parati sumus. Insurgant qui voluerint Cardinales, arment non modo regem Angliae, sed totum si possunt orbem in perniciem nostram, ego Deo propitiante nec in vita nec in morte ab Ecclesiae fidelitate recedam. Causam suam de caetero committo Deo, pro quo exulo proscriptus: ille medeatur, ut novit expedire. Non est mihi ulterius propositum vexandi curiam; eam adeant qui praevalent in iniquitatibus suis, et triumphata justitia et innocentia captivata, in confusionem Ecclesiae redeant gloriosi. Utinam via Romana non gratis peremisset tot miseros innocentes. Quis de caetero audebit illi regi resistere, quem ecclesia Romana tot

triumphis animavit, et armavit exemplo pernicioso manante ad posteros.[1])

35. Ista quidem cum vehementia quadam dicta sunt, sed indulgenda viro qui magnas aerumnas pro libertate ac pro juribus Ecclesiae sustinens, censebat, nonnisi justa severitate efficax remedium malis posse afferri. Quod tamen spectat ad modum agendi Alexandri III quoad absolutionem Gilberti ab excommunicatione, censemus, Pontificem reprehendi hac in re non posse. Nam contra excommunicationis illius valorem gravia dubia juridica mota erant, et Gilbertus a multis defendebatur. Ipse appellaverat, ante illam excommunicationem, ad Pontificem, quamvis appellationem forte non significaverit Thomae secundum omnes juris formulas. Ex altera parte s. Thomas non citaverat Gilbertum juridice ante excommunicationem, et ita vehementer controvertebatur de illa censura. Quum Gilbertus jam in Italiam proficisceretur, ut causam suam coram Pontifice ageret, obviam habuit Pontificis legatos, qui ex mandatis Alexandri III ei optionem dederunt, ut vel prosequeretur in forma juris appellationem suam contra excommunicationem, vel absolutionem acciperet, spondens, se quoad omnia propter quae excommunicatus fuerat submissurum se esse judicio Sedis Apostolicae. Elegit hoc Gilbertus, et ita ab excommunicatione solutus est. — Inter Cardinales autem legatosque Pontificis aliquos fuisse qui regio auro seducebantur, luget Baronius his verbis: *At utinam Cardinales quosdam auro corruptos possem, sicut Pontificem, excusare. Verum absit, ut quod fuit reprehensione maxima dignum, velim excusatione purgatum; imo muscas istas mortuas, perdentes oleum unguenti, semper dixerim incorrectiris acerbissimis insectandas.*[2]) Existimarem tamen, haud directam corruptionem probari posse, sed nimis facile fuisse illos, ut xenia regia acciperent, et dein propensius regis causam tuerentur.

Pontifex haud arguendus.

[1]) Giles, Epp. I. ep. 31.
[2]) Annal. a. 1167. n. 57.

36. Quoad indolem controversiae etiam haec opportune advertuntur. Indubium est, *in concreto* quoad articulos Clarendonenses et generatim quoad conamen regis subordinandi Ecclesiam et ejus res ac personas absolutae suae dominationi, summo jure summoque merito s. praesulem toto pectore se principi opposuisse. — Alia est quaestio, utrum forte s. Thomas et Joannes Sarisberiensis quoad principia de potestate et praeeminentia Ecclesiae aliquantisper excesserint. Scribit Em. Hergenröther videri utrumque tenuisse sententiam de *directa* potestate Ecclesiae et R. Pontificis in temporalia regum,[1]) quae sententia a plerisque habetur ut exaggerata. — At in epistolis s. Thomae per se de hac quaestione nullatenus agitur. In ejus enim lite cum rege Henrico agebatur de juribus spiritualibus Ecclesiae et de rebus mixtis, in quibus certe Ecclesiae praeeminentia et suprema potestas convenit. Tantum per incidens igitur una alterave sententia in litteris s. Thomae occurrit, ex qua forte colligi possit illa opinio. Citantur ea verba s. Thomae ad Henricum regem: *Ecclesia enim Dei in duobus constat ordinibus, clero et populo. In clero sunt apostoli, apostolici viri, episcopi et caeteri doctores ecclesiae, quibus commissa est cura et regimen ipsius Ecclesiae, qui tractare habent negotia ecclesiastica, ut totum redigatur ad salutem animarum. Unde et Petro dictum est et in Petro aliis ecclesiae Dei rectoribus, non regibus, non principibus: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam." In populo sunt reges, principes, duces, comites, et aliae potestates, qui saecularia habent tractare negotia, ut totum perducant ad pacem et unitatem Ecclesiae.*

Sententia s. Thomae de Eccl. potestate.

---

[1]) Kirche und Staat, S. 412. — Haec est juxta Bellarminum sententia eorum qui docent, „summum Pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in universum orbem terrarum, tum in rebus ecclesiasticis tum in politicis." Pro hac opinione citat Bellarminus Augustinum Triumphum, Alvarum Pelagium, Hostiensem et multos juris consultos; s. Thomam Cantuariensem et Joannem Sarisberiensem ipse non commemorat.

Et quia certum est, reges potestatem suam accipere ab Ecclesia, non ipsam ab illis, sed a Christo, ut salva pace vestra loquar, non habetis episcopis praecipere, absolvere aliquem vel excommunicare, trahere laicos ad saecularia examina, judicare de ecclesiis vel decimis, interdicere episcopis ne tractent causas de transgressione fidei vel juramenti, et multa in hunc modum, quae scripta sunt inter consuetudines vestras quas dicitis avitas.[1] *Ad sacerdotes, rex dilectissime, suos, voluit Deus quae Ecclesiae suae sunt disponenda pertinere, non ad potestates saeculi. Quas si fideles sint, Ecclesiae suae sacerdotibus voluit esse subjectas. . . . Christiani reges subdere debent executiones suas ecclesiasticis praesulibus, non praeferre. . . . Scriptum quippe est, nunquam de sacerdotibus nisi Ecclesiam judicare debere, nec esse humanarum legum de talibus ferre sententiam. Obsequi debere principes christianos statutis Ecclesiae, non suam potestatem praeponere episcopis, caput principes subdere, non de episcopis judicare.*[2]) Possunt tamen haec plane congrue de praeeminentia Ecclesiae et de subordinatione potestatis civilis juxta sententiam Bellarmini explicari. Illa verba tantummodo, *certum est, reges potestatem suam accipere ab Ecclesia, non ipsam ab illis, sed a Christo,* duriora videntur. Sed merito ista non absolute sumenda censemus, verum *secundum quid* de potestate regia exponenda, quatenus *sacra* ejus dignitas, illudque quod principes medio aevo praecipue populis reddebat reverendos eorumque regna imprimis tuebatur, ab Ecclesia per unctionem sacram et coronationem solemnem tribuebatur.

37. Joannes Sarisberiensis citatur a Gosselin ut primus auctor, qui potestatem directam Ecclesiae in res civiles docuerit,[3]) et quidam ejus textus pro hac sententia afferri possunt. Ita in Polycratico L. IV. c. 3 docet: *Quod princeps minister est sacerdotum et minor eis;* et scribit inter alia: *Hunc ergo gladium de manu Ecclesiae accipit* Sententia Jo. Sarisberiensis.

[1]) Giles, Ep. 179.
[2]) Ibid ep. 180.
[3]) Pouvoir du Pape Tom. II. p. 131. ed. de Louvain 1845.

princeps, quum ipsa tamen gladium sanguinis omnino non habeat. Habet tamen et istum, sed eo utitur per principis manum, cui coërcendorum corporum contulit potestatem, spiritualium sibi in pontificibus auctoritate reservata. Est ergo princeps sacerdotii quidem minister, et qui sacrorum officiorum illam partem exercet, quae sacerdotii manibus videtur indigna. Sacrarum namque legum omne officium religiosum ac pium est, illud tamen inferius, quod in poenis criminum exercetur, et quamdam carnificii videtur repraesentare imaginem. — Ex his fere intuleris, Joannem censuisse, etiam potestatem civilem, in spirituali uti in suo fonte et radice residere, ac delegari ab ipsa principibus. Quodsi ipse habuerit opiniones ejusmodi aliquanto exaggeratas, nihil haec tamen faciunt, uti jam diximus, quoad controversiam cum Henrico II; dimicabatur enim de juribus valde concretis Ecclesiae ac de ejus libertate, atque haec nullatenus de ejusmodi opinione dependebant.

Expenditur. 38. Caeterum varia inveniuntur apud Joannem Sarisberiensem, quibus duplicem potestatem spiritualem et civilem agnoscit plane distinctam, nec hujus dimanationem ab illa insinuat.[1]) Censerem, auctorem hunc loco citato aliisque similibus potestatem civilem *non simpliciter* quoad *essentiale* constitutivum considerare, sed in sua *plena perfectione* et sub *certo quodam respectu*. Haud negaverit ipse, potestatem civilem, etiam profanam et apud gentiles. suam insitam auctoritatem habere, atque hanc generatim per se jam potestati civili convenire. Sed respiciunt illa Joannis effata potestatem principum in sua plena perfectione apud populum fidelem, in qua illi auctori haec potestas sacratum quid est et religiosum, ita ut etiam dum gladio utitur actum religiosum in bonum populi christiani exerceat. Iste autem character nobilior et sacratus, quo omnes actus potestatis civilis sunt religiosi et in profectum populi Dei. tribuitur ex Joanne Sarisberiensi potestati civili ab Ecclesia.

[1]) Epist. 145 ad episcop. Exoniensem; ap. Giles, Joann. Sarisb. Epp. T. I. p. 135. Cfr. Hergenröther, Kirche und Staat, p. 412.

quae unctione et consecratione reges constituit ut principes venerandos populi fidelis. Hinc sub hoc respectu etiam Ecclesia gladium regi tradit, sanctam nimirum et sacratam auctoritatem innocenter ulciscendi injustitias et protegendi justitiam ac populum Dei. Inde illa sententia, Ecclesiam habere gladium, videlicet *eminenter et virtute*, ita ut dum eam non decet, pietatem ac seipsam cruento modo defendere, id committat principibus ut ministris. Quousque vero Joannes, quum sublimiori ista ratione potestatem civilem respicit et celebrat, verbis vel conceptu forte excesserit, non est hujus loci examinare.

39. Sed jam redeamus ad recensendos eventus. Pontiniaci versatus est s. Thomas duobus annis, atque dum ibi versabatur eique legationem in Angliam commiserat Alexander III, consuetudines Anglicanas in Clarendonensi conventu promulgatas auctoritate apostolica damnavit, episcopos a juramento quo se ad eas observandas adstrinxerant absolvit, universos observatores, exactores, consiliarios, adjutores seu defensores excommunicavit, nec non eos, qui ecclesiae Cantuariensis bona detinebant vel schismaticis in Germania communicarent. Quum episcopi viderent, se talibus censuris constrictum iri, quatenus regi cedebant et articulos illos servare pergebant, appellatione ad Pontificem archiepiscopi censuras, uti diximus, elidere studuere, idemque Henricus II fecit. — Saeviebat porro rex vehementer in s. Thomam. Primum Cantuariensis archiepiscopatus et omnium clericorum s. praesuli adhaerentium reditus capi jussit et in fiscum referri, omnes ipsorum cognatos e regno amandavit, nullo habito delectu aetatis ac sexus, juramento prius adstrictos, ut Pontiniaci degentem convenirent, quo novis domesticae calamitatis spectaculis in dies archiepiscopus cruciaretur. Quum dissidium perduraret, a. 1167 comminatorias litteras scripsit ad Cistercienses monachos in comitiis generalibus congregatos, significans, omnia ordinis bona in suis ditionibus constituta in fiscum se redacturum, nisi hostem suum e Pontiniaco monasterio expellerent. Regis litteras cum s. Thoma communicarunt monachi Pontiniacenses, nec tamen eum

Eventus varii.

rogarunt, ut abiret. Ipse vero, invitante Ludovico VII Galliae rege, tunc secessit Senonas, ubi ab Hugone archiepiscopo, clero populoque summa laetitia exceptus, in coenobio s. Columbae annos quatuor diversatus est. Jam diximus, varios conatus pacis restituendae irritos fuisse. Rex enim consuetudines avitas mordicus tuebatur, nec admittebat, ut Thomas *salva libertate Ecclesiae, salvo honore Dei,* vel *in honorem Dei,* se ejus gratiae committeret. quum talibus formulis restrictionem contineri perspiceret. S. Praesul autem sine ulla restrictione regi obsequium promittere merito censebat haud sibi licere, quum implicite ea ratione damnatas consuetudines agnovisset.

Coronatio Henrici junioris. 40. Versus finem anni 1169 Alexander III gravius apud regem institit, ut pacem archiepiscopo concederet, et iterato exinde de negotio isto ex utraque parte actum est. Interim vero rex consilium cepit, ut filius ejus Henricus inauguraretur et coronaretur in regem, quantum videtur ea intentione, ut suam suaeque stirpis dominationem firmaret, iis conditionibus iisque juribus quoad res ecclesiasticas usurpatis, quae in articulis Clarendonensibus contenta ab episcopis recepta erant. Ad coronationem peragendam, suggerentibus consiliariis iniquis, proprioque odio quo in Thomam Cantuariensem flagrabat instigante, archiepiscopum elegit Eboracensem, quamvis regum coronatio primatis Angliae, Cantuariensis nimirum archipraesulis, privilegium esset ipsa consuetudine firmatum. Hac de re certior factus, Alexander III Eboracensi archiepiscopo caeterisque praesulibus Anglicanis prohibuit sub ordinis et officii periculo, quominus principem coronare praesumerent. Scripsit ad eosdem s. Thomas Cantuariensis, ipsisque et propria auctoritate et summi Pontificis nomine sub iisdem poenis idem vetuit.

41. Sed nihilominus die 14° Junii a. 1170 solemniter celebrata est regis coronatio ab archiepiscopo Eboracensi, assistentibus episcopis Londoniensi, Sarisberiensi et Roffensi (Rochester) in ecclesia Westmonasteriensi s. Petri. in ipsa provincia Cantuariensis archiepiscopi, violato jure

ecclesiae Cantuariensis ad cujus archipraesulem regum coronatio pertinebat. — Post haec Henricus II, quum sibi videretur coronatione ista firmasse regnum suum et jura, Alexandri III monitis vero et comminatione gravius urgeretur, quumque timeret, ne Angliae regnum interdicto subjiceretur, multo faciliorem se praebuit ad pacem cum s. Thoma ineundam. Reversus est, versus festum s. Joannis Baptistae, in Galliam, et res ita dispositae sunt, ut in conventu, qui mense Julio inter ipsum et Ludovicum VII apud Firmitatem oppidum (La Ferté) in finibus Carnotensis et Turonensis ditionis habendus erat, etiam Thomas accederet et pacem a rege peteret. Rex promisit, se possessiones direptas ecclesiae Cantuariensi restituturum esse. Multis proceribus, et episcopis praesentibus, die festo s. Mariae Magdalenae, convenerunt Henricus II et s. Thomas in prato amplissimo, quem Proditorum appellabant. Omni benevolentiae significatione ibi a rege habitus est, et seorsim secedentes amice inter se collocuti sunt princeps et archiepiscopus de concordia restituenda, ad quam pronum se rex ostendebat. Postremo movit s. Thomas quaestionem de injuria ipsi et ecclesiae Cantuariensi illata per episcopos, qui, contra voluntatem Pontificis et ipsius, coronationem Henrici filii peregerant, regemque rogavit, *ut hujus laesionis nostrae jacturam pro amore Dei, et salute sua et liberorum indemnitate repararet, et tantae praesumptionis emendaret excessum.*[1]) Rex quidem initio gesta defendere nisus est, sed argumentis s. Thomae victus cessit. *Nec dubito*, inquit, *quin ecclesia Cantuariensis nobilissima sit inter omnes ecclesias Occidentis, nec eam jure suo privari volo, quin potius juxta consilium vestrum dabo operam, ut et in hoc articulo relevetur et pristinam in omnibus recuperet dignitatem. Illis autem qui me et vos hactenus prodiderunt, Deo propitio sic respondebo, ut exigunt merita proditorum.*[2]) Ita hac de quaestione quoad coronationem ipse s. Thomas. — Secundum Gulielmum Stephanidem rex addidit:

Conventus ad Firmitatem.

[1]) Epist. s. Thomae ad Alex. Pont. ap. Giles V. 1. ep. XXV.
[2]) Ibid.

Et vobis liceat, ab archiepiscopo Eboracensi et episcopis Angliae Cantuariensi ecclesiae et vobis illatas expostulare injurias.[1])

Reconciliatio cum rege. 42. De ratione porro, qua pax confecta sit, praestat iterum audire verba ipsius s. Thomae ad Alexandrum Pontificem. *Misit ergo rex*, scribit, *ad nos episcopos suos, qui monerent, ut petitionem nostram coram omnibus faceremus. Et si quorumdam ex ipsis consilio credidissemus, in arbitrium ejus contulissemus prorsus et nos et totam causam Ecclesiae. . . . Illis autem dimissis, habita deliberatione cum domino Senonensi et Christi pauperibus, sociis peregrinationis et proscriptionis nostrae, in eo firmavimus propositum, ut nec quaestionem consuetudinum nec damnorum quae ecclesiae nostrae intulerat, nec usurpatae consecrationis querelam, nec ecclesiasticae libertatis aut honoris nostri dispendium, aliquo modo conferremus in arbitrium ejus. Et sic accedentes ad regem et suos, cum omni humilitate rogavimus per os domini Senonensis, qui verbi nostri bajulus erat, ut nobis gratiam suam restitueret, pacem et securitatem, tam nobis quam nostris, Cantuariensem ecclesiam et possessiones ejus, quas exceptas in chartula legerat, et ut misericorditer emendaret, quod contra nos et ecclesiam nostram fecerat in filii coronatione praesumptum: promittentes ei amorem et honorem, et quidquid obsequii regi et principi potest ab archiepiscopo*

[1]) Vita s. Thomae ap. Giles I. 275. — Haud dubium videtur, principem saltem implicite s. Thomae concessisse, ut contra illos episcopos procederet. Thomas postea militibus regis, qui venerant ut eum occiderent, quum excommunicationem episcoporum furibundi ei exprobrarent: „Totum istud, inquit, de permissione domini regis est, et de ejus licentia concessa mihi in die pacis nostrae.“ Gulielm. Stephan. Giles I. 295. Et: „Rex sua gratia, ut a Domino Papa juris et aequi vindictam qualemcumque possem impetrare concessit, adeo ut non solum ad consensum inclinari, sed etiam spondere mihi dignaretur auxilium.“ Vita auctore Benedicto Petriburgensi, Giles II. 59. — Haud accurate tamen Natalis Alex. in Dissert. cit. art. 8, et Palma Praelect., Dissert. de s. Thoma, scribunt, regem concessisse eo die, ut summi Pontificis sententia in illos episcopos executioni mandaretur. Sententia enim tunc nondum lata erat.

exhiberi in Domino. Ille verbum acceptans annuit, et nos et nostros qui aderant recepit in gratiam suam.[1]) Qualis fuerit *verbotenus* concordiae formula non constat. In epistola ad Willelmum Episcopum Norwicensem s. Thomas scribit: *Ad vestram cupimus pervenire notitiam, nos in die beatae Mariae Magdalenae cum domino nostro Henrico illustri Anglorum rege, ad honorem Dei et Ecclesiae suae, ad honorem regis pariter ac nostrum, honestam ac bonam pacem fecisse.*[2]) Unde adhibita videntur illa verba *ad honorem Dei et Ecclesiae* atque *ad honorem regis.* Fortasse rex ex illis verbis *ad honorem regis* artificiose inferebat, agnitionem consuetudinum regni in hac pace subintelligi; s. Thomas vero censebat, quaestionem de consuetudinibus salvam esse, tum quod nullo modo eas commemoraverat, tum quod *ad honorem Dei et Ecclesiae* pacem conficiebat.

43. Attamen nec ipse, uti ex plurimis litteris colligitur, concordiae initae prorsus fidebat, nec omnes, rem ex integro compositam esse cum rege, persuasum habuere. Sensus isti apprime exprimuntur in epistola ad Thomam directa ab Alberto Cardinali, qui postquam significavit, Romae Pontificem et Cardinales gavisos esse de pace restituta addit: *Supervenientibus autem litteris vestris, et intellecto, quod plus vobis in accidentibus quam in substantia sit exhibitum, magis adhuc coepimus haesitare: et intelleximus, quod non facile mutat Aethiops pellem suam aut pardus varietatem suam. . . . Fluctuantes igitur inter spem et timorem, suspiravimus ad eum qui potens est superabundantius facere, quam petimus aut speramus.*[3]) **Pax dubia.**

44. S. Thomas illico ad varios Cardinales et ad Pontificem litteras dederat, quibus pacis conclusionem ipsis annuntiabat. In epistola ad Alexandrum III etiam petit, ut contra episcopos qui Henricum juniorem coronaverant Sedes Apostolica procedat. *Placeat,* scribit, *serenitati vestrae, qualiter vos hic procedere oporteat a latore praesentium*

---

[1]) Ep. 25. l. c.
[2]) Ep. 143.
[3]) Epp. Gilberti V. II. p. 119.

Censurae in episcopos varios.

exaudire et injuriam corrigere, quae nobis et ecclesiae nostrae illata est in coronatione filii regis, alio contra morem et mandatum vestrum invadente jus nostrum et provinciam nostram.[1]) Romae, quid ea in re facere expediret, deliberatum est, eaque praevaluit sententia, severius procedendum esse contra illos episcopos. Attamen s. Thomas alia epistola petiit, ut non nisi prudenti ratione, ubi id opportunum esse videretur, censurae ferrentur. Scribit in hac epistola ad Alexandrum III: *Misit nobis clementia vestra litteras, quas ad correptionem et correctionem tam Eboracencis archiepiscopi, quam coepiscoporum nostrorum, certum est conceptas et dictatas a Spiritu sancto, et quae regis excessus auctoritate, quae successorem Petri et Vicarium Christi decet, redarguunt. Sed quia timemus, ne teneras viri praepotentis aures verbum mordax exulceret et nuper initam pacem impediat, sanctitati vestrae tota devotione prostrati supplicamus, quatenus detracta mentione excessuum regis et enormitatis praestiti juramenti, et consuetudinum perversarum, et non exactae cautionis in coronatione novi regis, eamdem sententiam in praefatum archiepiscopum et episcopos infligatis, eo quod in provincia nostra, nobis pro justitia et libertate Ecclesiae exulantibus, coronationem hanc exercere praesumpsit.... Ad haec quia veremur, ne pax recens ex variis causis impediri valeat aut turbari, suspensionem aut excommunicationem episcoporum, nostrorum, qui ad Dei et vestrum honorem, quod in verbo ejus dicimus, omnia pro viribus ex conscientia referemus, si placet committatis arbitrio, excipientes, si visum fuerit, et vestro judicio reservantes archiepiscopum Eboracensem, qui malorum omnium incentor et caput est. Et quamquam Londoniensis episcopus signifer totius hujus seditionis, ne schismatis dicamus, exarsit, rogamus, ut nobis tam illi quam Sarisberiensi episcopo liceat misereri, si sine schismatis instauratione juxta vestrum mandatum puniri non possunt. . . . Hoc etiam impetrato, ut singulis litteris* (censurarum diversorum praesulum) *utamur, prout tempus exegerit et necessitas causae. Fluctuat enim, licet ad portum*

1) Ep. 25.

venisse *videatur ecclesia Anglicana.*[1]) Ex hisce vides, s. Thomam nullatenus impetu quodam et vindictae animo processisse, sed moderatione prudenti res voluisse disponere, nec intempestivo cuidam ejus ardori adscribi posse quae post acciderunt. Censurarum rescripta iis conditionibus, quas s. Thomas expetierat, ad eum pervenerunt, ut *consilio antea habito cum rege Galliae,* eas intimaret reis, uti necessitas id expostularet.

III.

De s. Thomae in Angliam reditu ac de ejus martyrio.

45. Remansit s. Thomas, uti convenerat, post initam pacem adhuc aliquanto tempore in Gallia, ut res ad ejus reditum disponerentur. Sed quae promiserat rex de redditione bonorum ecclesiae Cantuariensis, nonnisi ex parte adimpleta fuere; variis vexationibus archiepiscopus ejusque clerici, quos in Angliam miserat, turbati sunt, et praesules ei adversantes gravissimas molestias et insidias iterum ei crearunt. Hinc pridie antequam navem pro reditu in Angliam solveret, censuras pontificias iis intimavit. De istis eventibus scribit s. Thomas ad Alexandrum Pontificem: *Quum ergo hi Balaamitarum signiferi* (praesules Eboracensis et Londoniensis) *nos cum domino rege pacem fecisse audissent, associatis sibi Sarisberiensi et aliis complicibus suis, circuierunt mare et aridam, ut initam pacis rescinderent unitatem, per se et per alios domino regi et suis suadentes, concordiam regno inutilem et inhonestam esse, nisi donationes ecclesiarum nostrarum quas rex fecerat stabiles manerent, et nos cogeremur regni consuetudines, super quibus inter nos est orta contentio, firmiter observare. Adeoque profecerunt in perversitatibus suis, ut eorum instinctu dominus rex omnes reditus nostros et nostrorum post pacem in*

Censurae intimantur.

1) Epist. 26.

festo beatae Mariae Magdalenae factam usque ad festum beati Martini abstulerit, tunc demum nobis reddens domus vacuas et horrea demolita. . . . Nostro et dominorum Cardinalium praeeunte consilio, ad ecclesiam nostram laceratam et conculcatam redire decrevimus, ut si eam non possemus erigere et reformare, saltem cum ipsa pereuntes, confidentius pro ipsa praesentes spiritum redderemus. Quod cum illi nuntii nostri certius didicissent, ambiguum est quid veriti, consilium inierunt cum officialibus regis et sceleratissimo illo filio perditionis Randulpho de Broc, qui in ecclesiam Dei publicae potestatis abutens viribus jam per septem annos licentius debacchatus est. Decreverunt ergo, ut armata manus portus maris, ad quos nos venturos suspicabantur, militum et satellitum custodia et diligentia observaret, ne terram possemus intrare, quin omnem supellectilem nostram curiosius perscrutarentur, et omnes litteras, quas impetravimus a majestate vestra, nobis auferrent. . . . Satellites quos diximus armati littora circuibant, gressus suos dirigentes, prout eis jam dicti Eboracensis et Londoniensis et Sarisberiensis episcopi dictabant. . . . Saepedicti vero episcopi Cantuariam venerant, ut, si satellites publicae potestatis non insanirent satis, eos amplius instigarent. Itaque consiliis eorum diligentius exploratis, una die antequam mare ingrederemur, praemissae sunt litterae vestrae; sed et illae quibus Eboracensis suspendebatur, et Londoniensis et Sarisberiensis revocabantur in sententiam anathematis, eis traditae sunt [1]) — Praesules, accepta sententia, qua plectebantur, vehementer consternati sunt. *Cum his de justitia litteris nuntius praemittitur, qui Eboracensem et Londoniensem transfretare parantes tempestive apud Cantuariam invenit. Lectis de sententia fulminante domini Papae litteris, in quibus et hoc unum verborum erat: „Implemus facies vestras ignominia,“ concidit in terram vultus eorum.* [2])

---

[1]) Epist. 27.

[2]) Gulielm. Stephan. Giles, Vita I. 280. — Litteras suspensionis, quibus Alexander III archiepiscopum Eboracensem plectebat, s. Thomas securitatis gratia misit ad Idoneam virginem (forte Cantuariae degentem), ut ipsa praesenti eas praesuli traderet. Epist. 196. —

46. Solvit dein, die 1° Decembris, vela archiepiscopus, et insidias adversariorum devitans quantum poterat, applicuit ad parvum portum Sandwici, *quoniam ille portus suus erat, et homines sui de ipsius laetarentur adventu.*[1]) Variis quidem molestiis ab adversariis vexatus, tamen die 5° Decembris solemniter Cantuariam ingressus, magna cum laetitia a clero et a fidelibus receptus est. *Postquam vero ad ecclesiam nostram venimus,* scribit s. Thomas ad Pontificem, *incontinenti nos adierunt officiales regis, denuntiantes ex parte ipsius, sicut eos dominus Eboracensis et Londoniensis et Sarisberiensis episcopi informaverant, ut suspensos episcopos et excommunicatos absolveremus, quia quod contra eos factum fuerat, in injuriam regis redundabat et in eversionem consuetudinum regni, promittentes, episcopos provinciae nostrae post absolutionem venturos esse ad nos, et juri se, salvo honore regni, libenter parituros. Nos autem respondimus, non esse judicis inferioris, ut superioris sententiam solvat, et quod nulli hominum licet infirmare, quod Apostolica Sedes decreverit. Quia tamen illi instantius perurgebant, et minabantur, dominum regem, nisi eis adquiesceremus, mira et stupenda facturum, diximus eis, quod si Londoniensis et Sarsiberiensis episcopi jurarent coram nobis in forma Ecclesiae, se vestro mandato parituros, nos pro pace Ecclesiae et reverentia domini regis cum consilio ipsius et domini Wintonensis et aliorum fratrum nostrorum, subjiceremus periculo, et faceremus quidquid salva reverentia vestra, et eos tanquam fratres in Christo carissimos deligeremus, et in omni mansuetudine et humilitate tractaremus. Quod cum episcopis*

Reditus s. Thomae.

Juxta Rogerium de Pontiniaco nuntius tres episcopos Doverae invenit ibique eis litteras tradidit. „Cognovit (Thomas), quod tres illi episcopi apud Doveram ei occurrissent ejusque praestolarentur adventum: ipse vero citius accito puero nomine Osberno, tradidit ei in manu litteras domini Papae, praecipiens, ut celeriter mari transito litteras ipsas tribus praedictis episcopis apud Doveram constitutis porrigeret. Quas cum episcopi accepissent et ex tenore earum se excommunicatos cognovissent, vehementer animo consternati reversi sunt.“ Giles, Vita I. 158.

[1]) Guil. Stephan. Giles I. 281.

ab intermeantibus referretur, respondit Eboracensis. quaerens seditionis consortes et schismatis incentores, juramenta hujusmodi nisi de voluntate regis non debere praestari, praesertim ab episcopis, quia erat contra dignitatem principis et consuetudines regni.[1]) Gilbertus Londoniensis quidem haesitavit, an se submitteret Thomae. *Sed homo pacis inimicus et Ecclesiae turbator Eboracensis dissuasit, consulens, ut potius adirent dominum regem qui eis semper patrocinatus est, et nuntios mitterent ad novum regem, qui persuaderent ei, quod eum deponere volumus, quum nos, Deo teste, si ipse Ecclesiae profuturus est, mallemus eum non modo unum regnum possidere, sed amplissima et plura regna terrarum. Hujus vero legationis signifer est archidiaconus noster* (Gaufridus Ridel, adversarius s. Thomae); *nam Eboracensis et duo praefati episcopi transfretarunt, ut, quod Deus avertat, circumveniant dominum regem, et adversus Ecclesiam exacerbent iram ejus. Fecerunt autem evocari senas personas vacantium ecclesiarum, ut consilio eorum contra canones coram rege, in alieno regno, fratribus suis absentibus, celebrent electionem episcoporum provinciae nostrae. Quod si sic electos noluerimus consecrare, videntur sibi habere causam seminandi discordiam inter nos et dominum regem.*[2])

Henrici II ira.

47. Cantuariae proceres laici et clerici rebelles non cessarunt archiepiscopum injuriis et vexis lacessere; Henricus junior vero eum ad adspectum suum admittere recusavit. Episcopi autem illi tres, qui in Normanniam transfretaverant, ibi paucis diebus ante Natalem Domini advenientes, regem adiere, et multas contra primatem querimonias, multa accusationum capita ad ejus detulere majestatem, publicae perturbatorem pacis, persecutorem episcoporum, regis inimicum inclamantes. His commotus rex in vigilia Natalis Domini, sui prae ira haud compos, in funestam vocem erupit, omnibus familiaribus suis et sibi propter beneficia obnoxiis maledicens, quod ipsum de uno sacerdote regnum suum ita perturbante non vindicarent.

[1]) Epist. 27. [2]) Ibidem.

Tunc, furentis principis verbis excitati, quatuor barones feroces, Reginaldus Ursi, Hugo de Morevilla, Wilhelmus de Traci et Richardus de Brito, in necem archiepiscopi conspirarunt, et mox in Angliam profecti sunt.

48. Rebus ulterius ibidem dispositis, die 29° Decembris post meridiem Cantuariae ad archiepiscopum accesserunt, primumque in ejus palatio probris et conviciis eum aggressi, nomine regis postularunt, ut a censuris episcopos solveret. S. Thomas gravibus verbis ad eorum convicia respondit, negavit vero, se praesules illos sine poenitentia a censuris solvere posse et velle. Pro Ecclesiae juribus se etiam extrema subiturum declaravit, firmusque minis eorum restitit. Tunc sicarii isti furibundi recesserunt, ut milites regales adducerent; s. praesul vero, etsi invitus, a monachis et clericis in ecclesiam cathedralem palatio contiguam adductus est, ubi monachi officium vesperarum persolvebant. Mox in ecclesiam, cujus ostia claudi archipraesul prohibuit, nefandi illi viri irruerunt, quumque s. Thomas intrepidus obviam iret, iterumque postulata iniqua eorum rejiceret, eum crudeliter trucidarunt. — Quinquaginta et tres annos s. Thomas eo anno habebat, et episcopatus novem; in exilio fuerat septem annis. Sancti martyris gloriam brevi post Deus insignibus miraculis illustravit. **Martyrium s. Thomae.**

49. Fuerunt inter catholicos eo tempore aliqui, qui immoderati ardoris arguerunt s. Thomam, indeque etiam causam necis ejus repetierunt. Ita Aegidius Ebroicensis episcopus, in epistola ad Alexandrum III post martyrium s. Thomae scripta, vehementer quidem luget mortem archiepiscopi; attamen addit: *Ad hacc a mente vestra non excidit, quod ubi multorum strages apparet, detrahendum est severitati in pluribus, et occisione unius personae non oportet totam domum Domini concuti tam graviter et turbari, praesertim cum rege peccante, si viam pacis Cantuariensis agnosceret et diligeret agnitam, plus universali paci Ecclesiae, plus propriae per mansuetudinem discretam consuleret, quam comminationibus coruscando et omnem potestatis suae rigorem*

exercendo proficiat. De caetero nec novum nec mirum est humanum animum falli vel fallere.[1])

An s. Thomas imprudens.

50. Simili ratione etiam Guillelmus Neubrigensis coaevus auctor in dubium revocat, utrum s. Thomas prudenter egerit, dum inscio rege praemisit in Angliam litteras pontificias, quibus censuris varii episcopi plectebantur. Scribit videlicet: „Has (litteras) in Angliam ad suspensionem episcoporum praemissas ipse sequebatur zelo justitiae fervidus, utrum autem plene secundum scientiam, novit Deus. Nostrae enim parvitati nequaquam conceditur de tanti viri actibus temere judicare. Puto tamen, quod beatissimus Papa Gregorius in molli adhuc teneraque regis concordia mitius egisset; et ea quae sine fidei christianae periculo tolerari potuissent, ratione temporis et compositione pacis dissimulanda duxisset, juxta illud propheticum: *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est* (Amos 5). Itaque quod a venerabili Pontifice nunc factum est, nec laudandum esse judico, nec vituperare praesumo; sed dico, si vel modice in hujusmodi a sancto viro per zeli laudabilis paulo immoderatiorem impetum est excessum, hoc ipsum est sacrae quae consecuta noscitur igne passionis excoctum. Ita quippe sancti viri vel amandi vel laudandi sunt a nobis, ut tantum in quibus homines vel forte fuerunt, vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus vel laudemus, sed ea tantum, in quibus eos sine scrupulo imitari debemus. Quis enim dicat, eos in omnibus quae ab ipsis fiunt esse imitabiles? Non ergo in omnibus quae faciunt, sed sapienter et caute debent laudari, ut sua Deo praerogativa servetur, in cujus laudibus nemo potest esse nimius quantumcumque laudare conetur.“[2]) —

[1]) Epp. Gilberti. Giles II. ep. 448.

[2]) De rebus Anglicis L. II. c. 25. — „Gulielmus Litle, hoc est Parvus, Neuburgensis seu Novoburgensis appellatus, quod in coenobio Neuburgensi canonicorum regularium institutus et s. Augustini regulam professus fuerit, vulgo sed corrupte dictus Neubrigensis, anno 1135 Stephani regis primo, natus est. Vixit ad finem usque illius saeculi. Historiam rerum Anglicarum ab anno 1066, Guillelmi Conquestoris primo,

Plura quidem hisce continentur, quantum ad principia generalia, vere et concinne dicta. Attamen censemus, s. Thomam ista in re haud imprudenter egisse. Experientia enim jam ipse noverat, et ultimorum dierum eventus id confirmabant, regi subdolo ac episcopis ignavis eique infensis se resistere non posse, nec jura Ecclesiae tueri suaeque providere conscientiae, nisi eos constringeret timore censurarum Apostolicae Sedis. Quamvis vero non existimemus, quod Natalis Alexander, dum defendit s. Thomam, contendit, regem Angliae conscium fuisse, quod s. Thomas censuris constringeret illos praesules ante ipsius adventum, motiva tamen gravia erant ut ita ageret, sicuti ex narratis colligi potest.[1])

51. Quae post necem s. Thomae acciderunt singillatim non prosequemur; sufficiat ea breviter referre quae majoris momenti videntur, ut fructus certaminis s. Thomae, et subsequens status rerum ecclesiasticarum, praesertim in Anglia, dignoscantur. Criminis rumor toti orbi christiano summum horrorem ingessit. Henricus rex magnum dolorem de scelero isto ostendit, et contestatus est, **Eventus post necem.**

---

ad a. 1197 et extrema Richardi Thymoleontis Anglorum regis tempora, quinque libris complexus est." Nat. Alex. saec. XI et XII, Synopsis C. VI (De Scriptor. XII saec.) art. XVII.

[1]) Haud discutimus eam quaestionem, an forte s. Thomas in illa lucta dificili, quum adhuc in Anglia esset, quandoque majori cum patientia potuerit in regem uti. Scripsit quidem Joannes Sarisberiensi, qui archipraesuli a secretis erat. a. 1165 ad Bartholomaeum episcopum Exoniensem: „Servavi quidem debitam fidem venerando meo archiepiscopo, sed ex conscientia mea salvo honore regis, contra quem si quis dixerit me esse versatum, ubi hoc excusare nequivero, ad honorem et beneplacitum ejus, dictante justitia, paratus sum emendare. Novit enim cordium inspector, et verborum judex et operum, quod saepius et asperius quam aliquis mortalium corripuerim dominum archiepiscopum de his in quibus ab initio dominum regem et suos, zelo quodam inconsultius visus est ad amaritudinem provocasse, quum pro loco, et tempore et personis, multa fuerint dispensanda." (Ep. 141) Utrum quoad singulos aliquos casus haec Joannis opinio fundata fuerit, an vero immerito ita censuerit, dubium est. Ac parum hoc refert; universim enim in isto conflictu prudentiam ac moderationem s. Thomas fortitudini junxit.

se non mandasse caedem archiepiscopi, paratum tamen esse, quoniam funestis suis verbis illius perpetrandae occasionem dedisset, ad subeundam secundum Pontificis mandata poenitentiam. Alexander III interfectores s. Thomae, et omnes qui crimini isti auxilium, consilium vel assensum praebuerant, excommunicavit, Thomam vero anno 1173 inter Sanctos ac Ecclesiae martyres declaravit esse habendum et colendum. — Episcopi, qui in censuras inciderant, multis instantiis et satisfactione praestita absolutionem obtinuerunt. Eboracensis tamen archiepiscopus perstitit in sua aversione contra s. martyrem, nec agitatio statim sedata est adversariorum s. Thomae, uti eruitur ex epistola Joannis Sarisberiensis ad Gulielmum Senonensem archiepiscopum, et ex epistola Rogerii Eboracensis, scripta postquam a suspensione solutus est. Scribit videlicet Joannes *Sedent e regione blasphemi, qui sub nomine et honore sacerdotali sacerdotium persequuntur, principibus adulantes, persecutorum Ecclesiae justificantes causam, exultantes in rebus pessimis, scilicet quod potestatibus adstiterunt adversus Dominum et adversus Christum ejus, cujus sanguis per eos effusus, licet militum ministerio, de terra clamat ad Dominum. . . . Horum caput est ille Eboracensis, quem vidistis et audistis palam in curia archiepiscopum persequentem, et qui indignus fuerat ore sacrilego, quo necem martyris procuravit, ipsius proferre nomen: eum plane, mendosus et mendax, jam inauditis coruscantem miraculis, adhuc. sicut ex litteris ejus patet, nominat Pharaonen. Sed non movemur si flagitiosa bellua martyrem non honorat, quae sicut opera manifesta convincunt, Deum utique non veretur.*[1]) Rogerius vero a suspensione absolutus ad clerum suum scribit *Familiare est omnibus iniquis, quoties nancisci possunt occasionem, maledictis eos quibus invident inurere, et venenatis verborum jaculis figere innocentes. Fecerunt hoc qui jam*

Rogerius Eboracensis.

[1]) Epp. edit. Giles vol. II. ep. 305. pag. 260. — Arguit dein hunc praesulem ut flagitii impudicitiae reum. De objecto crimine tamen se purgaverat Rogerius; sed flagitium commissum contendit Joannes Sarisberiensis.

pridem sederunt mihi in insidiis. Et quidem primo paraverunt laqueum suspensionis, quo dominus Papa plus eorum falsas suggestiones, quam juris ordinem secutus, me innodavit. . . . Quid plura? Idem Pharao illorum, (adversariorum), *ille spiritualis, cujus ipsi membra sunt, in tali equitatu incedere videbatur cum corona, et ego miserae cophini servituti deputatus respiciebam ad auxilium hominum, et non erat; cuti enim meae, consumptis carnibus, os meum adhaeserat. Levavi ergo ad coelum oculos, et angustia spiritus mei ad Deum clamavi, et intercedentibus meritis et orationibus vestris exaudivit me, et quae clausa tenebatur veritatem eduxit. . . . Nullam moram sustinentes* (delegati Pontificis) *juxta formam, quam eis dominus Papa praescripserat, incontinenti me a suspicione qua tenebar absolverunt, universis qui aderant benedicentibus Dominum, qui superbos humiliat, . . . qui vinctos educit in fortitudine.*[1]) — At tantis miraculis mox s. Thomas effulsit, ut tum Angliae tum aliorum regnorum fideles causam ejus justissimam et sanctam habuerint.

52. Henricus II quidem in negotio reconciliationis suae magna ex parte motivis politicis ducebatur, atque identidem artibus et ambagibus usus est; Alexander III tamen, moderationem justae severitati jungens, obtinuit eam satisfactionem, quae conveniebat. Reconciliatio facta est per legatos Pontificis Albertum (postea Gregorium VIII) et Theotimum Cardinales in ecclesia cathedrali civitatis Abrincarum (Avranches), die 21° Maji anni 1172. Juvabit audire ipsos legatos in epistola scripta ad Guillelmum Senonensem archiepiscopum: „Primum itaque, scribunt, super mortem sanctae memoriae Thomae, quondam Cantuariensis archiepiscopi, non de nostra exactione, sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis evangeliis, suam conscientiam expurgavit, jurans videlicet, quod nec praecepit, nec voluit, et quando audivit, doluit vehementer. Quia vero quod factum fuerat ex sua occasione factum esse timebat, de

Henrici II poenitentia.

[1]) Inter epp. Joan. Sarisber. l. c. ep. 307. p. 264.

satisfactione praestanda tale praestitit juramentum. Primo quidem juravit, quod a domino nostro Papa Alexandro et ejus catholicis successoribus non recedet, quamdiu eum sicut catholicum regem et christianum habuerint, et hoc ipsum fecit jurare filium suum majorem. Juravit etiam, quod usque ad annum tantam pecuniam dabit templariis, unde ad defensionem terrae Jerosolymitanae ducenti milites valeant retineri. Ab instante vero nativitate Domini usque ad triennium crucem accipiet, sequenti aestate Jerosolymam profecturus, nisi per dominum Papam steterit, vel ejus catholicos successores. Si vero interim pro necessitate urgente contra Saracenos in Hispaniam iverit, quantum temporis in illo itinere consumpserit, tantumdem praedictum spatium prolongare poterit. — Abjuravit etiam omnes consuetudines, quae contra ecclesias regni sui tempore suo introductae videntur. Appellationes ecclesiasticarum causarum ad dominum Papam libere sinet fieri, et tractari per eum causas et suo fine concludi. Si quis ei tamen suspectus fuerit, securitatem ei faciet, quod damnum ejus et regni sui non quaerat. — Possessiones Contuariensis ecclesiae, si quae sint ablatae restituet, sicut habuit primo anno quando archiepiscopus de terra exiret. Id ipsum faciet et de personis, quae causa ipsius exiisse videntur. . . . Noveritis adhuc, filium ejus de praedictis consuetudinibus dimittendis pariter cum eo jurasse. . . Relaxavit praeterea episcopos de promissione quam ei fecerant de consuetudinibus, et promisit quod non exiget in futurum." [1])

Fructus martyrii. 53. Hac ratione Ecclesia per s. Thomae martyrium victoriam retulit ita, ut *principia salva* essent, et dominatio regis in Ecclesiam hujusque subordinatio sub potestate civili, quae per articulos Clarendonenses juridice pacta erat, solemni modo ablegaretur. Juri appellationum pariter fuit provisum. Haec autem summi erant momenti. Quod enim per regum violentiam vel arbitrarias dispositiones, vel per excessum in usu privilegiorum suorum

---

[1]) Epp. Gilberti, II. 387. p. 122.

adjuncta ignavia vel incuria praesulum, *de facto* Ecclesiae jura passim laedantur, id Ecclesia interdum impedire nequit, vel tolerare potest indulgentia oeconomica ad vitanda mala majora. Sed illud maxime necessarium est, ut sarta et tecta maneant vera principia de habitu inter sacerdotium et regnum, neve statuantur normae juridicae hisce principiis oppositae. Hoc autem, uti diximus, s. Thomae certamine et triumpho cruento obtentum est.[1]) S. Martyris vero exemplum, constantia, mors, glorificatio per prodigia multa et canonizationem, cultus ac veneratio, fidelium animos tum in Anglia tum in aliis regnis orbis christiani eo tempore vehementer excitarunt, ut Sedi Apostolicae et Ecclesiae essent addicti ejusque jura observarent et tuerentur. Nec minus subsequenti tempore usque ad dies nostros inde quam plurimi robur ac vires hauserunt ac hauriunt illis in certaminibus, quae ad res sacras tuendas identidem Ecclesiae viris subeunda obveniunt.

Appendix.

De Henrici II in Hiberniam expeditione.

54. Opportunum videtur appendicis instar hisce quaedam adjicere de *submissione Hiberniae,* quam Henricus II anno 1172 confecit, et de aliquot Pontificum rescriptis quae eo spectant. — Turbabatur hoc tempore Hibernia funestis et continuis bellis inter varios provinciarum principes seu regulos, ita ut tum res civiles tum

Status rerum in Hibernia.

[1]) Immerito Reuter (Vita Alex. III. T. III. p. 150 sqq.) contendit, nihil fere ab Ecclesia esse obtentum, nisi quasdam demonstrationes externas, quum rex in suis studiis perseveraverit dominandi Ecclesiae, et etiam postea factis et gestis eadem consilia secutus fuerit. At si Aethiops ille non mutavit pellem suam, attamen principia ab Ecclesia vindicata fuere, excessibus regum limites statuti, fervor et robur praesulum et fidelium in tuendis Ecclesiae juribus aucta sunt, et auctoritas Ecclesiae Sedisque Apostolicae valde firmata.

res ecclesiasticae penitus pessumdarentur. Rodericus O'Connor, rex provinciae Conactae (Connanght), plures principes bello devicit, et anno 1166 supremum regem se constituens, antiquum Tarae regnum restaurare conatus est. Huic strenue restitit Diarmaid princeps ferox, qui anno 1167 in Angliam profectus, inde auxilia petiit, atque Henrici II homagium fecisse videtur Partem insulae, praesertim Ulstriam, Dani occupaverant. Henricus II quidem eo tempore in Normannia versabatur, sed plures proceres Angli cum militibus profecti sunt cum illo principe Diarmaid in Hiberniam, qui magna cum fortitudine et haud minori crudelitate varias regiones et civitates, ut Waterfordiam et Dubliniam, expugnaverunt.

Henrici expeditio. 55. Eminuit inter istos Angliae proceres Richardus Clarensis, cujus bona ab Henrico II, cum quo dissidia habuerat, occupata fuerant. Huic Diarmaid antequam moreretur (a. 1171) conjugem dedit filiam suam, regni paterni haeredem, atque Richardus tunc uti regem partis Hiberniae se gessit. Frustra eum debellabat Rodericus O'Connor; plures vero principes et proceres Hiberniae legatos miserunt ad Henricum II petentes, ut ipse veniret suaeque dominationi totam insulam submitteret. Sed etiam Richardus, in gratiam Henrici redire studens, primum nuntios ad eum direxit; in Angliam porro profectus et cum rege reconciliatus, aliquot territoria uti feuda ab eo accepit. Dein vero Henricus II expeditionem in Hiberniam suscepit, ac mense Octobri anni 1171 cum classe quadringentarum navium ad eam insulam appulit. Paucis diebus dominium in maximam insulae partem obtinuit: plurimi enim principes, praesules, et proceres sponte supremam ejus dominationem receperunt, uti remedium necessarium ad sedandas turbas continuas; alii vero copiis Henrici resistere non sunt ausi. Quod speciatim ad episcopos spectat, Rogerius de Hoveden, recensens archiepiscopos qui erant quatuor in Hibernia, et episcopos viginti octo, quorum et nomina exprimit, *et hi omnes,* scribit, *tam archiepiscopi quam episcopi receperunt sibi Henricum regem*

Angliae et haeredes suos in reges et dominos in perpetuum, et chartis suis confirmaverunt.[1])

56. Haud tamen censerem, libenter eos suscepisse illud dominium supremum Henrici II, sed quia alia haud erat via medendi malis, quibus ob intestinas discordias, bella principum et incursiones hostiles piratarum Septentrionis aliorumque advenarum hostilium, res civiles et ecclesiasticae affligebantur. Brevi ante submissionem insulae clerus Hiberniae synodum celebraverat Armachiae, de qua scribit Giraldus Cambrensis: „Convocato apud Armachiam totius Hiberniae clero, et super advenarum in insulam adventu tractato diutius et deliberato, tandem communis omnium in hoc sententia resedit: propter peccata scilicet populi sui eoque praecipue, quod Anglos olim tam a mercatoribus quam praedonibus atque piratis emere passim et in servitutem redigere consueverant, divinae censurâ vindictae hoc eis incommodum accidisse, ut et ipsi quoque ab eadem gente in servitutem vice reciproca jam redigantur. Anglorum namque populus adhuc integro eorum regno, communi gentis vitio, liberos suos venales exponere, et priusquam inopiam ullam aut inediam sustinerent, filios proprios et cognatos in Hiberniam vendere consueverant. Unde et probabiliter credi potest, sicut venditores olim ita et emptores, tam enormi delicto juga servitutis jam meruisse. Decretum est itaque in praedicto concilio, et cum universitatis consensu publice statutum, ut Angli ubique per insulam servitutis vinculo mancipati, in pristinam revocentur libertatem.“[2]) Haec anno 1171 decreta fuerant. Sed versus finem hujus anni Henricus II Hiberniam occupavit, et usque ad mensem Aprilem anni sequentis ad res ordinandas ibi remansit. Praesules primum convenerunt cum rege in civitate Waterford, eum- **Ratio submissionis.**

[1]) Chronic. ad a. 1171. — „Rogerius de Hoveden Eboraci in Anglia natus, Oxoniensis Academiae theologus celeberrimus, Annales Anglorum edidit ab a. 731, ubi Ven. Beda desinit, ad a. 1191. Accurati historici partes ut plurimum implevit.“ Natal. Alex. Hist eccl. saec. XI et XII, c. VI. Art. XVII

[2]) Labbe. X. 1452.

que tanquam regem agnoverunt, uti plerique principes in sulae, *praeter regem de Conacta, qui dicebat se de jur regem esse Hiberniae totius.*[1]) Dein vero in synod Casheliae habita varia statuta sunt, quoad morum e disciplinae reformationem valde necessaria et proficua.

Alexandri III epistola. 57. Quum igitur istis in adjunctis submissio Hibernia facta esset, manifestum est, Alexandrum III merito su consensu haec firmare potuisse; videbantur enim ea qua acciderant vergere in bonum Ecclesiae et reipublicae Hinc ipse epistola data laudavit episcopos, quod regi s submisissent, et sperare se significavit, statum rerum quoad re ligionem in melius mutatum iri. Permagua vero fuisse i Hiberniae mala, ex litteris Alexandri, tum ad episcopo tum ad Henricum II datis, manifestum est.[2]) Scribit Ale xander III inter alia ad praesules Hiberniae (d. d. 20. Sep 1172): *Ubi communi fama et certa relatione primum nob innotuit, quod vos .... regem Angliae illustrem in vestru regem et dominnm suscepistis et ei fidelitatem jurastis, tant ampliorem in corde laetitiam concepimus, quanto per eju dem regis potentiam in terra vestra, cooperante Domin major pax erit atque tranquillitas, et gens Hibernica, qu per enormitatem et spurcitiam vitiorum adeo videbatur lo gius recessisse, divino cultu propensius informabitur et m lius christianae fidei suscipiet disciplinam. . . . Unde supe eo, quod tam potenti et magnifico regi . . . vos volunta libera subdidistis, providentiam vestram digna laudis com mendatione prosequimur, quum exinde vobis, Ecclesiae, et to populo illius terrae utilitas speretur non modica proventur* In epistola autem (data eodem die 20° Sept. a. 1172), qu Pontifex Henrico regi de submissione Hiberniae gratul tur, loquens de malis in insula illa tunc vigentibus scr bit: *Quae* (gens Hibernica), *divino timore postposito, ta quam effrenis passim per abrupta deviat vitiorum, et chr stianae fidei religionem abjicit et virtutis, et se interim mutua caede. . . . Novercas suas publice introducunt, et e*

---

[1]) Roger. de Hoveden l. c., ap. Labbe, X. 1453.

[2]) V. Rymer Foedera, I. 45.

cis non erubescunt filios procreare; frater uxore fratris, eo vivente abutitur; unus duabus se sororibus concubinis immiscet, et plerique illorum, matre relicta, filias introducunt. Dein monet eum, ut eradicet crimina, ordinem et religionem restituat, Ecclesiaeque honorem promoveat. Addit vero: *Et quia, sicut novit tuae magnitudinis excellentia, Romana ecclesia aliud habet jus in insula, quam in terra magna et continua, nos eam de tuae devotionis fervore spem fiduciamque tenentes, quod jura ipsius ecclesiae non solum servare velis, sed etiam ampliare, et ubi nullum jus habet, id debes sibi conferre, magnificentiam tuam rogamus et sollicite commonemus, ut in praescripta terra jura B. Petri studeas sollicite conservare, et si etiam ibi non habet, tua magnitudo eidem ecclesiae jura constituat et assignet, ita quod exinde regiae celsitudini gratias debeamus exsolvere copiosas, et tu primitias tuae gloriae et triumpbi Deo videaris offerre.* — Omnia quae in his litteris continentur sane Alexander III in istis rerum adjunctis sine ulla juris laesione scribere potuit, imo quum eo tempore jam unam societatem christianam formarent nationes, Romanus Pontifex ut Ecclesiae caput et omnium Christianorum pater et rector, merito ea ratione sollicitum se ostendit de religionis profectu et de populorum salute. Illa vero epistolae verba: *Romana ecclesia aliud habet jus in insula, quam in terra magna et continua,* alludere videntur ad *donationem Constantini,* quod documentum, quamvis suppositum, eo tempore, uti vidimus, veluti genuinum quamdam auctoritatem obtinuerat.

Hadriani IV concessio.

58. Sed remanet hujus quaestionis, quam prae manibus habemus, aliud caput difficilius et magis implicatum. Perhibetur videlicet jam ante Alexandri III pontificatum Hadrianus IV Henrico II jura quaedam in Hiberniam tradidisse, et de hoc facto non mediocris est eruditorum disceptatio. Praecipuus hujus concessionis testis affertur Joannes Sarisberiensis, et sub nomine Hadriani IV celebris extat epistola ad Henricum II, in qua ista de re agitur. Joannes Sarisberiensis ultimo capite (L. IV. c. 42) *Metalogici* pluribus dolorem suum exprimit de Hadriani IV

morte, quae tunc acciderat, laudibus evehit hunc Pontificem, et quanta affectione ipsum Hadrianus prosecutus fuerit, grata recolit memoria. Inter alia scribit: *Quum enim matrem haberet et fratrem uterinum, me quam illos arctiori diligebat affectu. Fatebatur etiam publice et secrete quod me prae omnibus mortalibus diligebat. Et quum Romanus Pontifex esset, me in propria mensa gaudebat habere convivam, et eumdem scyphum et discum sibi et mihi volebat et faciebat, me renitente, esse communem. Ad preces meas illustri regi Anglorum Henrico secundo concessit et dedit Hiberniam jure haereditario possidendam, sicut litterae ipsius testantur in hodiernum diem. Nam omnes insulae, de jure antiquo, ex donatione Constantini, qui eam fundarit et dotavit, dicuntur ad Romanam ecclesiam pertinere. Annulum quoque per me transmisit aureum smaragdo optimo decoratum, quo fieret investitura juris in gerenda Hibernia, idemque adhuc annulus in curiali archio publico custodiri jussus est. Si virtutes ejus percurrere velim, in magni voluminis librum haec una excrescet materia.*[1])

Epistola Hadriani. 59. Epistola autem Hadriani IV ad Henricum II ejusmodi est: *Hadrianus Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, illustri Anglorum Regi, salutem et Apostolicam benedictionem. — Laudabiliter et fructuose de glorioso nomine propagando in terris, et aeternae felicitatis praemio cumulando in coelis, tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Ecclesiae terminos ac declarandam indoctis et rudibus populis christianae fidei veritatem, et vitiorum plantaria de agro dominico exstirpanda, sicut catholicus princeps intendis, et ad id convenientius exequendum consilium Apostolicae Sedis exigis et favorem. In quo facto quanto altiori consilio et majori discretione procedis, tanto in eo feliciorem progressum te, praestante Domino, confidimus habiturum, eo quod ad bonum exitum semper et finem soleant attingere, quae de ardore fidei et de religionis amore principium acceperunt. Sane Hiberniam et omnes insulas, qui-*

[1]) Giles, Opp. Joannis Sarisber. Vol. V. p. 205.

bus sol justitiae Christus illuxit, et quae documenta fidei christianae ceperunt, ad jus B. Petri et sacrosanctae Romanae ecclesiae, (quod et tua nobilitas recognoscit), non est dubium pertinere. Unde tanto in eis libentius plantationem fidelem et germen gratum Deo inserimus, quanto id a nobis interno examine districtius prospicimus exigendum. Significasti siquidem nobis, fili in Christo charissime, te Hiberniae insulam, ad subdendum illum populum legibus et vitiorum plantaria inde exstirpanda, velle intrare, et de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle solvere pensionem, et jura ecclesiarum illius terrae illibata et integra conservare. Nos itaque pium et laudabile desiderium tuum cum favore congruo prosequentes, et petitioni tuae benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiae terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus et virtutibus inserendis, pro christianae religionis augmento, insulam illam ingrediaris, et quod ad honorem Dei et salutem illius terrae spectaverit, exequaris: et illius terrae populus honorifice te recipiat et sicut dominum veneretur: jure nimirum ecclesiastico illibato et integro permanente, et salva beato Petro et sacrosanctae Romanae ecclesiae de singulis domibus annua unius denarii pensione. Si ergo quod concepisti animo, effectu duxeris complendum, stude gentem illam bonis moribus informare, et agas tam per te, quam per illos quos adhibes, quos fide, verbo et vita idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi Ecclesia, plantetur et crescat Fidei christianae religio, et quae ad honorem Dei et salutem pertinent animarum, per te taliter ordinentur, ut a Deo sempiternae mercedis cumulum consequi merearis, et in terris gloriosum nomen valeas in saeculis obtinere.[1])

61. De hujusmodi Hadriani IV epistola et concessione Henrico II facta valde diversum est auctorum judicium. Alii genuinitatem documenti admittunt, sed severiores sunt in Hadrianum IV ob ejusmodi concessionem, uti Mac- **Sententiae variae.**

[1]) Ap. Baron. Annal. ad a. 1159. Labbe X. 1143.

Geoghan[1]), Lanigan[2]), Bossuet[3]), Fleury[4]), Döllinger[5]); alii vero Hadrianum IV ob istam epistolam, quam genuinam habent, argui non posse existimant.[6]) Commode rem expedit Gosselin, dum contendit et probare conatur, in tota epistola agi tantum de jurisdictione spirituali Romani Pontificis in Hibernia per Henricum II roboranda.[7]) Sed haud facile quis, attente integrae epistolae contextum perpendens, id admiserit. Nihil porro dicit Gosselin de narratione Joannis Sarisberiensis, quam simul considerare sane necesse est. — Varii demum auctores existimant, epistolam illam Hadriani confictam et suppositam esse, v. g. Stephanus White,[8]) Lynch seu Gratianus Lucius,[9]) Damberger,[10]) auctor dissertationis, quae in periodico „Der Katholik" a. 1864 habetur.[11]) Praesertim hisce annis controversia de hac epistola agitata est. Ill. Patritius Moran, praesul Ossoriensis in Hibernia, (modo archiepiscopus Sydneyensis in Australia), erudita disquisitione in pluribus opusculis ostendere nisus est, epistolam esse suppositam.[12]) Propugnavit idem auctor disquisitionis, quae in Analectis Juris pontificii a. 1882 inserta habetur,[13]) novis etiam additis argumentis. His porro elucubrationibus insistens rem evincere studuit P. F. Gasquet O. S. B., dissertatione in-

Epistola forte supposita.

[1]) Histoire de l'Irlande. Paris 1758. I. 462.

[2]) Ecclesiastical History of Ireland. IV. 160.

[3]) Defens. Declar. I. 2; III. 18.

[4]) Hist. de l'Eglise. Liv. 70.

[5]) Papstfabeln, S. 79 ff.

[6]) Hergenröther K. G. T. I. 870; Kirche und Staat, VII. nn. 13 sqq.

[7]) Pouvoir du Pape, II. p. 255, edit. Lovan.

[8]) Apologia pro Hibernia, ed. Kelly; p. 184. Dublin 1849.

[9]) Cambrensis eversus, T. II. p. 434 sqq. Dublin 1856.

[10]) Gesch. B. VIII. S. 695. 890; Kritikh. S. 107.

[11]) Die angebliche Verschenkung Irlands an Heinrich II. durch Hadrian IV. Katholik 1864, II. pp. 178—191.

[12]) Bull of Adrian the fourth; The Irish ecclesiastical Record Nov. 1872, et Essays on the early Irish Church 1878.

[13]) Hadrianus IV et Hibernia, Anal. Jur. a. 1882 fascic. 185. 186. pp. 257. 397.

serta periodico Dubliniensi a. 1883.[1]) Sed sententiam hanc penitus confutare nisus est cl. S. Malone, disquisitione inserta in eodem periodico Dubliniensi a. 1884, contendens, certissimam esse illam Hadriani IV ad Henricum II epistolam, atque inania omnia argumenta, quae contra ejus genuinitatem allata sunt.[2]) Aliquanto accuratius igitur de epistola Hadriani ac de quaestione quae ejus authentiam spectat agamus.

62. Censemus, ista de quaestione, supposita genuinitate epistolae Hadriani et textus Joannis Sarisberiensis, haec congrue dici posse. Henricus II, uti ex litteris Pontificis colligitur, huic significaverat intentionem suam, faciendi expeditionem in Hiberniam insulam, scopumque praecipuum indicaverat eum, ut auctoritate sua mederetur multiplicibus malis, quibus jam dudum Hibernia affligebatur, et tum rebus civilibus provideret, tum maxime quoad res ecclesiasticas ordinem restitueret et debitam Sedi Apostolicae venerationem firmaret. Cohaerebat cum toto negotio, ut supremam quamdam auctoritatem acquireret Henricus II super principes illos permultos, perhibentur enim fuisse sexaginta et unus[3]), quibus insula ejusque incolae suberant, quique continuis discordiis et bellis sese discerpebant. Henricus II arte politica comprobationem quamdam consilii sui videtur ab Hadriano petiisse. Pontifex haud potuisset impedire Henrici bellicam expeditionem; ex altera vero parte graves erant rationes, ob quas eadem revera utilis Hiberniae incolis et proficua religioni videretur. Observandum vero est, nullatenus Hadrianum potuisse praevidere, postea reges Angliae dominio tyrannico illam insulam afflicturos esse; id omnino *per accidens*, uti dici solet, evenit. Expenditur concessio.

63. Iis igitur in adjunctis Hadrianus IV consilium Henrici II comprobavit. Donatio proprie dicta illo documento

---

[1]) Adrian IV and Ireland, Dublin Review July 1883, p. 83.

[2]) Adrian IV and Ireland, Dublin Review April 1884 p 316.

[3]) Ita proceres Hiberni in epist. ad Joannem XXII, M.-Geoghan l. c. II. 106.

non exprimitur, sed significat Pontifex, gratum et acceptum sibi esse Henrici propositum, votumque exprimit, ut ab Hibernis honorifice recipiatur et ut dominus veneretur. Auctoritatis mandatum strictum non censemus illis verbis subesse. Commemorat dein Pontifex jus quoddam peculiare ecclesiae Romanae quoad insulas; non quidem, quantum apparet, ut inde inferat jus disponendi pro lubito de Hibernia et eam donandi Angliae regi, sed potius ut ostendat, quare peculiari sollicitudine religioni tuendae ibidem ipse merito provideat. Facile tamen admitterem, eum in hac opinione, illa aetate jam recepta, rationem quamdam invenisse, cur facilius expeditionem Henrici comprobare potuerit.

Donatio Constantini.

64. Videntur utique illa verba: *Hiberniam et omnes insulas quibus sol justitiae Christus illuxit ad jus B. Petri et sacrosanctae Romanae ecclesiae pertinere*, alludere ad suppositiam *donationem* Constantini. Opportunum erit ex hac *donatione* ea affere, ex quibus jura peculiaria Ponticum in quasdam regiones colligebantur, quamvis minus determinatum fuerit, quousque talia jura se extenderent. Dicitur itaque: *Quibus ecclesiis* (urbis Romae) *pro concinnatione luminariorum possessionum praedia contulimus, et rebus diversis eas ditavimus, et per nostram imperialem jussionem sacram, tam in oriente, quam in occidente, vel etiam septentrionali vel meridionali plaga, videlicet in Judaea, Graecia, Asia, Thracia, Africa et Italia vel diversis insulis, nostra largitate eis libertatem concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri Pontificis successorumque ejus omnia disponantur.* . . . .

65. Itaque ex illa *donatione* jura quaedam peculiaria in insulas Romanis Pontificibus esse, medio aevo admittebatur, quatenus inde juxta Constantinum expensis ecclesiarum Romae, (haec enim voce *concinnationis luminariorum* significantur,) provideri deberet. Hinc forte majorem quamdam auctoritatem, sollicitudinem et influxum etiam in temporalibus quoad insulas iis convenire, quidam Pontifices existimaverunt. Ex litteris Hadriani IV vel

Alexandri III tamen nullatenus eruitur, quod sibi attribuerint *plenam proprietatem* Hiberniae, ita ut hoc titulo Henrico II eam donarent. — Censemus igitur, per se Hadrianum IV ob illud rescriptum Henrico II directum, consideratis rerum adjunctis, accusari non posse. Caeterum haud immerito advertit Hergenröther, in hoc casu non agi de aliqua definitione in re fidei vel morum, adeoque subreptionis vel obreptionis defectum in tali facto non repugnare. Hadrianum *Anglicana affectione, indebite, ordine juris omisso omnino,* egisse, proceres Hiberniae in epistola ad Joannem XXII conquesti sunt; id tamen non admiserimus. — In casu obreptionis vel subreptionis haud difficile fuisset, a Sede Apostolica obtinere juris reparationem; sed nunquam Hiberni id petiisse videntur[1]). Identidem autem Romani Pontifices monuerunt Angliae reges, ut a tyrannica dominatione abstinerent. — Advertendum postremo est, *de facto* epistolam Hadriani in submissionem Hiberniae non habuisse, quantum apparet, magnum influxum; sed occupatio tempore Alexandri III, consensu principum et praesulum eo modo facta est, uti superius vidimus.

66. Quoad Joannis Sarisberiensis narrationem, qua refert, ipso rogante Hadrianum IV donasse Hiberniam Henrico II, supposita genuinitate textus, dixerim, Joannem ex opinione quadam praeconcepta actum Hadriani exaggerasse. Censuit quidem Joannes, ob donationem Constantini, quam suo modo explicat, plenam auctoritatem

Narratio Joannis Sarisber.

---

[1]) Cfr. Hergenröther Kirche und Staat, S. 355. — Citat auctor Innoc. III. L. VI. ep. 75. „Quia per statuta canonica sententia Sedis Apostolicae non negatur in melius posse commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione temporum et aetatum seu necessitatum gravium aliquid dispensatorie ordinare decrevit.“ — Et Petrus Venerabilis ad Cardinalem Aymericum reclamat contra dispositionem pontificiam Cluniacensibus molestam, illis verbis: „Laborate, obsecro, ut in melius sententia commutetur, quia mirum sapientibus videri non debet, si homini tantis totius mundi curis in diversa distracto quilibet sua quaerens *subripere* potuit. sed valde mirum videbitur, si postquam perniciosum cognoverit, tantus pastor ovibus non providerit.“ Cfr. s. Bern. ep. 46 ad Honor. II; ep. 231 n. 3 ad Card. Episc.; ep. 268 ad Eugen. III.

esse Pontifici disponendi de insulis, adeoque instantius ab Hadriano petiit, ut Henrico obsequeretur petenti consensum Pontificis quoad illius insulae occupationem. Quatenus Hadrianus obsecutus fuerit Henrico, colligendum est ex Pontificis epistola; dum vero Joannes Sarisberiensis ita Pontificis actum explicat, ut donationem formalem, veluti feudi, factam esse affirmet, pro sensu et sententia sua nimium Hadriano tribuit.

Quaestio de suppositione.

67. Restat, ut pauca dicamus de sententia auctorum, qui existimant, Hadriani IV epistolam suppositam esse. Satis graves esse censemus revera rationes, quibus haec sententia nititur. Diplomata et epistolas Pontificum, praesertim eo tempore, i. e. maxime versus finem saeculi XII. passim supposita vel corrupta fuisse, ex historia constat. Idque frequenter in Anglia accidisse, ex epistolis Joannis Sarisberiensis aliorumque colligitur;[1]) Richardus Cantuariensis praesul, s. Thomae successor, mandavit episcopis, ut contra *pestem publicam falsificationis*, in omnibus ecclesiis excommunicationis poenam promulgarent.[2]) Innocentii III tempore ab ipso Pontifice contra hoc crimen latius serpens, varia statuta sunt[3]). Itaque per se haud mirum foret, si Hadriani IV aliquod rescriptum suppositum productum fuisset. - Hadriani porro epistola, quae loci, diei et anni caret indicatione, adscribenda necessario est anno 1155 vel 1156; eo tempore enim Joannes Sarisberiensis Beneventi Pontificem convenit. Sed usque ad annum 1175 nullum vestigium est, unquam a rege Angliae ejusmodi Hadriani litteras ostensas et propositas fuisse, quamvis illud documentum ostendere, dum de submissione Hiberniae ageretur, summi fuisset momenti.[4]) Etiam Alexander III

[1]) Cfr. epp. 83., 89., 129. — In ep. 129 petit ab Alexandro III: „Nobis, si placet, rescribite, qua animadversione feriendi sunt corruptores litterarum vestrarum.“

[2]) Petr. Blesens. ep. 53.

[3]) V. Phillips, K. R., B. III. § 154. S. 648.

[4]) Cl. Malone quidem certum habet, a. 1172 in synodo Cashelii habita Hadriani IV epistolam praesulibus et proceribus Hiberniae osten-

in suis epistolis genuinis illius Hadriani IV concessionis vel donationis, ejusque epistolae, nullam facit mentionem[1]). Utrum Hadriani IV epistola anno 1175 (vel 1177) in aliqua synodo, quae Waterfordiae habita sit, fuerit publicata, valde dubium est. Giraldus Cambrensis enim, qui hoc innuit, parum accurate facta historica refert, nec magna ei fides haberi potest. Tamen versus finem saeculi XII rescriptum Hadriani IV notum erat, uti patet ex Giraldo, qui tunc suam *Hiberniae expugnationem* scripsit. — Quum igitur, ab Henrico II inde ab anno 1156, quo tempore epistolam accepit, usque ad annum 1175 rescriptum hoc, nunquam inveniatur propositum, quamvis frequens fuisset occasio, censendum foret, consulto illud documentum secretum fuisse servatum, ob rationes reipublicae commodum spectantes. Id parum probabile esse videtur.

68. Sed ex altera parte obvenit nobis luculenta illa narratio in Metalogico Joannis Sarisberiensis. Liber iste confectus est anno 1159 vel anno 1160; commemorat enim Joannes ut recentem mortem Hadriani IV, qui die 1° Septembris anni 1159 obiit, et infirmitatem Theobaldi archiepiscopi Cantuariensis, ex qua praesul hic anno 1161 sublatus est. Itaque si Joannes tam perspicue de Hadriani IV donatione **Metalogicus Jo. Sarisber.**

-am vel jam notam fuisse, indeque explicari facilem Hibernorum submissionem. Sed nulla sane invenitur mentio illius epistolae, et Hibernorum submissio satis ex rerum adjunctis explicari potest.

[1]) Tres sunt epistolae genuinae Alexandri, quae submissionem Hiberniae spectant, Tusculani die 20° Sept. a. 1172 datae, ad Henricum II, ad reges et principes Hiberniae, et ad Christianum archiepiscopum Lesmorensem Apostolicae Sedis legatum. Alia epistola, quae apud Giraldum Cambrensem invenitur, et a. 1172 *Romae* data perhibetur, supposita habetur; Romae non fuit eo anno Alexander, stylusque plane diversus est. In ea tantum epistola mentio fit donationis Hadriani IV. Ipse Giraldus in opusculo *De principis instructione,* quod a. 1846 demum publicatum fuit, fatetur de illo rescripto Alexandri III: „Sicut a quibusdam impetratum asseritur aut confingitur: ab aliis autem unquam impetratum esse negatur.“ Cl. Malone multum insistit huic Alexandri III epistolae, eamque habet ut certo genuinam. Sed gravissimi critici eam ut apocrypham rejiciunt, nec Jaffé eam inter Regesta Alexandri III inseruit. Unde vides, auctoris citati argumenta non satis solida esse.

jam anno 1159 locutus est, unde accidit, ut quamvis libri Sarisberiensis noti essent, tamen, uti diximus, usque ad a. 1175 nulla mentio hujus donationis et epistolae Hadriani IV occurrat? Interpolationi igitur adscribendum esse illum textum, quo Metalogici c. 42° donatio Hiberniae refertur. varii auctores existimant. Contextus sane. demptis illis verbis, apprime sibi constat. Indicium aliquod interpolationis eruitur ex illis: „Ad preces meas illustri regi Anglorum Henrico II dedit Hiberniam jure haereditario possidendam, sicut litterae ipsius testantur *in hodiernum diem.*" Nam illa expressio „sicuti litterae testantur *in hodiernum diem,*" eam per se suggerit animo ideam, seriem annorum intercessisse inter litterarum editionem et *hodiernum diem;* pro brevi temporis intervallo talis locutio, dum agitur de ejusmodi facto historico, non solet adhiberi. Attamen non nisi tres vel quatuor anni effluxerant, inde ab anno 1156. quando (a. 1159 vel 1160) Joannes Metalogicum finivit. Hinc dixeris, postea interseruisse haec aliquem auctorem, qui rationes temporum prae oculis non habebat[1]). Pro-

Indicium interpolationis.

---

[1]) Dictum illud *in hodiernum diem* significare intervallum temporis *relative* haud admodum breve, sed longius, videtur indubium et universim ab eruditis admissum. Ita e. g. Sybel infert. *Vitam Hadriani I,* mortui a. 795, scriptam esse primis decenniis saeculi noni. exeo, quod de aliqua structura Hadriani dicatur „quem et domum cultam s. Edistii vocant *usque in hodiernum diem*" ejusmodi vero expressio non adhibeatur ad breve tempus designandum; (ein Ausdruck, den niemand von einem in der Zeit ganz nahe liegenden Vorkommniss gebrauchen wird.) Histor. Zeitschrift 1880, B. 44. S. 66. -- Immerito sane cl. Malone huic argumento omnem derogat vim Exempla varia affert, ut ostendat, verba *in hodiernum diem* etiam de brevi temporis spatio adhiberi; sed re examinata apparebit, tempus in exemplis designatum *relative* haud tam breve esse. Ad effatum s. Pauli, qui (Act. 26, 21) coram Agrippa rege commemorato conatu a Judaeis ante biennium facto ut ipsum interficerent, ait: „Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem sto etc.", potest adverti, consideratis continuis Judaeorum inter illud biennium insidiis, Paulum potuisse ut mirum exhibere, quod post integrum biennium Dei auxilio adhuc salvus sit. Adeoque tempus *relative* haud breve est. Caeterum mihi videtur secundum contextum Paulus potius respicere totum tempus quo post conversionem Christum multis in periculis praedicavit, ita ut illud usque *ad hodiernum diem* cum initio suae praedicationis comparandum sit.

fecto, si Hadriani IV concessio et ejus epistola suppositae sunt, non est mirum, quod Joannem Sarisberiensem ista in re fecerint intervenire; notum enim erat, eum fuisse Hadriano IV acceptum, et aliquando Pontificem convenisse.[1])

69. III. Moran porro advertit, tristissimum illum religionis et rei civilis statum, qui in Hadriani IV epistola supponitur, non respondere conditioni rerum, uti anno 1155 se habebant. Eo tempore enim, brevi post mortem s. Malachiae, res satis bene ordinatae erant florebatque religio. Sed versus annum 1172 omnia valde turbata erant, variaque mala dominabantur, illudque rescriptum potius huic rerum conditioni respondet. — Contendit quidem cl. Malone, etiam a. 1155 pessimam fuisse in Hibernia religionis conditionem, variaque facta affert, ut id evincat. Verum abusus tunc quoque haud omnino cessase, et passim canones violatos fuisse, non est, cur inficiemur. Attamen minus probabile videtur, paucis annis post mortem s. Malachiae, qui magnam certe rerum in bonum mutationem effecerat, cujusque merita Sedes Apostolica noverat, ea severitate a summo Pontifice mores Hibernorum esse descriptos.[2]) **Status Hiberniae.**

[1]) Joannes Sarisberiensis ut episcopus Carnotensis mortuus est anno 1180. Quum vero tunc opinio de donatione Hadriani IV firmanda esset, potuerunt illa facile inseri Metalogici textui, in quo laudes Hadriani celebrabat. — Sunt etiam qui censent, integrum caput 42um, quod a materia philosophica operis plane alienum est, additum fuisse. Cfr. Gasquet, Dublin Review July 1883, p. 88.

[2]) De emendatione morum ac disciplinae per s. Malachiam effecta, juvabit recolere illa s. Bernardi: „Dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum est veritatem. Cessit duritia, quievit barbaries; et domus exasperans paulatim leniri coepit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam. Fiunt de medio barbaricae leges, Romanae introducuntur; recipiuntur ubique ecclesiasticae consuetudines, contrariae rejiciuntur, reaedificantur basilicae, ordinatur clerus in illis. Sacramentorum rite solemnia celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum; postremo sic mutata in melius omnia, ut hodie illi genti conveniat, quod Dominus per prophetam dicit: *Qui ante non populus meus, nunc populus meus.*“ De vita s. Malachiae c 8; cfr. etiam c. 18. — Obiit s. Malachias die 2° Novembris a. 1148, Claravalle, quum iter facturus esset

Indicia fictionis interna.

70. Hisce addi possunt alia quaedam fictionis indicia. In ipsa inscriptione dicitur: *Charissimo in Christo filio, illustri Anglorum regi, salutem* etc., omittitur vero nomen *Henrici II.* Ejusmodi nominis omissio in rescriptis genuinis Romanorum Pontificum omnino insueta est, et juxta stylum curiae summa cum sollicitudine forma recepta semper observabatur. In omnibus quae exstant Hadriani IV rescriptis, superscriptio integra est, adjecto nomine illius cui dirigitur. — Deest pariter indicatio loci, diei et anni, et hujusmodi defectus suppositionis suspicionem excitat, quum passim in suppositis diplomatibus occurrat. Ita ejusmodi habetur epistola Alexandri III, qua archiepiscopo Eboracensi facultas conceditur coronandi Henricum juniorem; sine inscriptione est et sine indicatione loci, anni et diei. Ex historia apparet, eam esse confictam, et ab eruditis ut supposita agnoscitur; fraus autem videtur Henrico II imputanda.[1])

71. Aliud indicium fictionis est in dissonantia peculiari quadam narrationis Joannis Sarisberiensis et epistolae Hadriani IV. Ex Joanne Hadrianus donat Henrico Hiberniam, eo quod *sicuti aliae insulae pertineat ad jus Sedis Romanae,* eique transmittit in signum donationis *annulum aureum.* Ea vel simili ratione plerumque *investitura* exprimebatur, et Joannis verba apprime investiturae conferendae congruunt. Sed quum investiturae aliquod documentum scriptum jungebatur, certa etiam et determinata erant verba et formulae, quibus ejusmodi collatio clare exprimebatur.[2]) Jam vero in epistola Hadriani

secundo Romam, ut pallium obtineret. S. Bernardus igitur illa scripsit versus annum 1150.

[1]) Est ap. Giles, Epp. s. Thomae V. II. ep. 245. — Cfr. Pauli Gesch. Englands III. S. 80. nota.

[2]) Ita e. g. in diplomate Innocentii II, quo Lotharium investit patrimonio Mathildis dicitur: „Allodium bonae memoriae comitissae Mathildae, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, et ex Apostolicae Sedis dispensatione concedimus, atque in praesentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, necnon principum et baronum per annulum investimus." Bullar. t. IX. p. 16. Cfr. investituram Carolo Andegavensi de Sicilia factam per Clementem IV. a. 1265. Bullar. t. XIII. p. 66.

quae tamen simul cum investiturae signo transmissa fuerit, nihil ejusmodi invenitur, sed concessio ingrediendi Hiberniam verbis sat vagis exprimitur. Unde dixeris, documentum hoc ab aliquo confectum fuisse, qui minus usum curiae et formulas solitas cognoscebat, si eo donationem Hiberniae ut feudi exhibere voluit; vel ab alio confectum fuisse illud documentum, ab alio vero Joannis Sarisberiensis textum, quo donatio describitur[1]).

72. Notandum dein est, praeter illud de Hibernia rescriptum, unam tantummodo exstare ad Henricum II epistolam datam ab Hadriano IV ultimo anno pontificatus, (16. Jan. 1159. — Jaffé, 7103). Id satis mirum est, quum Hadrianus ex Anglia oriundus esset suaeque addictus patriae, occasionesque non deessent. Henricus enim varias cum episcopis difficultates habuit. Altum illud silentium inde profectum esse videtur, quod Henricus Eleonoram Ludovici VII uxorem, post divortium ejus a Ludovico, magna cum praecipitatione in matrimonium duxisset (a. 1152), illaque causa matrimonialis valde suspecta Romanum Pontificem a relationibus amicis cum rege Angliae per litteras habendis detineret. Etiam ex hisce praejudicium oritur contra genuinitatem epistolae, quae Hiberniam spectat.[2]) Alia Hadriani epistola.

73. Neque demum hoc loco praetermittendum, aliam epistolam existere in re simili ab Hadriano IV datam ad Ludovicum VII Galliae regem, anno 1159, uti videtur. Ex hac epistola colligitur, Ludovicum VII Pontificis consilium et favorem petiisse, ut una cum Henrico Angliae rege expeditionem susciperet in terram, quae in manuscriptis tantum littera *H.* exprimitur, *ad dilatandos terminos populi*

[1]) Argumentum hoc satis grave est, quamvis vim peremptoriam ei n vindicemus. Etenim per se annulus mitti poterat, quin ratio valli proprie dicti designaretur. Ita Innocentius III annulum misit chardo I regi Angliae, quem tamen non videtur habuisse ut vasallum Sedis. Sed argumentum structum est ex iis, quae communiter niebant.

[2]) Cfr. Der Katholik 1864. II. S. 178. Die angebliche Verschenkung lands an Heinrich II durch Hadrian IV.

christiani, ad paganorum barbariem debellandam, et ad gentes apostatrices, et quae catholicae fidei refugiunt, nec recipiunt veritatem, Christianorum jugo et ditioni subdendas. Hadrianus laudat quidem regum pium fervorem, sed omnino dissuadet propositi executionem ut minus prudentem. Inter alia: *Accedit ad hoc,* scribit, *quod alienam terram intrare, nec providum videtur esse nec tutum, nisi a principibus et a populo terrae prius consilium requiratur. Tu vero, sicut accepimus, inconsulta ecclesia et principibus terrae illius, accedere illuc ac festinare disponis; cum hoc deberes nulla ratione tentare, nisi cognita per principes terrae necessitate, et ab eis prius esses exinde requisitus.*[1]) — Hac in epistola de Hispania agi plerique censuerunt. Sed Hiberniam terram esse littera *H.* significatam, viri eruditi, quos laudavimus[2]), variis argumentis ostendere nisi sunt. Unde inferunt, Hadrianum revera se opposuisse adhuc a. 1159 expeditioni in Hiberniam suscipiendae, adeoque epistolam illam Pontificis ad Henricum, qua ad ejusmodi expeditionem eum hortatur, manifeste posteriori tempore confictam et suppositam esse. Advertunt quoque, non nisi post mortem Ludovici VII (a. 1180), eam esse productam.

Quid colligatur ex ea. 74. Re considerata tamen probabilius nobis videtur in epistola ad Ludovicum VII data agi de Hispania, adeoque nimium hoc argumentum urgeri. Sed quum appareat Pontificem prudentem dissuadere expeditionem inconsultis praesulibus et principibus suscipiendam, inde praejudicium oritur, quod neque Henrico II aliquando ipse fuerit auctor ut Hiberniam sibi submitteret, quodque epistola illa ad Henricum supposita sit. Advertatur porro, maximam esse utriusque epistolae similitudinem in iis, quae de regum consilio eorumque laudabili fervore dicuntur, ita ut pateat, unam ad alterius formam esse confectam. Unde et suspicio obvia est, ad instar epistolae genuinae ad Ludovicum VII datae, postea spuriam epistolam ad Henricum II confictam et compositam fuisse.

---

[1]) V. epistolam ap. Labbe, Coll. Conc. X. col. 1159.

[2]) Auctores videlicet Dissertationum, quae in *Analectis pontif.* 1882, et *Dublin Review July 1883* editae sunt.

75. Caeterum etiam aliunde varia oboriuntur dubia, an Henricus II ejusmodi negotiationem Joanni Sarisberiensi commiserit. Jam aliam legationem quae de variis negotiis tractaret, rex a. 1155 ad Hadrianum IV miserat, Rotro-dum Ebroicensem et Arnulphum Lexoviensem episcopos, et Robertum abbatem s. Albani. Ad hos potius spectasset de illo Hiberniae negotio agere, quam ad Joannem Saris-beriensem, eo vel magis, quod Arnulphus, episcopus in rebus publicis disponendis admodum peritus, Henrico II valde addictus esset. Joannes vero nondum erat eo tem-pore honoribus vel fama insignis, nec apparet, unde et ibi cum rege adolescente viginti duorum annorum tantam potuerit familiaritatem contrahere, ut ipsi hoc negotium committeretur.[1] Alia dubii motiva.

76. Commemoratur quidem Hadriani ad Henricum epi-stola a Giraldo Cambrensi, Rudolpho de Diceto, Rogerio de Hoveden, Matthaeo Parisio, qui sunt scriptores suppares. Sed minus accurate praeteriti temporis res referunt, et opinione sparsa facile decipi potuerunt; caeterum ex Giraldo, qui in sua *expugnatione Hiberniae* fidei valde dubiae est, reli-qui eam epistolam deprompserunt. Petrus Blesensis, qui Henrici II secretarius fuit, quamvis praecipuos eventus regni ejus referat, illius rescripti haud facit mentionem. - Proceres Hiberniae in sua reclamatione ad Joannem XXIII contra oppressionem regum Angliae, rescripto Hadriani quidem usi sunt; sed eo scopo ut ostenderent, reges Angliae haud fecisse et facere ea quae Hadrianus intendebat, ut-

---

[1] Joannes Sarisberiensis a. 1137 *adolescens admodum studiorum* ... migravit in Galliam, ubi ipsi *fere duodecennium elapsum est di-versis studiis occupato.* (Metalog. II. 50.) Reversus igitur est in Angliam a. 14.. Utrum dein factus sit Theobaldo archiepiscopo Cantuariensi a secretis, an vero in Galliam reversus Parisiis docuerit, non conveniunt eruditi. Henricus rex primum ex Normannia in Angliam venit a. 1152, quum ...decim annos haberet, ut jura sua ad Angliae regnum vindicaret ...iliatione cum Stephano rege facta, post pascha a. 1554 in Galliam ... Quum vero die 25° Octobris illius anni Stephanus obiisset, in Angliam reversus, die 6° Decembris a. 1154 rex coronatus est. Diutur-... quaedam consuetudo inter Henricum II et Joannem Sarisberiensem ... non occurrit.

que peterent a Joanne XXII secundum Hadriani exen plum translationem coronae Hiberniae in Eduardum Bruc quem ipsi principem suum esse volebant. Hinc quum e ea epistola *argumento ad hominem* motiva deducerent a petitionem suam fulciendam, locus non erat, ut ejus genu nitatem in dubium vocarent. Caeterum apud Hibernos sa culo XIV viguisse traditionem vel opinionem, Hadriani I rescriptum suppositititium fuisse, colligi potest ex litter consilii regii Hiberniae, quae a Guilelmo de Nottingham circ a. 1325 canonico ecclesiae cathedralis Dublinensis, R mano Pontifici traditae fuerunt. In his litteris variae a cusationes contra Hibernos continentur; inter alia dicitu

Hibernorum opinio. *Asserentes etiam, Dominum regem Angliae ex falsa sugg stione et ex falsis Bullis terram Hiberniae in dominium i petrasse, ac communiter hoc tenentes.*[1]) — Baronius quide ex *Vaticano manuscripto* Hadriani litteras Annalibus su (ad a. 1158) inseruit, sed illud manuscriptum secundu explicationem Augustini Theiner, qui nostro tempore bibli thecae Vaticanae praefuit, codex est, in quo transcrip continetur *Historia major* Gulielmi Parisii (mortui 1259), auctoris levioris, qui epistolam illam suo tempo certe jam notam in suum opus retulit. Argumentum p genuinitate epistolae inde non conficitur.

Omnibus igitur consideratis censemus, gravia ades argumenta contra authentiam epistolae Hadriani I Quum vero peremptoria forte dici nequeant, exposuimu quid de concessione Hadriani IV supposita ejus verita dicendum sit.

---

[1]) V. The Irish eccles. Record, l. c. p. 62.

Dissertatio vigesima sexta.

De Pontificatu Innocentii III.

1. Eminet inter Pontifices medii aevi singulari ratione Innocentius III. Rerum enim gestarum magnitudine, amplificata Ecclesiae majestate, revocatis ad Sedis Apostolicae obsequium principibus et nationibus, plane eximius fuit; eumque simul praeclarae virtutes, insignia doctrinae ornamenta, animi robur non impar ad sustinendas totius orbis curas, christianis universis reddebant unice venerandum. Quum Gregorius VII Ecclesiae libertatem et auctoritatem, adeo sua aetate collapsam, fortitudine apostolica restituerit, Innocentius III illam Ecclesiae auctoritatem et influxum in nationes christianas maxima amplitudine tuitus est et vindicavit, ita ut sub hoc respectu tanto splendore forte nunquam emicuerit pontificatus. Illud autem discrimen est inter pontificatum Gregorii VII et Innocentii III, quod ille rebus in adversis praesertim constantia sua animique robore Ecclesiae libertatem contra acerrimos adversarios defendit, summisque in aerumnis invicti animi documentum dedit insigne: hic vero amplissimam illam auctoritatem et majestatem, quam inde a Gregorii VII tempore magis magisque vidimus firmatam et auctam, ad summum fastigium veluti adduxerit, et amplissima ratione salutarem influxum in societatem christianam fortiter simul et prudenter exercuerit. Ita pro differentia

Innocentii III Pontificatus.

temporum utriusque pontificatus summas meretur laude summam sibi vindicat admirationem.

Dissertationis indoles. 2. Quum vero tanta fuerit Innocentii III auctorita tantus ejus in societatem christianam influxus, tam mul ac varia summique momenti ejus gesta, mirum non es multis etiam ac variis accusationibus hunc Pontificem in petitum esse, tum ab auctoribus haereticis, Ecclesiae c tholicae et Pontificum adversariis, tum ab auctoribus c tholicis illis, qui, falsis imbuti doctrinis et praejudiciis, (ambitione et usurpationibus magnorum Pontificum querel suas effundere consueverunt. Inter hosce notissimus e Claudius Fleury, qui Gallicanórum secutus errores, u passim ir sua Ecclesiae Historia injustus est in Roman Pontifices, ita praesertim Innocentium III ejusque fac multoties reprehendit et carpit. Accusant igitur hu Pontificem Fleury aliique auctores, quod omnino exagg raverit et immoderate extenderit auctoritatem pontificia et suam suaeque Sedis utilitatem universalis Ecclesiae bo praetulerit. Usurpationem indebitam ejus interventione in res Imperii fuisse contendunt; ac generatim ut pra tentionem fastuosam et exorbitantem habent, quod ta quam arbitrum pacis inter reges et principes sese cons tuerit, variosque principes deponere ausus sit. Ejus rigore in haereticos acriter sugillant; simulque usum censuraru in principes et populos renitentes contendunt ita immod ratum fuisse, ut exinde ipsae censurae viluerint. Rece tiores apostatae etiam vehementer in Innocentium III i vehunt ob doctrinas, quas de auctoritate Sedis Apostolic variis Decretalibus ipse proposuit.

3. De Pontificatu igitur Innocentii III hac in Di sertatione ita agemus, ut praecipuos eventus enarrant et exponentes, simul Pontificem ab illis accusationib vindicemus. Ne vero desit in materia admodum vas congrua quaedam distributio rerum, primum agemus (*Innocentii III gestis quoad Imperium;* dein de hujus Po tificis *dissidiis cum Philippo II Galliae et cum Joann Angliae regibus;* tractabimus demum *de Expeditione crucia*

suscepta Innocentii tempore. De haereticorum porro oppugnatione, ac de doctrina Innocentii III quoad auctoritatem R. Pontificis in societatem civilem, sequenti Dissertatione agemus.

Conferri possunt: Hurter, *Papst Innocenz III und seine Zeitgenossen*, 3. Ed. 4 vol. Hamburg 1841; *(Histoire du Pape Innocent III et de ses contemporains*, Bruxelles 1839;) *Epistolarum Innocentii III LL. XI.* ed. Balutius, 2 vol. Paris 1682; Brequigny et la Porte du Theil, *Diplomata, Chartae, Epistolae et alia documenta ad res Franc. spectantia* 2 vol. Paris. 1791; Migne *Patrol. Lat. T. CCXIV—CCXVII;* Delisle, *Mémoires sur les actes d' Innocent III suivis de l'itinèraire de ce pontife*, Paris 1860; Böhmer Joh. Fr., *Regesta Imperii 1198—1284*, Stuttgart 1849; Hefele, *C. G., B. V.;* Damberger, *Gesch., B. IX;* Stolberg-Brischar *Gesch. etc. B. 50;* Reumont, *Gesch. d. Stadt Rom B. II.;* Hergenröther, *K. G. B. I. S. 794 ff.; B. III. S. 256.* Plerosque scriptores qui de Innocentio III tractarunt, citat Chevalier, *Bio-bibliographie etc.* ad *Innocent III.*

I.

De Innocentii III gestis quoad Imperium.

4. Antequam de Innocentii III gestis agamus, paucis commemorare convenit ea, quae sub praedecessore ipsius acciderunt. Post Clementem III in Sedem Apostolicam evectus fuit Hiacynthus Cardinalis diaconus ex familia Orsinorum, senex octoginta quinque annorum, qui Coelestinus III vocatus est. Die 30° Martii anni 1191 in presbyterum, ac die Paschatis, 14° Aprilis, in Pontificem consecratus, sequenti die Henricum VI et Constantiam ejus uxorem imperiali cinxit corona. Juramenta solita Henricus praestitit, Romanisque tradidit arcem Tusculanam, quam illi funditus diruerunt. Invito Pontifice dein Henricus exercitum in Apuliam duxit, conjugis jura in regnum Siciliae vindicaturus. Salernum quidem et aliquot alia oppida occupavit; sed brevi

Coelestinus III R. P.

post exercitu morbis attrito, in Germaniam regressus est. Constantia a Salernitanis capta Tancredo tradita fuit; Pontifex tamen, petente Henrico VI, obtinuit, ut libera dimitteretur.

Henricus VI Imper.

5. In Germania Henricus VI foedissima facinora commisit. Concordatum Wormatiense violabat, B. Albertum Lovaniensem in episcopum Leodiensem electum et a Coelestino confirmatum et consecratum, Rhemis per sicarios interfici curavit, ut Lothario, praeposito Bonnensi, simoniace episcopatum illum conferret; Richardum regem Angliae ex expeditione cruciata revertentem, per Leopoldum Austriae ducem intercipi fecit, et custodiae mandavit, et ingentem summam pecuniae ad redimendam libertatem ab illo extorsit. Eum tantummodo libertati restituit, quando persolvit ingens pretium centum quinquaginta millium marcarum argenti, cujus tertiam partem Leopoldus accepit. Propter tantum facinus Coelestinus III ab Eleonora, Richardi matre, interpellatus, Leopoldum ter monuit et dein ipsum et auxiliarios suos excommunicavit. Quum Richardus in Angliam reversus esset, eo petente Pontifex etiam ad restituendam pecuniam Leopoldum et Henricum VI monuit. Leopoldus a. 1194 incidit in morbum lethalem, atque ante mortem per episcopum Salisburgensem ab excommunicatione solutus est, postquam satisfactionem se praestiturum promisit.

6. Quum Tancredus Siciliae rex mense Februario anni 1194 obiisset, Henricus VI iterum expeditionem in Italiam meridionalem suscepit, et omnem Apuliam, Calabriam et Siciliam subegit. Contra datam fidem et pacta inita Gulielmo, Tancredi filio, oculos erui fecit, ejusque matrem Sibyllam atque sororem in Alsatio custodiae mandari; foedissima avaritia porro et immani crudelitate in Siculos saeviit. Pontificem Coelestinum interim litteris blandis detinuit, ne censuris Ecclesiae plecteretur, ac suam in Ecclesiam et Pontificem devotionem protestatus, Cardinalibus ad eum missis pariter expeditionem cruciatam et quaecumque optima promisit. Erat autem Imperatoris

consilium ac finis, ut Germaniae regnum haereditarium redderet, ac dein totam Italiam, Imperium graecum et Syriam Imperio suo adjungeret. Id tantum obtinuit, ut filio suo Friderico recenter nato Germaniae principes successionem in regno assererent. Ne ulteriora prosequeretur, praematura morte impeditus est. Inopinate enim Imperator crudelis atque libidini deditus exstinctus est Messinae, die 28° Septembris anni 1197. Ante mortem poenitentiam egit atque mandavit, ut extortam Angliae regi pecuniam restitueret Fridericus filius, isque etiam jura a regibus Siciliae Sedi Apostolicae debita huic tribueret. Nec sepultura ecclesiastica Imperatori concessa est, donec pecunia illa reddita fuerit. — Brevi post, videlicet die 8° Januarii 1198, etiam Coelestinus III, quum nonaginta et duos annos haberet, obdormivit in Domino.

Innocentius III eligitur.

7. Permagna sane pericula Ecclesiae imminuissent, si diuturniore tempore Henricus VI Imperium tenuisset. Vir erat dolosus et violentus, qui mediis etiam perversissimis utebatur, ut scopum suum attingeret; Imperatoremque juventutis robore vigentem duo juvabant fratres fortissimi Conradus et Philippus duces. Impar videbatur Coelestinus III senex, ut hisce resisteret. Jam Pontificis auctoritas spiritualis prohibitione appellationum, temporalis vero denegatione homagii pro Sicilia, aliisque vexis, periclitabantur. Romae principatus civilis iterum magis magisque concidebat, et monarchia universalis Imperatoris Suevi instare videbatur. Sed morte Henrici VI atque obitu Coelestini III permagna accidit, disponente providentia Dei, mutatio rerum. Sedem Apostolicam ascendit *Innocentius III* insignis plane inter omnium temporum Pontifices, dumque universalis Ecclesiae unitas firma splendidissime emicuit, pericula, quae ex parte Imperii ingruere videbantur, fere evanuerunt, quum discordia et scissione inter principes orta, nonnisi per Pontificem ipsius Imperii splendor et auctoritas conservari possent.

8. Innocentius III, Lotharius antea dictus, Trasimundi Signiae Comitis filius, vir omnis divini atque humani juris

consultissimus, annos natus septem et triginta, eodem die quo Coelestinus III tumulatus fuit (9° Jan. 1198) ei suf- fectus est. Inde ab initio magno cum vigore providit Romae Sedis Apostolicae dignitati et auctoritati. Abusus varios in curia Romana paulatim ortos eliminavit, et ut negotia ecclesiastica optima ratione administrarentur sapienter curavit. Temporalem sacrae Sedis auctoritatem Imperatoris et rebellium Romanorum (Arnaldistarum) ma chinationibus despectam et paene prostratam, erexit; Urbis praefectum ab Imperatore constitutum, ut sibi obediret jurejurando adegit. Quum a senatore, qui Urbem ad ministrabat, (unicus erat ex anno 1192, antea quinqua ginta sex), res publica male gereretur, eo destituto, novum instituit, quem pariter juramento sibi devinxit; effecitque ut omnes in Urbe pontificiam majestatem vererentur Marchiam, ducatum Spoleti, comitatum Assisii, Montem Bellum aliasque arces et civitates praesertim allodii Ma thildis, quas Henricus VI militibus et comitibus sui commiserat, Sedi Apostolicae recuperavit. Tusciae civi tates inter se foederatas, et juramento obstrictas ad de fendenda Romanae ecclesiae jura, in clientelam suscepi Siciliam, quae erat Romanae ecclesiae feudum, diligente protexit. Friderico juniori, Henrici VI et Constantia filio, investituram hujus regni, ducatus Apuliae et prin cipatus Capuani concessit, illumque contra rebelles quosdam infideles duces et praesules protexit ac defen dit. Abrogato autem pacto, quod Gulielmus I rex Sicilia ab Hadriano IV extorserat, res aequioribus conditionibu composuit.

Controversia de Imperio. 9. Jam de controversiis et litibus propter Imperium eo tempore ortis modo agamus. Principes Germaniae qu dem Henrico VI quondam promiserant, in regno *electi* Germaniae successorem ejus fore Fridericum filium. Se quum praematura morte Henricus VI abriperetur, Fride ricus vero esset tunc infans, censuerunt, se non teneri a ejusmodi regem, qui et Imperator futurus esset, constituen dum, quum ad tuendum regnum haud esset aptus. Fide litatis homagio se eo minus obligari existimarunt, quo

illud ante Friderici baptismum praestitum esset. Quum vero omnium esset sententia, virum idoneum in regem esse eligendum, de persona mox vehementia dissidia orta sunt. Eaque invaluerunt eo magis, quod de modo ac de regulis electionis certae regulae non exstarent. Principibus quidem convenire electionem certum erat, sed quod in dissidio ille praeferendus esset, cui major pars suffragiorum faveret, nulla lege sancitum inveniebatur. Major itaque pars principum mense Martio anni 1198 elegerunt in regem *Philippum*, Sueviae ducem, Henrici VI fratrem. Is initio quidem intenderat, ut pro Friderico puero regnum tantum administraret, sed urgentibus proceribus, electioni illi acquievit, et Wormatiae in festo Paschatis assumpsit titulum regium nomenque Philippi II, ut successorem Philippi Arabis, Imperatoris Romani, se fore significaret. Electio discors.

10. Sed alii principes, potentiam stirpis Suevae formidantes, jam ex illa familia noluerunt regem desumi, et brevi post Pascha elegerunt *Ottonem* Guelfum, Henrici Leonis filium secundogenitum, Richardi Thymoleontis regis Angliae propinquum. Otto, expugnata Aquisgrani civitate, uti juris erat ibidem ab archiepiscopo Coloniensi coronatus fuit die 12° Julii. Philippus vero die 8° Septembris Moguntiae, quum adhuc in Palaestina degeret Conradus archiepiscopus, coronatus et insignibus regni, quae in ipsius manibus erant, ornatus est, ab archiepiscopo Tarantasiae in Sabaudia. — Otto confestim litteras dédit ad Innocentium III Papam, in quibus Pontifici significabat, se in regem Romanorum electum, et, post praestitum pro more juramentum, coronatum fuisse. Romanum Pontificem rogabat, ut, confirmata electione, eum Imperatorem coronare dignaretur, ex sua parte promittens, se fideliter servaturum, quae Pontifex praescriberet.[1]) Litteras etiam in favorem Ottonis ad Pontificem scripserunt Richardus, rex Angliae, comites Flandriae, Hannoniae et Metensis, archiepiscopus

---

[1]) V. Balutius l. c. Tom. I. Registrum super negotio R. Imperii, p. 687.

Coloniensis aliique principes Ottoni faventes. Illi omnes in suis litteris alte sonabant, quae ab Ottone ad Imperium evecto pro Ecclesia sperare liceret.[1])

11. Philippus, quo tempore Henricus VI moriebatur, suberat excommunicationi a Coelestino III in eum latae, quod quum dux Tusciae esset, Pontificias ditiones hostili manu invasisset. Attamen a legatis post Innocentii electionem in Germaniam missis secretam absolutionem accepit, (sine licentia Pontificis), quum satisfactionem quoad illud factum et quoad alia postulata Sedi Apostolicae promisisset. Caeterum multo remissius quam Otto apud Innocentium egit, ut electio ipsius in regem agnosceretur; tamen et ipse legatis discedentibus litteras ad Pontificem dedit, iisque demandavit, ut oretenus cum Innocentio isto de negotio agerent.[2]) Haud mirum vero est, quod offensa ipsius et Henrici VI in Sedem Apostolicam et Ecclesiam, suspectum eum Pontifici redderent.

Innocentii sollicitudo.

12. Innocentius III tamen maxima sollicitudine, nec minori aequitate, dissidia illa de Imperio compescere studuit. Imprimis litteris missis tentavit inter utrumque competitorem et inter Imperii principes concordiam conciliare, eosque enixius monuit, ut, litibus sepositis, unanimiter de rege constituendo convenirent. Verum utraque pars ad arma confugit, et bellum civile in Germania mox exortum est. Quum de ejusmodi bello Germaniam devastante certior factus esset Pontifex, variis litteris hortatus est principes, ut pacem restituerent et Imperio providerent, simulque indixit, nisi id facerent, sibi in causae hujus dispositione interveniendum fore.[3]) In hac scissione Imperii, unde tanta mala proveniebant, jam oportuisse ad Sedem Apostolicam rem deferre, ad quam causa ista *principaliter* et *finaliter* pertineat. *Principaliter* quidem, eo quod Sedes

---

[1]) V. Balut. ibidem, p. 688 sqq.

[2]) V. Balut. l. c. p. 690. (Ep. 12.)

[3]) Epp. L. II. epp. 293. 294; ap. Balut. l. c. pp. 534 sqq.

Apostolica dignitatem imperialem ab Oriente ad Occidentem transtulerit, *finaliter* vero, eo quod ipsa coronam imperialem conferat. — Principes Philippo adhaerentes haec aegre tulerunt, et die 28⁰ Maji anni 1199 e comitiis Spirae habitis litteras acriores dederunt ad Pontificem, quibus contra ejus immixtionem in res regni Germaniae protestantur. Sed Pontifex *Responso* legatis Philippi in consistorio dato, pacato animo exposuit, se non violare jura regni, sed vindicare sibi jura ecclesiastica, ad quae maxime pertineat collatio coronae imperialis. Propter connexionem vero hujus coronae cum regno Germaniae et rege, sibi vindicat jus interveniendi in dissidio duorum competitorum, ut dirimat, quem conveniat ut regem agnoscere et corona imperiali insignire.[1] Principia ejus inferius exponemus; eadem videlicet paulo post in Decretali *Venerabilem* Pontifex clare evolvit.

13. Innocentius III dein sollicite inquirere studuit, quis ex competitoribus ut rex agnoscendus et in Imperatorem promovendus sit, et in *Deliberatione,* quae adhuc exstat, motiva sedulo perpendit, utrum scilicet Philippo vel Ottoni regnum adjudicare conveniat. Quoad Philippum advertit, ei favere majorem suffragiorum numerum, ejus potentiam, et regis Galliae votum. Sed contra eum merito afferri, coronationem post consecrationem Ottonis more insolito factam, perjurium ejus in Fridericum nepotem, offensas a patre ejus et fratre in Ecclesiam commissas, tendentiam ejus familiae, ut regnum Germaniae electivum et Imperium suae stirpi ut haereditarium connecterent; hostiles ejus in territorium s. Sedis incursiones, excommunicationem Coelestini III, a qua modo parum legali solutus fuerat, ita ut absolutio invalida dicenda esset. Contra Ottonem, advertit, posse afferri, quod minor fuerit suffragiorum numerus, minorque ejus potentia. Sed dein in ejus favorem affert, quod multorum suffragia etiam ipse habuerit, Ecclesiae addictus sit, et valde idoneus videatur

Pontificis Deliberatio.

[1]) Registr. Imperii n. 18; ap. Balut. l. c. p. 692.

ad Imperium gerendum. Adeoque merito ipsum praeferri non ex odio contra competitorem, sed ne forte huic nova arma contra Ecclesiam conferantur. Caeterum quaestionem tunc nondum diremit, sed spem exprimit fore, ut principes Germaniae vel in unam personam conveniant, vel Sedi Apostolicae arbitrium deferant. Quodsi utrumque neglexerint, se Ottonem agniturum esse indicat.[1]) — Haec *Deliberatio* versus finem anni 1199 confecta esse videtur.

Agnoscit Ottonem. 14. Plures dein conatus adhuc fecit Innocentius III ad movendos principes, ut unanímiter agnoscerent unum ex competitoribus, vel Pontificis arbitrio causam committerent. Sed quum hac ratione nihil proficeret, Calendis Martiis anni 1202 Ottonem ut regem Germaniae in Imperatorem promovendum agnovit et declaravit, eaque de re tum ad ipsum, tum ad Germaniae principes litteras dedit. In epistola ad principes directa fusius exponit, quantam ipse dederit operam ut eos ad negotium illud concorditer finiendum adduceret. Dein scribit: *Caeterum quoniam hactenus nec expectationis nostrae modestia, nec exhortationis studium, nec consilii maturitas, nec instructionis discretio vos commovit, nec legatorum nostrorum usque adeo sollicitudo profecit, ut vel per vos ipsos, sepulta discordia, sicut vos saepe monuimus, concorditer ad provisionem intenderetis Imperii, vel consilio aut arbitrio nostro committere vos velletis, cum dispendium Ecclesiae, quae diutius nec vult nec debet idoneo defensore carere, sustinere nolimus ulterius, vel dissimulare jacturam populi christiani, cum alteri de vestris electis* (Philippo) *favorem impendere non possimus, propter excommunicationem publicam, perjurium manifestum, et vulgatam persecutionem, quam progenitores ejus et ipse in Apostolicam Sedem et Ecclesiam exercere nullatenus dubitarunt, propter insolentiam etiam quam exercuerunt in principes et alios sibi subjectos, et ne libertas principum in Imperatoris electione vilescat, si non per electionem, sed successionem transferri a patribus in filios et in fratres a fratribus Im-*

---

[1]) Regist. Imperii, ep. 29 ap. Balut. T. I. p. 697.

perium videatur, consentire in alterum (Ottonem) *nos oportet.*[1]) Rationes vero cur Philippum rejiciat, Ottonem vero suscipiat, accuratius evolvit.

15. Quum ejusmodi determinationem Pontificis rescivissent, non pauci praesules Germani, (episcopi enim plurimi Philippo adhaerebant), aliique principes laici liberiores et ardentes ad Innocentium III dederunt litteras, quibus conqueruntur, Philippum de Imperio dejectum, legatum vero Pontificis, adeoque ipsum Innocentium indebito modo se immiscere negotiis regni Germanorum.[2]) Principum argumenta validissimis rationibus tunc Innocentius III refutavit data ad Eberhardum Zaringiae ducem gravissima epistola, cujus pars inserta est Juri canonico, ut Decretalis *Venerabilem.*[3]) Principia de auctoritate Romani Pontificis quoad Imperium et regnum Germaniae, ibidem Pontifex clare exponit, unde ejusmodi Decretalis specialem attentionem meretur. **Decretalis Venerabilem.**

16. Principum querimoniam breviter hisce indicat: *Inter caetera vero, quae dicti principes per easdem nobis litteras intimarunt, hac praecipue objectione sunt usi, dicentes, quod venerabilis frater noster Praenestinus episcopus, Apostolicae Sedis legatus, aut electoris gessit, aut cognitoris personam. Si electoris, in alienam messem miserat falcem suam, et electioni se ingerens, principum derogaverat dignitati; si cognitoris, absente altera partium, videtur perperam processisse, cum citata non fuerit, et ideo non debuerit contumax judicari.* Respondens ad hanc objectionem statuit: 1° Per se electio plane libera sui regis convenit principibus Germaniae. — 2° Etiam postquam Imperium regno Germaniae per Pontifices connexum est, tamen libere et independenter a Pontifice proceres eligunt regem in Imperatorem promovendum. — *Verum nos,* scribit Pontifex,

---

[1]) Regist. Imperii, ep. 33; ap. Balut. l. c. p. 703.
[2]) Regist. Imperii ep. 61; ap. Balut. l. c. p. 715.
[3]) Decret. Gregor. L. I. Tit. VI. De electionibus c. 34. — Incipit Decretalis: „Venerabilem fratrem nostrum Saltzburgensem Episcopum", indeque nomen habet. V. Regist. Imp. ep. 62; ap. Balut. l. c. p. 715.

Exponitur Decretalis. *qui secundum Apostolicae servitutis officium sumus singulis in justitia debitores, sicut justitiam nostram ab aliis nolumus usurpari, sic jus principum nobis nolumus vindicare. Unde illis principibus jus et potestatem eligendi regem, in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere; praesertim cum ad eos jus et potestas hujusmodi ab Apostolica Sede provenerit, quae Romanum Imperium in personam magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos.*

17. Sed 3° post electionem etiam Pontifici sua competunt jura. Quum videlicet nonnisi Pontificis coronatione et consecratione dignitas imperialis conferatur, Pontifici competit *jus examinis,* utrum electus dignus sit, qui Imperator constituatur. In hoc vero jure includitur, quod, si electus a Pontifice censeatur haud dignus, principes Germaniae alium debeant eligere regem. Si vero id facere recusant, potest Pontifex alii regi coronam imperialem conferre; indiget enim Ecclesia Advocato et Defensore. *Sed et principes,* scribit, *recognoscere debent, et utique recognoscunt, quod jus et auctoritas examinandi personam electam in regem, et promovendam in Imperium, ad nos spectat, qui eam inungimus, consecramus, et coronamus. Est enim regulariter et generaliter observatum, ut ad eum examinatio personae pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid enim, si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque, vel excommunicatum in regem, tyrannum, vel fatuum, haereticum eligerent aut paganum, nos inungere, consecrare, ac coronare hominem hujusmodi debemus? Absit omnino.*

18. Si vero 4° discors accidit electio, Pontificis est: a) Principes monere, ut restituant concordiam et in unum sua suffragia conferant. — b) Si Pontificis monita effectu carent, Pontifex vel ut *arbiter* a principibus electus, vel *jure proprio* vi muneris sui sententiam fert pro alterutro ex competitoribus; idque ejus jus est et officium, quia Ecclesia haud diu carere potest Advocato et Defensore. —

Sed Pontifex quaestionem non stricte dirimit lata sententia *de facto electionis* ejusque valore, (utrum videlicet unius electio ob majorem numerum suffragiorum, praecedentiam, etc. praevaleat); sed potius quaestionem dirimit juxta *qualitatem* personae, videlicet eum praefert et suscipit competitorem, quem aptiorem judicat Protectorem et Defensorem Ecclesiae.[1] *Objectioni ergo principum,* scribit, *respondentes asserimus, et adjicimus, quod legatus noster episcopus Praenestinus, nec electoris gessit personam, juxta quod nobis per litteras suas quidam principum opponebant, utpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit, et sic electioni nequaquam se ingessit; nec cognitoris personam exhibuit, cum neutrius electionem, quoad factum eligentium, confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam; et sic jus sibi principum nullatenus usurpavit, aut venit contra illud. Exercuit autem denuntiatoris officium; quia personam ducis ejusdem* (Philippi) *designavit indignam, et personam regis ipsius* (Ottonis) *designavit idoneam quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quam propter merita electorum; quamvis plures ex illis qui eligendi regem in Imperatorem promovendum de jure ac consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum regem Ottonem, et ex eo, quod fautores Philippi absentibus aliis et contemptis ipsum eligere praesumpserunt, pateat, eos perperam processisse, cum explorati sit juris, quod electioni plus contemptus unius, quam contradictio multorum obsistat. Unde quia privilegium meruerunt amittere, qui permissa sibi abusi sunt potestate, videri non immerito potest, quod injuria hujusmodi non obstante, caeteri uti potuerint jure suo. Et quoniam dux praedictus nec ubi debuit nec a quo debuit coronam et unctionem accepit, memoratus vero rex et ubi debuit, videlicet Aquisgrani, et a quo debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi archiepiscopo, recepit utrumque, nos utique non Philippum, sed Ottonem reputamus et nominamus regem, justitia exigente. In reprobatione vero praefati Philippi ducis Sueviae, propter*

Decretalis indoles.

[1]) Praeclaram Decretalis explanationem vide ap. Hefele, Conc. Gesch. V. §. 640.

manifesta impedimenta personae, non accusatione, sed condemnatione potius fuit opus, quia non accusatione, sed condemnatione indigent manifesta. Quod autem dum in electione vota principum dividuntur, post admonitionem et exspectationem alteri partium favere possimus, maxime postquam a nobis et consecratio et coronatio postulantur, sicut utraque pars a nobis multoties postulavit, ex jure patet pariter et exemplo. Numquid enim si principes admoniti et exspectati, vel si non potuerint vel noluerint convenire, Apostolica Sedes advocato et defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in poenam? Sciunt autem principes, et tua nobilitas non ignorat, quod cum Lotharius et Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, et Imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte. Nos ergo per nuntios principum memoratorum eos duximus commonendos, ut sicut nos a juris ipsorum cessamus injuria, sic ipsi contra jus nostrum se nequaquam injuriosos ostendant.

Pontificis prudentia. 19. Vides, quanta claritate atque peritia Innocentius III auctoritatem Romani Pontificis quoad collationem Imperii exposuerit; nec unquam ejusmodi explanatio jurium Apostolicae Sedis, quae etiam subsequentibus Pontificibus normae fuit, refutata est. Magna sane sollicitudine in toto isto negotio Pontifex processit, nec imprudentiae argui potest, quod Ottonem Philippo tunc praetulerit. Ille enim optimi eatenus principis specimen dederat, atque erga Romanam ecclesiam obsequentissimum se demonstrarat. Postea quidem ipse gratiam Pontifici non retulit, aliumque se ostendit esse quam Innocentius III existimaverat; sed inde non est arguendus Pontifex. Consilia enim, non exitus, inspici laudarique debent. Consilium autem ejus prudens erat et justum.

20. Interim in Germania bellum civile perduravit variaque fortuna inter Philippum et Ottonem dimicatum est; principes videlicet varii in sua sententia perstiterunt, nec Ottonem ad regnum admittere voluerunt. Otto quidem aliquando Philippum vicit; sed anno 1204 et ipse a Philippo acie victus est, indeque ejus res valde declinaverunt.

Principes enim ac proceres, quos pro animo suo elatiori ac minus prudenti Otto passim offendebat, magna ex parte causam ejus deseruerunt et ad Philippum se converterunt. Hic vero multo studio se Pontifici reconciliare nisus est, ad eumque misit *Apologiam,* in qua suam agendi rationem defendere conatus est. Negavit, se revera a Coelestino III excommunicatum esse, jura ecclesiarum ab ipso non laesa sed protecta esse asseruit, et maximam venerationem in Sedem Apostolicam et Ecclesiam, ac satisfactionem, si ea exigeretur, pollicitus est.[1] Quum igitur Innocentius III videret, summis malis Germaniam necnon Italiam ob bellum civile et principum conflictus turbari, iterum eo se vertit, ut ad conciliationem et pacem competitores adduceret. Philippum anno 1207 ab excommunicatione solvit, et competitores eo adduxit, ut inducias unius anni constituerent, Romamque mitterent oratores, ut ibidem de causa terminanda tractaretur. Mense Februario, quantum videtur, negotiationes istae Romae inceperunt, atque etiam tunc Innocentium III, quantum conveniebat, Ottoni favisse, colligitur ex litteris legatorum Philippi, qui querebantur, facilius videri cum ipso Ottone quam cum Pontifice ad negotii conclusionem pervenire. Interim quidem uterque princeps eorumque sequaces arma parabant, ut finitis induciis bellum prosequerentur; sed die 21° Junii anni 1208, Philippus, dum agebat Bambergae, ab Ottone Palatino comite de Wittelsbach, vindicta non politica sed privata, cujus ratio non liquet, pugione confossus et inopinate exstinctus est.

21. Monuit tunc Innocentius III principes Germaniae, ut suscepto Ottone IV pacem restituerent, atque revera iste ab omnibus ut rex agnitus fuit, quum Suevorum partem initis sponsalibus cum Beatrice Philippi filia ad se allicuisset. Spirae comitia regni legatis Pontificis praesentibus habita sunt, et res tum ecclesiasticae tum civiles convenienti ratione ordinatae et constitutae. His factis, Otto IV in Italiam profectus est, ut e manu Pontificis

---

[1]) Regist. Imperii ep. 136; ap. Balut. l. c. p. 746.

Otto IV Imperator.

Imperii insignia susciperet. Mediolani ab Uberto, urb hujus archiepiscopo, coronatus rex Italiae, Romam tete dit, ubi die 4° Octobris anni 1209 ab Innocentio I solemniter in Imperatorem coronatus est. Juramentu praestitit ante coronationem de obedientia et reverent Romanae ecclesiae et summo Pontifici ejusque successo bus exhibendis, de servanda canonicarum electionu libertate, de conterendis haereticis, de restituendis Eccl siae possessionibus, et de conservando in fide feudali R manae ecclesiae regno Siciliae.

22. Sed simulatque Otto IV imperiali dignitate p titus, se tutum in Imperii possessione existimavit, animu ostendit in Pontificem valde ingratum, ac contra jurame tum praestitum jura Apostolicae Sedis atque Ecclesi foedissime violavit. Adhuc in Italia commorans, bo ecclesiae Romanae invasit, patrimonium Mathildis com tissae sacrae Sedi restituere recusavit, provincias renitent armis ad deditionem cogere nisus est, suisque militib varias partes ditionis pontificiae distribuit possidendas feuda. Imo et regnum Siciliae, quod erat Romanae eccl siae feudum, cujusque investituram Innocentius papa Fr derico juniori, Henrici filio, concesserat, armata manu o cupare conatus est.

23. Innocentius III Ottonem semel et iterum monu ut juratam solemniter fidem servaret, Ecclesiae possession restitueret, et ab inferendo Siculis bello abstineret. omnes ejus admonitiones sprevit Otto IV, qui in facino bus suis perseverabat, et insolenter Pontifici respondeb spiritualia Pontificis quidem esse, sed se temporalia universo Imperio sibi vindicare. *Nam spiritualia,* scrib a. 1210, *quae ad vestrum pertinere officium dignoscunt vobis non auferimus, nec habemus propositum auferendi, i volumus, quod ubicumque maneant illibata, et semper im riali auctoritate suscipiant incrementum. In temporalib vero plenam, ut scitis, habemus potestatem, de quibus vo non convenit judicare, quoniam his a quibus Ecclesiae sac menta tractantur, judicium sanguinis agitare non licet. H beatis igitur in spiritualibus libere plenitudinem potestat*

firmiter attendentes, quod temporalia tanquam Imperator per totum Imperium intendimus judicare.[1]) Pontifex igitur, quum summis malis Ecclesiam affligi per Ottonem IV videret, primum quidem die 18° Novembris anni 1210 excommunicationis sententiam Imperatori minatus est, dein vero solemniter in Coena Domini (31° Martii) anni 1211 eum excommunicavit, principes et subditos a juramento fidelitatis solvit, et Siffrido Moguntino episcopo legationem credidit, ut excommunicationem in Ottonem latam promulgandam curaret, unaque cum principibus Imperii de eligendo novo Imperatore consilia conferret. Qua de excommunicatione scribit Innocentius III ad universos Germaniae principes: *Post diligentes admonitiones et dilationes frequentes excommunicavimus et anathematizavimus ipsum ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii et Spiritus sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri et Pauli Apostolorum et Nostra, pro eo, quod beneficiorum nostrorum ingratus, et promissionum suarum oblitus, maligne persequitur praefatum regem Siciliae, orphanum et pupillum Apostolicae protectioni relictum, nequiter invadendo regnum ipsius et Romanae ecclesiae patrimonium, contra sacramenta et scripta sua, et contra jura et monimenta nostra. Unde quum juxta ss. Patrum canonicas sanctiones ei qui Deo et Ecclesiae fidem non servat, fides servanda non sit a communione fidelium separato, nos ab ipsius fidelitate absolvimus universos, vel potius decrevimus absolutos. . . . Dolemus et pro Ecclesia, dolemus et pro Imperio, dolemus etiam pro toto populo christiano, et ad vos . . . recurrentes per Apostolica scripta mandamus, . . . quatenus festinetis super hujuscemodi providere, dum temporis opportunitatem habetis, quia nocuit saepe differre paratis.*[2])

Otto IV excommunicatus.

24. Imperatoris excommunicatio tum in Italia tum in Germania publicata fuit; complures vero praesules et principes, quos Otto etiam arrogantia sua jam sibi

---

[1]) Hahn, Collect. monum. vet. I. 209. ap. Gieseler, K. G. II. 2. §. 117.

[2]) Du Theil, Notices et extraits etc. II. 284.

abalienaverat, comitiis Norimbergae habitis eum ut haere
ticum depositum declaraverunt, atque in regem Germania
elegerunt Fridericum juniorem. Otto IV de hisce certio
factus, anno 1212 ex Italia in Germaniam properavit, u
res suas restitueret. Bellum civile iterum exarsit; utqu
Suevos et Bavaros alliceret, Otto tunc Beatricem Philipp
filiam in matrimonium duxit. Sed quatuor diebus inde
nuptiis ipsa improvisa morte exstincta est, mortemqu
multi attribuerunt veneno, quod ei propinaverint Ottoni
concubinae, quas secum ex Italia adduxerat. Tunc Suev
et Bavari penitus ab eo recesserunt.

Fridericus II rex.

25. Innocentius III, quamvis Fridericum Sicilia
regem Germaniae regnum et Imperium adipisci minu
videretur conveniens, tamen temporis necessitatibusceden
dum censuit, consiliisque principum annuit. Promissionem
vero Fridericus emisit, fore ut filius ejus Henricus, quem
in regem Siciliae coronari fecit, hoc regnum solus possi
deret post ipsius in Imperatorem evectionem. Dein Fri
dericus, ab Innocentio III etiam pecuniarum subsidiis ad
jutus, in Germaniam profectus, in comitiis Francofurti di
2° Decembris anni 1212 habitis ut rex confirmatus, armi
contra Ottonem prospero Marte pugnavit, eumque coëgit
ut ab omnibus derelictus in terras suas Brunsvicenses ses
reciperet. Fridericus II, postquam spopondisset jurejurando
se Romanae ecclesiae jura et possessiones, sacrarum electio
num libertatem aliaque ecclesiastica jura defensurum, e
se, Imperio potitum, regnum Siciliae dimissurum esse, di
25° Julii anni 1215 Aquisgrani rex Romanorum corona
tus est. Innocentio III, quem ut suum benefactorem e
protectorem agnoscebat, summa reverentiae et concordia
signa et documenta exhibuit.

26. Otto IV vero, amisso regno et Imperio, pauci
tantum annis in allodiis suis vixit, ibique die 19° Maj
anni 1218 obiit inglorius, sed poenitentia praestita Eccle
siae reconciliatus. De morte ejus variae sunt relatione
in eo convenientes, quod poenitentiam egerit et Ecclesia
per Conradum Hildesiensem episcopum reconciliatus fuerit

Opportunum autem videtur aliqua afferre ex ea descriptione mortis ejus, quae habetur apud Martene, Anecdot. T. III. p. 1674. *Vi morbi correptus Imperator in Harcesburg, oppido Goslariae proximo, quum sibi lethum imminere intelligeret, coram frequenti sacerdotum corona stolam abbatis cujusdam abripuit, quam collo suo obvolvit, eoque corporis habitu coram omnibus protestatus est: „Sub hac stola vobis omnibus confiteor, quod graviter peccavi contra sedem Romanam, et ex quo Dominus per principes me honoraverat, qui unanimi consensu me in regem elegerunt, et Dominus Papa electione confirmata in Imperatorem Romanum consecravit. Contra ipsum Papam cum ecclesia Romana, et suos nuntios qui de latere veniebant, eos male tractavi, contumaciter egi, et insuper ecclesias alias graviter damnificavi. Propterea, domine abbas, in absolutione mea juravi super reliquias Simonis et Judae quos* (quas) *de Goslaria mihi afferri praeceperam, quod ad omnia quae vita comite prosequi potero, stabo mandato Domini Papae, salvo tamen Imperio meo, ad quod canonice sum electus et solemniter provectus.“ Tum crucem quam assumpserat, dum se in sacram expeditionem obligaret, et ad id usque sub vestibus celaverat, palam revelavit spopondltque, se in sacram expeditionem processurum, siquidem convalesceret. Qua sacra professione ritu solemni absolvi se poposcit, corpore ad verbera accipienda nudato. His omnibus peractis, supremas testamenti tabulas scribi jussit, mandans Henrico Palatino comiti Rheni, ut in custodiam suam acciperet insignia imperialia, eademque per viginti septimanas post decessum suum conservaret, dein traderet manibus illius, quem principes unanimiter elegerint, aut Imperatori aemulo suo, si principes in eum consenserint. Secundum haec vita se destitui intelligens, eucharistiam petiit statimque spiritum exhalavit die 23° Maji* (secundum alios die 19° Maji).[1] Ottonis IV mors.

27. In hac relatione illud advertendum venit, si tamen verum est, quod de restrictione dicitur quam fecit

---

[1]) Visionem de anima Ottonis habes ap. Thom. Cantiprat. L. II. c. 53. n. 19. — Raynald. ad a. 1218. 38.

Otto quoad Imperium. Forte existimavit, quum Fridericus nondum coronatus esset in Imperatorem, sibi non esse Imperio cedendum, nec depositionem suam ut definitivam habendam. Vel ipsi persuasum non fuit, auctoritatem Pontificis talem in hac re esse, ut necessario obediendum esset; forte etiam contra latam sententiam ob subreptionem vel obreptionem excipi posse censebat. Etiam hoc in casu adverti potest, nonnisi cum difficultate quadam Pontifices auctoritatem ipsis propriam exercuisse, eosque, qui ex jure sociali ab omnibus recepto actus Pontificum facile explicari posse opinantur, levius aequo res difficiles expedire. — Caeterum in negotio hoc, de quo egimus, Innocentium III ea fecisse, quae officii ejus partes erant, atque pro viribus Ecclesiae et Imperii bono providisse, ex dictis facile colliges.

II.

De causa matrimoniali Philippi II Galliae regis.

Philippus II Francorum rex.

28. Quum sanctitatem matrimonii contra principum libidines tueri semper officii sui duxerint Romani Pontifices, praesertim quando scandalo publico, vel appellatione ad Sedem Romanam, provocarentur: egregium plane vigoris apostolici exemplum praebuit Innocentius III in causa matrimoniali Philippi Augusti Galliae regis. Hic princeps, natus anno 1165, Ludovico VII patri anno 1180 successerat in regnum, quod non sine laude virtutis, prudentiae et fortitudinis administrare visus est. Sed magnas suscitavit Romanis Pontificibus difficultates, quum mortua prima uxore Elisabeth, ex qua filium habuit Ludovicum, alias nuptias contraheret. Missis legatis rex a Canuto III Daniae rege in matrimonium ei dari petiit Ingeburgam, regis sororem, virginem decem et octo annorum, specie

non minus quam virtute insignem. Quae quidem ei concessa, et in Galliam honorifice est deducta. Omnium ordinum laetitia die 14° Augusti anni 1193 Ambiani nuptiae celebratae sunt, ac die sequente Ingeburga a Gulielmo, Philippi patruo ac Rhemensi archiepiscopo, in reginam est coronata. *Sed inter ipsa coronationis solemnia,* ita Gesta Innocentii III a coaevo conscripta, *suggerente diabolo, ad aspectum ipsius* (rex) *coepit vehementer horrescere, tremere ac pallere, ut nimium perturbatus vix sustinere posset finem solemnitatis inceptae. Statimque motum est verbum divortii celebrandi propter affinitatis obstaculum, quod inter eos quidam existere mussitabant, dicentes, quod secunda contigerat primam uxorem in gradu consanguinitatis quarto vel quinto. Sed aliis asserentibus, quod id sine turpi nota subito fieri non valeret, aliquantulum est dilatum; et interim suggestum est regi, ut ad illam accederet, si forsan affectu mutato carnaliter illam cognoscere posset.*[1]) Rex igitur profectus est cum Ingeburga Fossatum prope Parisios, ibique aliquantisper versati sunt. Utrum matrimonium tantummodo ratum fuerit, vel etiam consummatum, postea in processu qui secutus est, quaestio fuit magni momenti, nec unquam penitus expedita. Consummatum fuisse asseruit Ingeburga, Philippus vero id inficiatus est. **Nuptiae cum Ingeburga.**

29. Post duos menses autem tresque hebdomades Compendii convocavit Philippus praesulum procerumque conventum, postulans, ut propter affinitatem, quam genealogia exposita probare conabatur, matrimonium dissolveretur. Re considerata, regi obsecutus est Gulielmus Rhemensis archiepiscopus. „Convocatis igitur praefato Rhemensi archiepiscopo, in sua provincia tunc Apostolicae

---

[1]) Gesta Innoc. III. n. 48. ap. Balutium Epp. Innoc. III. T. I. p. 20. — Aversionem regis multi ea aetate maleficio attribuerunt. „Instigante diabolo maleficiis per sorciarias expetitus, uxorem, tam longo tempore cupitam, exosam habere coepit.“ Guil. Neubrig. IV. 24. Sed idem etiam scribit: „Dicunt quidam, quod propter foetidum oris spiritum, alii quod propter latentem quamdam foeditatem repudiaverit eam.“ L. c.

Sedis legato, et aliis quibusdam episcopis, coram eis accu-satum est matrimonium, ipsa regina (praesente) quid age-retur penitus ignorante, utpote quae, compatriotis remissis ad propria, quasi sola remanserat linguae Francorum prorsus ignara; et affinitate per quosdam testes in conti-nenti jurata, mox idem archiepiscopus sententiam divorti promulgavit; quae cum reginae per quemdam exponeretu interpretem, illa ultra quam dici posset admirans, flens, e ejulans exclamavit: *Mala Francia, mala Francia,* et ad jecit: *Roma, Roma.* Non enim aliter noverat Gallici verbis talem exprobrare sententiam aut Sedem Apostolican appellare. Protinus ergo rex illam e regno Francorun emisit, et in quodam coenobio monialium (Beaurepaire extra regni fines fecit utcumque deponi. — Turbati sun multi, quin et paene omnes qui Deum timebant et justi tiam diligebant, super sententia tam iniqua. Pervenitqu fama, vel magis infamia hujus facti ad Coelestinum tun temporis Papam: qui quum per magistrum Meliorem titu sanctorum Joannis et Pauli Presbyterum Cardinalem d Francia redeuntem veritatem plenius et certius cognovisse quia factum erat notorium quod nulla poterat tergiversation celari, sententiam illam divortii contra ignaram et ind fensam inordinate ac impetuose prolatam auctoritate Ap stolica irritavit, interdicens regi per nuntios et apices suo ne aliam sibi praesumeret copulare." [1])

Appellatio ad Sedem Ap.

30. Videlicet Ingeburga ejusque frater Canutus re Daniae appellationem Romae instanter prosecuti sunt, a que legatis missis Canutus probavit, affinitatis impedime tum non subsistere. Coelestinus III irritavit concessione divortii illegali modo factam, monuitque Philippum tu litteris, tum per legatos suos Meliorem et Concium, u Ingeburgam revocaret ad sui consortium, atque archiep scopis Senonensi et Rhemensi mandavit, ut impediren quominus Philippus II aliam uxorem duceret. Reprehe dit vero praesules, quod sententiam dixissent contra mu

[1]) Gesta Innoc. III. 49. 50.

lierem, quae omni defensione caruerat, ipsamque regionis linguam non noverat, et quod neque matrimonii christiani sanctitatem neque jura Apostolicae Sedis, ad quam spectabat de matrimonio consummato judicare, curassent. Synodus ista in re habita est Parisiis dominica Palmarum (14° Aprilis) anni 1196, iterumque secunda Dominica post Pascha; atque Melior Pontificis legatus, Michaël Senonensis, Gulielmus Rhemensis aliique praesules, mandata Pontificis regi aperuerunt eique, nimia forte deferentia, persuadere conati sunt, ut a coeptis desisteret. Verum Philippus, qui jam vario modo tum legatos Pontificis, cum nuntios Canuti regis, vexaverat, nullatenus cessit. Duos episcopos, Noviomagensem et Suessionensem, Romam misit, ut causam suam ibi agerent; interim vero novas paravit nuptias, sperans fore, ut post factum facilius Pontifex grandaevus rei acquiesceret.

31. Quum igitur a variis nobilibus ex principum stirpe virginibus repulsam accepisset, ei dedit Bertholdus Meraniae dux in uxorem filiam suam Agnetem, sororem s. Hedwigis. Valde probabile est, Bertholdum ac praecipue Agnetem deceptos fuisse assertionibus Philippi, qui affirmabat, nullum fuisse praecedens conjugium, ac Pontificem nuptiis novis nulla obstacula facturum esse. Nuptiae factae sunt mense Junio anni 1196. Quum haec Canutus III Daniae rex rescivisset, novas litteras dedit ad Coelestinum III et ad Cardinales, de Philippi protervia vehementer conquerens, et Sedis Apostolicae interventionem postulans. Etiam Ingeburga, cui Philippus ne ea quidem sufficienter praebebat quae vitae necessaria erant, novas ad Pontificem litteras scripsit, ejus auctoritatem atque opem implorans. Auctor anonymus, qui scripsit Innocentii Gesta, arguit Coelestinum III, quod non efficacius intervenerit; scribit videlicet: *Verum quanto idem Papa ferventior circa hoc apparuit in principio, tanto tepidior inventus est in fine; quia licet rex Danorum, germanus frater ipsius reginae, per honorabiles nuntios imploraret, ut compelleret regem Francorum ad recipiendum eamdem reginam sororem suam, quam injuste dimiserat, sicut juris ratio*

Philippus II ducit Agnetem.

postulabat, nunquam tamen apud eum hoc potuit obtinere; quin etiam toleravit, ut idem rex post interdictum ipsius filiam ducis Meraniae, puellam utique pulchram nimis, non sine multo scandalo duceret et teneret.[1]) Sed haec censerem duriora. Non constat quidem ex documentis, quid fecerit Coelestinus post illas Philippi nuptias; nam quae in *Gestis,* et in epistola Innocentii III ad Philippum (ep. 171) adscribuntur Coelestino III, pertinent ad tempus matrimonium praecedens. Sed valde probabile est, Coelestinum institisse apud Philippum per episcopos Rhemensem et Senonensem, rem secretius tractatam fuisse, et ad tempus Pontificem, petentibus praesulibus Galliae, a censuris severioribus abstinuisse ob pericula, quae regno Galliae tunc ex parte Richardi I regis Angliae imminebant.[2]) Caeterum Pontifice adeo aetate provecto, non mirum esset ei causa haec difficilis minori ardore et magna cautela tractata fuisset.

Innocentii III interventio.

32. Quum vero Innocentius III ad Sedem Apostolicam evectus fuisset, inde ab initio pontificatus sui negotium hoc strenue componere et terminare suscepit. „Praefatus Innocentius Coelestino succedens, dicitur in Gestis, statim per litteras suas et per Parisiensem episcopum saepedictum regem studuit commonere, ut eam removeret a se, quam contra interdictum Ecclesiae superduxerat, et reciperet illam in gratiam conjugalem, quam legitime ductam illegitime duxerat amovendam, juris ei licentia non negata, quominus facta restitutione, postmodum audiretur, si quid duceret proponendum, contestans eidem, quod quantum

---

[1]) Gesta Innoc III. n. 50. — Falso citat Palma (Praelect. Tom. III P. II. C. V), ac si haberetur in Gestis „*non* toleravit" etc Forte confusio oborta est ex versione gallica operis cl. Hurter, *Innocentius III* L. II, qui scribit, post nuptias Coelestinum denuo legatos ad Philippum misisse et Agnetis demissionem postulasse. Dein in nota addita *refellens* ea quae in Gestis habentur, ipse ait: „Ainsi *non* toleravit; comme il est dit dans les Gestes, ut rex post interdictum etc." Sed in versione gallica (T. I. p 182), et forte ex hac apud Palma, illud *non* idiomatis gallici, falso sumitur ut textus Gestorum.

[2]) Cfr. Damberger, B. IX. S. 314.

cumque sibi molestum existeret, eum in aliquo molestare, quia tamen oportebat, eum plus coelesti quam terreno regi deferre, et sine personarum acceptione procederet, sicut ratio postularet."[1]) Epistolam ad episcopum Parisiensem Innocentius dedisse videtur primis diebus pontificatus sui, mense Januario vel Februario;[2]) quum vero nihil profecisset, die 17° Maji anni 1198 graves hac de re ad ipsum Philippum regem litteras direxit.

33. Inter alia scribit: *Memor esto conditionis tuae, et novissima juxta verbum sapientis attendens, quod scandalum in Ecclesia parit, quod nobis detractionem generat, quod in perniciem generis vertitur, et in dispendium totius regni redundat, alios simili corrumpens exemplo, corrigas per te ipsum, superinductam de finibus regni Francorum removeas, et eam reducas in regnum et reginam appelles ac facias appellari, mandans ei ab omnibus tanquam reginae deferri, quam a te minus rationabiliter abjecisti. . . . Quodsi forsan (quod absit) desuper datum non fuerit, sicut de jure tenemur, juris tibi licentiam non negamus, quominus facta prius restitutione audiamus et exaudiamus quod rationabiliter duxeris proponendum. Si autem (quod non credimus) nec famae tuae nec honori consuleres, nec mandatis nostris nec monitis obedires, quantumcumque nobis molestum existeret te in aliquo molestare, contra te tanto amplius moveremur, et manum curaremus Apostolicam aggravare, quanto serenitatem tuam sincerius diligimus. . . . Facias, fili carissime, de necessitate virtutem, et nobis in hoc, imo creatori tuo per quem vivis et regnas, humiliter satisfacias, . . . sciturus pro certo, quod nisi mandatum nostrum hac vice curaveris adimplere, non differemus ulterius, quin officii nostri debitum sequamur.*[3]) — Rex vero nihilominus in sua perstitit pravitate. Pontificis epistola.

[1]) Gesta n. 51. Cfr. ep. I. 4 ad Ep. Paris. et epp. I. 171, 348 ad Philip.

[2]) V. Potthast, Regesta n. 13.

[3]) Epp. L. I. ep. 171; ap. Balut. I. 92.

Minatur Interdictum.

34. Misit porro Innocentius III in Galliam ut legatum Apostolicum Petrum Cardinalem Capuanum, tum ut novam expeditionem cruciatam praepararet et pacem conciliaret inter Philippum II et Richardum I Angliae regem' tum ut adigeret Philippum ad obediendum Pontifici in causa matrimonii sui. Quum vero legatus nihil proficeret monitis suis, in mandatis ei dedit Innocentius, ut censuris et interdicto, si oporteret, uteretur; vehementius iterum monuit regem, et universos etiam praesules, abbates et clerum Galliae litteris missis certiores reddidit de iis, quae eousque isto in negotio Sedes Apostolica egerat. Simul nuntiavit iis quae legato mandaverat, monuitque, ut interdictum, si publicaretur, observarent, antea tamen omnem operam adhiberent, ut regem a flagitio suo retraherent.[1]) Quum omnes admonitiones essent inanes, legatus die 6° Decembris anni 1199 cum quatuor archiepiscopis, octodecim episcopis et pluribus abbatibus Divione habuit synodum, ut de causa regis ac de interdicto publicando jam efficacius ageretur. Rex ad synodum invitatus, duos ad eam misit legatos, qui contra ejus decreta protestati, regis nomine Romam appellarunt. Sed legatus Apostolicus, qui a Pontifice acceperat potestatem exequendi Apostolicae Sedis mandata non obstante appellatione quacumque, statuit, ut viginti diebus post festa Nativitatis in altero conventu habendo, vi decretorum synodi Divoniensis, interdicto regnum subjiceretur. Quum Philippus in prave coeptis pertinax persisteret, die 14° Januarii anni 1200 Viennae, in ditione Imperii, nova synodus habita est, in qua legatus interdictum fulminavit, quod tertia die post festum Purificationis B. M. V. ad effectum perduceretur. Ut vero indoles interdicti conspiciatur, hisce formulam hujus censurae oculis subjiciamus.

35. „Omnes ecclesiae sint clausae, nec aliquis admittatur in eis nisi ad parvulos baptizandos, nec aliquotenus aperiantur, nisi pro luminaribus accendendis, vel quando

[1]) Cfr. epp. ad Philipp., epp. Innoc., I. 348, ad Petrum Card. I 347, ad Clerum Galliae II. 197. Haec epist. data est mense Oct. an. 1199. Cfr. Potthast, Regesta 855.

Interdictum latum.

sacerdos accipiet eucharistiam et aquam benedictam ad opus infirmorum. Sustinemus, missam semel in hebdomada celebrari, in die Veneris summo mane, pro eucharistia ad opus infirmorum, admisso uno solo clerico, qui sacerdoti ministrat. Praedicent sacerdotes diebus dominicis in atriis, et loco missae disseminent verbum Dei. Horas canonicas dicant extra ecclesias, non audientibus laicis; si dicant epistolam vel evangelium, caveant, ne audiantur a laicis; nec in cimiterio supra terram vel infra permittant corpus sepeliri. Dicant praeterea laicis, quod ipsi graviter peccant et excedunt tumulando corpora in terris, etiam non benedicta, alienum sibi officium in hac parte usurpando. Prohibeant parochianis suis intrare ecclesias apertas in terra domini regis; non benedicant peras peregrinorum nisi extra ecclesiam. In septimana poenosa (sancta) non celebrent, sed usque in diem paschae celebrare differant, et tunc celebrent private, nullo admisso nisi uno clerico, sicut superius est expressum; nec communicet aliquis etiam in pascha, nisi infirmus in periculo mortis. In eadem septimana vel in ramis palmarum parochianis praedicent, ut die paschae mane conveniant ante ecclesiam, et dabitur eis licentia comedendi carnes, panem benedictum diei. Firmiter prohibentur, mulieres in ecclesiam ad purificationem ne admittant, sed eas moneant, ut die purificationis congregatis vicinis suis orent extra ecclesiam, nec intrent ecclesiam mulieres, quae purificandae erant, etiam ad levandos de sacro fonte parvulos baptizandos, donec post interdictum intromittantur per sacerdotem. Omni petenti dent poenitentiam in porticu ecclesiae; si tum ecclesia non habuerit porticum, sustinemus, ut in limine proximioris portae ecclesiae, quae pro intemperio aëris et pluviae aperiri poterit, et non aliter dent poenitentias, omnibus exclusis praeter illum et illam quae confitebitur, ita quod sacerdos et confitens possit audiri ab illis qui fuerint ante ecclesiam. Si tamen serenum fuerit tempus, dentur poenitentiae ante januas ecclesiae clausae. Non ponantur extra ecclesias vasa cum aqua benedicta, nec clerici ferant aquam benedictam, cum omnia sacramenta ecclesiastica praeter

illa duo, quae excepta sunt, constet esse prohibita. Ex tremam unctionem, quae maximum est sacramentum, no licet dare."[1])

Interdictum receptum.

36. Legatus Apostolicus omnibus praelatis sub poe nis severis praecepit, ut interdictum exequerentur et ob servarent, et eos qui non obedirent, ad festum Ascensioni Domini futurum, de inobedientia ad Sedem Apostolican appellavit. Qua vero ratione interdictum receptum fuerit in Gestis Innocentii III hisce refertur: „*Receptis igitu litteris ejus* (Legati), *quidam in auditu auris obedire coepe runt, sicut canonici Senonenses, Parisiensis episcopus, Sil vanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Atrebatensis, et qui dam alii, sententiam interdicti firmiter observantes. Ali vero distulerunt observare sententiam, sicut Rhemensis archi episcopus, episcopus Laudunensis, Noviomenensis, Antissiod rensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Au relianensis, et alii forte perpauci, nuntios suos ad Apostoli cam Sedem destinantes, per quos quasdam excusationes lice frivolas, praetendebant; sed promittebant, quod illis expos tis, si demum placeret summo Pontifici, observarent sententia interdicti. Qui audito praecepto humiliter paruerunt* (ex cepto episcopo Antissiodorensi). *Sicque tota terra reg Francorum arctissimo est interdicto conclusa, ita ut claus ecclesiis nusquam in coemeteriis sepelirentur corpora mortu rum, quin etiam super terram servabantur ubilibet insepulta.*

37. In quibusdam quidem provinciis multitudo com mota fuit et ira in clerum incensa ob interdictum; fuerun etiam inter presbyteros, qui interdictum non observabant sed quum praesules sententiam ecclesiasticam constante tuerentur, omnium indignatio exarsit in Philippum regem Is quidem initio magno furore saeviit. Episcopos et cl ricos punivit, alios ejecit, alios dignitatibus, proventibi bonisque spoliavit. Ingeburgam arctiori et duriori cust

---

[1]) V. Mansi, Coll. Conc. T. XXII. p. 710; ap. Hefele, C. G §. 641.

[2]) Gesta n. 52.

diae mancipavit, imo etiam nobiles et populum rex arrogantius vexavit. Sed paulatim omnium clamores versi sunt in regem, isque consultius duxit Pontifici cedere. „Sed quum plebs universa clamaret, inquiunt Gesta Innocentii III, rex jam non valens ecclesiasticae severitatis sustinere rigorem, nuntios suos, quosdam videlicet clericos et quosdam milites ad summum Pontificem destinavit, conquerens multipliciter de Legato, sed tamen offerens per eosdem juratoriam cautionem, quod coram Legatis vel delegatis judicibus staret juri. Quibus prudentissimus Papa respondit, quod distinguendum erat, utrum stare vellet juri dictato vel juri dictando; si juri dictato, ut videlicet secundum jus quod dictaverat superinductam a suo removeret consortio, et reginam reciperet antedictam, libenter reciperet cautionem, imo sine cautione qualibet, si hoc faceret, relaxaret sententiam interdicti, dummodo prius episcopi et clerici destituti plenam fuissent restitutionem adepti. Si vero juri dictando, videlicet ut secundum jus quod dictaret affinitatis decideretur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodo superinducta remota reginam prius reciperet memoratam. Hoc autem quum rex per nuntios suos a Sede apostolica revertentes audisset, spiritus ejus coepit multipliciter anxiari, qui nec illam volebat recipere quam habebat vehementer exosam, nec istam dimittere quam habebat nimis acceptam.“ [1]) Sed quum cerneret Pontificis constantiam, proceres, ecclesiasticos et laicos convocavit, et ab eis petiit, quid sibi esset agendum. Omnes responderunt, Pontifici esse obediendum, Agnetem dimittendam, et recipiendam Ingeburgam. Tandem rex consilium suum obtemperandi Pontifici significavit. Tum Innocentius III in Galliam legavit Octavium Cardinalem Episcopum Ostiensem et Joannem Cardinalem s. Priscae, eisque facultatem dedit revocandi interdictum, quando praedictae conditiones fuissent impletae. Rex cedit Pontifici.

38. „Profectus est Ostiensis episcopus secundum hanc formam ad regem Francorum, et tam ab ipso quam ab

---

[1]) N. 53.

ejus magnatibus honorifice ac devote receptus, fecit im primis ecclesiis et ecclesiasticis viris de damnis et injurii satisfieri congruenter, ac deinde reginam de loco in qu fuerat ad quoddam regale castrum (S. Léger) adduci, ub praesentibus archiepiscopis et episcopis regnique magna tibus, et tam cleri quam populi multitudine copiosa, re ad mandatum legati reginam recepit, faciens in animan suam juramento firmari, quod honorifice eam ut reginan tractaret et absque judicio Ecclesiae non dimitteret. E sic ipse Legatus sententiam interdicti, quae per oct menses duraverat, relaxavit cum multo gaudio et applaus (die 7° Septembris anni 1200). Sed nonnulli sibi (Legato detraxerunt, quod apostolici mandati forma neglecta i quibusdam superficialiter processisset. Superinductam auten rex a suis separavit amplexibus, sed a regni finibus no exclusit, quia gravida erat et partui jam vicina. Porr causam ipsius Dominus judicavit, quia post partum gra viter infirmata, debitum carnis exsolvit," (initio anni 1201).[1]

Ingeburga agnita.

39. Ingeburga solemniter ut regina adducta, et rege, quamvis invite, in isto conventu recepta fuerat Insistebat tamen Philippus in suo proposito eam dimittendi et postulabat, ut causa divortii ob affinitatem tractaretu Unde statutum fuit a legato, ut post sex menses, se hebdomades, sexque dies in synodo Suessionibus habend ista causa tractaretur, rexque Daniae Canutus III etian ea de re certior factus est, ut missis nuntiis sororis sua causam tueri posset. Interim vero Ingeburga iterum u captiva habita est a rege, nec in ipsius sacello ejus nome in orationibus recitatum. Etiam ea in re non satisfec Philippus ex integro mandatis Pontificis, quod Agneter non extra regnum duci curaret, sed, quum gravida esse in castello regio (Passy) eam servaret. Hinc quorumdar querelae, quod Legatus remissius egisset, quem ex alter parte Philippus accusabat, quod durius ipsum tractare Innocentius III vero litteris monuit regem, ut plenam liber tatem Ingeburgae concederet.

---

[1]) Ibid. n. 54.

40. Synodus Suessionibus die 2° Martii anni 1201 incepta est. Venerant quidem ex Dania aliquot praesules aliique viri insignes, ut Ingeburgae partes tuerentur, sed inde ab initio declarantes se legatum suspectum habere, ad Pontificem appellarunt, et statim recesserunt. Quum post dies tres etiam alter legatus, Joannes Cardinalis s. Pauli, advenisset, ipse synodo praesedit, et quamvis nuntii Dani abessent, per quindecim dies causa matrimonialis sollicite tractata est. Quum Joannes Cardinalis jam in eo esset, ut sententiam pronuntiaret, rex dolosus ad eam declinandam repente declaravit, se Ingeburgam recepturum nec eam dimissurum esse, atque illico equum ascendens properavit ad monasterium ubi regina degebat, adductam consedere fecit in eodem equo, ac festinanter, nemine salutato, Suessionibus ipsam eduxit. Hac arte effecit, ut synodus sententia non pronuntiata solveretur. Quumque Philippus ea ratione Ingeburgam ut reginam ac suam uxorem agnovisset, causa *juridica* matrimonii composita erat; nec Pontifici in iis quae secuta sunt ea erat interveniendi facultas uti antea, quum Philippus *de jure* Ingeburgam ut reginam et uxorem agnovisset. Synodus Suessionensis.

41. Sed perfidus rex, quamvis Agnes obiisset, tamen Ingeburgam non tractavit ut reginam sibi matrimonio junctam, sed separatam a se tenuit et custodiri fecit veluti captivam. Petiit vero, ut ipsius ex Agnete liberi, Philippus et Maria, legitimarentur a Pontifice. Innocentius III id fecit, eo quod Agnes bona fide post divortium ab archiepiscopo Rhemensi pronuntiatum nuptias cum Philippo rege iniisset. Nimiam fuisse Pontificis hac in re indulgentiam, quidam existimarunt, sed immerito; immerito pariter Philippus rex conquestus est de nimia in ipsum severitate, quod matrimonium cum Ingeburga dissolvere recusaret. Breviter quae in isto negotio ulterius fecit Innocentius III, ab auctore *Gestorum* hisce indicantur: *Summus autem Pontifex, etsi nunquam potuerit regem inducere, ut ipsam reginam diligeret, nunquam tamen cessabat nec blandis nec asperis apud ipsum, ut eam faceret regaliter honorari, consolatorias et confortatorias ei litteras saepe*

transmittens, et per proprios nuntios eam faciens visitari, d contingentibus nihil omittens, etiamsi regi plurimum displi ceret. Nam eadem regina conquerebatur, se magis esse in carceratam quam restitutam, quum etsi rex in victu et vestit competenter ei faceret provideri, adeo tamen arcte facieba eam apud Stampas in regio palatio custodiri, quod nec ips permittebatur exire, nec quisquam ad eam, nisi raro, per mittebatur intrare, sicque manebat omnino solatio destituta.[1] — Non potuit autem in ista rerum conditione Innocentiu convenienter iterum progredi ad censuras ecclesiastica Etenim sententia definitiva ac juridica de regis nuptii non erat pronuntiata, atque Philippus Ingeburgam u uxorem et reginam susceperat, nec jam ut antea, aliar superinduxit. Itaque tantummodo regina apud Pontificem cor queri poterat, quod minus bene a Philippo tractaretur; di ficile autem erat Innocentio istam quaestionem, potiu privatam atque domesticam, auctoritatis Apostolicae armi terminare.

Causa divortii continuatur.

42. Interim Philippus iterum conatus varios adh buit, ut sententia juridica divortii seu nullitatis matrimon inter ipsum et Ingeburgam a Sede Apostolica pronunti retur. Anno 1203 non solum ob *affinitatis* impedimentu divortium petiit, sed addidit etiam illud motivum, se o maleficium ab omni cum uxore commercio impediri; ind *impotentiae* impedimentum forte colligebatur. Anno 120 quum Gualo legatus Pontificis in Galliam venisset, tertia divortii proposuit causam. Ingeburgam videlicet vari artibus adegerat ad promissionem, se ingressuram es monasterium, ut voto castitatis emisso vitam religiosa duceret. Hinc Philippus contendens, ratum tantummod non vero consummatum esse ipsius cum regina conjugiu postulavit, ut solveretur hoc matrimonium ratum, quema modum passim acciderat, ob ingressum alterius partis i monasterium. Innocentius vero regi non obsecutus e sed respondit, haud constare de matrimonio non consu mato, et praeterea determinationem reginae, ut amplec

[1]) Num. 55.

-etur vitam religiosam, non liberam esse, sed vi ac dolo -am esse adactam ad illam promissionem.

43. Sed rex nondum destitit ab inceptis. Quum declarationem quamdam reginae quoad matrimonium tantummodo ratum accepissent abbas de Trapa et magister Robertus de Corzon, quae regi favere videbatur, iterum per illum abbatem et Joannem clericum Romae efficacius egit, ut matrimonium dissolveretur. Tunc vero die 9° Junii a. 1212 Innocentius graves dedit ad Philippum litteras, quibus causae finem imponens conjugium illud dissolvere renuit, regemque monet, ne jam ulterius postulatis suis molestiam inferat Sedi Apostolicae. Declarat, etiam attenta illa declaratione ab Ingeburga obtenta, rem valde dubiam et implicatam remanere, nec se audere, attenta matrimonii indissolubilitate divinitus instituta, aliquid in favorem regis definire. *Sed in carnali commercio,* scribit, *inter te et reginam conjugem tuam adeo est processum, quod si etiam illi tantum confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram praedicto abbate de Trapa et dilecto filio magistro Roberto de Corzon nunc tituli s. Stephani in Coelio monte presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam evangelicam, quam Christus expressit, videlicet: „Quod Deus conjunxit, homo non separet", cum absque dubio nec sanctorum exempla, nec patrum decreta, intentioni in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, praeter divinam offensam et mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis et officii nostri periculum immineret, cum contra praemissam veritatis sententiam* (de matrimonii indissolubilitate) *nostra non possit auctoritas dispensare.* — Hisce Pontifex certe non asserit, se posse deponi ab episcopis, sed vel sensus est, ipsum exponere se periculo violandi ordinem et officium suum, dum ultra auctoritatem ipsi competentem ageret, vel insinuat, fieri posse ut (schismatica) in eum commotio oriretur, dum cernerent Pontificem arrogare sibi potestatem indebitam. — Dein advertit, alias esse juratas reginae de-

Innocentius causam terminat.

clarationes de matrimonio penitus consummato, et mone regem, ne amplius audiat eos, qui spem dissolutionis con jugii fallaciter ei faciant. Postremo scribit: *Quare, pru dentissime rex, ab eo quaesumus proposito conquiescas, quo perpetuum animae tuae periculum generaret, et Dominu justus Judex in eo te forte puniret, in quo contra ipsu tali modo peccares; ipsamque reginam pro Deo et propte Deum habeas propensius commendatam, quae pro servand lege conjugii, quam Deus ante peccatum in paradiso consti tuit, longo est martyrio macerata. Nos quoque super ho negotio gravius non molestes, ne propter instantem persecu tionem quam patimur, ad extorquendum istud a nobis in sistere videaris. Quia sicut nolumus tibi negare quod si merito concedendum, ita nolumus tibi concedere quod merit sit negandum, praesertim hoc tempore, ne propter persecutioni instantiam declinare videamur a tramite veritatis.*[1])

Philippus Ingeburgae reconciliatus.

44. Altero anno 1213 tandem Philippus Ingeburga plene reconciliatus est, eam ad se accersivit, ac manifesti benevolentiae signis eam tractavit usque ad mortem suan (1222). *Uxori bene meritae* etiam in testamento suo decen millia librarum Parisiensium legavit; Ingeburga vero, qua usque ad annum 1236 vixit, piis fundationibus anima regis defuncti nisa est suffragari. Dubium est, utrun motiva politica, an vero affectus mutatio regem adduxerint

---

[1]) Epp. L. XV. ep. 106. Cfr. etiam ep. 107. — Animadvertendu est, specialem quamdam difficultatem hoc in casu videri suscitatan esse inde, quod rex jam admitteret, carnale commercium se habuiss cum uxore, sed simul contenderet, haud penitus consummatum fuiss matrimonium. Asserebat videlicet, *sexuum quidem commixtionem intercessisse, sed seminum commixtionem non extitisse subsecutam* (ep. 107). Ad similem confessionem demum adducta erat regina. Ind dubia multa surgebant, an ejusmodi regis assertioni improbabili qui deferri posset, et hoc supposito, an tale matrimonium adhuc solummod ratum posset haberi. Ad haec forte etiam alludit Pontifex, quum in casu eousque inaudito et non tractato Concilium generale forsan adhu quid posse videatur insinuare. Certe haud majorem ei tribuit auctori tatem, sed tali in re insinuat non posse quid plane insolitum statui sine praecedente consilio et deliberatione praesulum plurimorum. Secus fore, ut summa scandala oriantur. — Caeterum satis ostendit, se ut *falsas insanias* regis asserta habere. (Ep. 107 ad Fr. Guarinum.)

ut, quum firmam Pontificis constantiam perspexisset, jura sua reginae concederet.[1]) Illud sane indubium, Innocentium III in isto negotio praeclare sese gessisse, et non minori sapientia, quam perseverantia legis divinae jura pro munere suo tuitum esse.

45. Restat, ut quaedam advertamus de *Interdicto*, quo Innocentius III usus est ad frangendam pertinaciam Philippi regis; varii enim auctores Pontificem reprehenderunt, quod ejusmodi poenâ tum eo in casu, tum alias, principum crimina punierit. Adverterunt videlicet, populum potius quam principem ea ratione punitum fuisse, atque fieri non potuisse, quin gravia mala, inflicta ejusmodi censura, ipsi religioni in territoriis interdicto subjectis obvenirent. — Sed jam istis temporibus tales quaestiones agitatae fuere, et qualis fuerit ipsius Pontificis hac in re sententia, clare elucet ex iis, quae fecit et scripsit, quum Hispaniae pars pariter in causa matrimoniali regis interdicto subjiceretur. Advertendum videlicet est, ea aetate quam maxime principes visos esse sanctas nuptiarum leges abjicere, et pro lubito suo ad illicita convolare connubia. Sed de iis quae in Hispania acciderunt, ad quaestionem hanc explanandam pauca dicamus. **Quaestio de Interdicto.**

46. Coelestino III adhuc regnante, Alphonsus rex Legionis consobrinam suam Theresiam, filiam regis Lusitaniae incestuose sibi praesumpserat copulare. Pontifex propterea tam regem ipsum Lusitaniae, quam incestuose conjunctos excommunicationis sententia innodavit, et Legionense ac Lusitaniae regna sententiae supposuit interdicti. *Unde quod illegitime factum fuerat, est penitus revocatum.*[2]) — Verum dictus rex Legionensis, ad deteriora manum extendens, filiam regis Castellae consobrini sui, neptem videlicet propriam Berengariam, impudenter sibi copulare ausus est. Quod quum ad notitiam Innocentii III Pontificis pervenisset, is in Hispaniam misit legatum Rainerium Cardinalem, virum plane insignem, qui incestuosum illud matrimonium solveret, et ad obediendum

[1]) Cfr. Hurter l. c. L. XVIII. vol. II. p. 447. [2]) Gesta n. 58.

Ecclesiae legibus etiam poenis adigeret regem, si resisteret.

Interdictum in Hispania.

47. Cum Rainerius apud regem Legionis nihil prorsus monitis suis profecisset, *certum ei diem assignavit et locum; et cum eum etiam ultra terminum exspectasset, in eum se contumaciter absentantem juxta formam mandati apostolici excommunicationis sententiam promulgavit, et regnum Legionense interdicto generali conclusit. In memoratum vero regem Castellae ac terram suam in nullo processit, cum idem rex se mandatis ejus exponeret, et quod reciperet filiam suam, si sibi redderetur, proponeret assertive, obligans se ad hoc per litteras suas summo Pontifici destinandas.*[1]) Ex parte regum dein archiepiscopus Toletanus aliique duo episcopi Romam missi sunt, ut dispensationem sollicitarent pro matrimonio Alphonsi et Berengariae, ex qua anno 1198 s. Ferdinandus natus est.[2]) Sed eam Innocentius gravibus ex rationibus nullatenus concedere voluit. Tunc de interdicto solvendo legati egerunt. *Tandem vero,* scribit ipse Innocentius, *intelligentes Archiepiscopus et Episcopi memorati, quod non solum indulgentiam super hoc a summo Pontifice, sed vix etiam possent audientiam impetrare, interdictum in terram dicti regis Legionis prolatum a Domino Papa postularent remitti, asserentes, quod ex eo triplex toti regno periculum ab haereticis, Saracenis, et Christianis etiam imminebat. Ab haereticis: quia quum per interdictum ipsum clausa essent in partibus illis ora pastorum, non poterant fideles per eos contra haereticos instrui, et ad resistendum eis aliquatenus informari; unde cum ex hoc, tum quia rex Legionensis, ab*

---

[1]) Gesta n. 58.

[2]) Damberger B. IX. S. 386 ff. causam matrimonialem minoris momenti fuisse existimat, sed interdictum ob varia alia crimina, spoliationem ecclesiarum et oppressionem praesulum, latum esse opinatur. Dispensationem censet indebite ab episcopis concessam fuisse, postea vero a Papa negatam, quod conditiones quasdem reges implere noluerint. — In re obscura conjecturis varia nituntur; caeterum pro disciplina aetatis regumque libidine et arrogantia fraenanda ipsum de nuptiis negotium per se gravissimum erat, et epistola Innocentii mox citanda connubium incestuosum ut motivum interdicti exhibet.

Ecclesia se asserens aggravari, eis minime resistebat, invalescebant contra fideles haeretici, et in regno ipso haereses variae pullulabant. A Saracenis: quoniam quum per exhortationes et remissiones Ecclesiae Hispaniarum populus consuerisset ad expugnationem paganorum induci, cessante praedicatorum officio, populi etiam devotio tepescebat, quia quum se cum principe suo quoad interdictum eidem videret poenae subjectum, a culpa cui vel tacendo consenserat, forte se non credebat immunem; propter quod minus circa debellationem Saracenorum fervebat, ne decederet in peccato. A Catholicis: quia quum clerici laicis spiritualia ministrare non possent, laici clericis temporalia subtrahebant, oblationes, primitias, et decimas detinentes. Unde cum clerici ex his pro majori parte in partibus illis consueverint sustentari, eis subtractis non solum mendicare, sed fodere et servire Judaeis in Ecclesiae et totius Christianitatis opprobrium cogebantur.[1] Vides, jam tunc interdicti varia incommoda proposita fuisse. **Querela de incommodis.**

48. Reponit autem Innocentius: *Videbatur autem difficile petitioni eorum annuere, et sententiam ex animo, ordine et causa latam canonice sine satisfactione congrua relaxare. Ex animo siquidem: quia, sicut Deus perhibet testimonium conscientiae nostrae, ad hoc nonnisi justitiae et honestatis obtentu processimus; dum ex contrario potius contra nos oriri praesumptio potuisset, si tam detestabile facinus duxissemus in patientia tolerandum. Ex ordine: quia dictus frater Rainerius post commonitiones et dilationes legitimas, tandem districtione percussit ecclesiastica contumacem. Ex causa: exemplo, divino videlicet et humano. Divino: quia quum David in populi numeratione peccasset, Dominus in populum vasa sui furoris effudit. Unde idem David dixisse legitur, peccatum suum Domino confitendo: „Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi. Isti qui oves sunt, quid fecerant? Auferatur, obsecro, facies tua a populo tuo.“ Humano: quum jam dictus praedecessor noster, (ut non longe petantur exempla), in praedictos Portugalliae et Legionensem reges et regna*

[1]) Epist. L. II. ep. 75 ad Compostellanum Archiep.

Innocentii solutio.

ipsorum praedictas sententias curaverit promulgare. . . . Licet igitur ex causis praemissis non videretur dicta petitio admittenda, quia tamen ubi est multitudo in causa, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat, in eo ad petitionem praedictorum Archiepiscopi et Episcoporum gratiam de communi fratrum nostrorum consilio duximus faciendam, ex quo videbant impedimenta expressa superius provenire. Relaxavimus ergo non in totum, sed in una parte solummodo interdictum, nec perpetuo, sed ad tempus, quamdiu scilicet nobis placuerit et viderimus expedire, ut probemus interim spiritus, si ex De sint, et an, (sicut iidem Archiepiscopus et Episcopi asseverant,) sperata inde utilitas sequeretur; sic videlicet, ut in regno ipso divina celebrentur officia, sed decedentium corpora sepulturae ecclesiasticae non tradantur. . . . Ut autem non remittere poenam, sed commutare potius videamur, dictum regem Legionensem et memoratam filiam regis Castellae a omnes principales eorum consiliarios et fautores excommunicationis curavimus sententia innodare, mandantes, ut ad quamcumque civitatem, oppidum, vel villam devenerint, nullus ibidem eis praesentibus praesumat officia celebrare.[1])

49. Ex hisce colligi potest, quibus principiis Innocentius III in ferendo interdicto, et in relaxanda ex parte ejusmodi poena duceretur. 1° Statuit, ob gravia motiv merito interdicto territorii regum crimina puniri, qua i re exemplo nititur s. Scripturae, quum ob Davidis peccatum peste populus flagellatus sit. Videlicet inter principem et populum tanta est connexio, ut per modum uniu spectentur. Princeps est populi caput; is ad eum velut pertinet, maxime juxta statum rerum in medio aevo; subditorum quoque sub interdicto positorum incommoda facil regem adigebant, ut Dei et Ecclesiae legibus pareret.[2]) –

---

[1]) Ibidem.

[2]) Bene ad rem Hurter: „Cette époque considérait le prince et l peuple comme un tout indissoluble, et les péchés de l'un comme le péchés de l'autre, les vertus de l'un comme les vertus de l'autre; e c'est ainsi que la tête et les membres recevaient, sans être divisés, le

2° Incommoda quae per se ex ejusmodi interdicto sequuntur pro populo, haud sunt tanti habenda, ut propterea interdictum ob gravia motiva latum solvendum sit, quum justa sit ejusmodi poena. — 3° Sed si pericula peculiaria fidelibus et Ecclesiae inde dimanant, merito mitigatio in severitate adhibetur, ita tamen, ut aliis reorum poenis disciplina ecclesiastica vindicetur, et remedia ad eorum resistentiam frangendam adhibeantur. — Caeterum censuras istas interdicti et excommunicationis ea aetate valde utiles et efficaces fuisse ad compescendam principum et procerum proterviam et libidinem, multiplicia exempla comprobant.

III.

De dissidio inter Innocentium III et Joannem Angliae regem.

50. Jam de dissidio agamus, quod pluribus annis perstitit inter Joannem Angliae regem et Innocentium III, ut Pontificis hac in re gesta exponamus et examini subjiciamus. Pauca praemittimus de regibus, qui Angliam saeculo doodecimo ad terminum vergente et decimo tertio ineunte rexerunt, quo melius rerum quae ad nos pertinent enarratio intelligatur. — Henricus II, de quo in causa Angliae reges.

bénédictions et les châtiments. L'Eglise, en se servant de l'Interdit comme moyen de punition, pensait que la privation des grâces ecclésiastiques serait plus sensible au chrétien que des souffrances corporelles, et qu'il était juste de retirer aux laïcs les biens spirituels, quand ils attaquaient les biens temporels des clercs, ou les détérioraient par des demandes iniques de taxes ou de contributions. Le chef de l'Eglise avait employé ces moyens de correction contre les usurpations et contre les scandales publics des princes, dans l'espérance que, touchés de la situation de leur peuple, ils changeraient de sentiments, et que le désir universel des grâces religieuses dont on était privé, produirait le résultat auquel la force des armes ne parviendrait jamais à contraindre les princes." Histoire d'Innocent III. L. IV. T. I. p. 338. (Versio gallica ed. Bruxelles 1839.)

s. Thomae Cantuariensis plura diximus, ex Eleonora uxore quatuor susceperat filios, Henricum, Gaufridum, Richardum et Joannem. Henricum, natu majorem, regni Anglici et ducatus Normannici haeredem dixit, Richardum Aquitaniae, Gaufridum minoris Britanniae quam in potestatem redegerat, nulla Joanni relicta provincia, qui propterea *sine terra* nuncupatus est. Ultimo tempore vitae suae Henricus II multa perpessus est ex filiorum rebellione in ipsum; iis Galliae reges Ludovicus VII et Philippus Augustus suo plerumque aderant auxilio.. Ars sane politica hosce principes urgebat, ut adversarentur regibus Angliae qui amplissimas provincias Galliae ut feudatarii regum Francorum possidebant. Has ut paulatim ad suam ditio nem adjungerent, reges Galliae percupiebant, unde pron erant, ut contra reges Angliae foedera inirent. Rege Angliae ex adverso possessiones suas in Gallia ampliar et dilatare nitebantur.

Richardus I. 51. Henricus junior mortuus est patre vivente ann 1183; anno 1186 etiam Gaufridus comes Britanniae, Hen rici II filius, Parisiis ab equo dejectus et attritus obii Henricus II vero mortuus est anno 1189 in octava ss. Pe tri et Pauli, quum ultra triginta quatuor annos regnasse Successit ei *Richardus I*, cui Cor Leonis seu Thymoleonti cognomen erat, princeps vigore corporis et audacia bellic apud coaevos et posteros illustris. Caeterum vero ingen ferocioris erat, et proceribus reliquisque subditis molestu et gravis, ob pecuniarum quibus indigebat frequentes ex actiones. Quum anno 1193 Richardus ab expedition cruciata revertens a Leopoldo Austriaco captus detiner tur, donec ingentem 150 mille marcarum summam pr redemptione solveret, Philippus Galliae rex Normannia infestavit, Joannes vero, Richardi frater, regno inhians i Anglia turbas excitavit. Sed post reditum suum Richa dus anno 1196 pacem cum Philippo composuit, atqu Joannes etiam gratiam fratris recuperavit, indeque fidele sese ei ostendit. In obsidione Calaci (Chalus), quod castru est in Lemovicis, sagitta in brachio percussus, male cura vulnere, Richardus I anno 1199 occubuit.

52. Post Richardi mortem de jure successionis in Angliae regnum ditionesque universas contentio fuit inter *Joannem*, Richardi fratrem, a Richardo in successorem destinatum, et Arthurum, comitem Britanniae, ejus nepotem, in quem Gaufridi patris, (qui regni absque controversia haeres fuisset si superstes vixisset Richardo, utpote natu major Joanne fratre,) jura transfusa videbantur. Bellum exortum est, atque Arthur in captivitatem incidit Joannis; juribus tamen suis renuntiare recusavit. Rothomagum abductus est, ubi paulo post interiit; communis autem fuit illius aetatis opinio, a Joanne rege e medio eum sublatum fuisse. Inde Philippus Galliae rex occasionem arripuit, ut debellaret Joannem, et quamvis Innocentius III, petente Joanne, interveniret, ut ad Ecclesiae tribunal accusationes in regem allatas deferret, Normanniam aliasque provincias Philippus illi eripuit. Demum anno 1206 induciae inter reges conclusae sunt, et anno 1208 renovatae. Joannes rex.

53. Interim gravissimum dissidium exarsit inter Innocentium Pontificem et Joannem regem, occasione electionis archipraesulis Cantuariensis. — Quum fidem in Angliam invexissent praesertim Benedictini monachi, inde factum est, ut ecclesiae cathedrales seu episcopales Anglorum ita constituerentur, ut monachi in adjuncto coenobio degentes officia ibidem peragerent, capitulorum jura haberent, adeoque etiam episcopos eligerent. Verum mox Angliae reges, uti et aliis in regionibus accidit, se electionibus episcoporum immiscuerunt. Influxum suum eo magis hi reges studuerunt exercere, quod baroniae episcopatibus annexae, praesulibus magnam in rebus politicis et civilibus auctoritatem conciliarent, et proinde principis interesset, ut nonnisi ei dediti viri ad episcopatus promoverentur. Quum vero archiepiscopus Cantuariensis, qua primas Angliae, in ecclesiis Angliae et in republica praecipuum dignitatis et auctoritatis gradum obtineret, in ejus electionem praeter regem etiam episcopi suas sibi partes vindicabant. Hac ratione jura monachorum Cantuariensium vehementer constringebantur. quum plerumque electio non nisi quoad

speciem ipsis relinqueretur, et maxime influxus regis, cui passim se jungebant episcopi, rem dirimeret. A rege facultatem electionis petere cogebantur monachi, is suum candidatum obtrudebat, et si quem eligebant ei non acceptum, hunc rejiciebat. Hinc factum est, ut in quavis fere electione archiepiscopi Cantuariensis controversiae exardescerent inter monachos Cantuarienses, episcopos et regem Angliae, dum monachi pro virili libertatem electionis sibi competere contenderent, et etiam si de facto passim cederent, tamen vindicarent sibi jura sua.

Electio Cantuariensis.

54. Quum Humbertus archiepiscopus Cantuariensis die 13⁰ Julii anni 1205 supremum diem obiisset, juniores monachi, ut liberam exercerent electionem, nocte et secreto convenerunt, atque in successorem Humberti elegerunt *Reginaldum* subpriorem monasterii. Quum vero nec regis licentiam nec praesulum participationem ea in re habuissent, rem discrimine plenam se suscepisse optime perspexerunt; unde conati sunt quam celerrime electionis factae confirmationem a Sede Apostolica obtinere, ut hac ratione robur invictum illi adjicerent. Ipsum igitur Reginaldum Romam deputavere itineris causam occultantes, ac jurejurando illum obstrinxerunt, ne rem manifestaret, antequam Innocentii III assensum obtinuisset. Sed Reginaldus, sive imprudenti vanitate, sive alia ratione ductus archiepiscopi electi titulum assumpsit, simulatque Angliae terminos egressus est. Ubi vero haec in Anglia innotuerunt, praesules illico deputatos nuntios Romam miserunt ut contra Reginaldi electionem sine ipsorum participation factam protestarentur. Rex autem Joannes omnem movi lapidem, ut quem ipse volebat *Joannes Grayus* episcopu Norwicensis, in sedem Cantuariensem eveheretur. Hin episcopos adduxit, ut scripto documento suis partibus ha in electione renuntiarent, easque regi deferrent; quo fact Cantuariam properavit, et monachis eligendum in arch episcopum proposuit Joannem praesulem Norwicensem Pars sanior monachorum intelligens, quantas turbas in provida juniorum agendi ratio esset excitatura, electionem Reginaldi ceu nullam habuit, ac regi obsecuta Joannem

in archipraesulem elegit. Dein cum aliis nuntiis, qui documenta electionis deferebant, sex monachi Romam missi sunt, ut apud Sedem Apostolicam hanc electionem defenderent.

55. Innocentius III in hac causa examinanda imprimis sibi proposuit definire controversiam de jure electionis, quae inter monachos et episcopos existebat. Contendebant episcopi, secundum veterem disciplinam primatem esse eligendum ab episcopis, et episcopos Angliae, a tempore quo Henricus I libertatem canonicam restituerat, suffragiis suis participes fuisse electionis archiepiscopi Cantuariensis. Monachi vero affirmabant, ab initio per quatuor fere saecula electionem archiepiscopi Cantuariensis privilegio absoluto ad se spectasse; hoc privilegium rejici non posse, quin patres ecclesiae Anglicanae et Pontificem praecedentium responsiones improbarentur; innovationem quae in hac re sub Normannorum dominatione introducta fuerat, non jure, sed vi fuisse factam. Re diu pertractata, consultores responderunt, privilegium praescriptione saeculorum observatum esse servandum, et Innocentius Papa sententiam in favorem monachorum pronuntiavit.[1]) **Discussio causae.**

56. Post haec processit ad examen electionis utriusque sedis Cantuariensis competitoris. Accersiverat autem Pontifex Romam quindecim monachos Cantuarienses, viros graves, ex quibus ipse novem designaverat, ut ita accurate de re gesta constaret. Iisdem monachis, postulante Pontifice, a monasterio collata erat plena potestas, ut totius communitatis causam agerent, et, si contingeret, etiam novam electionem Romae perficerent. Ex altera vero parte aderant regis et episcoporum procuratores. Rationes igitur ad utriusque electi causam spectantes discussae sunt, atque Innocentius utramque electionem irritam declaravit, Reginaldi quidem electionem, quod plura contra canones in eadem accidissent; Joannis vero, quod facta esset, ante-

---

[1]) Vides, immerito a Pauli, Gesch. Engl. III. S. 325, sententiam Pontificis ut violentam et arbitrariam argui.

quam de nullitate prioris sententia definitiva Sedis Apo
stolicae lata esset.

Electio nova. 57. Hinc jam novam electionem archiepiscopi fier
necessarium erat, quumque legati monachorum Cantuarien
sium etiam ad hoc a fratribus deputati essent, Romae d
eadem electione actum est. Joannes quoque rex, quun
praesensisset rei exitum, monachis Romam deputatis pote
statem fecerat, ut ibi novam electionem instituerent, se
promissionem ab iis exegerat, ut non alium nisi Joanner
Norwicensem eligerent. In epistola autem ad Innocentiur
generali modo insistebat, ut regis jura illaesa servarentu
Destinamus, scribit, *ad pedes Sanctitatis vestrae lator*
praesentium, rogantes, quatenus dignitates nostras, quas n
et patres nostri habuimus super provisionibus tam ecclesia
Cantuariensis quam aliarum cathedralium sedium, integras
illaesas conservare velitis, et ecclesiae Anglicanae et regn
in arcto positis paterna provisione providere.[1])

58. At vero Innocentius III gravissima habebat m
tiva, cur Joannem Gray in archiepiscopum Cantuariense
nollet creari. Erat enim iste primarius minister, quo i
administrandis rei publicae negotiis rex utebatur, judic
officio fungebatur, et ita negotiis civilibus erat imme
sus, ut ad dioecesim regendam nec tempus ei superess
nec vires. Atque jam diu iste abusus in ecclesia Anglican
cernebatur, ut quidam episcopi adeo negotiis regiis a
civilibus administrandis occuparentur, ut dioecesis cura
spiritualem valde negligerent. Unde etiam Humbertu
Cantuariensem praesulem brevi ante defunctum Innoce
tius abusum illum exstirpaturus eo adduxerat, ut negot
publica administranda relinqueret, quo ecclesiae suae r
gimini necessario se posset efficacius devovere. Non p
terat igitur Pontifex pro officio suo convenienter electio
Joannis Norwicensis favere. Sed alium nisus est inveni
virum, qui aptissimus ecclesiae Cantuariensi regenda
simul esset regi acceptus, si personarum merita hic aequ

---

[1]) Ap. Lingard, Hist. vol. II. c. 5.

modo expenderet. Talem autem existimavit esse *Stephanum Langtonium* Anglum, Cardinalem S. Chrysogoni, virum ingenii dotibus et virtute illustrem; regi hunc acceptum fore censuit, tum propter nominis claritatem, tum quod ad ipsum jam saepius litteras cum magna suae aestimationis significatione dedisset. Hunc igitur ut eligerent suasit monachis, qui Pontificis desiderio obsecuti sunt. *Dominus Papa*, dicitur in Gestis Innocentii, *post cassationem praedictarum electionum, injunxit quindecim monachis, ut in praesentia sua electionem canonicam de persona celebrarent, et examinatis voluntatibus singulorum, inventi sunt in magistrum Stephanum de Languetone, Presbyterum Cardinalem tituli S. Chrysogoni, convenire, virum utique vita, scientia et fama praeclarum, de Anglia oriundum, quem dominus Papa eodem anno de cathedra magistrali, quam regebat Parisiis, assumpserat in Presbyterum Cardinalem; in quem tandem omnes monachi pariter consenserunt, nuntiis regis hoc moleste ferentibus et multis modis laborantibus impedire.*[1])

59. Innocentius dein, ut regis animum facilius inclinaret in electum archiepiscopum suscipiendum, ei significavit illam electionem, ut eam gratam haberet, speciali quadam deferentia; nam quum regis legati Romae adessent, et creatio novi archiepiscopi omnino canonica esset et apud Sedem Apostolicam facta, ex juris dispositione per se non requirebatur, ut a Pontifice eadem Joanni regi significaretur ejusque consensus peteretur. Etiam ex monachis duo deputati sunt ad regis consensum obtinendum. Sed rex inde ab initio animum valde adversum ostendit. Nuntii monachorum, quam primum in Angliam venerunt, capti et in custodiam missi sunt. Ad Pontificem autem Joannes litteras acres minabundus misit. Brevi ante Joannes Cardinalis Florentinus, die 9° Octobris anni 1206, synodum Radingi (Reading) in Anglia habuerat, cujus gesta haud nota sunt, magnamque summam pecuniae pro denario S. Petri acceperat. Rex igitur Pontifici scripsit, se haud intelligere, qua ratione Innocentius consenserit Negotiatio cum Joanne.

[1]) Gesta n. 131.

electioni Langtonii viri ipsi regi ignoti, praesertim quum nullum regnum tanta subsidia pecuniae pendat, quanta ex Anglia mittantur; se vero, si oporteat, omnem communicationem cum Pontifice esse rupturum, suaque jura defensurum usque ad mortem. Cum hisce litteris mense Februario anni 1207 Romam misit nuntios auro onustos, ut causam regis ibidem agerent.[1]) Regis animum videlicet acuebat Joannes Gray, qui sedem Cantuariensem ambiebat. Nec alium quam ipsum rex eligi pertinaciter volebat.

60. Merito autem Pontifex censuit, pro bono Ecclesiae regi non esse cedendum, sed perseverandum in Stephani Langtonii electione. Novam epistolam (d. d. 26 Mai 1207, Regest. Potthast n. 3111) misit ad Joannem eamque gravem, qua regis objectiones refellit, eique significat ab electione illa canonice facta recedi non posse. Multum interest, perspicere qua ratione eo tempore res se habuerint ut de dissidii progressu recte judicetur, eo vel magis, quod auctores quidam, uti Pauli[2]), Innocentium arguant, quod astutia et ambitione suam in Angliam potestatem amplificare voluerit.

Epistola ad regem. 61. „Cum super negotio Cantuariensis ecclesiae, scribit Pontifex, nos tibi scripserimus humiliter, diligenter benigne, exhortando et rogando, tu nobis, ut salva pace tua loquar, rescripsisti quasi comminando et exprobrando contumaciter et proterve. Et cum nos tibi supra jus deferre curemus[3]), tu nobis secundum jus deferre non curas minus quam decet attendens, quod si tua nobis devotio plurimum est necessaria, nostra tamen tibi non parum est opportuna; cumque nos in tali casu tantum honorem null

---

[1]) Innoc. epp. L. IX. epp. 206. 207. — Minus accurate scribunt Luigard, Palma, Wouters, regem non respondisse ad litteras Pontificis.

[2]) Gesch. von England, B. III. S. 318 ff.

[3]) Videlicet secundum jus electio episcopi apud Sedem Apostolicam facta non erat notificanda principi, ut consensum daret. Id tamen honoris gratia fecerat Innocentius; non poterat sane ita auctoritatem suam negligere, ut regis perversi voluntati eousque cederet, quod non nisi eam personam in episcopum crearet, quam ille vellet.

principum detulerimus, quantum tibi, tu nostro tantum derogare attendis honori, quantum in simili casu nullus princeps derogare praesumpsit, quasdam frivolas occasiones praetendens, quibus asseris, quod electioni, de dilecto filio magistro Stephano tituli s. Chrysogoni Cardinali a monachis Cantuariensibus celebratae, non potes praestare consensum, quia videlicet inter tuos est conversatus inimicos, et persona ejus est tibi prorsus ignota. Porro juxta proverbium Salomonis, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, cum intelligamus, illud ei non esse imputandum ad culpam, sed ad gloriam potius adscribendum, quod Parisiis diu vacans liberalibus studiis in tantum profecit, ut meruerit esse doctor non solum in liberalibus facultatibus, verum et in theologicis disciplinis; ac sic per hoc, cum vita concordaret doctrinae, dignus est habitus praebendam obtinere Parisiensem. Unde mirabile gerimus, si vir tanti nominis, de tuo regno ducens originem, tibi potuit esse saltem quoad famam ignotus; praesertim cum ter scripsisses illi, postquam a nobis exstitit in Cardinalem promotus, quod licet disposueris, eum ad tuae familiaritatis obsequium evocare, gaudebas tamen, quod ad majus erat officium sublimatus. Sed illud potius te attendere decuisset, quod in terra tua natus est, de parentibus tibi fidelibus et devotis, quodque in ecclesia Eboracensi fuerat praebendatus, quae longe major et dignior quam Parisiensis existit. . . . Nuntii vero tui causam nobis aliam expresserunt, quare non praestitisti ejus electioni consensum, quia videlicet nunquam fuerat requisitus ab illis, qui eum a te debuerant postulare, asserentes, quod litterae illae quibus mandavimus, ut super hoc negotio procuratores idoneos ad nos destinares, ad te minime pervenerunt, et monachi Cantuarienses, quamvis pro aliis negotiis ad tuam praesentiam accessissent, pro postulando tamen consensu nec litteras nec nuntios direxerunt. Unde iidem nuntii cum multa instantia nobis supplicarunt, quatenus ex quo nobis complacuit hanc tibi honorificentiam reservare, ut monachi Cantuarienses regium postularent assensum, quoniam hoc factum non erat, dilationem congruam concedere

Epistola ad regem.

Epistola ad regem.

dignaremur, infra quam posset id fieri, ne juri tuo contingeret derogari; contra personam electi quiddam ad ultimum proponentes, quod quum manifeste falsum sit, ostium oris claudere debuissent, praesertim quum, si verum esset, promotionem ejus jam impedire non posset. Licet autem super electionibus apud Sedem Apostolicam celebratis non consueverit assensus principum exspectari, duo tamen monachi fuerunt specialiter deputati, ut ad te pro requirendo assensu venirent; qui apud Y divoriam (Dover) fuerunt retenti, ut injunctum sibi mandatum exsequi non valerent, et praefatae litterae de procuratoribus ad nostram praesentiam destinandis tuis fuerunt nuntiis assignatae, ut eas tibi fideliter praesentarent. Nos quoque, qui super eamdem ecclesiam Cantuariensem plenitudinem potestatis habemus, regium super hoc dignati sumus implorare favorem; et cursor noster, qui Apostolicas tibi litteras praesentavit, litteras quoque prioris ac monachorum, qui ex mandato totius capituli Cantuariensis celebraverunt electionem memoratam, super assensu petendo regiae sublimitati porrexit. Ideoque non vidimus, oportere denuo post haec omnia regium postulare consensum, sed illud disposuimus, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram, quod sanctorum Patrum canonicae sanctiones statuunt faciendum, ut videlicet nihil morae vel difficultatis rectis dispositionibus afferatur, ne gregi dominico desit cura pastoralis. Quocirca nil discretioni tuae vel regali prudentiae suggeratur a quoquam, quo aliquatenus valeat a consummatione hujus officii revocari quoniam quum absque vi et dolo canonica sit electio de persona idonea concorditer celebrata, sine damno famae et periculo conscientiae differre non possemus. Tu ergo fili carissime, cujus honori supra jus deferre curavimus secundum jus nostro studeas honori deferre, . . . ne forte si secus egeris in eam te difficultatem inducas de qua non facile valeas expediri. . . . Quia non esset tibi tutum, in hac causa Deo et Ecclesiae repugnare, pro qua beatus martyr et pontifex gloriosus Thomas sanguinem suum recenter effudit, praesertim ex quo pater et frater tuus clarae memoriae, tunc reges Anglorum, in manibus legatorum

Apostolicae Sedis illam pravam consuetudinem abjurarunt."[1]) Ex hisce litteris apparet, Joannem regem arte, dolo, et ambagibus Pontificem voluisse adigere, ut non alius, nisi Joannes Norwicensis episcopus ad sedem Cantuariensem eligeretur. Pontifex autem merito censuit sui officii esse, ut virum idoneum ad illam sedem promoveri curaret, utque libertatem illam electionum defenderet, quae nonnisi summa constantia s. Thomae aliquatenus saltem servata erat. Dum vero simul regis honori singulari sollicitudine provideret, eo minus ei hac in re cedere conveniebat, quod Joannes jamdudum se ostenderat ut principem imprudentem, impium, Ecclesiae et Sedi Apostolicae adversum.

62. Quum ad has litteras Innocentius responsa non recepisset, ipse die 17° Junii Viterbii Stephanum Cardinalem solemniter in archiepiscopum Cantuariensem consecravit, et die 24° Junii suffraganeis ecclesiae Cantuariensis nuntiavit, se quum Stephanum Cantuariensem archiepiscopum S. R. E. Cardinalem nuper propriis manibus curaverit consecrari, pallio ei dato ad ecclesiam memoratam decrevisse transmittendum. Simul eos monuit et hortatus est, ut eidem amodo tanquam archiepiscopo suo in omnibus intendentes, mandatis illius humiliter pareant.[2]) Ubi vero ad Joannem regem nuntius pervenit, Stephanum in praesulem Cantuariensem consecratum esse, magno furore perculsus de monachis imprimis ultionem sumpsit. Fulconem de Cantilupe et Reginaldum de Cornhill, suos milites, cum manu armata ad monasterium s. Trinitatis Cantuariam misit, ut monachos tanquam laesae majestatis reos, quod eorum culpa omnia ista evenerint, e coenobio ac regno ejicerent. Monachi minis illorum citius cedentes, die 14° Julii Angliam reliquerunt, et in monasterio s. Bertini ad s. Audomarum ut hospites recepti sunt. Monasterium autem derelictum, jubente rege, occupaverunt monachi ex coenobio s. Augustini, quod pariter Cantuarii

Oppositio regis.

---

[1]) Epp. L. X. ep. 219.

[2]) Potthast, Reg. Innoc. III. n. 3126.

existebat; Langtonium vero in Angliam admittere, rex omnino recusavit.

Innocentii III vigor. 63. Pontifex igitur plane perspexit, vigore et auctoritate apostolica agendum esse, ut Ecclesiae jura vindicaret. Ut vero antea omnes conatus ad animum regis immutandum adhiberet, die 25° Augusti ad Guilelmum Londinensem, Eustachium Elyensem et Malgerum Wigorniensem episcopos litteras dedit. Commemorat in iis beneficia, quibus Joannem cumulaverit, maxime quod ipsum contra adversarios suos pro viribus tuitus sit; Stephani Langtonii merita, et regis iniquam persecutionem recolit, spemque exprimit fore, ut populus Angliae hac in re principi non adhaereat. *Si finem,* scribit, *prudenter attenderet* (rex), *ab incepto procul dubio declinaret, cum praeter divinam offensam, nisi quantocius resipuerit, gravem sit incursurus jacturam; quia durum est ei contra stimulum calcitrare. Absit enim, ut in tam iniquo proposito populus Anglicanus qui vere christianus existit et zelator fidei orthodoxae, contra regem coelestem regem sequatur terrenum, corporalia spiritualibus praeferendo, quum non solum clerici, sed et laici tantae discretionis et devotionis existant, ut norint et velint distinguere inter illa, quae reddenda sunt Caesari, et ea quae reddenda sunt Deo.* — Ipsis episcopis porro mandat: *Induti virtute spiritus ex alto, et assumentes gladium spiritus quod est verbum Dei, regem ipsum pariter adeatis, eumque in spiritu libertatis reverenter ut regem hortemini, et diligenter ut filium inducatis, quatenus sanis consiliis acquiescat, et praefato archiepiscopo . . . dignam reverentiam et debitum honorem impendens, . . . dispositioni divinae prompto favore consentiat, ut idem archiepiscopus . . . circa gregem sibi commissum a Domino suum valeat efficaciter officium exercere. Alioqui omni mundano timore postposito, ac remoto cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per totam Angliam generalem Interdicti sententiam proferatis, nullum ibi praeter parvulorum baptisma et poenitentiam morientium, ecclesiasticum permittentes officium celebrari; quam et vos plenius observetis, et faciatis ab omnibus per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. . . . Quod si nec sic vexatio*

regi dederit intellectum, quia pater quem diligit filium corripit, et Deus quos amat arguit et castigat, manus nostras in eum curabimus aggravare, ut sic demum medicinali manu sanatus, in gratiarum nobis actiones assurgat. . . . Tales igitur in hujusmodi executione mandati vos exhibere curetis, quod Deum magis quam hominem comprobemini revereri; nec sitis ex illis qui canes muti sunt, non valentes latrare.[1])

64. Ex mandato Pontificis igitur praefati episcopi regem hortati sunt, ut a coeptis desisteret, atque etiam eum adeuntes ei supplicarunt, ne pertinacia sua summa in Angliam mala inferret. Sed Joannes episcoporum consilia et Pontificis monita sprevit, in ingentes prorupit furoris aestus et minas, et episcopos illos e conspectu suo cum ignominia rejecit. Quum igitur praesules monitis se nihil proficere experti essent, ex jussu Pontificis die 24° Martii anni 1208 in omnes terras Joanni regi subjectas interdictum fulminarunt; deinde, ut saluti suae consulerent, Angliam reliquerunt et in Galliam transfretarunt. — Ita igitur totum Angliae regnum interdicto fuit subjectum, *quod tam districte servabatur ubique,* inquiunt Gesta Innocentii, *ut praeter poenitentiam morientium et baptisma parvulorum nusquam celebraretur divinum officium aut exhiberetur ecclesiasticum sacramentum, ita quod non solum clericorum et monachorum aut quorumlibet regularium, sed etiam episcoporum cadavera servarentur extra coemeterium inhumata.*[2]) Advertendum tamen est, cum restrictione quadam haec intelligenda esse. Quum enim quatuor episcopi regis partibus adhaererent, reliquis omnibus ad exilium capessendum coactis, supponendum sane est, in eorum dirionibus minus accurate interdictum servatum fuisse; Cistercienses primo anno contenderunt, se vi privilegiorum Pontificum etiam tempore interdicti solemnia officia celebrare posse; postea vero, quum id inhibuisset Innocentius III, ipse tamen quasdam interdictionis mitigationes admisit.[3]) Interdictum in Angliam.

[1]) Epp. L. X. ep. 118.
[2]) N. 131.
[3]) Cfr. Epp. L. XI. ep. 214.

Regis violentia.

65. Rex interea episcopos, clericos, omnesque qu interdictum observabant, dire persecutus est, ecclesiarun bona diripuit, ac saevo modo, uti solebat, suam in regn dominationem contra vasallorum et subditorum seditione firmabat. Quum tamen animus irrequietus ejus formidin occuparetur, cum Pontifice, et cum Stephano archiepiscopo qui in coenobio Pontiniacensi degebat, de dissidiis com ponendis tractavit; sed, uti erat inconstans ac dolis plenus ita ut promissa mox interverteret, irriti fuerunt conatus Quum itaque rex in sua perversitate persisteret, Innocen tius Joannem nominatim excommunicavit, et episcop Atrebatensi atque abbati monasterii s. Vedasti litteris d d. XI Kal. Julii a. 1209 mandavit, ut assistentibus tribu praefatis Angliae episcopis, quos in illas regiones fugiss diximus, hanc excommunicationem solemniter publicarent Pontificis mandatum ii executi sunt. Rex quidem impe dire tentavit, quominus bulla seu decretum excommunica tionis in Angliam deferretur, illiusque publicationem se vere prohibuit. Attamen excommunicationis sententia i Anglia satis innotuit, ita quidem, ut per dies multi etian proceres, a regis utpote excommunicati observantia defi cerent. Nihilominus ipse in ecclesias et proceres saevir non destitit, motus exorientes crudeliter repressit, ac dur tyrannide subditos coërcere continuavit. Ut vero Ponti fici metum injiceret, sultani seu emiri Marocchi auxiliun petiit, spondens se Muhamedanos ritus suscepturum esse sed ignominiosam a sultano retulit repulsam.

66. Quum hac ratione Joannis obstinata perversitat summis malis Anglia afficeretur, anno 1212 Stephanu Cantuariensis archiepiscopus, Eustachius Elyensis et Gu lielmus Londinensis praesules, Romam profecti sunt, ut sicuti a clero Angliae ipsis relatum erat, Pontifici expone rent foedissima crimina, quae, spreto interdicto et excom municatione, rex in ecclesiasticos, proceres, mulieres per petrabat. Simul petebant, ut Pontifex severius cum reg ageret, quo eorum incolumitati et Ecclesiae libertati pro videretur. Tunc igitur Pontifex consilio cum Cardinalibu habito, et re universa iterum perpensa, illud remediun

adhibendum censuit, ut Joannis subditi ab obedientiae obligatione solverentur, et de novo rege constituendo decerneretur. Quoad hunc eventum animadvertendum est, non exstare documenta Innocentii III quae huc spectant, sed praecipuum auctorem qui ista enarrat, esse Matthaeum Parisium in sua *Historia Anglorum,* singula vero non satis accurate et clare ab ipso referri.

67. Jam ad annum 1211 Matthaeus scribit: „Innocentius Papa, quum rex Anglorum Joannes, nuntiis ejus sibi monita praedicantibus salubria, acquiescere contempsisset, reges et alios omnes tam pauperes quam potentes ad coronam Angliae spectantes a regis fidelitate et subjectione solvit; districte et sub poena excommunicationis prohibens universis et singulis, quatenus ipsum in mensa, consilio et colloquio arctius evitarent.“ — Ad annum vero 1212 ita habet: „Papa gravi moerore propter desolationem regni Angliae confectus, de consilio Cardinalium, episcoporum et aliorum virorum prudentium, sententialiter definivit, ut rex Anglorum Joannes a solio regni deponeretur, et alius, Papa procurante, succederet, qui dignior haberetur. Ad hujus quoque sententiae executionem scripsit Dominus Papa potentissimo regi Francorum Philippo, quatenus in remissionem omnium suorum peccaminum hunc laborem assumeret, et, rege Anglorum a solio regni expulso, ipse et successores sui regnum Angliae jure perpetuo possiderent. Scripsit insuper omnibus magnatibus, militibus aliisque bellatoribus per diversas nationes constitutis, ut ad regis Anglorum dejectionem sese cruce signarent, regemque Francorum in hac expeditione ducem sequentes, vindicare injuriam universalis Ecclesiae laborarent. Statuit praeterea, ut quicumque ad expugnandum illum regem contumacem opes impenderent vel auxilium, sicut illi qui sepulchrum Domini visitant, tam in rebus quam in personis et animarum suffragiis in pace Ecclesiae securi permaneant.“ — Ut vero indoles intelligatur eorum, quae Innocentius constituit, apprime conferenda citatis sunt ea quae prosequens Matthaeus refert: „His ita gestis misit Dominus Papa a latere suo Pandulphum subdiaconum ad

Agitur de depositione regis.

partes Gallicanas cum archiepiscopo et episcopis supradictis, ut in ipsius praesentia ea quae superius digesta sunt exequantur. Sed Pandulphus a Papa recedens, remotis omnibus, secretissima allocutione sciscitatus est, si forte in rege Anglorum fructum poenitentiae inveniret, ita quod vellet satisfacere Domino et ecclesiae Romanae, atque aliis omnibus ad illud negotium spectantibus, quid inde fieri placeret. Tunc Papa Pandulpho quamdam pacis formam evidenter expressit, cui si rex assentire decreverit, apud Sedem Apostolicam poterit gratiam invenire." [1])

Pacis conditiones. 68. In pacis formula statuebantur ea quae facienda erant ad reparanda mala ecclesiis illata, simul autem Pontifex d. d. 28 Febr. 1213[2]) rescripto, Pandulpho subdiacono et fratri Durando familiaribus suis mandat, ut proficiscentes in Angliam una cum Wintoniensi episcopo et priore Conventrensi regis praesentiam adeant, monentes eumdem, *ut Deo et Ecclesiae satisfaciat secundum formam subscriptam inter nos et nuntios suos multimoda deliberatione provisam. . . . Recepto ab eo publice juramento, quod super his, pro quibus excommunicatus existit, nostris mandatis absolute parebit, tu, fili Subdiacone, ei beneficium absolutionis impendas, reconcilians eum Ecclesiae unitati. . . . Quodsi forte praefatus rex infra mensem praescriptam formam non duxerit acceptandam, sed in sua maluerit duritia perdurare, vos ex tunc recedentes ab ipso, significetis ex parte nostra praedictis archiepiscopo et episcopis, ut negotium Ecclesiae prout melius poterunt persequantur, vosque non differatis ulterius ad nostram praesentiam remeare.* [3])

69. Quodsi haec perpenduntur, apparet, Matthaeum Parisium non accurate, sed cum quadam exaggeratione

---

[1]) Hist. Angl. ann. 1211 et 1212.

[2]) Ap Potthast documenta haec anno 1212, mensibus Februario et Martio adscribuntur. Sed manifeste pertinent ad a. 1213. Episcopi videlicet currente anno 1212 Romam venerunt, et initio anni 1213 redierunt. Reditum Matthaeus adscribit Januario, ad annum 1213 scribens: *Eodem anno, mense Januario, redierunt a curia . . . episcopi*

[3]) Epp. L. XV. ep. 234.

narrasse. Quamvis enim documenta plura Pontificis forte desint, patet tamen, definitivam ac solemnem depositionis sententiam in Joannem nondum latam fuisse, sed pertinent ea quae facta sunt ad praeparationem depositionis ipsius et expeditionis contra regem, si demum ab Ecclesia persequenda non desisteret. Nec quae Pandulpho commisit Pontifex, secretissime illo, sciscitante et nesciis episcopis, facta sunt. Etenim colligitur ex verbis rescripti, formam pacis inter Pontificem et nuntios regis conciliatam fuisse, apertam fuisse Pandulphi legationem ad Joannem, et tantummodo, si mense elapso infectis rebus ex Anglia ad Stephanum archiepiscopum Cantuariensem et reliquos episcopos rediisset, hisce, ulterius ut procederent, fuisse injunctum. — Imo ex epistola Innocentii III, quam eo tempore (die 1° Martii) dedit ad Joannem regem, patet, Joannem per nuntios suos de reconciliatione Romae egisse, sed modo satis ambiguo, et formam pacis jam antea Joanni fuisse propositam, sed frustra. Modo igitur Innocentius III gravius insistebat, et veluti ultimum resipiscentiae terminum initium mensis Junii regi praestituebat.

70. Episcopi in Galliam reversi sunt, eoque etiam primum profectus est Pandulphus Pontificis legatus. Philippo Galliae regi consilia Innocentii III communicata sunt; imo jam antea de isto negotio actum fuisse videtur; etenim tum Philippus tum Joannes reges magno cum vigore paraverant bellum. Philippum etiam plures proceres Angliae contra tyrannidem Joannis evocaverant. Die 8° Aprilis, quae erat feria secunda hebdomadae majoris, Suessionibus magnum conventum Galliae rex celebravit, omnesque vasallos et proceres ad bellum contra regem Angliae gerendum evocavit; et tempore Paschatis copiae congregatae sunt. Ex adverso etiam Joannes permagnum exercitum collegit. At vero illis diebus Pandulphus, consentiente Joanne, in Angliam properavit, ut regem conveniret; summumque discrimen principi tanta cum vi, aliis consiliariis juvantibus, exposuit, ut rex flecteretur ad pacem. Jam enim perspiciebat se, cum anathemate perculsus a populo odio haberetur, magnaque pars praesulum et pro-

Pandulphi iter in Angliam.

cerum hostibus manus dedissent, Philippo resistere no posse et ignominiose deturbatum iri a throno. Hinc tai dem die 13° Maji anni 1213 Joannes subscripsit et jur mento firmavit pacis conditiones ab Innocentio III stat tas. Praecipua capita formae pacis erant: 1° Ut Steph nus Langtonius ad archiepiscopatum Cantuariensem rec peretur; 2° ut exilio mulctati, sive clerici sive laici, rev carentur, et pristina officia, jura ac bona iis restituerentu 3° ut conjectis in carcerem ob causam vigentis dissid libertas redderetur; 4° ut interdictum revocaretur et e communicatio tolleretur; 5° ut episcopi ab exilio reduc more solito fidem et obedientiam regi promitterent.

Anglia Sedis Ap. feudum.

71. Die decima quarta Maji rex deliberationes habu graves cum Pandulpho et consiliariis suis; die vero decim quinta solemniter rex Angliam veluti feudum obtulit Se Apostolicae. Videlicet Joannes publice, de consilio et a sensu baronum, legato Pontificis tradidit chartam, in qu Innocentio III et Apostolicae Sedi regnum Angliae obt lit, et more vasallorum fidem, hominium et annuum ce sum mille librarum Pontifici juravit. Non plane pate quibus rationibus motus sit Joannes, ut ea ratione regnu Angliae Sedi Apostolicae offerret; Innocentius id non p stulaverat, uti ex litteris ejus clare eruitur. Immerit Matthaeus Parisius scribit: *Rex juxta quod Romae fuer sententiatum, resignavit coronam suam cum regnis Anglia et Hiberniae in manus Domini Papae.* — Dicit ipse Joanne in diplomate: *Volentes nosmetipsos humiliare pro illo, q se pro nobis humiliavit usque ad mortem, gratia sancti Sp ritus inspirante, non vi interdicti, nec timore coacti, se nostra bona spontaneaque voluntate, ac communi consili baronum nostrorum, conferimus et libere concedimus Deo e sanctis Apostolis ejus Petro et Paulo et sanctae Romana ecclesiae matronae nostrae, ac domino Papae Innocentio eju que catholicis successoribus, totum regnum Angliae et totu regnum Hiberniae, cum omni jure et pertinentiis suis, pr remissione omnium peccatorum nostrorum et totius gener nostri, tam pro vivis quam pro defunctis, et amodo illa a eo et ecclesia Romana secundarius recipientes et tenentes, i*

praesentia prudentis viri Pandulphi domini Papae subdiaconi et familiaris.[1])

72. Videtur autem Joannes id fecisse, quo plane securus esset ab hostibus, maxime quidem ab imminente invasione regis Galliae. Sed etiam pericula non modica regiae ipsius auctoritati ab ipsis subditis Angliae imminere, facile intelligebat. Tyrannide enim violenta et arbitraria odiosum sese reddiderat plurimis, ac magis magisque invaluerat tendentia apud barones aliosque proceres, resistendi ejusmodi dominationi. Unde vereri poterat, ne a throno dejiceretur, vel ejus potestas admodum constringeretur. Quum vero regnum Apostolicae Sedi offerret, sibi providebat, ne jura regia a subditis laedi possent, ac de protectione plane speciali illius Sedis, si conflictus orirentur. reddebatur securus.[2]) Caeterum proceres Angliae tunc praesentes haud obstitisse, sed potius favisse illi regis obsequio, quo sacrae Sedi regnum Angliae reddebat feudatarium, inferri potest ex illis verbis, *communi consilio baronum nostrorum.* Sperare videlicet poterant, ut hac ratione paci ac saluti regni efficaciter provideretur. Imo postea, quum Romae de Joanne conquererentur, etiam contenderunt, ipsum non ex devotione, sed coactum a baronibus regnum suum Pontifici obtulisse. Refert videlicet Motiva oblationis.

---

[1]) Matthaeus Paris. Hist. Angl. a. 1213 „Matthaeus Parisius, Anglus, Albanensis monachus S. B., nomen suum ab oblivione vindicavit, scribendo historiam Anglicanam ab anno 1066 usque ad an. 1259, quo vivere desiit De hoc historico ita censet doctissimus Cardinalis Baronius ad a. 996: *Quam fuerit animo infensissimo erga Apostolicam Sedem, quivis facile poterit intelligere, nisi probra illa fuerint additamenta ejus qui edidit. Quae si quis demat, aureum sane dixerit commentarium, utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregie contextum et coagmentatum inveniatur.* Quosdam locos in editione hujus historici, a Matthaeo Cantuariensi procurata, plurimum suspectos esse, Brianus Tuvinus profitetur libro 3 de antiquitate academiae Oxoniensis." Natal. Alex. Saec. XIII. C. IV. Art. 3. n. 4.

[2]) Cfr. de motivis variis, quibus adductus est Joannes ad illud obsequium praestandum, dissertationem cl. D. W. Ladenbauer: *Wie wurde Johann von England Vasall des römischen Stuhles.* Innsbr. Zeitschrift 1882. B. VI. S. 201 ff. 393 ff.

regis nuntius Romae degens in epistola ad regem data barones asserere, *quod vos annuum reditum domino Papa et ecclesiae Romanae exhibuistis, non sponte nec ex devotione, imo ex timore et per eos coactus fecistis.*[1]) Scriptor vero Anglus illius temporis, qui continuavit Annales Rogerii de Hoveden, ista de re scribit: *Prudenter sane sibi et suis providens in hoc facto, licet id multis ignominiosum videretur et enorme servitutis jugum, . . . quoniam ex quo se in protectione posuit Apostolica et regna sua B. Petri patrimonium fecit, non erat in orbe Romano princeps, qui in Sedis Apostolicae injuriam vel illum infestare, vel illi invadere praesumeret, eo quod ab universis metuebatur Papa Innocentius supra omnes qui eum a multis annis praecesserunt.*[2])

Expenditur factum. 73. Caeterum ignominiosa nullatenus erat eo tempore oblatio regnorum Apostolicae Sedi facta; plura hac de re diximus in Dissertatione de Gregorio VII. Tamen antea non dependentia feudali, stricto sensu, ejusmodi oblationes fiebant. Petrus autem Arragoniae rex quum a. 1204 Romam venisset, ut solemniter ab Innocentio III coronaretur insigni animi dimissione regnum suum Sedi Apostolicae *stipendiarium* esse jussit, regiaeque ornamenta dignitati divo Petro in ejus ara consecravit.[3]) Henricus II Angliae rex, quum in angustiis positus esset, jam a. 1173 ad Alexandrum III scripserat: *Vestrae jurisdictionis est regnum Angliae, et quantum ad feudarii juris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor et astringor. Patrimonium B. Petri Romanus Pontifex spirituali gladio tueatur.*[4]) Videlicet Henricus II tunc ad *officia feudorum deflexit pias majorum suorum oblationes et contestationes obedientiae filialis,* ut advertit Thomassinus. Qui etiam quoad hominium a Joanne praestitum scite haec observat: *Gratulatus est reg*

[1]) Ap. Rymer Foedera I. 185; Lingard, Hist. T. V. c. 1. p. 38 ad a. 1213 nota. (Edit. Paris 1825.)

[2]) Gualterus de Coventry, Continuator Rogerii de Hoveden c. 170

[3]) V. Raynald. Annal. a. 1204. n. 71.

[4]) V. Baron. ad a. 1173. n. 10.

per epistolam Innocentius III, quem et certiorem fecit, regno eum suo deinceps praepotentius quam antea potiturum, ut in cujus solio non regia tantum sed et Pontificia auctoritate confirmaretur. „Ecce sublimius et solidius nunc obtines ipsa regna, quam hactenus obtinueris, quum jam sacerdotale sit regnum et sacerdotium sit regale.“ Et sane pontificia tunc potestate et Barones Angliae ad regis obsequium revocati sunt, et receptui cecinere Franci, qui magna jam ex parte Angliam invaserant. — Si accuratius porro excutiantur epistolae omnes hujus Pontificis, et illae ipsae, ubi donationi assentitur, profiteturque Romanam ecclesiam temporali jam dominatione Angliae Hiberniaeque gavisuram: illud comperietur, attentius et religiosius eum exigere a rege et successoribus ejus illa ipsa obsequia, quae et prius exegisset, tuendae Ecclesiae, propugnandae ecclesiasticae libertatis, obeundi strenue officii ejus qui episcopus sit Ecclesiae exterior. . . . Usque adeo vero certum est, novam illam quam Joannes subierat Romanae Ecclesiae in Angliam dominationem, non in alio positam fuisse, quam in tributo mille argenti marcarum, ut cum in Concilio Lugdunensi anno 1245 multa expostularent Oratores Angli de Sede Apostolica, de dominio et sacramento fidei verbum fecerint nullum, in tributum illud modo graviter concitati, quod Joannes rex bellorum mole et tumultu suppressus subiisset, in quod denique regni comitia nunquam consensissent.[1])

74. Adverti quidem ex altera parte potest, haud omnibus jam ea aetate fuisse illam fidei devotionem, qua ejusmodi a Sede Apostolica dependentiam honori ducerent, et apud principes passim se manifestasse tendentiam, ut regna sua etiam legitimae Romanorum Pontificum auctoritati subtraherent. Praeterea reges qui erant feudatarii, egebant consensu ejus cujus erant vasalli, ut regnum et coronam acciperent, adeoque gradu quodam inferiores videbantur illis, quorum regna libera erant. Etsi igitur dependentia a Sede Apostolica et intimior cum ea connexio, **Incommoda objecta.**

---

[1]) **Thomassini, Disciplina, P. III. L. I. c. XXXII. nn. 4.5.**

ob ejus sublimem dignitatem et eminentiam spiritualem, duci posset haud oneri esse, sed honori: fuerunt tamen, praesertim subsequenti tempore, qui conditionem illam vasallitiam aegre ferebant parumque decoram aestimabant. Tributum quoque mille marcarum displicebat, eoque praesertim spectare videntur verba Gualterii de Coventry: *Etsi id multis ignominiosum videretur et enorme servitutis jugum.* (c. 170.) Generatim tamen quando Joannes regnum suum Sedi Apostolicae feudatarium constituit, ejus actus procerum Anglorum indignationem non movit, sed regi consensum ea in re praestiterunt. Videntur potius attendisse ad regni securitatem et pacem quam inde sperare poterant, nec forte ipsis displicuit, arbitrariae regis dominationi terminos facilius poni posse. Pontificem vero merito acceptasse illam regni oblationem, ex dictis colligi potest; nec defuit Innocentius III officio suo, regem tuendi ac protegendi contra adversarios.

Innocentius regem tuetur.

75. Postquam Joannes hac ratione pacem cum Ecclesia iniit, Pandulphus transfretavit atque Philippum Galliae regem monuit, ne jam Anglorum regi bellum inferret; atque exinde etiam Innocentius III variis litteris ab aggressione Angliae Philippum deterruit. Rex Galliae quidem aegerrime tulit, quod a Pontifice expugnatio Angliae ei interdiceretur. Sed ex totius hujus negotii indole perspicue colligitur, Innocentium III exinde non solum potuisse, sed pro officio suo debuisse Joannem regem contra Philippi II vexationes defendere. Omnes viri cordati illius aetatis intellexerunt, solum motivum ex quo antea ad bellum Philippus evocatus erat, fuisse Ecclesiae protectionem; eo intuitu tantum justum fuisse, illud bellum parare, adeoque post submissionem Joannis belli causam evanuisse. Hinc Rigordus, vel potius ejus Continuator Gulielmus Brito, scribit: *Causa quae Philippum regem magnanimum moverat ad hoc, ut vellet in Angliam transfretare, fuit, ut episcopos, qui diu a sedibus suis ejecti in regno suo exulabant, suis ecclesiis restitueret, ut divinum servitium, quod jam per septennium in tota Anglia cessaverat, faceret renovari, et ut ipsum regem Joannem . . . vel*

poenae condignae subjiceret, vel a regno prorsus expellens secundum agnominis sui interpretationem omnino efficeret sine terra.[1]) Quamvis minus recta forte fuerint Philippi consilia et desideria, haec sane ostendunt, qua ratione in se praeparata illa in Joannem expeditio sese habuerit. — Exarsit tamen bellum inter Galliae et Angliae reges, quum Joannes Normanniae aliisque in Gallia provinciis recuperandis inhiaret, Philippus vero dominationem suam extendere satageret. Vario Marte dimicatum est, sed exitu Joanni infelici versus finem anni 1214 pax conclusa fuit.

Pacificatio in Anglia.

76. Interim post aliquam haesitationem Joannes curaverat, ut episcopi exules in Angliam redirent, ac die 16° Julii a. 1213 Stephanus Cantuariensis archiepiscopus et reliqui praesules in Angliam appulsi, a rege cum reverentiae et amicitiae signis recepti fuerunt. Tunc die 20° Julii, postquam promissa et pacta iterum firmasset Joannes, ab excommunicatione solutus est. Interdicti revocatio adhuc aliquantisper protracta fuit. Quum enim antea a rege bona ecclesiastica restituenda, et non mediocri pecuniae vi damna illata resarcienda essent, inter regem et praesules difficultates quaedam exortae sunt. Pandulphus et Nicolaus Cardinalis Tusculanus ab Innocentio III missus, hac in re, quantum fieri poterat, regi potius patrocinati sunt. Postremo Innocentius III quaestionem omnem diremit, et quae a rege praestanda erant statuit. Praecipuae difficultates exortae sunt ob resarcienda damna clero et monachis illata. Postulabunt enim multi, ut singillatim omnia computarentur et pecunia soluta resarcirentur. Sed Joannes summam centum millium marcarum globatim obtulit, ut pro rata episcopis aliisque pecunia haec distribueretur, atque Innocentius III determinavit sententia sua, ea ratione damna reparanda esse.[2]) Mandatis ejus a Joanne susceptis, interdictum die 29° Junii a. 1214 sublatum est.

---

[1]) Gesta Phil. Aug. a. 1213.

[2]) Juvabit hoc loco pauca de pecunia ejusque valore advertere. Marca una argenti computabatur XIII solidis (shillings) et IV denariis

De Magna Charta.

77. Superest ut pauca dicamus de iis quae feci Innocentius III, quum hoc tempore barones Angliae ir regem insurgentes, ab ipso extorserunt illud privilegiun et libertatum documentum, quod *Magnae Chartae* nomin designari solet. Proceres Angliae videlicet plurimi, Stephano Langtonio archiepiscopo Cantuariensi aliisque praesulibus cooperantibus vel conniventibus, conspiraverunt et legum Eduardi I, uti contendebant, ac libertatum sib ac regno et ecclesiae Anglicanae concessarum restitutionem et confirmationem a rege armata manu exegerunt.[1]) Summam libertatum in diploma redegerant, quod sexagint tres articulos continebat. Joannes quum primum iis resistere conatus esset, dein tempori et necessitati serviendui ratus, ipsorum minis et postulatis cessit, et a. 1215 *Magnam Chartam* firmavit. Consensus, quem non nisi invitus praestiterat, mox eum poenituit; quum vero barones nova

---

(pennys). Nummi reales erant tantum denarii argentei; solidi et mar non existebant, nisi mentali computatione. Solidus autem antiqu aequabat fere tres solidos modernos (2 sh. $9^3/_4$ p.), ita ut una mar valeret fere 39 solidos modernos (circiter 50 francos). Haec quoad v lorem realem et absolutum nummorum. Praeterea vero advertendu est, relativum valorem, ob minorem pecuniae frequentiam, tunc mul majorem fuisse, ita ut merces quintuplo minori pretio emerentur, qua nostro tempore. Adeo valor alicujus summae pecuniae (solidorum ang corum) saeculo XIII quindecies superat similem summam saeculi XI Inde vides, cur summam 150000 marcarum, qua redemit libertatem su Richardus I, tam ingentem habuerint coaevi. V. Pauli Engl. Gesch I S. 483. „The shillings of that day were three times the weight th are now, and yet a modern shilling would at that time have boug about five times as much as it will at present.“ Hardy, Introd. to Cl Rolls, p. XLV.

[1]) Henricus I, quum a. 1100 ad regnum pervenisset, *libertati chartam* dedit, qua promittebat, se abrogaturum esse usus contra j introductos et redditurum esse *legem Eduardi*. Sed mox promissi e poenituit, atque adhuc eodem anno edictum suum abrogavit, omniaq ejus exemplaria deleri curavit. Paucissima tamen exemplaria edicti interitu servata fuerunt, atque ex hisce unum perhibetur prolatum fui in conventu praesulum ac procerum, quem die 25° Augusti a. 12 Westmonasterii habuere. Exinde illa charta libertatum Henrici maxi usi sunt barones, ut jura sua in certos redigerent articulos. Cfr. I denbauer, l. c. p. 234. 418.

seditionem minarentur, si a pactis resiliret, interventum summi Pontificis, datis ad ipsum litteris, contra proceres seditiosos poposcit, et contra vim ipsi factam concessionesque extortas protestatus est.

78. Innocentio eo vel magis jus et officium erat interveniendi, regemque contra seditionem tuendi, quod is ei fidem feudalem jurasset. Itaque re examinata, Pontifex Bulla data die 24° Augusti anni 1215 reprobavit et irritavit illas concessiones. In eadem exponit, illicita ratione per rebellionem barones Angliae a rege concessiones extorsisse. Ipsum jam eos hortatum esse, ut, si quid a rege postulandum ducerent, non insolenter, sed humiliter id facerent, et solita officia regi praestarent; principem vero se monuisse, ut justas baronum petitiones clementer admitteret. Si vero ad concordiam venire non potuerint, ad Sedem Apostolicam negotium illud deferri debuisse. Sed, quod nec licuisset, si rex eos injuste gravasset, vasallos in dominum impiam conjurationem cum inimicis ejus fecisse. *Unde*, scribit, *compulsus est rex per vim et metum qui cadere poterat in virum etiam constantissimum, compositionem inire cum ipsis, non solum vilem et turpem, verum etiam illicitam et iniquam, in nimiam derogationem ac diminutionem sui juris pariter et honoris. . . . Nos tantae malignitatis audaciam dissimulare nolentes, in Apostolicae Sedis contemptum, regalis juris dispendium, Anglicanae gentis opprobrium, et grave periculum totius negotii Crucifixi, quod utique immineret, nisi per auctoritatem nostram revocarentur omnia, quae a tanto principe cruce signato*[1]) *taliter sunt extorta, et ipso volente ea servare, ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Apostolorum ejus Petri et Pauli ac nostra, de communi fratrum nostrorum consilio, compositionem hujusmodi reprobamus penitus et damnamus, sub intimatione anathematis prohibentes, ne praedictus rex eam observare praesumat, aut barones cum complicibus suis ipsam exigant observari, tam Chartam*

Interventus Innocentii III.

[1]) Joannes paulo ante se cruce signaverat ad expeditionem cruciatam suscipiendam.

quam obligationes seu cautiones, quaecumque pro ipsa vel *de ipsa sunt factae, irritantes penitus et cassantes, ut* null *unquam tempore aliquam habeant firmitatem.*

Tuetur regis jura.

79. Scripsit eodem tempore Innocentius epistolam ad barones, qua eos graviter monet, ut recedant ab illa com positione *turpi, illicita et iniqua, et merito ab omnibus re probanda maxime propter modum,* utque satisfactione regem placent, *ut ipse per se ipsum emendet, quidquid de jure fueri concedendum. Ad quod etiam et nos ipsum efficaciter in ducemus. Quoniam sicut nolumus, ut ipse suo jure privetu ita volumus, ut ipse a vestro gravamine desistat, ne pe consuetudines pravas et exactiones iniquas sub nostro domini regnum Angliae opprimatur. . . . Quare dum apud no archiepiscopus et episcopi Angliae praesentes extiterint i Concilio generali, quod ad excipiendum Crucis negotiu principalius intendemus celebrare, procuratores idoneos a nostram praesentiam destinetis, secure vos nostro beneplaci committentes, quia nos ea, favente Domino, statuemus, p quae gravaminibus et abusibus de regno Angliae prorsus e clusis, rex suo sit jure et honore contentus, et tam cler quam populus universus debita pace ac libertate laetetur*

80. Sed barones et varii praesules Angliae, int quos etiam erat Stephanus Langtonius, acceptis Innoce tii III litteris, a coeptis non destiterunt, at armis rege cogere conati sunt, ut Magnae Chartae libertates ips servaret. Joannes pariter armis sese contra istos, succes satis felici sed bello ferociori, defendit; Pontifex ve paulo post a communione Ecclesiae ejus adversarios sem vit, excommunicationis sententia primum in rebelles gen ratim, dein in singulos nominatim pronuntiata. Etiam Stephanum Cantuariensem archiepiscopum et alios pra sules regi adversos censuris ecclesiasticis animadvert Civitatem vero Londinensem, quae a principe defecer et omnes baronum terras Innocentius interdicto subjecit.

---

[1]) Vide documenta ap. Matth. Paris, a. 1215.

Proceres porro, quum Joannis armis premerentur, ipso rejecto regem crearunt Ludovicum Philippi II filium, eumque invitarunt, ut Angliae regnum arriperet. Frustra Pontifex legatis ad Philippum Augustum missis eum adducere studuit, ut filii sui expeditionem in Angliam haud permitteret. Arte politica rex, se filium non posse impedire, respondit, quum is jura sibi esse censeret solida ad thronum Angliae occupandum. Haec jura Ludovicus etiam missis nuntiis apud Sedem Apostolicam sibi vindicare studuit. Contendebat videlicet, Joannem ob necem Arthuri nepotis sui jam pridem ad tribunal regis Galliae et parium, uti illius vasallum, citatum, et pronuntiatam fuisse in eum sententiam juridicam, ita ut ad ultimum etiam supplicium et ad omnis dignitatis et possessionis jacturam damnaretur; et jam exinde Joannem ut verum regem ab ipso habitum non esse. Electione autem baronum et jure haereditario Blancae uxoris suae[1]), se jure sibi coronam Angliae vindicare. Sed Innocentius III merito ista non admisit. Quum vero Ludovicus anno 1216 in Angliam cum copiis trajecisset, et Londinum occupasset, a legato Pontificis excommunicatus est. Sed eodem anno, quum turbatus rerum status in Anglia adhuc perduraret, obiit Innocentius III (d. 16° Julii 1216); et versus finem anni (d. 19° Octobris) mortuus est etiam Joannes Angliae rex. Successit ei filius Henricus III decennis, cui magna cum sollicitudine adfuit Gualo Pontificis Honorii III legatus. Ludovicus coactus est, ut pacem cum Henrico III iniret, et in Galliam reverteretur. — Sub Henrico III *Charta Magna* varie immutata fuit. Dispositiones quaedam regi duriores abolitae sunt, ita ut articuli 63 ad articulos 42 reducerentur, et hac ratione, consentiente legato Pontificis, anno 1218 confirmata est. Aliis dein mutationibus factis, demum anno 1225 confirmata est forma quadam definitiva, qua exstat usque ad nostram aetatem.

Expeditio Ludovici in Angliam.

Modificationes Chartae.

---

[1]) Blancae avus erat Henricus II Angliae rex. Hic enim Eleonoram filiam in matrimonium dederat Alphonso IX regi Castiliae, ex quo matrimonio nata est Blanca. Eam duxerat Ludovicus.

Vindicatur Innocentius III.

81. RR. Pontificum adversarii invehunt in Innocentium III, quod a. 1215 *Magnam Chartam,* quam constitutionum ac libertatum politicarum recentioris aetatis veluti matrem dicunt atque radicem, cum indignatione rejecerit et damnaverit; ex quo inferunt, quantopere inde ab initio Sedes Romana nationum libertati politicae opposita fuerit.[1]) Ex dictis autem manifestum est, merito Innocentium *Chartam Magnam,* uti a baronibus Joanni extorta erat, rejecisse. Officii enim ejus erat, ut Joanni contra barones rebelles succurreret; non pauca autem in prima illa *Chartae Magnae* recensione habebantur, quae injusta erant in regem ejusque juribus opposita. Proceres eousque procedebant, ut etiam vim coactivam in principem sibi vindicarent.[2]) Praeterea in conflictu cum rege oportebat ad Sedem Apostolicam recurrere, cujus rex erat vasallus; modus vero ille violentus, quo proceres procedebant, a Pontifice, in cujus protectionem rex se commiserat, pro officio suo erat cohibendus. Merito igitur Innocentius illud documentum reprobavit; caeterum vero ipsum nullatenus justis postulatis baronum oppositum fuisse, ex citatis ejus litteris manifeste colligitur. Neque proinde asseri potest, Innocentium vel Sedem Apostolicam rejecisse nisus nationum, ut majorem libertatem civilem et politicam acquirerent. De ejusmodi nisibus vel desideriis Innocentius nullo modo agit. Porro non ea *Charta Magna* quae anno 1215 ab Innocentio III reprobata fuit, sed, si cui libuerit, ea quae, emendatione facta, a. 1225 definitivo modo constituta et firmata est, dicenda foret radix et mater Constitutionum aetatis recentioris. Atque haec *Charta Magna,* haud vero anterior ista, fundamentum constituit libertatis politicae Anglorum; eam vero Sedes Apostolica non rejecit, sed admisit.[3])

[1]) V. Janus, Papst und Concil. S. 25.
[2]) Ranke, Engl. Gesch. I. 72.
[3]) Cfr. Hergenröther, Kirche und Staat, V. n. 14 sqq.

IV.

De Expeditione cruciata quarta.

82. Innocentio III Pontifice celebris illa expeditio cruciata facta est, quae scopo quidem suo liberandi terram sanctam omnino caruit, sed inde magni fuit momenti, quod cruciati, expugnata Constantinopoli et Graecorum dominatione eversa, Imperium latinum ibidem fundarunt. Istis de eventibus hoc loco agere convenit, tum quia in statum rerum ecclesiasticarum medii aevi permagnum exseruerunt influxum, tum ut accuratius exponamus, qua ratione in illis difficillimis rerum adjunctis sese gesserit Innocentius Pontifex. — Ceperat Saladinus, fortissimus Aegypti et Syriae princeps, anno 1187 civitatem Jerusalem, atque ad eam recuperandam tertia expeditio cruciata inde ab anno 1189 suscepta fuerat. Sed quamvis felicibus sub auspiciis bellum sacrum incepisset, et varii principes christiani, Fridericus I Imperator, Philippus Augustus Galliae rex, Leopoldus VI Austriae dux, Richardus I rex Angliae, iter in Orientem cum copiis suis fecissent, inanem fere fuisse exitum hujus expeditionis, superius jam diximus. Post mortem Saladini (a. 1193), agente potissimum Coelestino III Papa, copiosa crucigerorum agmina, sub Henrico VI Imperatore collecta, id imprimis egerunt, ut per Constantinopolim in Syriam proficiscerentur; verum Imperatore jam a. 1197 in Sicilia mortuo, subito in Germaniam redierunt. Status terrae sanctae.

83. Quamprimum vero ad pontificatum evectus est Innocentius III, omnes suae auctoritatis vires impendit, ut novam expeditionem cruciatam pararet, ac praesertim ex Gallia et Italia multi viri nobiles sese accinxerunt, ut bellum sacrum susciperent. Dum vero ea, quae hac in expeditione evenere, narrabimus, opportune sequemur relationem, quam auctor *Gestorum* sobria, sed clara, rerum expositione nobis exhibet. „Cum de subventione Hierosolymitanae provinciae, scribit, tam in Italia quam in Gallia

Praeparatur expeditio cruciata.

ingens fieret apparatus, Comites Galliarum cruce signati miserunt nuntios suos in Italiam ad Ducem et populum Venetorum, ut ab eis sibi conducerent navigia opportuna. Tractatum est etiam inter eos de societate pariter ineunda. Et postquam sub certis pactionibus convenerunt, communiter est provisum, ut, aliquot in Syriam destinatis, caeteri tenderent in Aegyptum, ut caperent Alexandriam et finitimas regiones, sicque terra sancta liberaretur facilius de manibus paganorum. Ubi ergo Franci et Veneti societatem hujusmodi firmaverunt, utrique simul ad Sedem Apostolicam nuntios destinaverunt, petentes, ut summus Pontifex pactiones hujusmodi inter se factas pro subsidio terrae sanctae pro auctoritate Apostolica confirmaret. Ipse vero, quod futurorum esset praesagiens, caute respondit, quod conventiones illas ita duceret confirmandas, ut videlicet illi Christianos non laederent, nisi forte iter eorum illi nequiter impedirent, aut alia causa justa vel necessaria forsan occurreret, propter quam aliud agere non possent, Apostolicae Sedis legati consilio accedente. Veneti autem confirmationem sub hoc tenore recipere noluerunt. Unde pro certo conjicitur, qualis fuerit eorum intentio, per effectum operis postea declarata." [1])

Narrat deinde auctor *Gestorum*, quomodo Theobaldo Comite Trecensi, qui in ducem expeditionis electus erat, praemature e vivis sublato, a Comitibus Bonifacius Marchio Montisferrati dux christiano exercitui praefectus fuerit. Is quum in Germaniam profectus convenisset Philippum Sueviae ducem, ibidem dicitur obviam habuisse Alexium adolescentem, filium Isaaci Imperatoris CPtani, a patruo Alexio, qui Isaacum in carcerem detruserat, e regno ejectum. Hic porro petiit, ut ope crucigerorum in Imperium restitueretur. „De quo, quum idem marchio ad summum Pontificem accessisset, coepit agere a remotis; sed quum intellexisset, ipsius animum ad hoc non esse directum, expeditis negotiis ad crucis officium pertinentibus ad propria remeavit."

---

[1]) Gesta, n. 83.

84. Statutum erat, ut cruciati anno 1202 Venetiis convenirent, indeque proficiscerentur; sed Flandrorum classis et plures Galliae proceres contra condicta alia via Palestinam petierunt. Inde magnae difficultates exortae sunt, quum Comites et milites, qui Venetias venerunt, haud eam pecuniarum summam haberent, quam Venetis pro navibus et victu debebant, atque ita populo isti suis lucris et commodis inhianti debitores fierent. „Termino igitur constituto, ita *Gesta Innocentii III,* cruce signatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit, tam multus et fortis, devotus et timoratus, ut absque dubio crederetur, quod per eum Dominus antiqua miracula innovaret, nec solummodo recuperaretur Hierosolymitana provincia, verum etiam regnum Babylonicum caperetur. Nam et Veneti tam magnifica navigia praeparaverant, ut a longis retro temporibus nedum visus, sed nec auditus fuerit, tantus navalium apparatus." — At vero cruce signati, quamvis omnia quae habebant congererent, haud potuerunt persolvere Venetis summam de qua convenerant; deerant videlicet ipsis triginta quatuor millia marcarum. Tunc Veneti, Dandolo Duce, sene magnanimo sed versutissimo, agente, eam crucigeris pro hoc debito solvendo proposuerunt conditionem, ut eos ad expugnandam Jaderam (Zaram) civitatem juvarent. Haec civitas maritima a Venetianis ad Hungaros defecerat, Hungarorumque regi erat subjecta. Cruciati, quum non nisi hac ratione se expeditionem prosequi posse viderent, reluctantes postremo acquieverunt Venetorum postulatis. Pacta cum Venetis.

85. In vanum vero Petrus Cardinalis legatus Innocentii III ab isto consilio Venetos removere studuit. „Misit ergo Dominus Papa, ajunt *Gesta,* Petrum tituli s. Marcelli Presbyterum Cardinalem Apostolicae Sedis legatum ad exercitum Venetiis congregatum, ut proficisceretur cum illo in nomine Redemptoris. Sed Dux et Consiliarii Venetorum, timentes, ne ipse impediret eorum propositum, quod male conceperant, de Jadera expugnanda, dixerunt, quod si vellet ire cum eis, non ut legationis, sed ut praedicationis exerceret officium, ducerent illum, alioquin re-

diret." — Petrum eis tamen expresse intimasse prohibitionem Pontificis, quominus Christianorum aggrederentur possessiones, colligitur ex epistola, quam Innocentius III post expugnationem Jaderae ad crucigeros dedit.[1]) „Quamvis autem displicuisset hoc Francis, rediit tamen inhonoratus a Venetis, pravam eorum intentionem summo Pontifici expressius manifestans. Qui litteras misit universis cruce signatis districtius prohibens, ne terras Christianorum infestarent et nominatim Jaderam quam rex Ungariae possidebat, qui similiter erat crucesignatus; alioquin scirent se anathematis vinculo innodatos. Et hanc inhibitionem et excommunicationem fecit eis per abbatem de Locedro certius intimari. Marchio vero Montisferrati, qui fuerat super hoc a Domino Papa viva voce prohibitus, se prudenter absentans, non processit cum illis ad Jaderam expugnandam." — De excommunicatione eis intimata Innocentius in litteris citatis pariter loquitur.

Expugnatio Jaderae.

86. Nihilominus classis crucigerorum die 8° Octobris, Vitali Dandolo duce, vela dedit, ut primum expeditionem contra Jaderam facerent; eamque civitatem brevi post die 24° Novembris anni 1202 non sine variis militum excessibus expugnaverunt. Dux autem muros maritimos civitatis destrui fecit, ibique hiemare constituit. „Adscribit, ait Raynaldus, Jadertinorum excidium Thomas archidiaconus Spalatinus (in hist. manuscr. vet. Pont. Salonit.) divinae ultioni plectenti ingentia Jadertinorum crimina, cum praeter grassationes piraticas in Venetos exerceri solitas et alia profusae luxuriae flagitia, etiam haereticos Manichaeos, contempta fide catholica, foverent: exorta vero divinitus peste, forisque ab hoste pressi, expugnati sunt impetu a Venetis die s. Chrysogno sacro, qui apud eos celeberrimus habetur."[2])

87. Innocentius III quum comperisset quae acciderant, dolore et indignatione vehementer commotus est, ac mense

[1]) Epp. L. V. ep. 161.
[2]) Raynald. a. 1203. n. 4.

Februario a. 1203[1]) ad crucesignatos litteras dedit, quibus prohibitionem antea iis factam commemorat, ob expugnationem Jaderae vehementer eos perstringit, et postremo concludit: *Ne igitur addatur peccato peccatum, et in vobis quod legitur impleatur: „Peccator contemnit, quum in profundum venerit vitiorum", universitatem vestram monemus et exhortamur attentius, et sub interminatione anathematis districte praecipimus, quatenus Jaderam nec destruatis amplius quam hactenus est destructa, nec destrui faciatis, aut quantum in vobis est destrui permittatis, sed nuntiis regis ejusdem* (Hungariae) *ablata omnia restituere procuretis. Alioquin vos excommunicationis sententiae subjacere noveritis, et a promissa vobis venia remissionis immunes.* — Permoti litteris hisce Galli episcopum Suessionensem, Martinum abbatem, et Joannem Parisiensem misere ad Innocentium, quem flexere ad clementiam, illiusque jussu a censuris soluti sunt, cum sacramento prius se devinxissent, pontificiis omnibus imperiis ad praeterita expianda se obsequentes futuros, eaque de re publicum syngraphum tradidissent. „Veneti vero, ajunt *Gesta,* tanquam qui gloriantes quum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, nec ad poenitentiam agendam nec ad indulgentiam implorandam voluerunt aliquatenus inclinari." Pontifex quidem, dum militibus Gallis veniam et reconciliationem concessit, per nuntium simul misit litteras, quibus Veneti anathemate ligabantur, nisi resipiscerent. Prudentiae tamen censuit Bonifacius marchio, ad tempus eas litteras supprimere, ne Venetis recedentibus totus crucesignatorum exercitus dissolveretur. Ea de re scripsit ad Pontificem, qui acquievit illius consilio; simul disposuit, qua ratione crucigeris quoad Venetos agendum esset, atque permisit, ut navibus eorum, quamvis excommunicati essent, usque ad terram sanctam uti possent. Significat etiam, se ad Alexium III Imperatorem CPtanum esse scripturum, ut victualia ipsis praebeantur.[2])

Severae Pontificis litterae.

---

[1]) V. Potthast, Regesta nn. 1848—1849.

[2]) Cfr. Potthast, Reg. n. 1947. ep. *Si vere vos,* d. d. 20 Junii 1203, in Gestis n. 87.

Orientis Imperium. 88. Interim jam Alexius junior, filius Isaaci Imperatoris a fratre suo Alexio III throno et oculis orbati, cum crucigeris egerat, ut eum juvarent ad imperium recuperandum. — Quo vero eventuum series melius perspiciatur, pauca hic dicere juvabit de Imperatoribus, qui saeculo duodecimo Constantinopoli regnaverant. Imperabat in Oriente *Alexius Comnenus,* quando sub finem saeculi XI Latini crucesignati sacram in Palaestinam expeditionem susceperunt, eorumque ope bellum contra Turcas feliciter gessit, sed postea a tam numerosis ac fortibus Latinorum sibi timens, eos fraudibus et bello etiam aperto infestavit. Conatur quidem Anna Comnena Alexii filia, quae stylo elegante Alexii historiam scripsit quindecim Alexaidos libris, patrem ab hac labe purgare; sed fidei valde dubiae sunt ejus narrationes, quippe quae dum adulatur patri suo, invehitur in Latinos, eorum sacerdotes injuriis et calumniis proscindit, et intempestivo Francorum, qui in bello sacro bene meruerunt, vituperio, excusationem patris sui fulcit.

89. Excessit e vivis Alexius Comnenus die 15° Augusti anni 1118, quum esset septuaginta circiter annorum, et postquam imperasset ultra triginta septem annos. — Successit in Orientis imperium ejus filius *Joannes Comnenus,* jam anno 1091 a patre in regni consortem adscitus. Latinis multo aequior patre fuit Joannes Comnenus, et in ecclesiam Romanam propensior, ad cujus instituta Graecos revocare in votis habuit. Nondum omnino rupta erat communio inter utramque ecclesiam. A Petro Venerabili, abbate Cluniacensi, qui de negotiis ecclesiasticis suae Congregationis cum Joanne litteris scriptis egit, is, uti alii principes catholici, in confratrem et comparticipem omnium spiritualium beneficiorum Congregationis Cluniacensis receptus fuit. Ex litteris Petri Venerabilis etiam compertum habemus, saeculo duodecimo Constantinopoli et in tota Graecia basilicas fuisse et varia monasteria, latinorum Religiosorum quibus Romanis moribus et ritu latino vivere, reliquaque sacra ad ritus latini normam celebrare permittebatur. Quod certe nunquam permisissent Graeci, si La-

tinorum mores et dogmata ut haeretica improbassent, ut inquit Leo Allatius *de consensu Ecclesiae occidentalis et orientalis L. II. c. 11.* Uxores etiam ea aetate frequenter ducebant Imperatores orientales ex familiis principum catholicorum Occidentis; hi vero pariter matrimonia inibant cum regiis virginibus orientalibus. Orientis Imperium.

90. Post multa praeclare gesta Joannes Comnenus obiit anno 1143, eique successit *Manuel* filius ejus. Hic in bello quidem fortem et strenuum sese ostendit, sed libidinis et perfidiae merito arguitur; in ecclesiam Romanam tamen satis propensus fuit. Obiit post regnum triginta septem annorum, anno 1180, quum paulo ante monachi habitum induisset, et Matthaei nomine donatus fuisset. Eo defuncto, ut scribit Leo Allatius (l. c. II. 13), Graecorum Imperium quotidie in pejus ruere coepit, tum propter occiduas et orientales barbarorum incursiones, tum propter mollitiem et tyrannidem imperantium, continuis caedibus et fraudibus sese mutuo prodentium, tum ob ministrorum avaritiam, tum etiam ob frequentes magnatum et ambitiosorum hominum rebelliones. Religio quoque ipsa cum Imperio in tanta rerum vicissitudine tristi ruinâ convelli visa est, quum non ratio et decor, sed malevolentia et rabies, animis perturbatis et in furorem actis, omnia dirigerent. — Manueli in Imperium successerat *Alexius* puer duodecim annorum, eique in tutorem *Andronicus* ejus patruelis datus est. Sed Andronicus prava imperandi libidine percitus, primo Imperatoris Alexii matrem, (Mariam, principis Raimundi Antiocheni filiam,) suffocari jussit; dein ipsummet Imperatorem nervo arcus a sicariis strangulari, ipsiusque corpus in mare projici curavit anno 1183. Nec solum in juniorem Alexium Imperatorem ejusque matrem crudeliter saeviit Andronicus, ut Imperium usurparet, sed etiam Graecos excitavit in Latinos et Francos, qui Constantinopoli degebant, sciens, Francos junioris Alexii majestatem Imperiumque tueri, quod Agnetem filiam Luduvici VII Galliarum regis uxorem duxisset. Graeci itaque ab Andronico animati irruerunt in Latinos et Francos, et quotquot invenerunt, trucidarunt aut urbe protur-

Orientis Imperium. barunt. Magna cum saevitia et crudelitate per duos annos regnum tenuit Andronicus, foedus etiam, quamvis aetate jam provectus, ob effraenem libidinem. Sed dum Isaaco Angelo proceri CPtano necem moliretur, a furente plebe captus ac ludibriis multis affectus et tormentis, cum poenitentiae signis periit a. 1185.

91. Imperator tunc salutatus est *Isaac Angelus,* qui, quod virtutibus vitia, egregiis factis indecora misceret, ab aliis scriptoribus ut princeps insignis, ab aliis ut homo ignavus et luxui deditus exhibetur. Imperio autem et oculis Isaac Angelus, natus annos quadraginta, a fratre suo *Alexio* Angelo privatus est anno 1195, et in carcerem conjectus. Alexius vero tunc Imperium obtinuit, qui abjecto Angeli nomine gentilitio, Comneni iterum cognomen assumpsit. Vir fuit in voluptates effusus, sed in Imperio gubernando ei adfuit Euphrosyna uxor, femina impudica et superba, at virili animo et ad res gerendas supra sexum capaci praedita. Filium fratris sui Isaaci, Alexium, in vincula conjeceret patruus, sed ex iisdem elapsus adolescens confugit in Occidentem, et auxilia petiit tum apud Philippum Sueviae ducem, qui ejus sororem Irenem duxerat uxorem, tum apud Venetos ac Bonifacium marchionem Montisferrati et proceres, qui expeditionem cruciatam susceperant. — Hisce igitur de rebus Orientis brevi narratione expositis, ad propositum revertamur.

Alexius auxilia petit. 92. Quum jam antea Alexius cum variis principibus de auxilio ipsi praestando egisset, ac spem etiam ei fecissent Veneti et crucesignati de suppetiis ferendis, ad castra venit crucesignatorum, dum apud Jaderam moras trahebant, atque ibidem enixius institit, ut eorum ope in Imperium restitueretur. Qua de re Guntherus monachus, qui ea aetate historiam CPtanam scripsit:[1]) *Factum est, quum ad-*

[1]) „Guntherus monachus O. Clun. in coenobio Parisiensi, non regiae Galliarum urbis, sed altero dioecesis Basileensis, scripsit historiam CPtanam de iis temporibus, quibus a Balduino capta Constantinopolis est. Quae scripsit a Martino abbate, qui expugnationi urbis interfuit, se accepisse profitetur. Edita est a Canisio T. V. Antiq. Lect.“ Natal. Alex. saec. XIII. c. IV. a. 1.

hic nuntii nostri, (inter quos erat Martinus abbas), *in curia versarentur, certus rumor insonuit, venisse videlicet Alexium juvenem in castra, Graecum genere, filium videlicet Isaaci regis CPtani, missum a Philippo rege Theutonicorum cum nuntiis et mandatis, quibus enixe rogabat exercitum, ut praefatum juvenem in regnum restituere niteretur. . . . Certissime promittens, si ille auxilio eorum sedem suam reciperet, peregrinis omnibus tam per Theutoniam, quam per totam Graeciam, tutam ac liberam patere viam. Accedebat etiam ad hoc, quod idem juvenis certissime pollicebatur, si viribus illorum restitutus foret, eis in commune argenti trecenta marcarum millia* (secundum alios ducenta) *se daturum.*[1]) Quibus addunt Flandriae Annales, Alexium aes omne alienum a crucesignatorum exercitu contractum se Venetis soluturum, simulque graecam ecclesiam latinae subjecturum spopondisse, iisque conditionibus jurejurando firmatis auxilium assecutum.[2])

Innocentius III haud favet.

93. Nicetas Choniata scriptor Graecus contendit, Alexio litteris datis favisse Innocentium Pontificem; sed tantum abest, ut Pontifex comprobaverit illa crucesignatorum consilia, ut eos monuerit illico, ne Imperium graecum aggrederentur. Scribit enim litteris datis d. 20° Junii a. 1203 ad Bonifacium marchionem aliosque Comites crucigeros: *Utinam autem poenitentia vestra sit vera, ut sic poeniteatis de commissis, quod a similibus de caetero abstineatis. . . . Nullus itaque vestrum sibi temere blandiatur, quod terram Graecorum occupare sibi liceat, vel praedari, tanquam minus Apostolicae Sedi subjectam, et quod Imperator CPtanus deposito fratre suo et etiam excaecato Imperium usurpavit. Sane quantumcumque in hoc vel aliis idem Imperator et homines ejus jurisdictioni commissi delinquant, non est tamen vestrum de ipsorum judicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsistis, ut hanc vindicaretis injuriam, sed opprobrium potius Crucifixi, cujus vos obsequio*

---

[1]) Ap. Raynald. a. 1203. n. 13.
[2]) Raynald. ibid

specialiter deputastis. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, et per Apostolica scripta mandamus, quod nec decipiatis vos ipsos, nec ab aliis decipi permittatis, ut sub specie pietatis agatis illa, quae redundent in vestrarum perniciem animarum, sed cessantibus potius occasionibus frivolis et necessitatibus simulatis, in terrae sanctae transeatis subsidium et crucis injuriam vindicetis, accepturi de hostium spoliis, quae vos, si moram feceritis in partibus Romaniae, oporteret forsitan a fratribus extorquere. Aliter enim nec possumus nec debemus remissionis vobis gratiam polliceri. Inhibitionis autem nostrae tenorem, qua vobis sub excommunicationis interminatione vetuimus, ne terras Christianorum invadere vel laedere tentaretis, nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia justa et necessaria causa forsan occurreret, propter quam aliud agere interventu consilii legati possetis, memoriter retinere vos volumus, et monemus, ne contra eam leviter veniatis.[1])

Foedus cum Alexio.

94. Sed interim crucesignati jam foedus cum Alexio inierant. Post Pascha Dalmatiae oras navibus vecti reliquerunt; mense Junio pervenerunt Constantinopolim, ac felicissimo successu non ita multo post, die videlicet 18⁰ Julii a. 1203 urbe potiti sunt. Aufugerat Alexius III; Isaaci filius, Alexius IV, a civibus cum gaudii signis receptus est, sibique in consortem Imperii assumpsit Isaacum patrem e carcere eductum. Litteras ista de re ipsi crucesignati ad Innocentium Pontificem dederunt, ex quibus colligitur, quibus rationibus moti ipsi egerint; certe prohibitiones severae Pontificis ad eos nondum pervenerant, quando illa perfecerunt egregia facinora. *Foedere confirmato,* scribunt, *cum illustri CPtani quondam Imperatoris Isaachii filio Alexio, quum victualibus omnibus et rebus egentes, terrae sanctae videremur gravamen potius illaturi, sicut et alii ex nobis qui nos praecesserunt, quam juvamenti aliquod allaturi, nec terrae Saracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, verisimilibus quidem rumoribus et argumentis inducti, quod dicti Alexii suspiraret*

---

[1]) Gesta, n. 89.

adventum regiae pars potior civitatis et pondus imperii, quem electione concordi cum solemnitate debita sublimasset, contra consuetum ordinem temporis, aura favente, obedientibus Domino ventis et mari, ad urbem regiam praeter spem applicuimus et in brevi. — Referunt porro, falsam quidem fuisse opinionem fore, ut Alexius prompte a CPtanis susciperetur; sed qua ratione praeter spem, protegente Domino, post brevis temporis obsidionem eo pervenerint, ut urbe potirentur et, fugiente usurpatore, Alexius reciperetur in Imperatorem, laetantes Innocentio nuntiant. *Praeordinatis,* concludunt, *itaque quae necessaria videbantur, ad ecclesiam sanctae Sophiae novus Imperator cum solemni processione deducitur, et exuli nostro sine omni contradictione imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis, ad solutionem promissionum prosilit Imperator, et promissa rebus accumulat, victualia pro servitio Domini profutura nobis praebet in annum, ducenta marcarum millia nobis solvere pergit, et Venetis suis sumptibus stolium prolongat in annum, seque juramento adstringit, quod erigere nobis debeat regale vexillum et in passagio Martii nobiscum ad servitium Domini proficisci, cum quantis poterit millibus armatorum, et sub eadem promissione concludit, quod eam reverentiam praestare debeat summo Pontifici, quam antecessores sui Imperatores catholici praedecessoribus suis Pontificibus pridem impendisse noscuntur, et ecclesiam orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare, ac toto vitae suae tempore milites quingentos cum sumptibus suis in terra sancta honorifice provisurum ad servitium Redemptoris.* [1])

95. Instante Alexio, cujus regnum nondum satis firmatum videbatur, crucigeri nova pacta cum ipso inierunt, videlicet, ut usque ad tempus vernum anni sequentis, dilata expeditione in Palaestinam, prope Constantinopolim in opposito maris littore remanerent. Interim Alexius Imperator Innocentio III scripsit, obedientiamque in Ecclesiam Romanam promisit. Pontifex vero litteris datis die 7° Fe- **Mora Constantinopoli facta.**

[1]) Gesta n. 90.

bruarii a. 1204 eum hortatus est, ut in Sedis Apostolicae devotione persisteret. Eodem die etiam epistolam direxit ad crucesignatos, quos monet, ut sibi consulant, si forte non recta intentione bellum Graecis intulerint, quum in eo casu censuras incurrerint; caeterum eos hortatur, ut amodo jam totis viribus ad recuperationem terrae sanctae insistant.[1] Paucis interjectis diebus, (25° Febr.) ad Dandolum Venetorum Ducem scripsit, hortatusque est, ut ad officium rediret, animumque ac vires in terrae sanctae subsidium converteret. *Tunc demum Dux et Veneti qui erant in Graecia miserunt nuntios ad Petrum, tituli s. Marcelli presbyterum Cardinalem, Apostolicae Sedis legatum, absolutionis beneficium explorantes; qui misit ad illos cum litteris suis thesaurarium Nicosiensem de Cypro, et recepto ab eis secundum formam Ecclesiae juramento, fecit illos absolvi, quamvis adhuc in nullo satisfecerint de commisso, malens eos habere claudos quam mortuos, praesertim ne eorum contagium caeteros inquinaret.*[2]

Difficultates exortae.

96. Constantinopoli vero haud diu pax et tranquilli tas perdurarunt, sed brevi graves difficultates exorta sunt. Quum enim Graecis molesta ac duriora essent pact Alexii cum cruciatis inita de solvenda permagna pecunia summa, atque inolita etiam ipsi urgerentur aversione i Ecclesiam occidentalem et in Latinos, cruciatis quider hostilem prodiderunt animum, Alexium vero Imperatorer eorum ope evectum parum acceptum habuere. Hic qu dem initio, a cruciatis adjutus, quasdam Imperii partes sil submisit; dein vero et ipse a cruciatis alienatus est. A que ita hi varie vexati sunt. — Ineunte porro anno 120 Constantinopoli orta est atrox lucta Graecos inter et L tinos, cujus praecipuus auctor fuit Alexius Ducas, o conjuncta et imminentia supercilia Murzulphus cognom natus. Qui cum esset ingenii subdoli, et animi capessen

[1]) Potthast, Reg. n. 2122, 2123.

[2]) Gesta, n. 90.

Imperii impotente cupiditate flagrantis, juniori Alexio Imperatori ac benefactori suo ingratus male rependit vicem. Etenim cum tumultuans populus adolescentem Nicolaum Canabum inaugurasset Imperatorem, insignis proditor ille Alexius Ducas, dum sive dolore rerum praesentium, sive, ut creditum est, veneno potatus animam ageret Isaac Angelus, pater junioris Alexii Imperatoris, sub specioso obtentu juniorem Alexium eripiendi e manu furentis plebis, eum nihil diffidentem in carcerem conjecit, et orientale Imperium invasit. Mox vincto et custodiae tradito Nicolao Canabo, eo crudelitatis prorupit, ut junioris Alexii Imperatoris propriis manibus fauces laqueo frangeret, sicque arreptam tyrannidem confirmare niteretur.

97. Dein cum Francis crucigeris praelium committere ausus est, sed infelici Marte pugnavit, ita ut Graeci fugientes sese intra moenia civitatis reciperent. Quum vero exinde continuo a Graecis vexarentur cruciati, nec jam pactis antea initis Imperator stare vellet, mense Aprili crucesignati consilium inierunt expugnandi Constantinopolim, atque incredibili fortitudine terra marique eam adorti, brevi tempore die 11° Aprilis anni 1204 civitatem ceperunt. Urbis CPtanae direptionem a Latinis factam, sacrorum profanationem aliaque scelera in ejusmodi urbium expugnationibus patrari contra jus justumque solita, tragice describit et ultra modum exaggerat Nicetas. Sed profecto mirum videri haud debet, quod hic scriptor graecus, in schismate pertinax, et inexpiabili in Romanam ecclesiam odio actus, Latinos maximis probris oneraverit et horrenda flagitia ipsis adscripserit. Nicetae itaque tesimonium, utpote viri graecae atque admodum sublestae fidei, magnam vim non habet. Non est tamen cur negemus, scelera quaedam et sacrilegia in hac urbis CPtanae expugnatione commissa fuisse; nam et Innocentius III in suis litteris de ejusmodi facinoribus maxime dolet. — Capta a Latinis CPtana urbe rebusque pro tempore compositis, de latino eligendo Imperatore actum est, et promovente Dandolo

Expugnatur Constantinopolis.

Venetae classis praefecto, Balduinus Flander a duodecim designatis electoribus creatus est Imperator Byzantinus. Alexius autem Ducas quum in Peloponesum fugisset, ibi captus incidit in manus cruciatorum, et Constantinopolim reductus, ob perpetratam Imperatoris caedem ultimo supplicio affectus est.

Imperium latinum Romaniae.

98. Hoc pacto in potestatem Latinorum venit orientale Imperium, distractum tamen et exiguis angustisque finibus conclusum, eo quod principes graeci Constantinopoli a Latinis expulsi, quasi vectores in communi naufragio tabulas quas sors afferebat arripientes, varia sibi regna per ejusdem Imperii orientalis regiones constituerunt. David et Alexius Comnenus Trapezuntinum regnum fixerunt in Ponto; Theodorus Angelus Thessalonicae dominatum usurpavit; Theodorus Lascaris Nicaeae in Bithynia imperii quamdam imaginem fundavit. Nec solum principes graeci, verum etiam latini varias Imperii orientalis regiones in suam potestatem redigentes, angustiores ejus fines reddiderunt. Veneti quippe plerasque tum maris Aegaei tum mediterranei insulas retinuerunt. Bonifacius marchio Montisferrati, Peloponnesum quae vulgo Morea, cum regis titulo occupavit. Godefridus Trecensis Athenas sibi asseruit. aliique alia loca suo dominio armis subjicientes tot in partes orientale Imperium dilacerarunt. Ad has angustias redactum Imperium anno aetatis suae trigesimo secundo gubernare coepit Balduinus, quem virum fuisse fortem, pium, moderatum et justum, non solum Latini, sed et Nicetas scriptor graecus et Latinis infensus, ingenue fatentur.[1])

99. Balduinus I autem, Imperator CPtanus constitutus, litteras dedit ad Innocentium III, quibus ei exposuit, qua

[1]) Nicetas Acominatus, dictus etiam a patria Choniates, sub Imperatoribus Alexio Comneno et Isaac Angelo ad praecipuas aulae dignitates evectus est, sed capta Constantinopoli in Bithyniam profectus, ibidem a. 1216 obiit. Libris 21 historiam annorum 85 complexus est, ab obitu Alexii Comneni Imperatoris ubi desiit Zonaras, usque ad a. 1203.

ratione cruciati a Graecis proditi *pro honore sanctae Romanae Ecclesiae et subventione terrae sanctae* civitatem CPtanam adorti sint, et postremo expugnaverint. *Seriatim,* scribit, *vobis declarandum esse decernimus, quam mira circa nos usa sit divina clementia novitate, quamquam non nobis, sed nomini suo gloriam dederit omnibus saeculis admirandam. Mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succedunt, ut etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur haec omnia, quum nihil speratum aut provisum ante contigerit, sed tunc demum nova nobis Dominus procuraverit auxilia, cum nihil humani videretur superesse consilii.* — Expositis dein eventibus rogat Pontificem, ut jam res ecclesiasticas Constantinopoli apte disponere suscipiat.[1]) Simul missa fuerunt ad Innocentium pacta, quae varii duces et principes inter se inierant, antequam unitis viribus Constantinopolim expugnarent.[2])

100. Qua vero ratione Pontifex se habuerit, quidve censuerit, quando certior factus est de Imperio latino Constantinopoli constituto, ex Gestis ejus litterisque ea occasione scriptis luculenter eruitur. „Attendens ergo Dominus Innocentius, scribit auctor Gestorum, quod in pactionibus illis multa continebantur illicita, praesertim ea quae contingebant statum ecclesiarum et clericorum[3]), et quod in captione Constantinopolis multa fuerunt scelera perpetrata, quodque crucesignati prohibiti fuerant terras Chri- Innocentii III sensa.

---

[1]) V. Gesta n. 91.

[2]) Ibid n. 92.

[3]) Inter alia e. g. statutum fuerat: „Sciendum est, quod clerici qui de parte illa fuerint de qua non fuerit Imperator electus, potestatem habebunt ecclesiam sanctae Sophiae ordinandi, et patriarcham eligendi ad honorem Dei et sanctae Romanae ecclesiae et Imperii. Clerici vero utriusque partis (scil. Venetorum ac reiiquorum principum) illas ecclesias ordinare debent, quae suae parti contingent. De possessionibus vero ecclesiarum tot et tantum clericis et ecclesiis debent provideri, quot honorifice possint vivere et sustentari. Reliquae vero possessiones ecclesiarum dividi et partiri debent secundum ordinem praesignatum.“ — Talia profecto principes pro arbitrio suo statuere non poterant.

Innocentii III sensa. stianorum offendere, nisi forsan eorum nequitia iter prohiberetur, nec videbatur ad excusationem illorum sufficere, quod propterea licuerit eis Graecos offendere, quoniam ipsi ab obedientia Sedis Apostolicae sese subtraxerant, et noluerant succurrere terrae sanctae, licet super utroque fuerint ab eodem Domino Papa commoniti, et Alexius Imperator nequiter incubaret imperio, quod inique abstulerat fratri suo, quum super his nullam desuper ulciscendi acceperint potestatem, coepit vehementissime dubitare, quid in tanto negotio sibi foret agendum." — Consilio porro cum Cardinalibus habito, ad Bonifacium, marchionem Montisferrati cruciatorum ducem, dedit litteras, quibus ex utraque parte veluti perpendit motiva, quae a cruciatis in defensionem perfecti ab ipsis negotii possent afferri, quae vero contra eos possint opponi. Prioribus rationibus allatis: *Sane*, inquit, *per ea quae superius sunt descripta tacitis videris objectionibus respondere, quae contra crucesignatos possint taliter intorqueri. Cum enim vos in obsequium devoveritis Crucifixi, ad liberandum terram sanctam de manibus paganorum et sub excommunicationis interminatione fuerit vobis inhibitum, ne terras Christianorum invadere vel laedere tentaretis, nisi forsitan iter vestrum nequiter impedirent, . . . vos nullam in Graecos jurisdictionem aut potestatem habentes, a puritate voti vestri temere declinasse videmini. . . . Illudque longe gravius reputatur, quod quidam nec religioni nec aetati nec sexui pepercerunt, sed fornicationes, adulteria et incestus in oculis omnium exercentes, non solum maritatas et viduas, sed et matronas et virgines, Deoque dicatas, exposuerunt spurcitiis garcionum. Nec imperiales sufficit divitias exhaurire ac diripere spolia majorum pariter et minorum, nisi ad ecclesiarum thesauros, et quod gravius est ad ipsarum possessiones, extenderetis manus vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, et violatis sacrariis cruces, icones, et reliquias exportantes, ut Graecorum ecclesia, quantumcumque persecutionibus affligatur, ad obedientiam Apostolicae Sedis redire contemnat, quae in Latinis nonnisi proditionis exempla et opera tenebrarum aspexit, ut merito illos abhorreat plus quam canes.*

101. Ulterius quae evenerunt in utramque partem librans, ac tandem quaestionem veluti in ancipiti relinquens, scribit: *Quia vero judicia Dei nonnunquam adeo sunt occulta, ut a propheta dicantur abyssus multa, . . . nos de tam profundo judicio nolentes temere judicare, praesertim antequam de veritate negotii plenius instruamur, . . . illud omissis dubiis tibi pro certo duximus respondendum, in uno pariter et eodem tam terrae sanctae, quam Apostolicae Sedi, necnon animae tuae salubriter consulentes, ut sub timore Domini et spe veniae terram divino judicio acquisitam, et tenendam ac defendendam acquiras, populos tibi subjectos in justitia regens, sub pace conservans et religioni conformans; ita ut ecclesiastica bona restituas, secundum propriam facultatem poenitens et satisfaciens de commissis, cum hujusmodi res vix geri potuerit sine piaculari reatu; quoniam qui tangit picem, coinquinabitur ab ea; firmumque geras in voto propositum, ut ad terrae sanctae succursum, cui te specialiter et principaliter devovisti, prudenter et potenter intendas, cum per hanc terram illa de facile recuperanda speretur.*[1]) Innocentii III sensa.

102. Ex hisce litteris apprime apparet, quid de isto negotio censuerit Innocentius, ac nullatenus Constantinopolis captionem permagna animi laetitia ab eo auditam fuisse; toto enim cordis ardore ad liberationem terrae sanctae anhelabat, atque hanc retardari nolebat. Quum tamen ea quae consummata erant infecta fieri non possent, providentia vero plane singularis Dei in istis eventibus appareret, et possessio Constantinopolis Imperiumque latinum ibi fundatum magno commodo viderentur expugnationi terrae sanctae et Saracenorum eversioni, aliis in epistolis hoc modo potius quae acciderant, considerat. Hinc gratulatus est Balduino Imperatori, cruciatis injunxit ut eum tuerentur, ipsumque hortatus est, *quatenus Graecorum ecclesiam et Constantinopolitanum imperium, quod ad invocationem Apostolicae Sedis gratia sibi divina subjecit,*

---

[1]) Gesta n. 93.

in ipsius obedientia studeas conservare, per quam et ipsum Subvenit Imperio latino. *imperium tibi melius conservabis.*[1]) Scripsit etiam Pontifex ad archiepiscopos et episcopos orbis catholici, eis annuntians eventus istos summi momenti, eosque hortatus est, ut quantum possent conferrent ad novum Imperium Constantinopolitanum firmandum. *Attendentes igitur*, scribit, *quod mutatio hujus Imperii dexterae sit mutatio Excelsi, et ab eo factum sit istud qui tempora mutat et transfert regna, cum per illud terrae sanctae possit utilius subveniri, quin potius quum per illud ista credatur posse recuperari de levi, fraternitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta praecipiendo mandantes, quatenus tam clericos quam laicos efficaciter inducatis, ut ad capessendas spirituales pariter et temporales divitias ad praefatum Imperatorem accedant, qui, ut ejus verbis utamur, quum sufficiat universis, quos ad eum christianae religionis zelus adduxerit, singulos vult et potest secundum status suos varietatemque natalium et augere divitiis et honoribus ampliare, ut Constantinopolitano Imperio roborato et in devotione Apostolicae Sedis ibidem ecclesia stabilita, idem Imperator ad expugnandas barbaras nationes, quae terram in qua Deus noster Rex ante saecula nostram dignatus est operari salutem, peccatis nostris exigentibus detinent occupatam, manu forti et brachio extento valeat properare.*[2])

103. Studuit dein Pontifex ordinare res ecclesiasticas. Quum juxta pacta Veneti in patriarcham Constantinopolitanum elegissent Thomam Moresinum Venetum, electionem quidem illam, utpote haud canonice factam, irritavit; attamen auctoritate sua Apostolica Thomam in patriarcham ipse creavit ac Romae consecravit. Nec cessit Pontifex

---

[1]) Epist. d. d. 7 Nov. 1204. Regesta n. 2321. — Immerito asserit Pichler, hisce verbis regnum Constantinopolitanum declaratum fuisse Sedis Apostolicae feudum; ita et in aliis Innocentium III quoad modum agendi in hoc negotio carpere nititur. V. Gesch. der kirchl. Trennung. B. I. S. 301 ff.

[2]) Gesta n. 94.

magna cum sollicitudine inter multiplices difficultates, quantum poterat, ecclesiae Constantinopolitanae illique Imperio providere. — Colligitur autem ex dictis, amplissima et valde sublimia fuisse consilia Pontificis, et nonnisi regni divini in terris extensionem, spe fervente, ipsum in iis quae hac in re egit intendisse. Quod si vero forte ea aetate statum rerum in Oriente non satis perspexerunt Latini, nec media efficacia semper adhibuere, ut tum ecclesiarum unioni tum Imperii firmitati consulerent, ita ut a Graecis in aversione contra Latinos obstinatis scissio augeretur, et aliquanto post Imperium latinum Coustantinopolitanum everteretur, id sane Innocentio III culpae verti nequit.

Imperii latini fata.

104. Paucis complectamur ea quae ad fata hujus Imperii pertinent. Inde ab initio infirmum fuit hoc Imperium, et germina dissolutionis atque interitus continebantur in illa provinciarum divisione sub diversis principibus, quam descripsimus. Hoc pacto enim robor firmum *Romaniae* Imperio non inerat, imo conatibus irritis illud tuendi vires absorbebantur, quae exseri potuissent ad expeditionem cruciatam conficiendam. Thomas Morosini, patriarcha, non eas videtur habuisse dotes egregias, ut in permagnis difficultattbus res ecclesiasticas apte ordinaret. Nimiae a Venetis dependentiae ipse arguitur, quamvis forte ob rerum angustias sit excusandus. Ipso defuncto a. 1211), ob discordias cleri per plures annos sedes Constantinopolitana vacavit, donec a. 1215 Innocentius III Gervasium Tuscum patriarcham Constantinopolis constituit. Is auctoritatem et potestatem suam, ac si summus Pontifex esset, studuit ampliare, ita ut ab Apostolica Sede severius monitus sit; idem fecit Matthaeus patriarcha, ejus successor, qui et divitiis congregandis nimium erat intentus. Isti patriarchae graecum populum haud sibi devincierunt, sed potius offenderunt; neglectis Pontificum mandatis, despoticae dominationi inhiabant, et unioni ecclesiarum promovendae parum profecerunt. Imperatores vero latini aegre regnum suum tueri potuerunt, quum incolae ipsis

hostilem ferrent animum, principes graeci qui in provinciis variis regnabant, eos exturbare niterentur, proceres vero latini, Imperatorum vasalli, commodis suis intenti non satis Imperatoribus adsisterent, sed potius contra eos suam independentiam niterentur firmare. Angustis limitibus circumscriptum Romaniae Imperium parum ultra quinquaginta annis subsistit. Etenim anno 1261 Balduinus II Imperator cum Pantaleone, sexto Patriarcha latino, viro dignissimo, fugam capessere coactus est, ac Michaël Palaeologus CPtanum Imperium in Graecorum potestatem denuo redegit.

Dissertatio vigesima septima.

De oppugnatione haereticorum, ac de quibusdam Innocentii III Decretalibus.

1. Innocentii III quanta fuerit sollicitudo in gubernanda societate christiana tum Occidentis tum Orientis, quantus ejus auctoritatis vigor et salutaris influxus in principes ac nationes, ex praecedente colligitur Disertatione. Sed praeclara etiam sunt hujus Pontificis merita, quod, quum ex haeresibus funestis ea aetate summa Ecclesiae ac fidei imminerent discrimina, ipse insigni virtute tuitus est religionem haeresesque repressit. Itaque de iis quoque eventibus qui huc pertinent jam convenit dicere. Agitur autem praecipue de perniciosissima *Catharorum* seu *Albigensium haeresi*, ex cujus propagatione funesta integra societas christiana periclitabatur. Tractabimus igitur *de hujus haeresis oppugnatione,* qua eadem, Innocentio Pontifice praesertim auctore, feliciter repressa est. Simul vero vindicabimus principia, quibus in oppugnandis haereticis Ecclesia nititur. — Clarum est porro hujus Pontificis nomen ob insignem ejus in jure canonum peritiam, ipsiusque hac in re saluberrima decreta. Sed attentionem specialem merentur *quaedam Decretales*, quibus auctoritatem Ecclesiae in societatem civilem ac temporalia principum, uti dicit solet, vindicat, hujusque auctoritatis indolem praeclare exponit. Quum vero Innocentii III sententia quoad hoc doctrinae caput summi sane momenti sit, de illis quas diximus *Decretalibus* aliquanto accuratius etiam hoc loco agemus. — Dissertationis indoles.

Addemus demum pauca *de Concilio oecumenico Lateranensi IV,* quod ad fidem et disciplinam firmandam Innocentius III celebravit.

Auctores consulendi. 2. Praeter monumenta citata et auctores jam laudatos, qui de gestis Innocentii consulendi veniunt, opportunum erit quoad quaestiones quas prae manibus habemus haec addere. De Catharorum aliorumque haereticorum illius aetatis erroribus scripserunt plures auctores coaevi. Satis accurate Albigensium doctrinas recenset Petrus Vallium Cernaji (Vaux-de-Cernay) in dioecesi Parisiensi monachus Ord. Cist., qui cum Guidone abbate, avunculo suo ac postea Carcassonensi episcopo, ad praedicandum contra Albigenses in partes Tolosanas venit, et bellis contra Albigenses plerumque interfuit. Scripsit *historiam Albigensium,* quam Innocentio III dicavit (Exstat ap. Duchesne Script. rer. Franc. T. V. et ap. Bouquet, T. XIX.) — Guilielmus de Podio Laurentii, a sacello fuit Raymundi VII Comitis Tolosani (a. 1222—1229), et scripsit *Chronica super historia negotii Francorum adv. Albigenses etc.;* (ap. Duchesne T. V. et Bouquet T. XIX.) — Reinerus Sacconi, Piacentinus, per septemdecim annos ex Catharis fuit dein conversus et ordinem Praedicatorum ingressus munere Inquisitoris in Longobardia functus est. Obiit a 1259 Scripsit autem *Summam de Catharis et Leonensibus,* quae exstat apud Martene et Durand Collect. T. V. — Multa quoque eruuntur ex *Epistolis Innocentii III et ex litteris a legatis ad eum missis,* ap. Bouquet T. XIX. Alia opera antiquorum auctorum citantur ap. Hergenröther, *K. G. II. 300. 301.* — Cfr. porro: *Histoire et doctrine de la secte des Cathares ou Albigeois,* par C. Schmidt, professeur de la Faculté de théologie et au séminaire protestant de Strasbourg; Paris 1849; *Geschichte der Ketzer im Mittelalter* von C. U. Hahn (auctor protest.) 3 Bde, Stuttgart 1845; C. Cantù, *Gli eretici d'Italia T. I.;* Raynaldi *Annales, saec. XIII;* Pagii, *Breviarium Vit. R. Pontif.;* Hefele *Conc. Gesch. B. V.;* Brischar-Stolberg B. 51 (6); Damberger *Gesch. B. IX.;* B. Kaltner, *Konrad von Marburg und die Inquisition in Deutschland;* Prag 1882. — De *Decretalibus* Innocentii III

cfr. etiam: W. Molitor, *Die Decretale „Per venerabilem,"* Münster 1876; Hergenröther, *Kirche und Staat, VIII.;* Bianchi, *Della potesta e della politia della Chiesa; Libro sesto;* Phillips, *K. Recht;* T. III. 1.

I.

De haeresi Albigensium ac de bello contra eos suscepto.

3. Quo tempore fidei fervore accensi, crucesignati varias in orientem expeditiones suscepere, ut a jugo infidelium terram sanctam liberarent, in ipsis regnis christianis Occidentis, et maxime in Gallia meridionali, funestissima sese propagavit haeresis, per quam tota Ecclesia in discrimen summum vocata est. Ista fuit Catharorum seu Albigensium turpissima doctrina, de cujus indole ac repressione, Innocentii III opera ac labore praesertim facta, accuratius hoc loco agere convenit. — De novorum Manichaeorum adventu in Occidentem eorumque sub variis nominibus in variis regionibus propagatione inde a primis decenniis saeculi duodecimi, jam in Dissertatione vigesimaquarta pauca diximus. Isti haeretici Bulgari, Bugri, Turlipini, Gazzari, Tesserantes, Patareni, vel aliis vocibus appellati sunt, praesertim vero *Cathari,*[1]) atque in

Catharorum haeresis.

[1]) De etymologia vocis *Cathari* variae fuerunt opiniones. Sic Alanus: „Dicuntur Cathari, id est diffluentes per vitia, a catha, quod est fluctus; vel Cathari, quasi casti, quia se justos et castos faciunt: vel Catari dicuntur a cato, quia osculantur posteriora cati, in cujus specie, ut dicunt, apparet eis Lucifer." Sed indubium videtur, nomen desumptum esse ex graeco καθαροι, qua appellatione jam antiquitus vocabantur haeretici, qui prae reliquis puritatem et perfectionem sibi vindicabant. — Sub nomine Alani habetur: „Summa quadripartita de fide catholica contra Valdenses, Albigenses et alios hujus temporis haereticos." Passim hoc opus adscribitur Alano ab Insulis, sed jam conveniunt eruditi, hanc Summam esse *Alani de Podio Ord. Cist.*, qui pariter saec. XII vixit. Cfr. Freib. Kirch. Lex. ed. 2ª, T. I. sub voce *Alanus.*

Gallia meridionali saeculo decimo tercio dicti sunt *Albigenses*, a civitate Albi; in hac enim urbe ejusque viciniis maxime invaluerunt.

Catharorum doctrinae.

4. Doctrina fundamentalis Catharorum erat *dualismi* error funestus. Alii quidem *dualismum absolutum* profitebantur, ac statuebant, duo esse principia aeterna seu duos creatores, bonum ac malum, ac duplicem creationem; alii profitebantur *dualismum relativum*, quatenus principium malum asserebant esse spiritum seu angelum, qui a Deo defecerit, auctorque mali effectus sit. Invisibilium ac spirituum creatorem Deum bonum statuebant; materiam autem ac mundum visibilem a principio malo prodiisse docebant; illi Novum Testamentum tribuebant, huic vero Testamentum Vetus. — Fons mali atque peccati hac in terra est ipsis *materia*, quae a principio malo provenit; unde etiam in submissione sub materia consistit peccati natura, perfectio autem in solutione ac libertate a rebus materialibus. — Princeps tenebrarum partem spirituum coelestium adduxit, ut a Deo deficerent; inde factum est, ut includerentur corporibus materialibus, hominum genus constituerent, et implicarentur peccatis. Propterea homines indigent redemptione.[1])

5. Ejusmodi redemptio perfecta est per Christum, spiritum Deo bono subordinatum, qui transiens per Mariam quae non fuit mulier sed angelus, venit in terram cum corpore coelesti. Specietenus tantum habuit corpus materiale ac passionem subiit (docetismus); dein reversus est in coelum. Aliqui Cathari etiam contendebant, Christum non reali modo fuisse in terris, sed tantum ideali, in corpore Pauli Apostoli. Uti Christus subordinatus est Deo bono, ita illi subordinatus est Spiritus sanctus, quem dicebant spiritum principalem. Dogmata Christianismi de creatione universi per Deum bonum, de Incarnatione, de resurrectione carnis, et alia respuebant et irridebant, ut

[1]) Secundum alios Adam et Eva tantum fuerunt spiritus lapsi ac dein corporibus inclusi. Ex his vero tum corpora tum animae subsequentium hominum dimanarunt generatione. Peccatum autem originale fuit concubitus Adae et Evae. — Quaedam doctrinarum capita secundum hanc sententiam paulo modificantur.

et sacramenta, disciplinam, ritus Ecclesiae. Ultimus finis est liberatio animarum coelestium earumque reditus ad coelum, ut resumant corpora coelestia ibi relicta, angelisque jungantur. Qui itaque sufficientem poenitentiam haud egerunt, post mortem aliis includuntur denuo corporibus, volucrum primo, dein quadrupedum, ac demum iterum hominum, atque ejusmodi metempsychosis continuatur, donec Catharorum sectam ingressi sunt, et consolamento accepto anima a corpore separatur.

6. Disciplina moralis Catharorum consistebat in abstinentia a materia, adeoque a possessione bonorum terrestrium, a bello et ab occisione. Quum vero generatione praecipue dilatetur et amplificetur regnum materiae et principis tenebrarum, matrimonium et unionem conjugum penitus rejiciebant ut peccatum pessimum; abhorrebant quoque ab esu carnium ac lactis, quum animalia generatione procreentur. Caeterum vero perinde esse statuebant utrum quis cum legitima uxore consuetudinem haberet, an vero cum alia muliere, etiam consanguinea. Unde quum tantum a perfectis exigeretur stricta observatio disciplinae moralis eorum, reliquis autem credentibus indulgeretur ad tempus ratio vitae ordinariae, vides, hisce ad omnem libidinem viam apertam fuisse. Ac summa scelera reapse a Catharis perpetrabantur; consanguinitatis vincula pecunia redimi poterant. **Disciplina moralis.**

7. Quod vero attinet ad constitutionem Societatis eorum, arte funesta ipsum Ecclesiae catholicae organismum imitatione quadam expresserant. — Infimum gradum in eorum ecclesia tenebant *catechumeni*, qui videlicet petebant admissionem ad sectam et instruebantur. Mare enim et siccam circuibant illi haeretici, ut ubique asseclas invenirent. Sequebantur dein *credentes*, ingens haereticorum multitudo in Oriente et Occidente, qui Catharorum doctrinas profitebantur. Sed non tenebantur ad observandam strictam disciplinam moralem Catharorum. Hanc tantum *perfecti* servabant, qui superiorem quamdem classem in illa secta constituebant. *Sciendum autem,* scribit Petrus **Constitutio sectae.**

de Valle Cernaji, *quod quidam inter haereticos dicebantur perfecti seu boni homines, alii credentes haereticorum. Qui dicebantur perfecti, nigrum habitum praeferebant, castitatem se tenere mentiebantur; esum carnium, ovorum, casei, omnino detestabantur; non mentientes videri volebant, quum ipsi maxime de Deo quasi continue mentirentur. Dicebant enim, quod nulla unquam ratione debeant jurare. Credentes autem haereticorum dicebantur illi, qui saeculariter viventes, licet ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in fide tamen illorum se salvari sperabant; divisi siquidem erant in vivendi modo; sed in fide et in infidelitate uniti erant. Qui dicebantur credentes haereticorum, dediti erant usuris, rapinis, homicidiis et carnis illecebris, perjuriis et perversitatibus universis. Isti siquidem ideo securius et effraenatius peccabant, quia credebant, sine restitutione ablatorum, sine confessione et poenitentia se esse salvandos, dummodo in supremo mortis articulo Pater noster dicere et manum impositionem recipere a magistris suis potuissent. Polliceri autem debebant, se ante mortem illam impositionem manuum, quae Consolamentum dicebatur, quaque perfecti constituebantur, suscepturos esse*[1]). Credentes multitudinem constituebant eorumque ingens erat numerus; perfectorum vero numerus multo minor erat.

Catharorum hierarchia.

8. Ex perfectis porro sumebantur Catharorum ministri, qui hierarchiam constituebant catholicae similem. Episcopos habebant, ac duos socios seu vicarios generales, quorum alter dicebatur filius major, alter filius minor; episcopo morienti plerumque succedebat filius major. Quosdam vero inde ab infantia ad munus episcopale destinabant, ac pueri illi ne lacte quidem matrum nutriri poterant, sed amygdalarum succo seu lacte sustentabantur. Habebant praeterea diaconos, et super episcopos eorum constituti erant septuaginta duo ministri (forte ad instar Cardinalium ecclesiae Romanae). Sed exstabat etiam summus Catharorum pontifex, de quo scribit Conradus Portuensis

---

[1]) Hist. Albig. c. 2.

legatus Apostolicus ad archiepiscopum Rothomagensem: *Haeresiarcham, quem haeretici Albigenses papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum Croatiae et Dalmatiae juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt haeretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat . . Etenim de Carcassone oriundus, vices illius antipapae gerens Bartholomaeus haereticorum episcopus, . . . inter alias enormitates creat episcopos, et ecclesias perfide ordinare contendit.*[1]) Haec respiciunt initia saeculi decimi tertii. Sed jam anno 1167 Catharorum Papa Niquinta vel Niceta, praesedit Catharorum synodo ad S. Felicem de Caraman in regione Tolosana habitae, episcopos ordinavit et ecclesias ipsis distribuit.[2])

Catharorum ritus.

9. Quod ad *officia sacra* Catharorum attinet, in conventibus suis lectiones ex novo Testamento habebant et conciones, orationem dominicam recitabant et benedictionem recipiebant. Credentes gravium criminum rei etiam confessionem specialem faciebant, reliqui generalem, atque imposito ante novi Testamenti libro, et recitata oratione dominica, absolutionem recipiebant. Sed sacramentis Ecclesiae rejectis, proprium ipsis sacramentum erat illud, quod *Consolamentum* nominabant, vel baptismum spiritus. Huic ritui adscribebant liberationem perfectam a potestate principis tenebrarum et materiae, ac remissionem completam peccati, sine alia satisfactione. Post trium dierum jejunia ac poenitentias, illud consolamentum conferebatur impositione manuum et oratione dominica, atque hoc ritu *perfecti* constituebantur. Isti perfecti, uti diximus, vitam severam abstinentiae rigorosae ducebant. Credentes quidem promittebant, se illud consolamentum recepturos esse, sed ob graves obligationes, quas secum ferebat, ob incommoda et transgressionum pericula, quibus plane irritum fiebat, consolamentum plerumque differebatur usque ad mortis propinquitatem vel periculum. Passim autem aegroti, si illo accepto convalescere videbantur, inedia mortem sibi

[1]) Script. rer. Franc t. XIV. p. 448 not. *a*.
[2]) Ibidem.

consciscebant, vel a propinquis ad hoc adigebantur, ne consolamenti fructus, vita superstite, amitterent per peccatum. Ejusmodi abstinentia ciborum qua mortem adducebant, *endura* dicebatur. Quidam etiam post consolamentum receptum martyrio vitam finire nitebantur ac vel suffocabantur, vel sumpto veneno se occidebant, et hoc quoque casu ut martyres vel confessores habebantur. — Praeter doctrinas praecipuas Catharorum, quas recensuimus, apud multitudinem receptae erant fabellae variae ineptae et turpes. Sic Petrus de Cernajo (c. 2.) scribit: *Dicebant etiam in secreto suo, quod Christus qui natus est in Bethlehem terrestri et visibili et in Hierusalem crucifixus malus fuit, et quod Maria Magdalena fuit ejus concubina, et ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa de qua legitur in Evangelio . . . Item dicebant haeretici, bonum Deum duas habuisse uxores, Collam et Colibam, et ex ipsis filios et filias procreasse.*

Haeresis propagatio.

10. Isti igitur Cathari externo modo Ecclesiam imitabantur, ejus etiam festa, significatione eorum mutata conservabant; dolosa vero hypocrisi, ubi conveniebat, se occultantes ritus catholicos ex parte servabant, et ecclesias frequentabant. Sed signis occultis inter se se agnoscebant. Magno autem ardore haeresim suam propagabant et decursu temporis in multis regionibus permagnas societates efformarant, ita ut Ecclesiae catholicae et societati christianae summa pericula erearentur. Jam saeculo XII scribebat Gulielmus Neubrigensis de Catharis: *Regionibus plurimis virus suae perfidiae infuderunt. Quippe in latissimis Galliae, Hispaniae, Italiae Germaniaeque provinciis tam multi hac peste infecti esse dicuntur, ut secundum prophetam (ps. 138) multiplicati esse super numerum arenae videantur.*[1]) Et Ecbertus monachus: *Ita per omnes terras multiplicati sunt, ut grande periculum patiatur Ecclesia Dei a veneno pessimo quod undique adversus eam e-*

[1]) De rebus anglicis, ed. Picard, Paris. 1610. p. 155. Ap. Schmid I. 54

fundunt.[1]) Haeresis vero amplissima propagatio praesertim altero saeculi duodecimi medio accidit.[2])

11. Usque ad tempora Innocentii III Ecclesia fecerat quidem conatus quosdam, ut resisteret propagationi illius sectae, sed vigore minore. Pontifex autem hic perspexit periculum, quod imminebat Ecclesiae per istos haereticos, qui Ecclesiae Dei aliam ecclesiam falsam opponebant, et fidem, mores, pietatem, ac totam societatem christanam subvertebant et corrumpebant. — Praesertim in Gallia meridionali ista secta firmas radices egerat, jamque Ecclesiae praevalebat. Variis ex causis tristissimus ille rerum **Periculum maximum.**

---

[1]) Ecbertus primum canonicus ecclesiae collegiatae Bonnensis dioec. Coloniensis, postea monachus Schonaugiensis, floruit a. 1160. Exstant ejus sermones adv. Catharos ap. Bigne, Bibl. PP. t. XII. p. I. 897; ed Colon. a. 1618.

[2]) Conditionem Catharorum inde a medio saeculo XII hisce describit C. Schmidt: „Un fait remarquable qui marque l'avènement d'une nouvelle période dans l'histoire des Cathares, c'est que dès le milieu du douzième siècle ils ont eux-mêmes la conscience de leur force et de leur propagation dans les différents pays de l'Europe. Ils savent qu'ils ont partout des frères, qu'un même lien les unit depuis Constantinople jusqu' au pied des Pyrénées et aux bords du Rhin, en un mot qu'ils forment une communion spirituelle à laquelle ils donnent le nom d'Eglise.... Les Cathares découverts en 1144 à Liége assurent que l'hérésie a des partisans dans toutes les villes de la Belgique et de la France: en 1146 ceux de Cologne disent que leur foi cachée depuis les temps des martyrs compte une multitude innombrable de disciples répandus sur toute la terre; peu d'années après ils prétendent dans la même ville que le temps est venu où Dieu doit manifester au monde qu'ils forment seuls son Eglise véritable. Presque partout où ils se montrent depuis cette époque, ils ont des communautés constituées, pourvues de ministres et réunies en diocèses ayant à leur tête des évêques. Ceux-ci, quoique indépendants les uns des autres, entretiennent entre eux des relations actives et fréquentes; ils font les voyages les plus lointains, tantôt pour s'informer des coutumes des églises cathares étrangères, tantôt pour propager leurs croyances ou pour resserrer le lien de l'unité entre tous les membres de la secte. Cette unité subsiste et se consolide malgré les divergences qui éclatent parmi les Cathares de plusieurs pays sur des points importants de leur doctrine. En un mot, la secte arrive dans cette période au plus haut degré de son extension." Histoire et doctrine des Cathares etc. T. I. p. 54.

Gallia meridionalis.

status provenerat. In florentissimis illis Galliarum provinciis incolae rerum omnium quae ad hanc vitam pertinent ubertate abundabant, et etiam mentis atque ingenii cultura, seu civilisatione quadam politiori gloriabantur, et iis, qui septentrionalem Galliam inhabitabant, praecellebant. Sed simul omnia eo dirigebantur, ut hujus vitae deliciis profanique amoris voluptatibus et libidinibus fruerentur; morumque levitas singularis seu potius corruptio ibidem invaluerat. Inde jam dogmata positiva Ecclesiae ac praecepta morum severa multis erant exosa; proclives autem erant in deliramenta haereticorum. In eorum systemate enim peccata, utpote materiae et corporis fructus necessarii, facile inveniebant excusationem, et *perfectorum* severitati jungebatur indulgentia effusa in *credentes.*[1])

12. Sed etiam miserrimus erat status cleri, quum et ipse communi corruptione infectus, incuria, negligentia, vita profana sorderet, et apud plurimos contemptui haberetur. Qua de re Gulielmus de Podio Laurentii scribit: *Terra illa tanquam reproba et maledictioni proxima pauca praeter spinas et tribulos germinabat, ruptores et ruptarios, fures, homicidas, adulteros, et usurarios manifestos. Capellani* (sacerdotes) *autem tanto contemptui habebantur a laicis, quod eorum nomen ac si Judaei essent in juramentum a pluribus sumebatur. Unde sicut dicitur: „Mallem esse Judaeus," sic dicebatur: „Mallem esse capellanus, quam hoc vel illud facere." Clerici quoque si prodirent in publicum, coronas modicas prope frontem pilis occipitis occultabant. Milites* (nobiles) *enim raro suos liberos clericatui offerebant, sed ad ecclesias, quarum tunc ipsi decimas percipiebant, suos homines praesentabant. Et episcopi quales pro tempore poterant clericabant.*[2]) Inter episcopos autem erant quidam viri parum digni, qui ex beneficiis sibi lucra comparabant

---

[1]) Cfr. Schmidt, l. c. p. 66 sqq.

[2]) In *Prologo* ad opus: Chronica super historia negotii Francorum adv. Albigenses.

et simoniace ea conferebant. Talis fuit Berengarius II archiepiscopus Narbonnensis, quem pluries monuit Innocentius III ac postremo deposuit.[1]) Episcopatum Albiensem aliquando Pontius comes legavit uxori suae, quatenus videlicet de eo disponere posset. Idem episcopatus etiam, vivente Amelio episcopo, per pacta simoniaca a Bernardo vicecomite et Froterio episcopo conceditur Bernardo Aimardo et Gulielmo filio ejus, ita ut Gulielmus futurus sit Amelii successor.[2])

13. Non pauci nobiles eorumque uxores et filiae paulatim haeresim vel aperte vel occulte amplexi sunt, et Catharis amplissimam protectionem dederunt. Raymundus VI comes Tolosanus, qui a. 1195 Raymundo V successit, bona ecclesiarum invadebat, auxiliis Coterellorum ferocium utebatur, et de haeresi valde suspectus fuit. Haereticos pariter protegebant Comes Fuxensis (Foix), Rogerius Vicecomes Biterrensis, cui subjecta erat civitas Albi et Carcassona, ejusque filius et successor Raymundus comes Convenarum, et Gasto de Bearno. *Vicinae* (Tolosae) *urbes*, scribit Petrus de Cernajo, *et oppida, radicatis in se haeresiarchis, per ejusdem infidelitatis surculos pullulantes inficiebantur mirabiliter et miserabiliter peste ista. Barones terrae provincialis fere omnes haereticorum defensores et receptores effecti, ipsos amabant ardentius et contra Deum et Ecclesiam defendebant.*[3]) *Ipsi quoque milites,* ait Gulielmus de Podio Laurentii, *dominationem contemnentes, prout libebat, nemine prohibente his aut illis haereticis adhaerebant, et haeretici in tanta reverentia habebantur, quod habebant coemeteria, in quibus quos haereticaverant publice tumulabant; a quibus lectos integros et vestes recipiebant; quibus et largius quam personis ecclesiasticis legabantur; ipsi* (perfecti) *nec ad excubias nec ad tallias cogebantur. Si quis etiam homo de*

Fautores haereticorum.

[1]) Cf. Hurter, Innoc. III. V. II. L. XIV. p. 267. Innoc. Epp. L. X. ep. 68.

[2]) Gallia christ. Tom. I. Instrum. p. 4.

[3]) Hist. c. 1.

guerra gradiens cum eis in via inveniretur, ab hostibus tutus erat; sic pro magna parte diabolus per illos terram in pace sua, velut suum atrium possidebat.[1])

Legati Apostolici.

14. Postquam hisce exposuimus, quam funesta et perniciosa fuerit illa Catharorum secta, jam ea breviter enarremus, quae monente et movente Innocentio III ad ejus exstirpationem facta sunt. Vixdum ad Sedem Apostolicum evectus, ab archiepiscopo Auscitano (Auch) certior factus est de haeresis progressu, et litteris ad eum datis die 1° Aprilis a. 1198 ipsum hortatus est, ut cum suffraganeis suis omnia media ecclesiastici vigoris adhibeat contra haereticos, utque *etiam, si necesse fuerit, per principem et populum eosdem faciat virtute materialis gladii exerceri.*[2]) Varios legatos eo tempore misit Pontifex in illas regiones, ut religioni conservandae providerent. Legationem hanc, permagna cum auctoritate etiam quoad praesules illarum provinciarum, primis annis saeculi decimi tertii commisit Arnaldo, Cistertii abbati, et Rudolpho ac Petro de Castronovo ejusdem Ordinis monachis. Isti quidem intrepide laborarunt, ut Catholicos in fide retinerent, haereticos reducerent, contumaces excommunicarent; sed satis desides invenerunt episcopos varios, et non multum sibi videbantur proficere.

15. Quum anno 1206 Didacus episcopus ecclesiae Uxamensis in Hispania cum s. Dominico, tunc cathedralis illius canonico, Roma reverteretur, illis viris qui jam despondebant animo, zelo apostolico ipsi sese junxerunt, et nova methodo exinde missionem suam executi sunt. *Factum est igitur,* scribit Petrus de Cernajo, *ut quum rediret* (Diego) *a curia, et esset apud Montempessulanum, invenit ibi venerabilem virum Arnaldum, abbatem Cistertiensem, et F. Petrum de Castronovo et F. Rodulphum, monachos Cistercienses, Apostolicae Sedis legatos, injunctae sibi legationi prae taedio renuntiare volentes, eo quod nihil aut parum haereticis praedicando proficere potuissent. Quotiescumque enim vellent*

---

[1]) L. c. in prologo.
[2]) Epp. L. I. ep. 81.

ipsis haereticis praedicare, objiciebant eis haeretici conversationem pessimam clericorum, et ita, nisi vellent clericorum vitam corrigere, oporteret eos a praedicatione desistere. Memoratus autem episcopus adversus hujusmodi perplexitatem salubre dedit consilium, monens et consulens, ut caeteris omissis praedicationi ardentius insisterent, et ut possent ora obstruere malignorum, in humilitate, procedentes exemplo pii magistri, facerent et docerent, irent pedites sine auro et argento, per omnia formam apostolicam imitantes.[1]) Legatis petentibus, Didacus et Dominicus cum ipsis remanserunt, et viri illi praeclari, quibus etiam alii, praesertim monachi Cistercienses, sese junxerunt, tunc ista ratione magno cum fervore catholicam fidem praedicarunt et ab erroribus haereticorum vindicarunt. Cum sectariorum magistris saepe publice disputarunt; eos quidem haereseos convicerunt, sed non converterunt; plures tamen e populo ab errore ad veritatem catholicam reduxerunt. Sed ad haeresim evertendam haec media non sufficiebant; simul autem etiam Catharorum ministri per provincias decurrentes summo ardore contra illos viros apostolicos suos errores multitudini inculcabant.

16. Anno 1208 Petrus de Castronovo in ditione Comitis Tolosani, fautoris haereticorum, quem Petrus excommunicaverat, insidiose interfectus est. Innocentius Papa interfectorem legati sui et omnes qui illi ope, consilio aut favore praesto fuissent, praecipue Raymundum VI comitem Tolosanum Albigensium fautorem, in quem non levis suspicio praefatae neces inciderat, anathemate percussit. Quum vero haereseos istius discrimina in dies crescerent, et sectarii, Raymundi aliorumque procerum praesidio fulti, in ecclesias et clericos immunius grassarentur, Catholicos saevius vexarent, omnemque regionem perturbarent, Pontifex censuit, efficaciori modo religioni periclitanti succurrendum esse. Quapropter datis litteris ad Philippum Augustum regem Galliae, ad episcopos et nobiles, expeditionem cruciatam contra haereticos illos indixit, illosque verbis

P. de Castronovo occisus.

[1]) Hist. c. 3.

Innocentius cruciatam indicit.

zelo sancto plenis ad eam evocavit. *Eja igitur miles Christi,* scribit regi, *eja christianissime princeps, moveat religiosissimum pectus tuum universalis Ecclesiae sanctae gemitus, succendat te ad tantam Dei tui vindicandam injuriam, pius zelus. Clamantem ad te justi sanguinis vocem audias, et contra tyrannum hostemque fidei scutum pro Ecclesiae protectione assumas. . . . Ut materiali et spirituali gladiis sibi invicem assistentibus, alter per alterum adjuvetur. Cum igitur post interfectionem praefati justi, Ecclesia quae in partibus illis est absque consolatore in tristitia et moerore sedente, fides evanuisse, periisse pax, haeretica pestis et hostilis rabies invaluisse dicantur, ac nisi potenter in hujus novitate procellae succurratur eidem, paene penitus videatur ibidem navis Ecclesiae naufragari, regalis mansuetudinis pietatem monemus attentius et propensius exhortamur, ac in tanto necessitatis articulo in virtute Christi confidentes injungimus, et in remissionem peccaminum indulgemus, quatenus tantis malis occurrere non postponas, et attendens, quod usque adeo regum sit officium in regno suo pacis negotium promovere, quod regum sapientissimus Salomon in figura Regis aeterni fuit pacificus appellatus, ad pacificandum gentes illas in eo qui est Deus pacis et dilectionis intendas, et quibuscumque modis revelaverit tibi Deus, haereticam tamen studeas perfidiam abolere, sectatores ipsius eo quam Saracenos securios quo pejores sunt illis, in manu forti et extento brachio impugnando.*[1]) Philippus quidem ipse arma non sumpsit, sed multi ex ejus vasallis, inter quos Eudes III dux Burgundiae, Simon de Monteforte aliique multi comites, crucesignati sunt.

17. Quum vero Raymundus VI Tolosanus bellum parari videret, ad Innocentium III legatos misit cum litteris, in quibus innocentem se esse testatus de nece Petri de Castronovo, Pontifici obedientiam promittebat et absolutionem ab excommunicatione postulabat. Petebat tamen, ut alius mitteretur pro hoc negotio legatus, conquerens, Arnaldum abbatem animum gerere in se nimis adversum. Ei

---

[1]) Epp. L. XI. ep. 28.

obsecutus Pontifex misit Milonem notarium Apostolicum, cui adjunxit Thedisium canonicum Genuensem ut consiliarium; insuper voluit, ut concorditer agerent cum Arnaldo et episcopis Regiensi (Riez) et Consoranensi, quos legatos Sedis Apostolicae constituerat. Raymundus coram Milone jurejurando spopondit, se Apostolicae Sedis mandatis obediturum, bona ecclesiis et clericis ablata redditurum, et sua arma contra haereticos conversurum esse; ac septem castella munita legatis tradidit in vadimonium suae fidelitatis. Juramentum simile etiam vasalli Raymundi praestiterunt. Quo facto Raymundus ab excommunicatione absolutus est, ac petiit a legato, ut pro bello sacro et ipse cruce signaretur. Innocentius III confestim litteras congratulatorias misit ad Raymundum Tolosanum; is tamen postea juratis promissis nullatenus stetit, sed haereticis se praebuit fautorem.

18. Convenit hoc loco referre et expendere accusationes, quibus prosequuntur plures auctores Innocentium III ejusque legatos, quoad modum agendi in Raymundum Tolosanum. Contendunt videlicet, Innocentium mandasse legatis, ut arte dolosa eum circumvenirent et ruinam ejus pararent, ac legatos arte callida id praestitisse. Jam citemus documenta ex quibus hoc eruunt. Scribit Innocentius III legatis suis, Hugoni Regiensi, Navarrae Consoranensi episcopis, et abbati Cisterciensi Arnaldo: *Licet nobis jamdudum Comes Tolosanus per suos nuntios supplicaverit, ut super comitatu Melgoriensi, qui B. Petri juris et proprietatis existit, fidelitatem ab eo recipere dignaremur, ne tamen ipsum hoc modo confirmare videremur eidem, preces suas non duximus admittendas, considerantes hoc ipsum, quod tu, fili abbas, per tuas nobis litteras suggessisti, ut videlicet si fortassis in incepta malitia perduraret, ipso demum eo juxta meritum spoliato, statueremus de ipso quod Ecclesiae negotio expediret. Quia vero a nobis est sollicite requisitum, qualiter procedendum sit circa comitatum eumdem fideli exercitui signatorum, id vobis providimus suadendum, quatenus ad Apostoli dicentis: „Cum essem astutus dolo vos cepi“ (II Cor. 12, 16), magisterium recurrentes, cum talis dolus prudentia*

Accusationes in Pontificem.

potius sit dicendus, deliberato cum eorumdem signatorum prudentioribus opportuno consilio, divisos ab Ecclesiae unitate divisim capere studeatis, dummodo videritis, quod ex hoc idem Comes vel aliis minus assistere vel per se ipsum minus debeat insanire, non statim incipiatis ab ipso, sed eo primitus arte prudentis dissimulationis eluso, ad exstirpandos alios haereticos transeatis, ne si squamis Leviathan sese conjungentibus una vi fueritis simul omnes aggressi, tanto demum hujusmodi satellites Antichristi difficilius possint conteri, quanto pertinacius ipsos in unum conjunctionis vinculum contingeret glomerari. Sic enim et illi facilius sterni poterunt remissius adjuti per istum, ac iste illorum interim visa strage ad cor fortasse redibit, vel si perseveraverit in malitia, tandem contra ipsum et solum et destitutum levius procedatur. Haec ergo vobis suggerimus ad cautelam.[1])

Expenduntur.

19. Invehunt ob hanc epistolam vehementer in Pontificem Hahn[2]) et Schmidt[3]), arguentes eum doli plane perversi. Sed qui pacata mente ista legerit, fatebitur, nihil in iis contineri, quam quod congruat prudenti stratagemati omnino licito. Dissimulatio ejusmodi profecto in commodum cruciatorum adhiberi poterat, ipsique Raymundo occasio praebebatur, ut secundum vota Pontificis ad cor rediret quo in casu certe nullo modo ejus ruinam Innocentius desiderabat. Tantum in ea hypothesi, quod Raymundus magna sua potentia abuti continuaret in haereticorum protectionem, merito Pontifex intendebat, ut bello coërceretur Parum vero interest, quod citatio textus Paulini minus apta sit, quum Paulus ibi ex suppositione falsa Corinthiorum de vero dolo loquatur, et dein refellat istam doli accusationem. Minus accurate intellexerat Pontifex textum, quem citat per transennam, non considerato contextu. Immerito hac de re Schmidt eum l. c. arguit.

---

[1]) Epp. XI. 232. Epist. haec est sine indicatione chronol., sed ap Potthast Reg. ea habetur n. 3642 die 3 Febr. 1209.

[2]) L. c. Vol. I. L. II. p. 204.

[3]) L. c. Tom. I. ch. 3. p. 223.

Accusatio contra legatos.

20. Contendit porro Hahn, etiam legatos Pontificis, exemplum hujus secutos, dolo circumvenisse Raymundum, et Milonem gaudio infami gloriari in epistola ad Pontificem scripta, se eum constrinxisse conditionibus talibus, quas impossibile sit ad statutum ab eo impleri terminum, ita ut tanquam perjurus necessario in laqueum paratum atque in poenas condictas ipse casurus sit. Mirum, quod in talis accusationis argumentum auctor citet Milonis epistolam, in qua revera nihil ejusmodi continetur, ita ut non aliter ista assertio explicari possit, nisi quod sensum verborum latinorum auctor non intellexerit. Scribit scilicet Milo inter alia Pontifici: *Beatitudinem vestram humili supplicatione deposco, quatenus si forsitan, sicut a multis creditur, Tolosanus comes pacis et justitiae inimicus, ad praesentiam vestram accesserit, pro recuperandis castris quae mihi vestro nomine assignavit, quod se jactat posse facile obtinere, non vos moveat ejus lingua solis mendaciis et contumeliis erudita, sed, sicut meruit, de die in diem manus Ecclesiae sentiat graviores. Cum enim super quindecim ad minus capitulis praeter alias juratoriam ab eo receperim cautionem, fere in omnibus manifestissime dejeravit, in his praecipue quae in aliis litteris continentur, factis nomine Domini Regensis et meo.* — Ultima haec verba *in his praecipue* etc., punctis positis, omittit auctor citatus. — *Unde a jure quod habet in civitate Melgorii cecidit manifeste, et septem munitissima castra quae de suis habeo in commissum Romanae Ecclesiae ceciderunt. . . . Verum sicut in praefatis habetur litteris, adhuc usque ad proximum festum omnium Sanctorum exspectabitur; in quo si non venerit satisfacturus de omnibus, contra ipsum tam spiritualiter quam temporaliter procedetur.*[1])

21. In his profecto nihil continetur, unde turpis illa accusatio firmari possit. Sed forte illam vocem *dejeravit* auctor, praejudiciis in Pontificem ejusque legatos praeoccupatus, est interpretatus, ut significari censeret, Raymundum jurasse conditiones, quas impossibile erat implere

[1]) Epp. L. XII. 106

usque ad festum omnium Sanctorum, adeoque arte callida legati eum jam tunc manifesti perjurii reum factum fuisse.

Expenditur. Verum hanc opinionem corrigere pronum erat inspectis litteris, ad quas bis provocat Milo, quaeque immediate post citatam sequuntur epistolam. Scribunt videlicet Hugo Regiensis et Milo legati Innocentio III: *Cum nuper apud civitatem Arimonensem pro statu provinciae cum multis archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum praelatis essemus in concilio congregati, de consilio et consensu reverendi patris Abbatis Cisterciensis et sacri approbatione concilii, Comitem Tolosanum anathematis vinculo innodavimus et totam ipsius terram ecclesiastico supposuimus interdicto, pro eo quod idem Comes venerabiles patres Carpentoratensem et Vasionensem episcopos cum suis clericis non restituit pleno jure, sicut ego, Milo, ei praeceperam sub religione praestiti juramenti et poena in ipso juramento adjecta, pro eo etiam quod haereticos et credentes de terra sua non expulit, nec eos ad arbitrium tradidit signatorum, ecclesiis quoque et religiosis domibus ac personis miserabilibus justitiam, sicut ei praeceptum fuerat, non exhibuit, nec ad respondendum de se conquerentibus aliquos constituit responsales, similiter incastellatas ecclesias ad dioecesanorum episcoporum arbitrium non destruxit, et pedagia seu exactiones indebitas non dimisit. Hanc autem sententiam duximus moderandam, quod si Comes ipse usque ad proximum festum omnium Sanctorum ad praesentiam nostram accesserit et super praedictis satisfecerit, non sit hac excommunicatione ligatus, alioquin tam ipse quam terra ipsius, ut supra diximus, et excommunicationis et interdicti sententia teneatur. Quia igitur, sancte Pater, veridica multorum relatione didicimus, quod Comes ipse est ad Sedem Apostolicam accessurus, . . . ut terrae suae, quae tota paene in manibus vestris consistit, restitutionem obtineat, et sic esset novissimus error longe priore deterior, totius negotii veritatem Vestrae Sanctitatis auribus duximus declarandam* etc.[1] Ex hisce liquet, 1° Comitem Tolosanum manifeste *dejerasse,* quatenus non impleverat conditiones, quas apprime

---

[1]) Epp. XII. 107.

implere potuerat; 2° Milonem conveniente patientia usum esse, quum usque ad festum omnium Sanctorum novum terminum benigne ei concesserit; 3° merito ipsum simul eam adhibuisse prudentiam, ut scriberet Innocentio III, ne hic artibus dolosis Raymundi VI circumveniretur. Sed ne minimum quidem in his habetur vestigium illius perversae calliditatis, quae ab auctore citato Miloni exprobratur.

22. Jam ad seriem eventuum enarrandam redeamus. Congregatus igitur est permagnus exercitus, ita ut juxta scriptorum coaevorum relationem circiter ducenta millia peditum et viginti millia equitum crucesignatorum bellum contra Albigenses haereticos susciperent, duce Simone comite de Monteforti. Bellum inchoarunt in ditione Rogerii vicecomitis Biterrensis, insignis haereseos fautoris, atque imprimis Biterras haereticorum propugnaculum munitissimum expugnaverunt. Quum scriptores Ecclesiae adversi vehementius conclament contra saevitiam, qua in expugnatione illius civitatis cruciati processerint, juvabit referre verba, quibus Arnaldus et Milo, legati, Innocentio III victorias de haereticis reportatas annuntiant. *Benedictus omnipotens Deus,* scribunt, *qui quum sit magnus in magnis, mirabilia gloriosius operatus in minimis, prosperum fecit verbum quod egressum est de ore vestro contra fidei subversores, qui peccatis exigentibus nimium pullularunt in provincia Narbonensi. Ipso siquidem faciente dissipati sunt inimici ejus, et mox a facie ejus fugerunt qui eum oderant et dissipaverant legem ejus. Advenientibus sane illustri Duce Burgundiae aliisque magnatibus cum tanta multitudine signatorum, quanta inter Christianos non creditur aliquando convenisse, in eorum adventu usque adeo invasit tremor hypocritas, ut quasi miraculose fugerent ante faciem subsequentium, maxime post civitatis Biterrensis excidium. Licet enim cives civitatis ejusdem per nos et suum episcopum diligenter commoniti fuerint, eisdemque sub excommunicationis poena duxerimus injungendum, ut vel haereticos quos habebant cum rebus suis crucesignatis traderent, vel si hoc non possent exirent in medio eorumdem, alioquin sanguis eorum super capita sua esset, ipsi tamen nostris non acquieverunt monitis*

Biterrarum expugnatio.

et mandatis, imo super defendenda civitate contra signatos cum ipsis haereticis juramento interposito convenerunt. In festo sanctae Mariae Magdalenae, in cujus ecclesia cives Biterrenses Dominum suum dudum proditionaliter interfecerant, mane obsessa est civitas, quae quidem natura loci, viris et victualibus adeo videbatur munita, quod per longum temporis putaretur posse quantumlibet exercitum sustinere. Verum quia non est fortitudo, non est consilium contra Deum, dum tractaretur cum baronibus de liberatione illorum, qui in ipsa civitate Catholici censebantur, ribaldi et alii viles et inermes personae, non exspectato mandato principum, in civitatem fecerunt insultum, et mirantibus nostris cum clamaretur: „Ad arma, ad arma," quasi sub duarum vel trium horarum spatio, transcensis fossatis ac muro, capta est civitas Biterrensis, nostrique non parcentes ordini, sexui vel aetati fere viginti millia hominum in ore gladii perierunt; factaque hostium strage permaxima, spoliata est tota civitas et succensa ultione divina in eam mirabiliter saeviente.[1])

Expenditur eventus.

23. Hisce verbis describitur expugnatio illa celebris ac huic relationi omnino consentit narratio Petri de Cernajo, qui etiam stragem istam diserte tribuit servientibus inferioribus seu ribaldis, simulatque civitatem ingressi sunt. *Ribaldi,* scribit, *cum indignatione maxima muros adeunt civitatis, nobilibusque exercitus nescientibus et plene inconsultis, facto insultu ipsa hòra, (quod dictu mirabile est,) capiunt civitatem. Quid plura? statim intrantes, a minimo ad maximum omnes fere necant, tradentes incendio civitatem.*[2] Immerito quidam auctores graphice veluti depingunt iram et furorem Arnaldi legati, vel id antea constitutum referunt, ut omnes qui non sese dedidissent trucidarentur. Ista exaggerata esse liquet; nam de modo salvandi Catholicos adhuc tractabatur, quando ex improviso civitas capta est. Moribus autem rudioribus belli gerendi illa aetate, adscribi debet, quod ferocius milites eo in casu, uti et alias, desaevierint. Caeterum haud totam civitatem

---

¹) Epp. L. XII. ep. 108.

²) Hist. Albig. c. 15.

destructam esse, colligitur ex variis illius anni et subsequentium annorum documentis, in quibus sermo fit de Biterris ut civitate munita, in qua episcopus et collegia canonicorum degebant.[1])

24. Convenit adhuc commemorare, quae isto de eventu dicit Caesarius de Heisterbach, novitio suo eum enarrans in *Dialogo miraculorum*, minus accurate tamen, quum cruciatam et rem gestam anno 1211 adscribat. *Horum omnium* (signatorum) *praedicator et caput erat Arnaldus abbas Cisterciensis, postea episcopus Narbonnensis. Venientes ad civitatem magnam quae Biders vocatur, in qua plus quam centum millia hominum fuisse dicebatur, obsederunt illam. . . . Quidam satellites zelo fidei accensi, leonibus similes, . . . muros intrepide ascenderunt, haereticisque divinitus territis et declinantibus, sequentibus portas aperientes civitatem obtinuerunt. Cognoscentes ex confessionibus illorum, Catholicos cum haereticis esse permixtos, dixerunt abbati: „Quid faciemus, domine. Non possumus discernere inter bonos et malos.“ Timens tam abbas quam reliqui, ne tantum timore mortis se Catholicos simularent, et post ipsorum abscessum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixisse: „Caedite eos. Novit enim Dominus, qui sunt ejus.“ Sicque, innumerabiles occisi sunt in civitate illa.*[2]) Dictum Arnaldo attributum.

25. Haec magna cum indignatione auctores Ecclesiae infensi afferre solent, ut illius legati et Catholicorum atrocem saevitiam ob oculos ponant. Sed advertendum imprimis est, factum hoc valde incertum esse; non enim refertur ab auctoribus illis historicis, qui Albigensium bellum descripserunt, sed a Caesario, in alia plane regione degente, qui in opere isto multa habet mira et extraordinaria facta, quae eruditis parum probantur. Atque responsum illud Arnaldi tantum ex rumoribus *(fertur)* narrat. Facile tamen admitterem, inter religiosos Ordinis Cister-

---

[1]) V. Gallia christiana Tom. VI. coll. 328—330.

[2]) L. c. Dist. V. c. 21. De haeresi Albiensium.

Expenditur res.

ciensis, cujus erat Caesarius, clarissimi illius abbatis Arnaldi quaedam dicta et facta transmissa fuisse; sed in illo facto varia adjuncta, uti fieri solet, addita fuere. Arnaldum haud parum sollicitum fuisse de Catholicis salvandis, liquet ex ipsius litteris ad Innocentium III. Videmus enim ex iisdem, in obsessione Biterrarum deliberationem habitam fuisse, quomodo Catholicos servare possent ab internecione, quamvis sua culpa ipsi cum haereticis manserint et foedus inierint. Porro omnino improbabile est, quod in Caesarii narratione significatur, milites gregarios, quum urbem jam expugnassent et, occisis multis, spoliis inhiarent, consuluisse de modo agendi. Sed antea, quum cives catholici moniti noluissent se separare ab haereticis, verum pacta cum eis iniissent ad civitatem defendendam, quaestionem dixeris agitatam fuisse, quid faciendum sit istis in adjunctis, praesertim quum non omnes Catholici possent supponi rei hujus delicti. Atque tunc forte censuit Arnaldus, talibus in adjunctis nihilominus omnes impugnandos esse, ac si innocentes cum reis perirent, id impedir non posse; innocentes igitur committendos esse providentiae Dei, *qui novit eos qui sunt ipsius*. Certe quum postea de ruina illius urbis ac de strage illa praegrandi fama esset celebris, facile fieri potuit, ut legati ista de re responsa vel dicta exaggerarentur arte rhetorica. Caeterum si quid dixit Arnaldus durius aequo, haud id Pontifici vel Ecclesiae imputandum est.

26. Indolem belli contra Albigenses ex dictis satis perspicere licet; modo eventus ulteriores breviter referamus. Cruciati, Biterris expugnatis, brevi in suam potestatem etiam Carcassonam redegerunt, ac Rogerius comes incidit in captivitatem, in qua paulo post dissenteria obiit. Consilio dein, praesidibus legatis Sedis Apostolicae, habito, regio expugnata, videlicet vicecomitatus Biterrensis, possidenda tradita est Simoni de Monteforti comiti fortissimo. *Ut igitur terra*, scribunt ad Innocentium III legati, *quam in servorum tuorum manibus Deus dedit, ad honorem ipsius sanctaeque Romanae Ecclesiae ac totius christianitatis servetur, nobilis vir Simon de Monteforti, Sanctitati vestrae*

credimus benenotus[1]), *vir armis strenuissimus, fide devotissimus, ac totis viribus persequi desiderans haereticam pravitatem, in principem et dominum terrae ipsius de communi consilio est electus; cujus quantum sit desiderium circa reparandum in partibus illis Ecclesiae Dei statum, ex hoc evidenter apparet, quoniam jam ipse disposuit, ut de tota terra quam ibidem dederit ei Deus, decimae et primitiae cum integritate ecclesiis solvantur.*[2])

Impugnatio haer. continuata.

27. Quamvis vero haec expeditio contra haereticos brevi tempore felicem exitum habuerit, tamen nullatenus eadem haeresis destructa est; ita enim firmata erat in illis regionibus, quarum incolae magna parte ei addicti erant vel saltem ei favebant, ut per plura decennia adhuc necessarium fuerit eam mediis omnibus debellare. — Raymundus Tolosanus, etsi specietenus se catholicum professus esset, tamen non destitit haereticis clam favorem praestare et eos conservare in territorio suo; crucigeris vero struebat insidias. Monitus a legatis Pontificis, ut ea quae spoponderat executioni mandaret, nihil effecit. Quapropter denuo excommunicatus fuit, et Simon de Monteforti ei aliisque Comitibus haeresis fautoribus bellum intulit, Pontifex vero ejusque legati principes populosque catholicos ad bellum sacrum continuandum evocaverunt. Satis arduum fuit Simoni illud bellum. Multi enim crucesignati nonnisi per statutas quadraginta dies vexilla sacra sequebantur, incolae vero Galliae meridionalis obstinate resistebant, tum quod haeresi infecti essent, tum quod Francos septentrionales eorumque dominationem valde exosos haberent. Post plura praelia Simon de Monteforti magnam terrarum Raymundi partem, et anno 1214 ipsam civitatem Tolosam occupavit. Eorum omnium quae crucigeri expugnarant possessio in synodo Montepessulana, ac dein ab Innocentio III et a Concilio Lateranensi IV, firmata fuit Simoni. Venerant quidem Romam Raymundus VI et comes Fuxiensis, ut se

[1]) Brevi ante Simon de Monteforti reversus erat ex Oriente, ubi contra Saracenos pugnaverat; habebat eo tempore sexaginta annos.

[2]) Epp. L. XII. ep. 108.

defenderent, et Innocentius inclinabatur ad veniam Raymundo concedendam; sed maxima praesulum pars censuit, fidem catholicam servari et haeresim destrui non posse, nisi amoto Raymundo a dominio illarum provinciarum. Atque ita earum possessio adjudicata est Simoni de Monteforti.

Decretum de comitatu Raymundi.

28. Innocentii III decretum ista de re, quae certe non tantum spiritualia spectabat, die 14° Decembris anni 1215 datum, inter alia haec habet: *Quantum Ecclesia laboraverit per praedicatores et crucesignatos, ad exterminandum haereticos et ruptarios de provincia Narbonensi et partibus sibi vicinis, totus paene orbis agnoscit; et quidem per Dei gratiam et sollicitudinem nostram valde profecit, quum exterminatis utrisque, terra ipsa in fide catholica et pace fraterna nunc salubriter gubernetur. Quia vero novella plantatio adhuc indiget irrigari, sacro consulto Concilio ita duximus providendum, ut Raymundus Tolosanus Comes, qui culpabilis repertus est in utroque, nec unquam ejus sub regimine terra possit in fidei statu servari, sicut a longo tempore certis indiciis est compertum, ab ejus dominio, quod utique prave gessit, perpetuo sit exclusus, extra terram illam in loco idoneo moraturus, ut dignam agat poenitentiam.* Statuitur deinde, ipsi pendendas esse quotannis pro sustentatione quadringentas marcas, et uxori ejus, mulieri dignissimae, remanere omnes possessiones dotales. Porro: *Tota vero terra, quam obtinuerunt crucesignati adversus haereticos credentes et fautores ac receptores eorum, cum Monte-Albano atque Tolosa, quae magis haeretica labe corrupta, dimittatur et concedatur, (salvo per omnia catholicorum jure virorum mulierum et ecclesiarum) Comiti Montisfortis, viro strenuo et catholico, qui plus caeteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his a quibus de jure tenenda est. Residua autem terra quae non fuit a crucesignatis obtenta* (scilicet marchionatus Provinciae et Bellicadrum), *custodiatur ad mandatum Ecclesiae per viros idoneos, qui negotium pacis et fidei manuteneant et defendant, ut provideri possit unico adolescenti filio praefati Comitis Tolosani, postquam ad legitimam aetatem pervenerit, si talem* (al. *tamen*) *se studuerit*

exhibere, quod in toto vel in parte ipsi merito debeat provideri, prout magis videbitur expedire.[1])

29. Raymundus VI ejusque filius in Galliam reversi haud acquieverunt Pontificis Conciliique sententiae, sed armis ditionem amissam recuperare nisi sunt. Ita efferbuit iterum bellum, quod vario Marte gestum est usque ad a. 1218, quo anno in altera obsidione Tolosae, quam Raymundus anno praecedente recuperaverat, Simon de Monteforti e vulnere ipsi illato vitam, multis egregie factis claram, glorioso fine terminavit. — Eo tempore, sc. anno 1215, S. Dominicus Tolosae instituit celebrem Ordinem Fratrum Praedicatorum, qui dein maximo cum fervore in illis regionibus convertendis haereticis et exstirpandis erroribus adlaboraverunt. — Simoni de Monteforti in juribus bello et ecclesiastica auctoritate acquisitis successit Almaricus filius ejus. Non incidunt quidem in Innocentii tempora ulteriora Albigensium fata, et continuata eorum expugnatio, sed juvabit haec paucis referre, ut illius negotio notio completa habeatur. „Raymundo Comiti anno 1222 subita morte sublato successit ejus filius Raymundus VII, qui pariter haereticis praestitit favorem, et armis comitatum Tolosanum sibi vindicare studuit. Bellum igitur inter crucigeros et haereticos eorumque fautores continuatum est. Honorius III, qui anno 1216 Innocentio III in summo pontificatu successerat, Ludovicum VIII Galliae regem excitavit, ut Almarico opem ferret adversus Raymundum juniorem. Almaricus quoque cernens Vasconum inconstantium, vidensque vires Raymundi junioris augeri, Ludovicum VIII interpellavit suaque jura in eum transfudit. His perterritus Raymundus VII litteras submissionis dedit ad Honorium papam. Anno 1224 in synodo Montepessulana Romanae ecclesiae ejusque Pontifici obedientiam professus est et jurejurando spopondit, se fidem catholicam fideliter custoditurum, haereticam pravitatem exstirpaturum et Ecclesiae jura atque libertatem conservaturum esse.“

Eventus posteriores.

[1]) Labbe T. XI. c. 234. editum ex d'Acherii Spicilegio T. VII.

Renovatio belli.

30. „Verum Raymundus nihil eorum quae spoponderat exsecutus est. Quapropter Romanus, Cardinalis Honorii legatus, anno 1225 in synodo Parisiensi Raymundum excommunicavit, et jura in comitatum Tolosanum ab Almarico in Ludovicum regem transfusa eidem confirmavit. Ludovicus VIII crucigerorum exercitum in Occitaniam duxit, plures arces et urbes atque Avenionem post trium mensium obsidionem occupavit. Brevi post, anno 1226. Ludovicus VIII obiit, eique successit s. Ludovicus IX. Sub juniore Ludovico, hortante Gregorio papa IX, Imbertus Bellojocensis, regius crucigerorum dux, bellum prosecutus est, eo cum successu, ut Raymundus ad incitas redactus, anno 1229 praescriptis sibi a Ludovico IX et a Romano Cardinali, Apostolicae Sedis legato, pacis conditionibus assenserit. Conditionum summa haec erat, ut Raymundus Ecclesiae et regi Galliae fidem servaret, contumaces haereticos e terris suis pelleret, damna ecclesiis illata resarciret, duobus theologis, totidem decretorum magistris, sex liberalium artium magistris et duobus grammaticis, qui Tolosae publice docerent, stipendium numeraret. Quibus pactis et juratis, Raymundus comes a legato Romani Pontificis ab excommunicatione fuit absolutus et Ecclesiae reconciliatus."[1]) Quinque arces munitas Ludovico IX commisit, filiamque suam unicam Joannam desponsavit Alphonso Ludovici IX fratri. Hac ratione bellum cruciatorum contra Albigenses terminatum fuit.

31. Attamen haeresis Catharorum adhuc late diffusa erat in istis regionibus, et exinde s. Ludovicus IX atque etiam passim Raymundus VII justa cum severitate eam magis magisque eradicare nisi sunt. Paulatim variae nobilium arces, quae haereticis, praesertim perfectis, praesidio et refugio serviebant, expugnatae et destructae sunt. Sacrae Inquisitionis tribunalia vero ad pravitatem haereticam exstirpandam maxime ex illo tempore constituta fuerunt, et Fratres Praedicatores, magno interdum discrimine vitae suae, tum praedicatione, tum inquisitione in haereticos,

---

[1]) V. Wouters, Dissert. T. IV. diss. XXXVIII.

egregie de tuenda religione catholica meriti sunt. Anno 1229 primum in illis partibus concisius formata fuit inquisitio episcopalis. In synodo Tolosana videlicet eo anno habita, cui, praesidente Romano Cardinali Apostolicae Sedis legato, interfuerunt multi praesules necnon Raymundus VII aliique proceres, constitutum fuit, ut episcopi in singulis parochiis constituerent unum sacerdotem et duos vel tres boni testimonii laicos, qui juramento obstricti haereticos diligenter inquirerent, et repertos eorumque receptores et fautores episcopo et dominis locorum indicarent. Idipsum facerent abbates exempti in locis quae Ordinariis non erant jure dioecesano subjecta. Domini locorum seu ballivi in terris suis haereticos non tolerarent, eorumque latibula destruerent. Nemo tanquam haereticus puniretur, nisi qua talis ab ecclesiastica potestate judicatus; qui sponte ab haeresi ad catholicam fidem redierint, domicilium eligerent in civitatibus, nulla haereseos suspicione notatis; qui autem poenarum metu vel alia causa haeresi renuntiaverint, ab episcopo diligenter custodirentur. Omnes et singuli utriusque sexus, masculi a decimo quarto, feminae a duodecimo aetatis anno, jurejurando renuntiarent omni haeresi et promitterent, se fidem catholicam servaturos; qui id facere noluerit, suspectus de haeresi haberetur.[1])

32. „Ut ea, quae in praefata synodo contra haereticos erant constituta, plenius executioni mandarentur, Raymundus comes Tolosanus anno 1233 e consilio episcoporum et procerum statuta plura, decretis praefatae Synodi conformia promulgavit. Eodem anno 1233 Gregorius IX officium s. Inquisitionis in Gallia meridionali demandavit Fratribus Praedicatoribus seu Dominicanis, eisque potestatem fecit haereticos conquirendi et judicandi, poenitentes absolvendi, obstinatos vero relinquendi magistratibus saecularibus.“[2]) Ab hisce vero, juxta leges illius temporis, ultimo supplicio afficiebantur. Anno 1244 castellum munitissimum Montsegur, cujus dominus erat Raymundus de

Inquisitio in Gallia merid.

[1]) Labbe tom. XI. p. 426.
[2]) V. Wouters l. c.

Perelle nobilis haereticus, praecipuum haereticorum propugnaculum, manu armata expugnatum fuit. Multi haeretici in eodem se tuebantur, ac post ejus expugnationem magnus perfectorum numerus cum duobus episcopis catharis ultimo rogi supplicio affecti sunt. Quum anno 1249 Raymundus VII obiisset, Alphonsus s. Ludovici frater ei successit; anno autem 1271 ipse ejusque uxor Joanna sine prole defuncti sunt, atque exinde reges Galliae comitatum Tolosanum possederunt. Perrexerunt autem tum Alphonsus tum ejus successores in destruenda Catharorum haeresi, et ultimis saeculi decimitertii decenniis episcopi haereticorum et perfecti qui supererant, quum jam nusquam tuti consistere possent, sese receperunt in Italiam, ubi variis in partibus coetus Catharorum existebant. Inde etiam credentium multitudo diminuta est, sed nonnisi versus medium saeculum decimum quartum Albigensium haeresis in istis regionibus plane exstincta fuit.

Waldenses. 33. Convenit hoc loco paucis mentionem facere *Waldensium* haereticorum, qui ea aetate, qua Albigenses, pariter apparuere, et a quibusdam cum hisce confunduntur. Sed immerito; nam apprime eos a Catharis distinguendos esse jam Petrus de Cernajo indicat, scribens: *Erant praeterea alii haeretici qui Valdenses dicebantur, sed comparatione aliorum haereticorum longe minus perversi. In multis enim nobiscum conveniebant; in aliquibus dissentiebant.*[1]) Waldensium auctor fuit *Petrus Waldo* Lugdunensis, qui versus annum 1160 vel 1170 subitanea morte unius ex optimatibus suis concivibus motus, consilium iniit sectandae deinceps vitae perfectioris. Omnia igitur bona sua divendidit, eorumque pretia in eleemosynas pauperum, undique ad eum confluentium, convertit. Sed falsa quadam spiritualitate seductus est. Quamvis enim laicus esset, et ab Ecclesia neque vocatus, neque missus, verbum divinum et perfectionem evangelicam, cujus apicem in paupertate et humilitate constituebat, Lugduni in plateis praedicare praesumpsit. S. Scripturam in linguam vulgarem

[1]) Hist. Albig. c. 2.

verti curavit, ejusque lectionem sequacibus suis commendabat. In abusus ecclesiasticos pravosque clericorum ac monachorum mores acriter atque vehementer invehebatur. Eos qui sermonibus suis parebant colligebat, ac dein in regiones Lugduno vicinas ablegabat, commendato illis sine sexus ac conditionis discrimine praedicationis officio. Cum isti omnes ad magistri sui exemplar vitam agerent ad integritatem morum effictam atque compositam, tritis vestibus ad talos pendulis uterentur, prolixam barbam portarent, seminudis pedibus incederent, numerus eorum brevi tempore auctus est.

34. Quum vero Petrus Waldo ejusque sequaces populum ab audienda sacrorum ministrorum praedicatione avellerent, et in errorum discrimen adducerent, Joannes archiepiscopus Lugdunensis eos praedicationis ministerio interdixit. Illi vero interdicto minime paruerunt, et aliquot viros e suis Romam miserunt, qui ab Alexandro III peterent licentiam praedicandi ac legendi s. Scripturam in lingua vulgari; sed eam minime impetrarunt. Lucius III eos anno 1184 excommunicavit cum aliis haereticis, eo quod sine missione Ecclesiae verbum Dei praedicarent. Sub Innocentio III denuo de iis actum est, isque comprobavit eorum desiderium vitae strictioris, sed usurpationem ministerii praedicationis, contemptum superiorum et arrogantiam eorum perstrinxit. Studuit autem benignitate quadam eos ad Ecclesiam reducere, et anno 1212 approbavit unionem seu congregationem Pauperum catholicorum, cujus finis erat, ut Waldenses omnes cum Ecclesia reconciliarentur. Sed quamvis hac ratione plures ad Ecclesiam redirent, maxima tamen eorum pars perstitit in obstinatione sectariis propria; continuaverunt videlicet verbum Dei praedicare, conventicula habere, et formare communitates separatas. Atque ex eo tempore (1215) in schisma inciderunt. Quum in dioecesi Lugdunensi jam non tolerarentur, se receperunt in Occitaniam, ubi non minus ac Cathari a dynastis protegebantur; in Hispaniam quoque et Italiam diffusi sunt. Origo sectae.

Waldensium fata.

35. Interim hi Waldenses, qui et Humiliati ac Pauperes Lugdunenses, necnon Sabatati (sabots) et Insabatati appellati sunt, sensim inciderunt in varias haereses. Contenderunt videlicet, Ecclesiam Romanam, a quo tempore temporalia bona possidere coeperat, desiisse veram esse Christi Ecclesiam; hanc autem apud se solos, qui Christi et Apostolorum paupertatem et humilitatem sectarentur, consistere; illicitum esse Pontificibus, episcopis et clericis possidere bona temporalia, feuda aut regalia. Rejiciebant sacram hierarchiam, requirebant ad validitatem sacramentorum statum gratiae in ministris, omnibus attribuebant potestatem conficiendi Eucharistiam; s. Missam autem repudiabant, uti et purgatorium, indulgentias, cultum Sanctorum et reliquiarum. S. Scripturam ad litteram exponebant; hinc juramentum, bellum, occisionem malefactorum atque universim sanguinis effusionem contendebant esse illicita. Hisce erroribus igitur ac similibus, alii quidem aliis imbuti erant, imo quidam ex ipsis etiam Catharorum impias doctrinas usurparunt.

36. Haeretici Waldensés non solum ab Ecclesia proscripti et a scriptoribus orthodoxis confutati sunt, sed etiam, uti alii haeretici, a principibus edictis severis ac passim armis sunt repressi. Progrediente tempore, ex Gallia, Hispania, Italia ac Germania ejecti, confugerunt in valles Bohemiae et Pedemontii, ubi se armis tutati sunt. In Bohemia postea se Hussitis junxerunt, ac saeculo decimo sexto Waldenses universim post plura cum haeresiarchis illius aetatis colloquia, quasdam doctrinas rigidas emollierunt, ac dein unionem cum Protestantibus inierunt. In Italia usque ad dies nostros specialem Protestantium sectam constituunt.

II.

De vi coactiva ab Ecclesia in haereticos adhibita.

37. Quoad bellum contra Albigenses gestum invehunt auctores Ecclesiae adversi, vel catholici falsis principiis

imbuti, in Innocentium III aliosque Pontifices, quod armis et inquisitione haeresim istam aliasque exstirpare conati sint, quodque severis poenis, imo et ultimo supplicio haereticos affecerint. Vehementius etiam declamant contra saevitiam cruentam et fanaticam crucigerorum, qui *ingenti cum gaudio* Catharos in rogorum flammas projecerint; et usurpationis injustae arguunt Innocentium ejusque legatos, praesules et concilia, quod, rejectis legitimis principibus, de eorum territoriis pro arbitrio disposuerint. — Quaestiones istae dijudicandae sunt secundum *principia,* quibus Pontifices et praesules insistebant, factorumque justitia ex his dirimenda. Aliud videlicet est, si in eventibus et factis quibusdam hominum imprudentia, errore, vitio per accidens quaedam advenerint minus probanda.

Indoles belli contra Catharos.

38. Quidam auctores, uti Bergier,[1]) bellum Albigensium haud susceptum esse asseruerunt, quod illi haeretici essent eorumque haeresis exstirpanda, sed quod doctrinas tuerentur turpissimas, ipsi legi naturali plane adversas et societati funestas, uti errores de matrimonio, de incestu, de subeunda endura; vel quod contra jus gentium Petrus de Castronovo occisus esset; vel alias etiam rationes sollicite conquirere studuerunt. At quamvis ejusmodi facta ipsiusque haeresis turpissima indoles *occasioni* fuerint, ut enixius urgeret Innocentius III principes et fideles ad eam haeresim debellandam et exstirpandam, tamen qui Innocentii epistolas et scripta virorum illius temporis inspexerit, haud dubitabit, motivum fundamentale et praecipuum belli suscepti contra Catharos fuisse eorum haereticam rebellionem contra Ecclesiam, et oppositionem doctrinae eorum contra fidem catholicam. Quum haec vero rebellio haeretica et errorum propagatio mediis ordinariis, praedicatione, insectatione potestatis civilis, ac poenis haereticis juxta leges inflictis, satis reprimi non posset, Pontifices expeditionem cruciatam evocaverunt, atque etiam curarunt, ut inquisitionis tribunalia constituerentur ad haeresim efficacius eradicandam. Nititur igitur iste modus

[1]) Dictionn. de Théologie, a. *Albigeois*

agendi illis principiis in Ecclesia jam dudum receptis, haeresim esse crimen maximum poenis etiam temporalibus vindicandum et reprimendum; adeoque potestatis civilis esse, ut hac in re Ecclesiae succurrat, hanc vero brachium saeculare merito evocare contra haereticos. Principum officium esse, ut gladio suo hac in re Ecclesiae auxilientur, atque eos ad hoc etiam ab auctoritate ecclesiastica constringi posse. Hisce de principiis jam in Dissertatione septima egimus, quum sermo esset de legibus, quibus Theodosius M. Imperator Arianismum repressit. Juvabit vero hoc loco ulterius illam quaestionem exponere.

Principia Ecclesiae

39. Itaque Ecclesia 1° semper hoc discrimen agnovit inter infideles et eos qui per baptismum ei inserti sunt, ut doceret, illos ad fidem cogi non posse, horum vere perfidiam ut maximum crimen posse puniri. In infideles Ecclesia non habet potestatem, sed qui baptizati fuere ejus auctoritati sunt subjecti, quumque fidem violant et alios seducunt, merito puniuntur et coërcentur. *Infideles*, ait s. Thomas, *qui nunquam fidem habuerunt, non sunt compellendi, sed ii qui quandoque fidem susceperunt. Accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam susceptam necessitatis.*[1]) Et jam s. Augustinus: *Ad fidem nullus est cogendus invitus, sed per severitatem, imo et per misericordiam Dei, tribulationum flagellis, solet perfidia castigari.*[2])

40. Quod 2° attinet ad jus potestatis civilis poenis temporalibus afficiendi haereticos, id merito inde inferebant theologi, quod ex Rom. c. 13 princeps *Dei minister est vindex in iram ei qui malum agit,* adeoque amplam habet potestatem crimina puniendi. Jam vero ex eodem Apostolo (Tit. 3, 10 sqq.) haeresis peccatum est magnum et crimen pessimum. Proinde etiam puniri potest a potestate civili. Illud autem omnium insidebat pectoribus, quod *longe sit gravius aeternam quam temporalem laedere majestatem,*[3]) et *quod in religionem divinam committitur, in omnium*

---

[1]) Summ. theol. 2. 2. q. 10. a 8. Cf. a. 11.
[2]) C. litt. Petil. II. 83.
[3]) Innoc. III. Epp. II. 1.

fertur injuriam.[1]) Imo etiam officium ac debitum puniendi haereticos, merito docebant theologi esse potestati civili.

41. Hinc 3° juste Ecclesia brachio saeculari contra haereticos usa est. — Quum vero varia sint haeresum perversitas ac foeditas ac pericula quae aliis afferunt, modo severius, modo minori rigore contra haereticos processit. Catharorum haeresis in se perniciosissima erat, maxima mala ex eadem promanabant, magis magisque propagabatur; unde Innocentius III jure omnia quae potuit media adhibuit, ut destrueretur.

42. Caeterum vero 4° Ecclesia id semper imprimis efficere studebat, ut haeretici converterentur, summaque sollicitudine eo adlaborabat, atque nonnisi ob eorum obstinationem coacta eos exterminabat. Jam Petrus Venerabilis: *Quia majorem operam eos convertendi quam exterminandi adhibere christianam caritatem decet, proferatur eis auctoritas, adhibeatur et ratio, ut si Christiani permanere volunt, auctoritati, si homines, rationi cedere compellantur.*[3]) Quanta vero fecerit Innocentius III, ut praedicationibus et admonitionibus ad veram fidem revocaret haereticos, tum Catharos tum Waldenses, ex enarratis colligi potest. Summa indulgentia et benignitate eum usum esse in haereticos qui se convertebant, eamque et praesulibus commendasse, ut infirmos in fide paulatim roborarent, ex litteris ejus colligitur, maxime ex iis quae respiciunt Durandum de Osca Waldensem, qui ad Ecclesiam catholicam cum variis asseclis redierat, sed ab episcopis accusabatur, quod non penitus renuntiasset erroribus et usus superstitiosos retinuisset. In epistola ad Arnaldum archiepiscopum tunc Narbonnensem, anno 1216 data, ei indulgentiam et patientiam commendat. *Quodsi etiam*, scribit, *a prisca consuetudine non subito recedat ex toto, aliquid sibi de illa reser-* Sollicitudo de conversis.

[1]) Cod Justin. I. 5. de haer.
[2]) Chr. Natal. Alex. H. E. in saec. XIII et XIV. Dissert. III.
[3]) Praef. ad Tract. c. Petrobrus. Migne P. L. T. CLXXXIX. p. 721.

vans, ut verecundiae forte parcendo quasi veterem legem ı peliat cum honore, nec sic est penitus confutandus, dummoı sicut praediximus, non aberret in substantia veritatis. . . Vos ergo, fratres, hujusmodi supportetis in spiritu lenitat non abjicientes sed allicientes eosdem, quia plerique homin facilius commonitionibus quam comminationibus revocanti et nonnullos affabilitas gratiae magis corrigit, quam asperit disciplinae. Prius enim infundendum est oleum, et si neces fuerit, superinfundendum est vinum; quamvis circa conv sos hujusmodi post vinum infusum sit oleum infundendu cum dudum perversi excommunicationis fuerint mucrone pe cussi, nunc vero conversi communionis sint amplexu fovendi. . Quodsi vestram contempserint medicinam, relatione fid nostris quantocius auribus intimetis, ut adhibeamus remediu quod videbimus expedire. Sic enim erroneos ab haereti pravitate intendimus revocare, ut velimus fideles in catholi veritate fovere, cum tolerabilius sit perversos in sua perve sitate perire, quam justos a sua justitia declinare.[1]) Duran pariter scripsit epistolam valde benignam, qua eum hort tur, ut omni ritui superstitioso renuntiet et in omnib reverentiam exhibeat ecclesiasticae auctoritati.

Innocentii integritas. 43. Maxime dolebat Pontifex de obstinatione Cath rorum, et nonnisi extremis periculis quae fidei imminebat commotus est, ut juxta legum severitatem contra eos pr cederet, et expeditionem cruciatam in eos convocar Elucent sensus ejus hac in re ex epistola ad praesul regionis Narbonnensis directa, qua agit de bonis haereti rum fisco addictis. Alienos vult illos praesules ab om cupiditatis specie. *Optaveramus*, scribit, *ut orthodoxae fi subversores, qui se in partibus vestris a communione fideli praeciderunt, non solum ea quae sua dicebant, haereti pravitatem imitando non perderent, sed ad puritatem ca licam redeundo, nobiscum in caritate et pace quae no sunt etiam possiderent. Verum quia propter impoenitens*

---

[1]) Epp. L. XII. ep. 67.

eorum super iniquitates suas Dominus de coelo prospexit, ad exterminationem suam rerumque publicationem suarum secundum constitutiones civiles et canonicas est processum, ut, quemadmodum scriptum est, impiorum spolia justi tollant, et divitias thesaurizent ipsorum. Licet igitur ea quae apud vos quidam haeretici deposuisse dicuntur, sicut et aliae res eorum pro confiscatis sint merito computanda, quia tamen christianae religionis non est, occasione legalium praeceptorum obtentu cupiditatis hoc fieri, quod potius causa debet correctionis impleri, universitati vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus ea quae penes vos ab haereticis sunt deposita, nisi forsan ad hoc praemoniti sine dilatione curaverint ad Ecclesiae unitatem redire, ut sic de miserationum Domini multitudine sit cum eis misericordia facienda, dilecto filio nobili viro Simoni de Monteforti, cui terra de hujusmodi pestilentium sordibus expiata noviter est commissa, cum consilio et mandato Legatorum nostrorum assignare et tradere procuretis, in pios usus pro publicis ejusdem terrae utilitatibus expendenda.[1]) Ex his vides, tum objective quae Innocentius III contra haereticos fecit aequitati et justitiae egregie convenire, tum subjective animi ejus sensus fuisse plane praeclaros.

44. Summam rei paucis hisce capitibus complexi sumus, sed opportunum videtur aliquanto accuratius exponere, qua ratione saeculis duodecimo ac decimotertio legislatio ecclesiastica ac civilis quoad haereticos se habuerit, ac magis magisque sese evolverit. — Jam anno 1119 synodus Tolosana, quae Calixto II praeside celebrata est, canone 3° contra haereticos (Petrobrusianos) statuit: „Porro eos qui religionis speciem simulantes, Dominici corporis et sanguinis sacramentum, puerorum baptisma, sacerdotium, et caeteros ecclesiasticos ordines, et legitimarum damnant foedera nuptiarum, tanquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus, *et per potestates exteras coërceri praecipimus.* Defensores quoque ipsorum ejusdem damna- **Legislatio de haereticis.**

---

[1]) Epp. L. XII. ep. 126.

tionis vinculo donec resipuerint, mancipamus."[1]) — In concilio Rhemensi, a. 1148 praeside Eugenio III habita, praecipitur canone 18°, „ut nullus omnino hominum haeresiarchas et eorum sequaces, qui in partibus Guasconiae, aut Provinciae vel alibi commorantur, manuteneat vel defendat", et ii qui contra hoc decretum haereticos tueantur, anathemate feriuntur[2]). Ab eodem concilio Eudo de Stella „pro contumaci fatuitate, vel fatua contumacia sua puniendus, Sugerio abbati sancti Dionysii, qui regni negotia ob absentiam regis in occidentali Francia, juxta illius coenobii praerogativam, administrabat, commissus, ab eoque custodiae mancipatus, vitam in brevi finivit."[3])

Alexandri III decreta.

45. Severiori modo ac magis determinate in synodo Turonensi a. 1163 Alexandro III praeside habita, quum Albigensium haeresis in varias provincias se propagaret canone 4° statuitur: „Unde contra eos episcopos et omnes Domini sacerdotes in illis partibus vigilare praecipimus et sub interminatione anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius haeresis sectatores, ne receptaculum quisquam eis in terra sua praebere aut praesidium impertire praesumat. Sed nec in venditione aut emptione aliqua cum eis omnino commercium habeatur, ut solatio saltem humanitatis amisso, ab errore viae suae resipiscere compellantur. Quisquis autem contra haec venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per catholicos principes custodiae mancipati omnium bonorum amissione mulctentur. Et quoniam de diversis partibus in unum latibulum crebro conveniunt, et praeter consensum erroris nullam cohabitandi causam habentes, in uno domicilio commorantur, talia conventicula et investigentur attentius, et si vera fuerint, canonica severitate vetentur."[4]) Confirmantur haec

---

[1]) Labbe X. 857.
[2]) Labbe X. 1113.
[3]) Otto Frising. in Vita Friderici L. I. c. 54.
[4]) Labbe X. 1419.

decreta contra haereticos in Concilio oecumenico Lateranensi III, a. 1179 sub Alexandro III celebrato. Jam citavimus[1]) cap. XXVII *de haereticis*, quod incipit allatis verbis et auctoritate s. Leonis. „Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones, catholicorum tamen principum constitutionibus adjuvatur, ut saepe quaerant homines salutis remedium, cum corporale super se metuunt venire supplicium.“ Dein contra Albigenses aliosque similes haereticos eorumque protectores illae, quae in synodo Turonensi, statuuntur poenae. Prohibetur, quominus defuncti christianam recipiant sepulturam. Ait porro Synodus: „Relaxatos autem se noverint a debito fidelitatis et hominii ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint, quicunque illis tenentur aliquo pacto annexi. Ipsis autem cunctisque fidelibus in remissionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus se viriliter opponant, et contra eos armis populum christianum tueantur. Confiscenturque eorum bona, et liberum sit principibus hujusmodi homines subjicere servituti. Qui autem in vera poenitentia ibi decesserint, et peccatorum indulgentiam et fructum mercedis aeternae se non dubitent percepturos.“ Dein eis qui contra haereticos arma susceperint, *biennium de injuncta poenitentia* relaxatur, vel ad arbitrium episcoporum etiam major eis indulgentia conceditur, si diuturniori tempore contra eos pugnaverint.[2]) Hoc decretum sane permagni momenti est: a Concilio oecumenico enim Ecclesiae diserte jus vindicatur, ut temporalibus poenis haeretici coërceantur, tales poenae statuuntur, ab homagio ac fidelitatis debito erga haereticos solvuntur subditi, et illis qui ad episcoporum vota pugnant contra haereticos, indulgentiae, uti crucesignatis, conceduntur.

46. Brevi post, videlicet a. 1184, Veronae habita est synodus vel conventus, cui interfuerunt Lucius III Pontifex, Fridericus I Imperator, ac multi praesules et proceres

[1]) V. Dissert. XXIV. n. 49.
[2]) V. Labbe X. 1522.

Edictum Veronense. Ibi a Pontifice decretum seu *Sanctio generalis* contra omnes haereticos edita est, quod quidem edictum valde celebre, in Jure canonico insertum habetur.[1]) Hoc edictum quod incipit *Ad abolendam,* legem constituit ecclesiasticam simul et civilem, quum etiam Imperator ejus publicationi suum suffragium contulisset. „Ideoque, ait Pontifex, nos filii nostri carissimi Friderici illustris Romanorum Imperatoris semper Augusti praesentia pariter et vigore suffulti, de communi fratrum nostrorum consilio, necnon et aliorum patriarcharum et archiepiscoporum, multorumque principum, qui de diversis mundi partibus conveniunt, contra ipsos haereticos, quibus diversa vocabula diversarum indidit professio falsitatum, praesentis decreti sanctione consurgimus, et omnem haeresim generali quocumque nomine censeatur, per hujusmodi constitutionis seriem auctoritate Apostolica condemuamus.“ Varia dein quoad haereticos eorumque fautores statuuntur. Inter alia decernitur, „ut quicumque manifeste fuerint in haeresi deprehensi, si clericus est, vel cujuslibet religionis obumbratione fuscatus totius ecclesiastici ordinis praerogativa nudetur, et sic omni officio et beneficio spoliatus ecclesiastico, saecularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendus: nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei catholicae unitatem sponte recurrere, et errorem suum ad arbitrium episcopi regionis publice consenserit abjurare et satisfactionem congruam exhibere. Laicus autem nisi, (prout dictum est), abjurata haeresi et satisfactione exhibita, confestim ad fidem confugerit orthodoxam, saecularis judicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem.“ — Principes porro, civitates et praesules, interminatis variis poenis ecclesiasticis vel civilibus obligantur, ut contra haereticos secundum statuta haec procedant Ecclesiamque contra haereticos tueantur. — Summa autem attentione dignum est, hoc decreto etiam *inquisitionem episcoporum* contra haereticos institutam et ordinatam fuisse

[1]) Decret. Greg. L. V. tit. VII c. 9.

„Ad haec, dicitur, de episcopali consilio, et suggestione culminis imperialis et principum ejus adjecimus, ut quilibet archiepiscopus vel episcopus per se vel per archidiaconum suum, aut per alias idoneas personas et honestas, bis vel semel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit haereticos habitare circumeat; et ibi tres vel plures boni testimonii viros, vel etiam totam viciniam, si expedire videtur jurare compellat: quod si quis haereticos ibidem scierit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, eos episcopo vel archiepiscopo studeat indicare: episcopus autem vel archidiaconus ad praesentiam suam convocet accusatos, qui nisi se ad eorum arbitrium juxta patriae consuetudinem ab objecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, episcoporum judicio puniantur. Si qui autem ex iis jurationem superstitione damnabili respuentes, jurare forte noluerint, ex hoc ipso haeretici judicentur, et poenis quae praenominatae sunt percellantur."

47. Hac ratione igitur concursus utriusque potestatis, ecclesiasticae et civilis solemniter sancitus erat. — Iisdem vero principiis Innocentius III, tum in gestis suis, tum in variis decretis institit, et quae statuta jam erant etiam ampliavit, uti opportunum videbatur. Ita in decreto pro clero, consulibus et populo Viterbiensi, a. 1199 dato, statuitur, ut bona haereticorum confiscantur, et in terris Ecclesiae applicentur fisco Ecclesiae, in terris Imperii, judicis saecularis fisco, utque hac ratione agatur etiam si haeretici catholicos habeant filios.[1]) Praesertim vero in Concilio oecumenico Lateranensi IV, a. 1215 celebrato, capitulo tertio *de haereticis,* quae jam decreta erant repetita ac firmata sunt, variaeque etiam additae dispositiones. Majori cum vigore et accuratius determinata sunt, quae principum saecularium officium quoad haereseos repressionem

Innocentius III.

[1]) Epp. Innoc. L. II. ep. 1.; in Jure canonico cap. Vergentis, de haereticis. C. 10. L. V. tit. VII.

Concil. Later. IV. spectabant. Statuitur videlicet: „Moneantur autem et inducantur, et si necesse fuerit, per censuras ecclesiasticas compellantur saeculares potestates, quibuscumque fungantur officiis, ut sicut reputari cupiunt et haberi fideles, ita pro defensione fidei praestent publice juramentum, quod de terris suae jurisdictioni subjectis universos haereticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo quandocunque quis fuerit in potestatem, sive perpetuam sive temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Si vero dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab haeretica foeditate, per metropolitanum et caeteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur: et si satisfacere contempserit, intra annum significetur hoc summo Pontifici, ut extunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis haereticis absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo jure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum praestet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent dominos principales. — Catholici vero, qui crucis assumpto charactere ad haereticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia illoque privilegio sint muniti, quae accedentibus in terrae sanctae subsidium conceduntur."[1]

48. Fridericus II Imperator jam anno 1213, decreto dato in oppido Eger[2]), et anno 1219, lege data in oppido Hagenau[3]), se pro viribus haeresis destructioni adlaboraturum esse testatus est. Porro anno 1220 Romae d. 22° Novembris legem contra haereticos tulit iisdem fere verbis ac Concilium Lateranense quartum, ita ut quae a Synodo sacra statuta fuerant, legis etiam imperialis vim

[1]) Labbe XI. 148. — Decret. C. XIII. L. V. tit. VII.
[2]) M. G. L. II. 224.
[3]) M. G. L. II. 234.

acquirerent.[1]) Ab Honorio III R. P. vero Hugoni Cardinali Ostiensi cura commissa est, ut statutum hoc imperiale ulterius publicaretur. — Hac occasione quoque potestatis ecclesiasticae ac civilis concordia et concursus ea in re deprehenduntur.

49. Leges variae eousque saeculo XII et XIII contra haereticos latae, omnino respondebant illis sanctionibus, quae a variis Imperatoribus christianis priorum saeculorum, uti a Theodosio I, Honorio, Justiniano contra eosdem latae erant. Unde et Innocentius III a. 1199 advertebat, se juris Romani *legitimis sanctionibus* niti. In jure Romano porro contra *Manichaeos* quidem ultimum supplicium adhibendum esse statutum erat, in alios haereticos, bonorum confiscatio, exilium aliaeque poenae erant decretae. *Poenae mortis* etiam in legibus ecclesiasticis et imperialibus hucusque citatis saltem diserte non fit mentio. Atque Innocentius III in decretali *Vergentes* a. 1199 data, ita argumentatur, ut appareat, eum ultimum supplicium in haereticos adhibendum, haud prae oculis habere. „Cum enim, ait, secundum legitimas sanctiones, reis laesae majestatis punitis capite, bona confiscentur ipsorum, eorum filiis vita solummodo ex misericordia conservata: quanto magis qui aberrantes in fide Deum, Dei Filium Jesum Christum offendunt, a capite nostro quod est Christus, ecclesiastica debent districtione praecidi, et bonis temporalibus spoliari, cum longe sit gravius aeternam quam temporalem laedere majestatem.“ Ex hoc principio, quum rei laesae majestatis capite plecterentur, Pontifex potuisset facile concludere, haereticos merito ultimo puniri supplicio, sed tantummodo ipse infert, merito eos ab Ecclesia praecidi et bonis spoliari. Unde patet, tunc nondum capitis poenam lege civili, saltem universim, in haereticos statutam fuisse. Frequenter autem in decretis occurrunt verba minus determinata, ut, qui judicio ecclesiastico rei inventi sint haeresis, ab auctoritate civili *debita poena, debita*

Nondum poena mortis praescripta.

---

[1]) M. G. L. II. 244.

animadversione afficiantur, vel *ut de terris extermi-nentur.* [1])

Jus consuetudinis.

50. Animadvertendum tamen est, in variis regionibus jam saeculo undecimo ac duodecimo, passim haereticos ultimo supplicio affectos fuisse. Sic a. 1022 sub Roberto Francorum rege, apud Aurelianensem urbem tredecim viri Neo-Manichaeorum haeresi adhaerentes combusti sunt; et apud Tolosam quoque atque in aliis Galliae regionibus varii ejusdem haeresis asseclae, simili modo destructi sunt.[2]) In concilio Parisiensi a. 1050, praesente Henrico I Francorum rege, habito, Berengarii haeresis damnata fuit et decretum, ut hujas perversitatis auctor ejusque sequaces quaererentur, et nisi fidei catholicae consentirent mortis poenas luerent.[3]) Anno 1052 Henricus III Imperator „Natalem Domini Goslariae egit, ibique quosdam haereticos, inter alia pravi erroris dogmata Manichaea secta omnis esum animalis exsecrantes, consensu cunctorum, ne haeretica scabies latius serpens plures inficeret, in patibulis suspendi jussit.“[4]) — Versus a. 1120 Suessionibus, Lisiardo episcopo, plures detecti sunt haeretici, quumque haeresis convicti eam retractare nollent carcere detenti sunt, donec in synodo Belvaci celebranda de eorum sorte statueretur. Sed populus, *verens mollitiem clericalem,* ad carcerem properavit, et haereticos illos inde eductos ante civitatis portas combussit.[5]) Apud Atrebates in Flandria a. 1183 complures haeretici ultimo ignis supplicio addicti sunt.[6]) — In Germania pariter medio saeculo duodecimo

---

[1]) Ultima haec verba per se significant, ut haeretici e territori ejiciantur, quemadmodum adhibentur in textu capitis III[ii] Concilii Lateranensis IV[i] (v. n. 49). Interdum vox „exterminare haereticos sensu quodam indeterminato adhibetur.

[2]) V. Baronii Annales ad a. 1017 cum Pagii critica n. 1.

[3]) V. Mansi XIX. 782.

[4]) Hermannus contractus in Chronico ad a. 1052. M. G. Scr. V. 13[?]

[5]) Guibertus de Novigento Vita c. 16. ap. D'Argentré II. 8.

[6]) Annales Aquicinctensis monasterii ad a. 1183, M. G. Scr. VI. 421

Coloniae et Bonnae ad Rhenum, aliquot haeretici combusti sunt,[1]) idemque supplicium Argentorati a. 1212 contra plures haereticos adhibitum est.[2]) Hisce exemplis alia facile addi possent.[3])

51. Variis vero ex causis factum est, ut, quamvis nec lege ecclesiastica, nec legibus imperialibus eousque statutum esset ultimum in haereticos universim supplicium, tamen passim saeculo undecimo et duodecimo illud adhiberetur. Imprimis advertendum est, plerosque illorum temporum haereticos fuisse Neo-Manichaeos. Verum contra Manichaeos jam antiquis Imperatorum sanctionibus decretum erat, ut ultimo rogi supplicio eradicarentur. Porro facile evenit, ut ad alios quoque haereticos illa poena passim extenderetur, et in Germania praesertim hoc consuetudinis jus videtur invaluisse. In speculo Saxonico juris (Sachsenspiegel) inter annos 1198 et 1235 confecto, in quo consuetudinis jura descripta habentur, edicitur, christianos *infideles*, maleficos et veneficos, esse comburendos.[4]) Ejusmodi autem consuetudinis jura influxum habuerunt in legislationem, qua, procedente tempore, ultimi supplicii poena in haereticos universim decreta est. Ratio consuetudinis.

52. Severissimam videlicet legem contra haereticos tulit a. 1224 Fridericus II Imperator, quae in toto Imperii ditione servaretur. Exordium legis est hujusmodi: „Commissi nobis coelitus cura regiminis, et imperialis, cui dante Domino praesidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei et in exterminium haereticae pravitatis exigunt exerendum: ut perfidiae vipereos filios contra Deum et Ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores in judicio et justitia persequamur, *maleficos vivere non passuri*, Lex Friderici II.

---

[1]) Cfr. Trithemii Annales Hirsaugienses; ad a. 1163.

[2]) V. Annales Marbacenses M. G. Scr. XVII. 174. (ad a. 1215).

[3]) Cfr. de hac quaestione: Kaltner, Konrad von Marburg, C. I—III. Auctor ea quae repressionem haereticorum spectant scite collegit, et quae hac in re Ecclesia egerit praeclare exponit.

[4]) Art. 13. §. 7. Cfr. Kaltner l. c. p. 8.

per quorum scientiam seducentem mundus inficitur et in gregem fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela." Dein undecim articulis modus procedendi contra haereticos et poenae contra ipsos determinantur, mortisque poena in obstinatos et recidivos constituitur, in eos autem qui tantum metu mortis haeresim reliquerint, perpetui carceris poena.[1]) Severae ejusmodi leges a Friderico II iteratim editae fuere, tum pro Imperio tum pro Siciliae regno. In edicto pro Sicilia ignis ultimum supplicium speciatim decernitur in haereticum obstinatum adhibendum, facultate tantum judicibus data, „ut si miserabili vitae ad coërcitionem aliorum elegerint reservandum, eum linguae plectro deprivent." [2]) Atque inde ab hoc tempore ultimo supplicio rogi haeretici obstinati puniri consueverunt.

Gregorius IX. 53. Quum inter Fridericum II et Gregorium IX Pontificem (1227—1241) vehementiora dissidia orirentur, eo tempore haereses praesertim in Germania admodum propagatae sunt. Unde Gregorius IX varia decreta contra haereticos emisit, quibus curavit, ut cum vigore contra eos procederetur. Statuit et ipse, ut haeretici, *qui postquam fuerint deprehensi redire voluerint ad agendam condignam poenitentiam, in perpetuo carcere detineantur.* Caeterum ultimi supplicii poena in ejus decretalibus, uti et in iis aliorum Pontificum, contra haereticos haud diserte decernitur, sed generatim jubetur: „damnati vero per Ecclesiam saeculari judicio relinquantur, *animadversione debitâ puniendi,* clericis prius a suis ordinibus degradatis." [3]) Romae porro senatus populusque Romanus, imitati Pontificis zelum, pariter severas leges contra haereticos condiderunt, quibus inter alia praescribitur: „Haereticos qui fuerint in Urbe reperti, praesertim per inquisitores ab Ecclesia datos, vel alios viros catholicos, senator capere teneatur, et captos etiam detinere, postquam fuerint per Ecclesiam condemnati,

[1]) V. M. G. L. II. 288.
[2]) M. G. L. II. 252.
[3]) C. XV. de haereticis L. V. tit. VII.

infra octo dies animadversione debita puniendos."[1]) Fuisse vero etiam Romae ad normam legum imperialium haereticos ultimo ignis supplicio affectos, colligitur ex iis, quae habet in suo chronico Richardus a s. Germano ad hunc annum 1231. „Eodem mense (Februario), scribit, nonnulli Patarenorum in Urbe inventi sunt; quorum alii sunt igne cremati, cum inconvertibiles essent, alii donec poeniteant, sunt ad Cassinensem ecclesiam et apud Cavas directi."[2])

54. Ex iis quae diximus satis elucet, utramque potestatem, ecclesiasticam et civilem, saeculis XII et XIII concordi auctoritate contra haereticos leges tulisse. Insistebat quoque Ecclesia apud principes, ut poenae temporales contra haereticos ferrentur et iisdem haeresis reprimeretur, a regibus postulabat promissionem, se tali modo haeresim oppugnaturos esse, atque urgebat, ut leges statutae executioni mandarentur, et *debita animadversione* haeretici punirentur, sub comminatione excommunicationis et solutionis subditorum a juramento fidelitatis. — Ad poenam mortis quod attinet advertendum est, viguisse in Ecclesia doctrinam, hanc poenam ultimi supplicii *posse* adhiberi contra haereticos. Haud tamen eadem in legibus ecclesiasticis vel decretalibus Pontificum statuta, vel a principibus, ut statueretur, postulatum fuit. Sed quando eadem a potestate civili per leges introducta erat, Ecclesia, dum postulabat, ut secundum leges *debita poena* haeretici afficerentur, eo ipso etiam implicite hanc poenam ratam habebat ut applicandam. — Qualis fuerit Ecclesiae hac in re sententia, perspicitur ex s. Thomae doctrina. Is quidem nullibi docet, haereticos debere morte puniri, sed ultimum supplicium merito in eos adhiberi posse, apprime demonstrat. *Circa haereticos,* inquit, *duo sunt consideranda; unum quidem ex parte ipsorum, aliud vero ex parte Eccle-*

Ecclesiae principia.

---

[1]) V. Rainaldi Annales ad a. 1231 n. 16. „Capitula Annibaldi Senatoris et populi Romani edita contra Patarenos omnes."

[2]) Raynaldus ad a. 1231 n. 13.

siae. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem a mundo excludi. Multo enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animae vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitae subvenitur. Unde si falsarii pecuniae vel alii malefactores statim per saeculares principes juste morti traduntur, multo magis haeretici statim ex quo de haeresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed et juste occidi. — Ex parte autem Ecclesiae est misericordia ad errantium conversionem, et ideo non statim condemnat, sed post primam et secundam correptionem, ut Apostolus docet; postmodum vero si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam; et ulterius eum relinquit judicio saeculari, a mundo exterminandum per mortem.[1])

Ratio rigoris.

55. Ut demum recte de severis ac duris poenis medio aevo contra haereticos constitutis et adhibitis judicetur, recolendum est, quum unitas christiani dogmatis et religionis eo tempore intacta subsisteret, omnibus persuasum fuisse, atrox et funestissimum esse crimen haeresis, nec involuntarios supponi posse haereticorum errores. Porro haereses, quarum occasione severae illae leges firmatae sunt, erant turpissimae et vere immanes, scilicet Catharorum ac Luciferianorum dogmata absurda et foeda, quibus otam religionem christianam destruebant. Tantum vero

---

[1]) S. th. p. 2. 2. q. 11. a. 3. — Ulterius aliquanto progressa videtur, a. 1526 Facultas theologica Parisiensis, in censura adversus Erasmum *de poena haereticorum*, dum statuit, non solum posse, sed et debere haereticos ultimo supplicio puniri. „Cum sit catholicum, ait, et fide tenendum, non solum licere sed et oportere haereticos pertinaces extremo supplicio puniri, quando citra jacturam atque periculum reipublicae id fieri potest, nec valet aliter salus eorum aut caeterorum procurari et servari, oppositumque error sit Catharorum, Waldensium et Lutheri, generalibus Conciliis et legibus imperialibus damnatus." V. D'Argentrée, Coll. judic. T. II. P. I. p. 69. Verum neque hic statuitur, universim haereticos ultimo supplicio puniendos esse, sed tantummodo, officii hoc esse, si aliter reipublicae saluti provideri nequit.

erat periculum, quominus Neo-Manichaeismus ille se propagaret, ut jam de ipsa existentia religionis et societatis christianae luctandum esse videretur. Hinc severae illae poenae, jam consuetudine partim receptae, legibus firmatae, accuratius determinatae, et ad omnes haereses extensae sunt. Generatim autem jus criminale temporis transacti multo severius erat, quam nostrae aetatis statuta. Adhuc in jure criminali Caroli V ultimi supplicii poena statuebatur in blasphemiam Dei et B. Mariae V., in sodomiae, et magiae crimina, in falsificationem pecuniae, ac fraudes majores quoad pondera et mensuras, in furtum cum violentia factum vel repetitum; et, uti diximus, jam in codice Justiniani Manichaeorum haeresis morte plectebatur. Unde nullatenus mirandum est, quod ultimi supplicii poena medio aevo universim contra haereticos adhibita sit.

56. Quod pertinet ad ordinationem *Inquisitionis* haereticorum, cum principiis expositis ista institutio apprime cohaeret. Potest sane Ecclesia in praevaricatores et corruptores fidei jure inquirere, eos mediis congruis corrigere et contumaces punire. Quum vero depositum fidei catholicae imprimis Romani Pontificis in universa Ecclesia, et episcoporum in suis dioecesibus sollicitudini sit demandatum, iique judices fidei ab ipso Ecclesiae fundatore sint constituti, illorum officium est inquirere in eos, qui Ecclesiae, cujus sunt membra, fidem corrumpunt, eos judicare, corrigere, ab haeresi reducere, et in ea pertinaces punire. Obstinatos etiam merito brachio saeculari traditos esse, ut juxta legum severitatem punirentur, ex dictis patet. — Jam prioribus saeculis illud in usu fuisse invenimus, ut haeretici, praesertim Manichaei, conquirerentur et deferrentur ecclesiasticae auctoritati. Ita s. Leo serm. 9. c. 4 ait: *Etiam ad hanc vos hortamur industriam, ut Manichaeos ubique latentes vestris presbyteris publicetis. Magna est enim pietas, prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare. Contra istos . . . omnem quidem orbem terrarum et totam ubique Ecclesiam decet fidei arma arripere.* — Quod decursu temporis Pontifices illam inquisitionem apte ordinaverint, in eo certe

Inquisitio.

non sunt reprehendendi, sed laudandi. Regulae autem a normae pro hoc negotio a Pontificibus constitutae, justa erant, quum incolumitati innocentium, correctioni r orum, moderamini poenarum, testium securitati, apte pr videretur. Quum praesules inquisitioni administrands non sufficerent, et nonnunquam alii inquisitores nimis d sides essent vel corruptioni obvii, Gregorius IX anno 123 negotium inquisitionis commisit Dominicanis, quibus pa sim etiam Franciscani juncti sunt. Ac multi viri sanc hoc officio perfuncti sunt, multaque pro fide discrimii subiere. Identidem quidem de nimio Dominicanorum ı gore conquestum fuit, odiumque sibi inquisitores conciv runt, ita ut interdum Romani Pontifices intervenirent. I anno 1237 Gregorius IX inquisitionem Dominicanoru pro regione Tolosana ad tempus suspendit. Sed ut jud cium de querelis quoad nimium inquisitorum rigorem v imprudentiam feratur, accuratum rerum requiritur exame quod instituere hoc loco non vacat. Quum homines esse inquisitores, fieri potuit, ut aliquid humani in sua adn nistratione paterentur[1]); nec tamen facile ejusmodi acc sationibus acquiescendum est. Caeterum *per accidens* tal evenerunt, quum *per se* Institutum Inquisitionis prudent dispositum esset.

Accusationes in cruciatos. 57. Quae cruciatis objiciuntur non sunt tanti, ut diu immorari conveniat. Duces passim apud Innocentium I accusati fuere, quod avide manus extenderent etiam territoria procerum catholicorum, ut iis dominarentur. Po tifex pluribus litteris[2]) id inhibuit, et curavit, ne tale qu fieri posset. Haud mirum est, Simonem aliosque duc non caruisse ambitione et habendi cupidine, praeserti

---

[1]) Exemplum nimii rigoris et imprudentiae habetur in eis, qu fecerunt a. 1231 et sequentibus annis Magister Conradus de Marbu et quidam socii ejus, ut haeresim in Germania debellarent. Sed ac derunt ista eo quod Conradus, vir caeteroquin dignissimus et seve virtute clarus, indolis esset rigidioris zelumque haberet non secundu scientiam. Cfr. Kaltner l. c. C. VIII.

[2]) Cf. L. XV. ep. 212. 213.

quum bellarent contra comites de haeresi vel de favore in haereticos suspectos; sed ne liquet quidem, utrum illae accusationes fundamentum habuerint. Non negamus tamen, aliquos ex proceribus cruciatis vexationibus aliisve excessibus deliquisse. — Catholici milites, quum haereticos Catharos audissent diabolo universi creationem adscribere, et in Christum ac B. Virginem esse blasphemos, quum bellum contra eos et exstirpationem obstinatorum ut opus sanctum haberent, ardore quodam sacro ferebantur, qui passim intempestivus fuit. Ac viri praeliis ac sanguini assueti satis distinguere non poterant animi sensus qui conveniebant, ab iis affectibus qui minus decebant. Gaudebant in victoriis reportatis, in arcium expugnatione, in haereseos repressione, a qua dimanabat fidei conservatio. Quum vero interdum viderent Catharorum perfectos, post arcium expugnationem captivos, non obstante admonitione et praedicatione praesulum in obstinatione ac pertinaci perfidia obfirmatos, mirum non est, quod eos tunc tamquam homines daemonibus similes ardore quodam affecerint ultimo supplicio, quum hac ratione perversissima haeresis exstirparetur. Caeterum jam diximus, si ex utraque parte ferocius nonnunquam actum est et dimicatum, multum quoque tribuendum esse rudioribus aetatis illius moribus in gerendo bello, et aversioni nationali inter milites Francos septentrionales, et Galliae meridionalis habitatores.

58. Illae postremo dispositiones, juxta quas Raymundus aliique comites territoriis suis spoliati sunt, satis explicantur ex jure belli, ex jure servandi religionem catholicam, et ex legibus contra fautores haereticorum, quarum fecimus mentionem. Jam anno 1184 in Edicto quod Veronae Lucius III cum consensu Friderici I contra haereticos et praecipue contra Catharos emiserat, in receptores et fautores haereticorum anathema erat pronunciatum, et poenae in illis statutae. Speciatim in comites, barones, civitatum consules constitutum erat, ut si haeresi non se opponerent, *honore quem obtinent spolientur et ad alios nullatenus assumantur, eis nihilominus excommunicatione ligan-*

Dispositiones contra Raymundum Tolos.

dis et terris ipsorum interdicto Ecclesiae supponendis. -
Motiva quoad dispositionem de comitatu Tolosano, etia
continentur in Innocentii III decreto, quod citavim
Influxus praecipuus Pontificis et Ecclesiae hisce in reb
proveniebat ex ea auctoritate in res quoque civiles ad
ligionis bonum spectantes, quam Pontifex illo tempore c
tinebat, tum ex jure sociali recepto, tum maxime ex ins
ipsi potestate indirecta in temporalia regum et principu

III.

De aliquot Innocentii III Decretalibus ac d Concilio Lateranensi IV.

Innocentius juris peritissimus. 59. Merito qui de Innocentio III scripserunt eum rum omnis divini atque humani juris consultissimum pr dicaverunt. Quod quidem Pontificis encomium abu comprobant quae extant plurimae epistolae ac litterae cretales[1]). Jam ipse Innocentius „decretales epistolas suis usque ad duodecimum annum contentas registris Notario suo compilatas fideliter, transmisit magistris scholaribus Bononiae commorantibus, ut eisdem abs quolibet dubitationis scrupulo uti possent, cum opus es tam in judiciis quam in scholis.“[2]) Posteriores quo Innocentii III decretatales cum canonibus Concilii L ranensis quarti in Collectionem redactae sunt. — Ex cretalibus Innocentii jam accuratius expendimus eam q incipit *Venerabilem,* qua videlicet Pontifex evolvit auct tatem et jura, quae ipsi quoad Imperium sacrum Roman et constituendum Imperatorem conveniunt. Opportun

---

[1]) Decretales dicuntur, ut notum est, illae Pontificiae litterae, bus consulenti rescribitur, propterea quod iis aliquid generatim habiturum, re diligenter expensa decernitur.

[2]) Innocentius III in praefatiuncula ad Collectionem tertiam Sandini Vitae RR. Pontif. ad Innocentium III nota 7, et Devoti stitut Jur. can. L. I. §. LXXXI sqq.

vero videtur, ut agamus quoque de duabus aliis Decretalibus Innocentii III quae celeberrimae sunt et magni momenti, quum iisdem Pontifex principia exponat ad ejus jurisdictionem et potestatem in res temporales spectantia. Altera Decretalis ea est quae incipit *Per venerabilem,* altera vero cujus initium est *Novit.* Utraque in Corpus Juris canonici relata est[1]), et argumenti quod in iis tractatur gravitatem tum antiqui tum recentiores auctores certatim praedicavere.

60. Occasio prioris Decretalis *Per venerabilem* fuit haec. Willelmus Comes Montispessulani satis bene de Ecclesia meritus erat, quum ipse et progenitores ejus semper in obedientia Sedis Apostolicae perstitissent, haereticosque non admisissent in territoriis suis. Facinus tamen admiserat foedum, propter quod etiam ecclesiasticis poenis constrictus fuerat. Abjecerat videlicet anno 1187 ob superbam mentem Eudoxiam uxorem, Emmanuelis Comneni Imperatoris Graeci filiam, quae ipsi puellam pepererat, atque cum Agnete Aragonensi nova iniit connubia, quae neque a Coelestino III neque ab Innocentio III unquam ut matrimonium validum agnita fuerant. Ex Agnete genuit Willelmus plures liberos, inter quos Willelmum et Thomam filios. Occasio Decretalis.

61. Quum Innocentius III anno 1201, petente Philippo II rege Galliae, filium ipsius et filiam quam ex Agnete Meraniensi superinducta conjuge genuerat, post Agnetis mortem legitimasset, videtur inde concepisse Willelmus Comes Montispessulani desiderium et iniisse consilium, ut auctoritate Innocentii III etiam ipsius duo filii Willelmus et Thomas legitimarentur. Id igitur petiit a Pontifice per archiepiscopum Arelatensem, qui Comitis causam argumentis variis scite collectis Innocentio III commendavit. Pontifex, re perpensa, ad Comitem Montispessulani direxit epistolam, qua causam erudite tractat, prin-

[1]) V. Decret. Gregor. L. IV. Tit. XVIII. C. XIII. Qui filii sint legitimi. et L. II. Tit. I. C. XIII. De judiciis.

cipia de jure et auctoritate Pontificis proponit, rem in utramque partem librat, ac postremo petitioni Willelmi obsecundare declinat. Hoc loco praecipue animum advertere oportet ad *principia,* quae in illa epistola occurrunt.

Discussio rei.

62. Incipit hac ratione Decretalis: *Innocentius III nobili viro, Willelmo Domino Montispessulani. — Per venerabilem fratrem nostrum, Arelatensem archiepiscopum, ad Sedem Apostolicam accedentem, tua nobis nobilitas supplicavit, ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare quatenus eis quominus tibi succederent natalium objectio non noceret.* — Profert dein Pontifex primum quaedam argumenta, quae ex jure Romano atque canonico desumi possent, ut ostenderetur, Romano Pontifici potestatem talis legitimationis, quae respiciebat effectum non mere spiritualem, sed omnino temporalem, competere. *Quod autem* scribit, *super hoc Apostolica Sedes plenam habeat potestatem, ex illo videtur, quod quum, diversis causis inspectis cum quibusdam minus legitime genitis, non naturalibus tantum sed adulterinis etiam dispensavit, sic ad actus spirituales eos legitimans, ut possent in episcopos promoveri, verisimilius creditur et probabilius reputatur, ut eos ad actus legitimare valeat saeculares, praesertim, si praeter Romanum Pontificem inter homines superiorem alium non cognoscunt quia cum major in spiritualibus tam prudentia quam auctoritas et idoneitas requiratur, quod in majori conceditur, licitum etiam videtur esse in minori.* — Similes adhuc rationes adducit, ita tamen ut tantum *allegentur,* haud vero de valore eorum sententiam proferat Innocentius; dixeris ista imprimis rationes ab archiepiscopo Arelatensi proposita fuisse.

63. Dein affert Pontifex argumentum *a fortiori,* quod a Comite propositum fuerat. *Videbatur,* scribit, *autem* (Comes) *ex eo trahere majorem audaciam postulandi, quod non longe petere cogebatur exemplum, sed in favorem petitionis hujusmodi, quod nos ipsos in causa simili fecisse dicebat, poterat allegare. Cum enim clarissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris, carissimam

in Christo filiam nostram Ingeburgam, Francorum reginam illustrem, dimiserit, et ex alia postmodum superducta puerum susceperit et puellam, et tu similiter exclusa legitima superduxeris aliam, ex qua filios suscepisti, sicut cum filiis regis ejusdem, sic cum tuis credebatur de benignitate Sedis Apostolicae dispensandum: praesertim quum major id necessitas suaderet, et tu nobis specialius sis subjectus. — Major necessitas inde probabatur, quod Philippus jam habuisset filium haeredem, Willelmus non haberet filios ex legitima uxore. Subjectio peculiaris deducebatur ex eo, quod Willelmus possideret partem terrae suae ab ecclesia Magelonensi, quam ipsa a Sede Apostolica temporaliter recognoscebat. Quare mediante illa ecclesia dicebatur Comes Montipessulanis Sedi Apostolicae temporaliter subjectus.

64. Innocentius porro argumentationem hanc ex comparatione cum Philippo rege institutam accuratius examinat et refellit, simulque exponit, quaenam rationes eum moverint, ut Philippi petitioni obsecutus sit. Legitimatio liberorum nothorum Philippi regis per Pontificem facta, apud multos Galliae incolas, qui Ingeburgam valde aestimabant, indignationem quamdam provocarat; hinc forte Pontifex ea occasione usus est, ut fusius motiva illa exponeret. *Verum,* scribit, *si veritas diligenter inspicitur, res non similis, sed valde dissimilis invenitur. Nam rex ipse a praedicta regina per bonae memoriae archiepiscopi Remensis, Apostolicae Sedis legati, fuit sententiam separatus. Tu vero uxorem tuam a te, sicut dicitur, temeritate propria separasti. Ipse quoque, priusquam ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera perveniret, aliam superduxit, ex qua prolem geminam noscitur suscepisse. Tu in contemptum Ecclesiae aliam superinducere attentasti; propter quod ipsa in te gladium exercuit ecclesiasticae ultionis. Praeterea rex ipse praedictae reginae contra matrimonium affinitatem objecit, et coram praefato archiepiscopo testes induxit, cujus sententia quia cassata fuit solummodo propter judiciarium ordinem non servatum, nos ei post restitutionem praefatae reginae, super hoc . . . cognitores duximus concedendos. Tu vero uxori tuae nihil quod divortium induceret, sicut asseritur,*

Cur Philippi II liberi legitimati.

objecisti, quum, etsi fides tori sit unum de tribus bonis conjugi non tamen ipsius violatio conjugale vinculum violasset. De filii quoque regis ejusdem, utrum legitimi an illegitimi fuerint, quam diu pendet quaestio affinitatis objectae, potest non immerito dubi tari. Nam si affinitas fuerit comprobata, praedictam reginam no esse regis conjugem apparebit, et per consequens alia videretu sibi legitime copulata, et filios ei legitimos peperisse. D tuis vero, quod legitime nati, nec tu ipse proponis, nec ull praesumitur ratione. Insuper, cum rex ipse superiorem i temporalibus minime recognoscat, sine juris alterius laesion in eo se jurisdictioni nostrae subjicere potuit et subjecit, i quo forsitan videretur aliquibus quod per se ipsum, non tanqua pater cum filiis, sed tanquam princeps cum subditis, potuer dispensare. Tu autem aliis nosceris subjacere. Unde, si ipsorum forsan injuria, nisi praestarent assensum, nobis i hoc subdere te non posses, nec ejus auctoritatis existis, dispensandi super his habeas potestatem.

Ultima Juris principia. 65. Postquam hisce evolvit rationes speciales, quib motus animum inclinaverit in regis obsequium, et diss militudinem ostendit causae Willelmi a negotio regis, ja indicat accuratius, quo fundamento nitatur ea *potesta* qua in legitimandis liberis Philippi ad effectus temporal ipse usus sit. Atque in his est cardo quaestionis nostra *Rationibus igitur his inducti,* scribit, *regi gratiam fecim requisitam, causam tam ex Veteri quam ex Novo Testamen tenentes* (al. *trahentes*), *quod non solum in Ecclesiae pat monio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestate verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, te poralem jurisdictionem casualiter exercemus.*[1]) — Ut petit Willelmi declinaretur, sufficiebat ostendisse, casum n

[1]) Ap. Raynald ad a. 1202 legitur *cautum tam ex* Vetere *qu ex Novo Testamento tenentes;* quod perinde est, imo majori cum vig indicat ut fontem potestatis Scripturam sacram. — Variantes lectio vocis *casualiter,* sunt *carnaliter* et *causaliter.* Sensus est fere i.e *Carnaliter* sumendum foret in oppositione ad *spiritualiter; causali* hic significaret *ex causa* seu *jure merito.* Sed glossatores et comme tatores generatim legunt *casualiter,* quod apprime contextui congru

similem esse negotio Philippi regis. Sed Innocentius III usus est hac occasione, ut indicaret, praecisis aliis rationibus, quas initio allegaverat, ultimum et solidum fundamentum auctoritatis pontificiae, qua legitimaverit liberos regis quoad temporalia, esse in ea jurisdictionis potestate, *quae certis ex causis casualiter etiam in temporalia aliorum regnorum convenit Romano Pontifici.*

66. Quum nostra maxime intersit, historice ostendere, quaenam fuerint principia Innocentii III, advertatur, perspicuum esse, 1° Innocentium hic loqui de auctoritate et jurisdictione quae se extendit in *temporalia.* Ex comparatione id patet, quam instituit. *Non solum,* inquit, *in Ecclesiae patrimonio super quo plenam in temporalibus habemus potestatem, verum etiam in aliis regionibus, ... temporalem jurisdictionem . . . . exercemus.* 2° Hanc vero jurisdictionem ita restringit, ut dicat, eam *certis ex causis* et *casualiter* exerceri. Videlicet casualiter significat, Pontificem hanc jurisdictionem *non ordinarie* et *regulariter* exercere, sed per exceptionem quamdam, certis causis inspectis, ubi id convenit ex necessitate vel bono religionis aliave causa gravi. Ita Butrius in commentario in hanc Decretalem: *Non habet Papa potestatem regulariter, sed solum certis causis inspectis, ut in casu nostro exercebat propter probabile dubium casus regis.*[1]) Jam s. Bernardus simili ratione loquitur, dum in libris *de Consideratione* nimiam occupationem Pontificis de rebus temporalibus arguit, sed quibusdam in casibus eam commendat. *Denique,* scribit, *ubi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus: „Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?" (1 Cor. 6. 2). Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem urgente, aliud ultra incumbere istis tanquam magnis dignisque tali et talium intentione rebus.*[2]) — Hanc potestatem 3° Innocentius

Potestas indirecta asseritur.

---

[1]) Ant. de Butrio, Com. in c. Per ven. — Glossa in h. c. dicit: „Et licet ex certis causis, non ideo (Papa) est ordinarius quoad temporalia, sed casualiter ut dicit littera."

[2]) De Consid. L. I. c. 6. Haec afferimus quoad *modum loquendi;* indoles potestatis, de qua agimus, magis aliunde explicanda est.

ex sacra Scriptura, et quidem tum ex Vetere Testamento uti novi Foederis symbolo, tum ex Novo Testamento, videlicet ex potestate Petro a Christo commissa, probat. Hac in re id attendendum est, Pontificem manifeste non in jure sociali ultimum fundamentum illius auctoritatis ponere, sed in potestate ipsi divinitus data. Si cui argumentatio ex Scriptura quae sequitur in quibusdam minus firma videretur, id quaestionem nostram non attingit. Etenim quaerimus modo *historice,* quid Innocentius III existimaverit, et satis est ostendisse, censuisse Pontificem, ex jure divino ei potestatem illam competere.

Probatio ex Scriptura.

67. Jam quae in Decretali sequuntur ob oculos ponamus. Postquam igitur Pontifex dixit: *Verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem exercemus,* pergit: *Non quod alieno jure praejudicare velimus, vel potestatem nobis indebitam usurpare, cum non ignoremus Christum in Evangelio respondisse: „Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo", — propter quod postulatus, ut haereditatem divideret inter duos: „Quis, inquit, constituit me judicem inter vos?" — Sed quia sic in Deuteronomio continetur: „Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicium intra portas tuas verba videris variari, surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leviticі generis et ad judicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab iis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quaecumque dixerint qui praesunt loco, quem elegit, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministraverit Domino Deo tuo, decreto judicis morietur, et auferes malum de Israël". (Deuteron. 17. 8—12). — Sane quum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur in hoc ut, quod ibi decernitur, in Novo Testamento debeat observari. Locus enim quem elegit Dominus Apostolica Sedes esse cognoscitur sic, quod eam Dominus in se ipso lapide angulari fundavit. Cum enim Petrus urbem fu-*

piens exiisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, revocare, interrogatus ab eo: „Domine, quo vadis?" respondit: „Venio Romam iterum crucifigi." Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. Sunt autem sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis jure Levitico in exsecutione sacerdotalis officii coadjutores existunt. Is vero super eos sacerdos sive judex existit, cui Dominus inquit in Petro: „Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis" (Matth. 16. 19); — ejus vicarius, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum. Tria quippe distinguunt judicia; primum inter sanguinem et sanguinem, per quod criminale intelligitur et civile; ultimum inter lepram et lepram, per quod ecclesiasticum et criminale notatur; medium inter causam et causam, quod ad utrumque refertur tam ecclesiasticum quam civile, in quibus cum aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad judicium est Sedis Apostolicae recurrendum, cujus sententiam qui superbiens contempserit observare, mori praecipitur, et auferri malum de Israël, id est per excommunicationis sententiam velut mortuus a communione fidelium separari. Paulus etiam, ut plenitudinem potestatis exprimeret, ad Corinthios scribens ait: „Nescitis, quoniam angelos judicabimus?" (1 Cor. 6. 3). Porro saecularis officium potestatis interdum et in quibusdam per se, nonnumquam autem et in nonnullis per alios exsequi convenit.[1])

68. Postremo Pontifex declinat obsequi Willelmo coniti, nisi afferantur aliae rationes validiores. *Licet igitur,* scribit, *cum filiis saepedicti regis Francorum, de quibus an fuerint legitimi ab initio dubitatur, duxerimus dispensandum, quia tamen tam lex Mosaica quam canonica sobolem susceptam ex adulterio destestatur, testante Domino, „manzer et spurius usque in decimam generationem in Ecclesiam non* Pontifex haud concedit petita.

[1]) In hoc inciso subjectum ab aliis auctoribus supponitur esse Paulus, ab aliis Sedes Apostolica; quoad sensum totius Decretalis acisum hoc non est tanti momenti.

intrabunt", canone vero vetante, tales ad sacros ordines pr moveri; saecularibus quoque legibus non solum repellentib eos a successione paterna, sed negantibus ipsis etiam al menta, supersedendum adhuc duximus petitioni praedicta nec ad praesens super hoc tuis precibus annivendum, don si fieri poterit, et culpa levior et jurisdictio liberior oste datur, licet personam tuam specialis dilectionis brachiis a plexemur, et in quibus cum Deo et honestate possumus, sp cialem tibi velimus gratiam exhibere.

Potestas legiti mand

69. Duplici sub respectu haec Decretalis considera potest: 1° quoad quaestionem specialem de legitimation 2° quoad quaestionem generalem de auctoritate Pontific in temporalia. — Quantum attinet ad primam quaestione fuerunt canonistae, qui ex allegatis a Pontifice ab init rationibus inferunt, Pontificem semper in spiritualibus, ita etiam semper indirecte et implicite, quum spiritualia t pote majora, temporalia ut minora includant, ad temp rales effectus legitimare posse. Alii id negaverunt; s ordinarie Pontifici tantum concesserunt potentiam legi mandi in temporalibus, ubi utramque spiritualem et te poralem habebat potestatem, uti in territorio ecclesiastic Verum omnes ex Decretali sequi agnoverunt, certos es casus, quibus convenit Pontifici potestas *(ob certas causa* extraordinario modo quemvis legitimare, etiam ad effect temporales; rationem repetunt ex principio generali alla ab Innocentio III. Ita Reiffenstuel: „In casu extraor nario, et ubi communis necessitas vel alia causa ard urgeret, etiam ad temporalia quemvis suae jurisdictio temporali non subditum illegitimum a Papa legitimari pos praefati doctores et omnes alii concedunt, patetque cla ex citato c. Per venerabilem §. Rationibus igitur, ubi ca sam subjungit Papa illis verbis: *Quod non solum in Ecc siae patrimonio, (super quo plenam in temporalibus gerimus p testatem,) etiam verum in aliis regionibus, certis causis inspect temporalem jurisdictionem casualiter exercemus.*"[1]) Quaena rationes graves Innocentium III moverint ad obsequendu

[1]) Jus can. univ. L. IV. tit. 7. § 2. n. 45 sqq.

regi. eruitur ex ipso legitimationis decreto, in quo dicitur: *Nos igitur attendentes in eo devotionis constantiam et fidei pietatem quam a progenitoribus ex Romana ecclesia quasi quodam haereditario jure contraxit, ut tam honori regiae dignitatis, quam utilitati et necessitati regni Francorum provide consulamus, praedictos puerum et puellam de speciali gratia legitimationis titulo de communi fratrum nostrorum consilio decoramus, ut nullus eis in natalibus defectus obsistat.*[1]) Sufficiebant sane istae rationes illa in re, eo vel magis, quod rex Galliae nulli subditus esset alteri, ad quem pro legitimatione prolis recurrere posset.

Potestas in temporalia generatim.

70. Si Decretalis *Per venerabilem* consideratur quoad quaestionem generalem de potestate Romani Pontificis in temporalia, imprimis haec potestas verbis jam saepius citatis, „non solum in Ecclesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, *verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus,*" diserte affirmatur. Potuisset Innocentius III potestatem hanc demonstrare exposita doctrina de habitu utriusque potestatis, spiritualis et temporalis, de utriusque distinctione et illius superioritate. Sed hoc loco, modo practico, directe potestatem illam sibi competere ostendit, argumentatione deducta ex institutione et juribus sacerdotii antiqui et novi Foederis. Etiam si cui minus peremptoria videretur argumentatio ex parallelismo utriusque sacerdotii, id sane manifestum est, in jure divino, non vero in jure humano, a Pontifice constitui fontem ultimum auctoritatis quam sibi vindicat. Atque hac in re nobis quaestionis vertitur cardo. Nec infirmatur conclusionis vis inde, quod Pontifex advertit, requisitum se esse a Philippo, ut legitimationis gratiam concederet. Inde videlicet inferri nequit universim, Pontifices in temporalibus intervenire non posse, nisi invitentur

[1]) V. ap. Molitor, Die Decretale *Per Venerabilem*, p. 10. Münster Russel. 1876. — Hoc opere auctor praeclarum Commentarium Decretalis exhibet. quaestionemque de potestate Rom. Pontificis in temporalia regum egregie evolvit.

a principibus. Certe in casu isto, quum ageretur de leg timatione prolis Philippi, interventio Pontificis vix conci poterat sine regis petitione. Innocentius ostendere intend contra obtrectatores, convenisse, ut rex se verteret ad Sede Apostolicam, atque huic auctoritatem talem competer Inde vero inepte concluderetur, nonnisi supposita invit tione, potestate illa extraordinaria in temporalia Pontific uti posse. Imo ipsa invitatione et petitione Philippus oste debat, se *supponere* Pontifici competere per se talem pot statem.

Objectio Barclayi.

71. Gulielmus Barclay et post ipsum Petrus de Mar nisi sunt ostendere ex ipsis verbis hujus Decretalis, *I super quum ipse superiorem in temporalibus minime recogn scat,* submissionem principum sub Pontificibus in reb temporalibus admitti nullatenus posse. Egregie Barcl refutatur a Bellarmino scribente: „*Quid, inquit* (Barcla *quod ipsi Pontifices fatentur reges non habere superiores temporalibus? Cap. Per Venerabilem. Qui filii sint legitin Habent et non habent, simul vera esse nequeunt. Falsum ergo, reges non habere superiorem in temporalibus, si ali possit jure iis temporalia auferre, alterique conferre.* — R spondeo: Sententia Pontificis in eo capite est, reges supr mos esse principes temporales, et ideo nullum habe supra se principem temporalem, quemadmodum duces al que principes inferiores in eodem regno superiorem in te poralibus regem habent. . . . Idem igitur est, regem n habere superiorem in temporalibus et regem non habe supra se alium regem, sive principem alium temporale alioquin non esset rex supremus in ordine principat temporalis sive politici. Et ea forte ratio est, cur ide Innocentius . . . paulo ante dixerit, nonnullos princip nullum inter homines, excepto Romano Pontifice, super rem agnoscere; addidit enim illam exceptionem, ut, c postea dixit, regem Francorum nullum in temporalib superiorem agnoscere, intelligamus, sermonem fuisse superioribus temporalibus; non enim rex agnoscit Ron num Pontificem principem temporalem, sed agnoscit R manum Pontificem principem spiritualem, qui de tempo

libus quoque in ordine ad spiritualia judicare potest. At, inquit Barclayus, *„habent et non habent“* simul vera esse non possunt. Respondeo: *„Habent et non habent“* de re eadem simul vera esse nequeunt: de re diversa nihil impedit, quominus vera esse possint. Habent coccineum pallium et non habent coccineum pallium, simul vera esse nequeunt; sed habet coccineum pallium, et non habet nigrum pallium vera simul esse queunt. Sic igitur: *Habet rex in temporalibus superiorem temporalem,* et, *non habet in temporalibus superiorem temporalem,* vera esse nequeunt. Sed, *habet rex in temporalibus superiorem spiritualem,* et, *non habet in temporalibus superiorem temporalem,* verissima simul esse possunt et sunt.“[1]) Petrus de Marca admittit quidem, ab Innocentio sibi tribui quoddam jus interveniendi in rebus temporalibus: *sed,* inquit, *jus illud Sedi Apostolicae vindicavit, si a principibus ipsis de re ambigua et difficili consuleretur, aut ejus auctoritas imploraretur; quemadmodum acciderat in causa regis Philippi.*[2]) Arbitraria plane interpretatio. Auctoritatem Pontificis independentem Philippi petitio supponit, nec ejus invitatio potestatem Pontifici conferebat, vel eum ut arbitrum in aliqua causa constituebat. Non agebatur enim de arbitro constituendo inter duas partes litigantes, sed de exercenda jurisdictione voluntaria.

72. Decretalis altera Innocentii, de qua agere convenit, est illa quae incipit *Novit.* In eadem principia, quae generali ratione in Decretali *Per venerabilem* exprimuntur de extraordinaria jurisdictione Pontificis in temporalia, pariter proponuntur relate ad certas quasdam causas. Competere sibi auctoritatem supremi judicis inter principes certis in casibus (casualiter), et unde repetenda sit ejusmodi auctoritas, clarius etiam in hac Decretali Pontifex evolvit. Jam exponamus, qua occasione haec Decretalis edita sit. — Vidimus, anno 1203 grave bellum inter Phi- **Decretalis Novit.**

---

[1]) De potestate summi Pontificis in rebus temporalibus adv. Gulielm. Barclayum. C. XII. 2.

[2]) De Concordia Sacerdotii et Imperii L. I. C. III.

Occasio Decretalis. lippum Augustum Galliae, et Joannem Angliae, reges exortum fuisse. Quum mutua simultas illorum principum ad lites fere continuas eos ferret, tunc speciales quasdam causas vel praetextus ejusmodi bellum habuit. Jam anno 1201 Joannes rapuerat Isabellam, filiam comitis Marchiae (de la Marche), qui vasallus erat Philippi, eamque, etsi alteri desponsata esset, dimissa Haduisa uxore ob consanguinitatem, conjugem duxerat. Vasalli sui injuriam Philippus ultus est, pluribus castellis Joanni ereptis. Anno 1203 Joannes accusatus est necis, qua Arcturum nepotem bello devictum et captum, e medio sustulisse dicebatur; nec immerito suspectus videbatur ejusmodi criminis. Tunc Philippus II Joannem, utpote vasallum suum, ad tribunal procerum parium Parisiis constituendum citavit, quumque Joannes non venisset, laesae majestatis et homicidii declaratus est reus, omniaque feuda, scilicet provinciae Galliae amplissimae, ei abjudicata fuere. Mox Philippus acerrimo bello Joannem insectatus est, ut Normanniam aliosque ducatus in suam redigeret potestatem.

73. Joannes vero in magno discrimine positus ad Innocentium III misit legatos, per quos Philippum accusavit, quod pacem brevi ante juratam violasset, ipsique nullatenus reo provincias istas injuste eriperet. Imploravit igitur Innocentii III protectionem. Quum Pontifex admodum doleret, digladiari inter se duos christianos principes potentissimos, atque ita expeditionem sacram in Orientem protrahi et impediri, misit in Galliam legatum abbatem Casemarii, cui addidit abbatem Trium Fontium et abbatem Dunensem, quo Philippum inter et Angliae regem pacem conficeret vel ad inducias Philippum moveret.[1] Sed Philippus primum respondere distulit; dein vero in consilium re adducta, coram praefatis et proceribus regni contendit, *non esse Pontificis, regum controversiis se ingerere*,

[1]) Miserat jam mense Majo anni 1203 litteras ad utrumque regem et ad praesules Galliae, ut ad pacem principes adduceret. V. Potthast Reg. a. 1203. n. 1921 sqq. Abbas Casemarii mense Junio videtur profectus esse. V. Potthast l. c. n. 1954.

ac se de jure feudi stare mandato vel judicio Sedis Apostolicae non teneri. Quum legati haec Innocentio nuntiassent, graviores Pontifex ad regem dedit litteras (d. d. 31. Oct. 1203), quibus de responso ejus conqueritur. *Nos igitur,* scribit, *responsionis hujus tenore plenius intellecto, mirati sumus non modicum et turbati, quod consilium iniisse videris, et concinnasse responsum contra Sedis Apostolicae potestatem, tanquam jurisdictionem ejus velis aut valeas coarctare, quam non homo sed Deus, imo verius Deus-Homo in spiritualibus usque adeo dilatavit, ut nequeat amplius ampliari, quum adjectionem non recipiat amplitudo.*[1]) Probat dein, juste ipsum hac in re intervenire, et excommunicationem regi minatur, nisi obsequatur ipsius monitis. Scripsit etiam archiepiscopo Senonensi et abbati Casemarii, ut regem excommunicarent, si pacem vel treugas cum Joanne inire recusaret.

74. Quum vero anno 1204 Philippus, monitis Pontificis neglectis, bellum contra Joannem continuaret, mense Aprili Innocentius III abbati Casemarii commisit, ut judicium definitivum ferret de lite inter duos reges. Ad praesules Galliae autem dedit litteras *Novit,* quibus fusius auctoritatem Sedis Apostolicae in illo negotio vindicat, ac principia quibus eadem nitatur exponit. Primum suam in Philippum ejusque regnum benevolentiam exhibet. *Novit ille,* ait, *qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium ac conscius secretorum, quod clarissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, diligimus, et ad honorem ac profectum et incrementum ipsius efficaciter aspiramus, exaltationem regni Francorem sublimationem Sedis Apostolicae reputantes, quum hoc regnum benedictum a Deo semper in ipsius devotione permanserit, et ab ejus devotione nullo, sicut credimus, tempore sit discessurum.* — Protestatur dein, se nullatenus velle regis jurisdictionem minuere. *Non ergo putet quis, quod jurisdictionem aut potestatem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, quum ipse*

Decretalis data.

[1]) Epp. L. VI. ep. 163.

jurisdictionem et potestatem nostram nec velit nec debe etiam impedire; quumque jurisdictionem propriam non suff ciamus explere, cur alienam usurpare vellemus?

75. Exponit porro rationem, quare negotium istud a Sedem Apostolicam delatum, ab ea sit suscipiendum. *Se quum Dominus dicat in Evangelio: „Si peccaverit in te frat tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum, . . . autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publ canus", et rex Angliae, sicut asserit, sit paratus sufficient ostendere, quod rex Francorum peccat in ipsum, et ipse cir eum in correctione processit secundum regulam evangelica et tandem, quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiae, quomo nos qui sumus ad regimen universalis Ecclesiae superna di positione vocati, mandatum divinum non possumus exaudir ut non procedamus secundum formam ipsius, nisi forsit ipse coram nobis vel legato nostro sufficientem in contrariu rationem ostendat.* — Dein vero ostendit, *sub quo respec* Pontifex de causa ista judex *merito* constituatur. *N enim intendimus,* inquit, *judicare de feudo, cujus ad ipsu spectat judicium, nisi forte juri communi per speciale pri legium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractu sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubit tione censura, quam in quemlibet exercere possumus et d bemus.*

Qualis asserta potestas. 76. In hac assertione Pontificis, cardo continetur a gumentationis ejus juridicae. Statuit videlicet, se su jurisdictioni non vindicare litem de feudis qua talem, se quatenus negotium constituat civile, adeoque admittit, n gotia mere civilia per se non cadere sub jurisdictionem R mani Pontificis. Sed Ecclesiae et Romano Pontifici co petit judicare *de peccatis,* de criminibus quae in vari negotiis committi possunt, idque, dum tales causas tract Pontifex, ei propositum est. Itaque directe competit Po tifici judicium exercere quoad laesionem legis moralis, i directe autem propter hoc sub ejus jurisdictionem cadu causae civiles et temporales, quibus implicitum esse pote peccatum. Eo casu sane causa principalis quae contin tur in laesione legis christianae, veluti accessorium secu

trahit ipsum negotium civile ac temporale. Atque ita evenit, ut judex spiritualis auctoritatem et jurisdictionem competentem habeat passim in causas temporales, quae caeteroquin ejus tribunali non subjiciuntur. Prae oculis autem habet Pontifex peccata mortalia, seu crimina, maxime si scandala magna pariunt, ut res se in hoc casu habebat. Patet etiam, agi de criminibus *publicis;* agitur enim in hac Decretali de foro externo. Atque intendisse Innocentium ac generatim Pontifices interventionem suam ad eos casus restringere, in quibus utilitas vel salus publica eam provocabat, tum ex contextu tum ex doctrina communi doctorum colligitur. *Non tamen pro quolibet crimine,* scribit Gonzalez, *Ecclesia externam exercet jurisdictionem in laicos, sed tantum in sceleribus ecclesiasticis, vel mixti fori, aut ex quibus scandalum sequitur in Ecclesia, maxime a principibus perpetratis; alia autem peccata legibus civilibus per saeculares magistratus debent vindicari.*[1]) Pertinent peccata illa criminalia et scandalosa ad eas *causas certas,* in quibus *casualiter* Pontifex jurisdictionem habet in temporalia.

77. Citat dein Pontifex primum quidem exemplum Valentiniani, Theodosii et Caroli M., qui magnam reverentiam in auctoritatem judiciariam Ecclesiae ostenderunt, et litigantes ad episcoporum tribunal recurrere posse statuerunt. Attamen *fundamentum* suae auctoritatis in causa de qua agebatur, Innocentius III in jure divino constituit. *Quum enim,* inquit, *non humanae constitutioni, sed divinae legi potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo: nullus, qui sit sanae mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, et, si correptionem contempserit, ipsum per correctionem ecclesiasticam coërcere. Quod enim debeamus corrigere ac possimus, ex utraque patet pagina Testamenti. Quod autem possimus et debeamus etiam coërcere, patet ex eo, quod inquit Dominus ad prophetam qui* **Probatio Pontificis.**

[1]) Comm. perp. in h. cap. not. m.; ap. Molitor p. 82. not. 2.

fuit de sacerdotibus Anathoth: „Ecce constitui te super gentes et reges, ut evellas et destruas, et dissipes, et aedifices, et plantes.“ Constat vero, quod evellendum, destruendum et dissipandum est omne mortale peccatum. Praeterea, quum Dominus claves regni coelorum s. Petro tradidit, dixit ei: „Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ Verum nullus dubitat, quin omnis mortaliter peccans apud Deum sit ligatus. Ut ergo Petrus divinum judicium imitetur, ligare debet in terris, quos ligatos esse constat in coelis. — Vides, ex jure divino Pontificem repetere hanc suam auctoritatem.

Potestas in reges se extendit. 78. Reges ob eminentem suam dignitatem haud subesse illi auctoritati, Pontifex paucis refellit. *Sed forsan,* inquit, *dicetur, quod aliter cum regibus, et aliter cum aliis est agendum. Caeterum scriptum novimus in lege divina: „Ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum.“* — Praesertim autem in hac causa summi momenti, quum agatur de pace servanda, quam disturbare sit magnum peccatum, merito se intervenire ostendit. *Licet autem hoc modo,* scribit, *procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, praecipue tamen, quum contra pacem peccatur, quae est vinculum caritatis.* — Deinde advertit Pontifex, etiam Philippum alias, (videlicet quum a Richardo Cordeleonis impugnaretur,) contra regem Angliae officium Sedis Apostolicae invocasse, adeoque immerito nunc eum indignari de interventu Pontificis, ad quem Joannes confugerit. Atque quum pacis foedera antea ex utraque parte juramento firmata fuerint, Joannes vero de violatione conqueratur, etiam ratione illius juramenti ex jure canonio causam ad judicium ecclesiasticum pertinere. *Postremo,* scribit, *quum inter reges ipsos reformata fuerint pacis foedera, et utrinque praestito proprio juramento firmata, quae tamen usque ad tempus praetaxatum servata non fuerint, numquid non poterimus de juramenti religione cognoscere, quod ad judicium ecclesiasticum non est dubium pertinere, ut rupta pacis foedera reformentur?*

79. Concludit demum Pontifex: *Ne ergo tantam discordiam videamur sub dissimulatione fovere, dissimulare religiosorum locorum excidium et stragem negligere populi christiani, dilecto filio abbati Casemarii, praedicto legato dedimus in praeceptis, ut, nisi rex ipse vel solidam pacem cum praedicto rege reformet, vel treugas ineat competentes, vel saltem humiliter patiatur, ut idem abbas et venerabilis frater noster archiepiscopus Bituricensis de plano cognoscant, utrum justa sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia rex Anglorum, vel ejus exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis litteras duxit exprimendas, juxta formam sibi datam a nobis procedere non omittat. . . . Ideoque universitati vestrae per haec Apostolica scripta et in virtute obedientiae districte praecipimus, quatenus, postquam idem abbas super hoc mandatum fuerit Apostolicum executus, sententiam ejus, imo nostram verius, recipiatis humiliter et vos ipsi servetis et faciatis ab aliis observari; scituri, quod si secus egeritis, inobedientiam vestram graviter puniemus.* [1])

80. Etiam in hac Decretali *Novit* igitur Innocentius supremam Sedis Apostolicae auctoritatem, certas ob causas exercendi jurisdictionem in temporalia adstruit, et hanc potestatem ultimo repetit ex jure divino. Bonum Ecclesiae, seu in casu perturbationem et damnum societatis christianae per peccata magna et publica, indicat esse rationem, cur de negotiis saecularibus quoque ei talis jurisdictio conveniat. In hac Decretali, uti diximus, ad speciem applicatur, quod generatim Pontifex jam dixerat in Decretali altera statuens: *Non solum in Ecclesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus certis causis inspectis temporalem jurisdictionem exercemus.* — Includi etiam coactivam potestatem ista in jurisdictione, ex Decretali *Novit* manifestum est. In ea quidem, et in litteris quae ad negotium illud pertinent, minabatur Innocentius III tantum excommunicationem; sed ipsum censuisse ulterius procedi posse, ad

Indoles auctoritatis.

---

[1]) Ap. Harduin. Conc. VI. 1969.

depositiones quoque principum, ex gestis ejus facile colligitur. Caeterum simulatque constat de illo principio, *Romanos Pontifices jure divino certis causis inspectis casualiter jurisdictionem temporalem exercere in societatem civilem christianam,* accessoria est quaestio, quousque illam potestatem Pontifices extenderint. Historice autem constare, Innocentium III illud principium tenuisse, quo continetur doctrina de potestate indirecta Pontificis in temporalia principum, negari non posse censemus.[1])

Gosselin. 81. Gosselin, qui potestatem *directivam* tantum Ecclesiae in principes propugnavit, abstinuit ab illa Decretali *Per Venerabilem* expendenda; imo, quod valde mirum est, abrupte ex ea aliqua verba pro suo scopo citat. Dum de potestate RR. Pontificum in principes tractat, disserit de quibusdam documentis, quae afferri possent pro sententia ab ipso rejecta, jure divino videlicet Pontifici supremam aliquam in temporalia principum potestatem convenire; et inter alia agit de responsione Innocentii III, quam dedit in Consistorio solemni legatis Philippi Suevi, quum is de Imperio contra Ottonem IV certaret.[2]) In eadem Pontifex ostendit, Sacerdotium regno dignitate et antiquitate praevalere, ac firmius esse stabilitum. *Principibus,* inquit, *datur potestas in terris, sacerdotibus autem potestas tribuitur et in coelis: illis solummodo super corpora, istis etiam super animas. Unde quanto dignior anima corpore, tanto dignius est etiam sacerdotium quam sit regnum. Singuli proceres singulas habent provincias, et singuli reges singula regna; sed Petrus, sicut plenitudine, sic et latitudine praeeminet universis, quia vicarius est illius, cujus est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.* Ex Scriptura dein aliisque argumentis haec probat. Colliguntur ex his potius generalia principia Innocentii III de subordinatione regni et de praeeminentia sacerdotii; ac

---

[1]) Ad quaestionem illam adhuc imprimis pertinet Bulla Bonifacii VIII *Unam Sanctam,* de qua suo loco agemus.

[2]) Inter Decretales Innocentii Tit. II. Quod sacerdotium majus sit regno. Ap. Balut. T. I p. 547.

minus diserte ex iis vindicatur doctrina de potestate indirecta juris divini quoad temporalia principum. Quum tamen Fleury existimarit, ibi ab Innocentio III, quem carpit, sibi talem potestatem tribui,[1]) id refutare studet Gosselin. Addit porro: „Ajoutons que le discours d'Innocent III, s'il avait quelque chose d'obscur ou d'équivoque, devrait naturellement s'expliquer par la doctrine qu'il professait expresssément, vers le mêmə temps, dans une lettre au comte de Montpellier, où il reconnaît et marque nettement la distinction des deux puissances, de l'aveu même de Fleury. Nous ne voulons pas, dit le Pape dans cette lettre, préjudicier du droit d'autrui, ni usurper une puissance qui ne nous appartient pas; car nous n'ignorons pas cette parole de Jésus-Christ dans l'Evangile: *Rendez à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu.* C'est pourquoi étant prié de partager un héritage entre deux frères, il leur fit cette réponse: *Qui m'a établi juge sur vous?*"[2]) Admisit profecto distinctionem utriusque potestatis Innocentius, nec voluit, ut in causis plane civilibus et saecularibus potestas ecclesiastica jura potestatis civilis usurparet. Sed hisce nullatenus opponitur, quod in eadem decretali clare statuat, *ex certis causis Romano Pontifici casualiter jurisdictionem temporalem* in societatem civilem competere. At commode Gosselin rem expedit, dum tantummodo citata verba hujus epistolae affert, doctrinam autem in ea contentam plane negligit. Revera cum hac decretali *Per venerabilem,* systema hujus auctoris, caeterum eruditione et virtute insignis, componi nequit.

82. Impudenter porro apostatae nostri temporis inclamarunt in Innocentium, quod dominationem pontificiam Aliae objectiones.

---

[1]) Hist. eccl. L. 75. n. 32. Cfr. etiam Bérault-Bercastel, qui H. eccl. L. 38 scribit: „On voit ici dans toute leur étendue, les conséquences des maximes introduites par Grégoire VII: on verra dans la suite les troubles et les désordres qu'elles renouvelèrent dans l'Eglise aussi bien que dans l'Empire."

[2]) Gosselin. Pouvoir des Papes etc. P. II. Ch. III. Fondements du pouvoir exercé par les Papes et les conciles sur les souverains, au moyen âge; n. 173. Edit. de Louvain T. II. p. 205.

in immensum extendens, in Decretali *Novit* talia principia statuisset, ut jam exinde quaevis causa ad tribunal ecclesiasticum referri posset *per denuntiationem;* videlicet dum actor causae assereret, *peccare* accusatum, quod jus alterius partis agnoscere nolit.[1]) Jam diximus, id ejusmodi Decretali nullatenus intendi; secundum intentionem Pontifici agitur *de gravi peccato publico,* quod pacem turbat, alite non reprimitur, et Sedi Apostolicae denuntiatur. Caeterum sane verum est, Ecclesiam posse de omnibus peccatis mo talibus, ac de publicis etiam in foro externo, judicare. Se inde causae publicae criminosae nondum subtrahuntur ju dici civili. Nam etiam si Ecclesia aliquem citaret propte crimen publicum ad suum tribunal spirituale, inde per s non derogat competentiae tribunalis civilis, quod secu dum leges existentes in accusatum agere potest. Quod vero medio aevo facilius causae quaedam secundum dete minationes juris Romani et canonici ad tribunal ecclesi sticum deferri poterant, id tamen nullatenus ad libitu sub praetextu peccati, concedebatur. Simulatque *dolo* i fieri ostendebatur, judex ecclesiasticus causam talem d clinare debebat.[2])

Negotii exitus.

83. Quod demum spectat ad negotium illud, cuj gratia Decretalis *Novit* edita fuit, juvabit paucis enarra quid in lite inter Philippum et Joannem Innocentius I ulterius egerit. Abbas Casemarii, Pontificis legatus, qu jam varios conatus pacis componendae fecisset, post m sam ab Innocentio III illam epistolam synodum praesulu coëgit apud civitatem Meldensem, ut de causa ista statu retur. Joannes Angliae rex neminem misit ad illam s nodum, Philippus vero „per eosdem archiepiscopos, e scopos et abbates fecit ab eo (legato) ad Sedem Aposto cam appellari. Quorum appellationi noluit ipse defer nisi jurassent, quod in termino quem eis praefigeret app lationem ipsam in propriis prosequerentur personis. S

———————

[1]) Janus S. 171.

[2]) Cfr. Phillips, K. R. B. III. S. 233 sqq.; Hergenröther, Kir und Staat, VIII. n. 21. 22. S. 410.

summus Pontifex ab hujusmodi juramento illos absolvit, indulgens eis de speciali gratia, ut aliquot ex parte omnium ad prosequendum appellationem venirent. Venerunt igitur in termino constituto Senonensis et Bituricensis archiepiscopi, Parisiensis, Meldensis, Cathalaunensis, et Nivernensis episcopi, et multi honorabiles clerici, procuratores omnium aliorum. Quibus diutius exspectantibus, praenominatus rex Angliae pro se neminem destinavit, negligens prosequi causam suam. Ex qua negligentia quantum ei damnum provenerit, satis patet, cum in brevi tempore totam Normaniam et Andegaviam et Aquitaniam ipsam perdiderit paene totam. Praedicti vero archiepiscopi et episcopi post exspectationem diutinam in publico consistorio sub verbo veritatis tanquam pontifices sunt professi, quod ipsi non appellaverant ad mandatum Apostolicum eludendum, sed quia sua interesse credebant, maxime quum crederent, in hac parte suum regem justam causam habere; sed si nec istud sufficeret, et in aliquo essent Domino Papae suspecti, purgationem canonicam offerebant; quam eis Dominus Papa remisit."[1])

84. Opportunum videtur hisce pauca addere *de Concilio Lateranensi quarto,* ab Innocentio III celebrato anno 1215. Quae ad hoc Concilium spectant peculiares quidem difficultates non praebent, sed juvabit ea tangere, ut compleatur notio conditionis rerum ecclesiasticarum hujus aetatis. Simul vero in celeberrima illa Synodo repraesentatio quaedam conspicitur et imago Ecclesiae universalis sub Pontifice, qui auctoritate sua et influxu in societatem Christianam adeo inter omnes eminuit. Concil. Later. IV.

Innocentius III igitur, quum ingenti animi ardore propagationem religionis christianae et liberationem terrae sanctae intenderet, atque hisce viam amplam apertam existimaret fundato latino Orientis Imperio, quumque ut fides, disciplina et mores in Ecclesia firmarentur et promoverentur maxime desideraret, Concilium oecumenicum convocandi consilium cepit, et insigni sollicitudine etiam

[1]) Gesta Innoc. c. 129.

hoc negotium magnum executus est. Anno 1213 die 19° Aprilis Synodum hanc indixit Epistola encyclica ad omnes praesules data, quae incipit *Vineam Domini Sabaoth*, in eaque mandavit, ut anno 1215 in festo Omnium Sanctorum Romae ad Synodum congregarentur. Scopum Concilii clare in eadem indicat scribens: *Inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc saeculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet Terrae sanctae, ac reformationem universalis Ecclesiae, valeamus intendere cum effectu . . . . Quapropter habito super his cum fratribus nostris et aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, hoc tandem ad exsequendum praedicta de ipsorum Consilio providimus faciendum, ut quia haec universorum fidelium communem statum respiciunt, generale concilium, juxta priscam ss. patrum consuetudinem, convocemus, propter lucra solummodo animarum opportuno tempore celebrandum: in quo ad exstirpanda vitia, et plantandas virtutes, corrigendos excessus, et reformandos mores, eliminandas haereses, ad roborandam fidem, sopiendas discordias et stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones et libertatem fovendam, inducendos principes et populos christianos ad succursum et subsidium Terrae sanctae tam a clericis quam a laicis impendendum, cum caeteris quae longum esset per singula numerare, provide statuantur inviolabiliter observanda.*[1])

Celebratur. 85. Celebrata est Synodus tempore statuto Romae in basilica Lateranensi, unde et Concilium *Lateranense IV* dicitur, *magnum* appellatum propter grandem praesulum et praelatorum numerum, qui huic Synodo adfuere. Interfuerunt enim huic Synodo quadringenti et duodecim episcopi, inter quos patriarchae Constantinopolitanus et Hierosolymitanus, Antiocheni et Alexandrini vicarii, septuaginta septem primates et metropolitani. Aderant praeterea ultra octingentos abbates et priores, multi absentium praesulum et capitulorum procuratores, oratores Friderici II electi

---

[1]) Epp. L. XVI. ep. 30.

Imperatoris, Henrici Imperatoris Constantinopolitani, regumque Galliae, Hispaniae, Angliae, Hungariae, Hierosolymorum, Cypri. Concilium festo s. Martini, die 11° Novembris, anni 1215 inchoatum est; altera sessio fuit die 20° Novembris, ultima vero hujus mensis 30° die. Synodo exordium dedit Innocentius III egregio sermone in verba Luc. 22, 15, quo exposuit, quanto desiderio desideraverit hoc Pascha celebrare ante suum obitum, ut triplex transitus (pascha) fieret, ex Occidente in Orientem ad liberandam Hierosolymam, a statu vitiorum ad statum virtutum in Ecclesia Dei, a vita temporali ad vitam beatam atque aeternam. Septuaginta decreta emissa sunt, quibus praecipua capita fidei, morum et disciplinae egregie determinata fuere.

86. Apprime constitutum fuit, qua ratione Cruciata magna in Orientem fieret, atque in hunc scopum pax quatuor annorum omnibus principibus christianis imposita est, indulgentiae publicatae sunt, episcopisque mandatum, ut litigantes inter se reconciliarent. — Quod ad fidem spectat, canone 1°, seu celebri capite *Firmiter,* exponitur catholica fides de ss. Trinitate, Incarnatione, Ecclesia et Sacramentis contra haereticos illius temporis, maxime contra Catharos. Secundo canone, seu capite *Damnamus,* damnantur libellus Joachimi abbatis et perversum dogma Almarici. Joachim videlicet abbas Floriacensis in Calabria, qui anno 1202 fama sanctitatis clarus obierat, praeter alia scripserat libellum seu tractatum contra Petrum Lombardum, in quo hanc Petri propositionem: *Quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et illa non est generans, neque genita, neque procedens,* impugnans, quod ea quaternitatem in Deo adstrueret, erronee contendebat, in divinis non esse aliquam rem, quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sive illa res diceretur substantia, essentia, sive natura; tres personas divinas esse quidem unam substantiam, essentiam et naturam, non tamen proprie et realiter, sed collective et similitudine, sicut multi homines dicuntur unus populus. — Almaricus de Bena, clericus et in Universitate Parisiensi philosophiae Definitiones.

25*

magister, quum se ad studia s. Scripturae vertisset, novarum et singularium opinionum amans et tenax, praeter alios errores pantheismum de omnium entium ex una et prima substantia, (omnia esse Deum et Deum esse omnia, professus est. Anno 1204 a s. Facultate Parisiensi damnatus, quod assereret, quemlibet Christianum sub salutis periculo credere debere, se esse membrum Christi, et quidem ea fide qua nativitas Christi aliique fidei articuli credendi sunt, Almaricus appellavit ad Innocentium III. Pontifex lecta Almarici doctrina et Facultatis Parisiensis contradictione, contra illum sententiam dixit. Almaricus se Pontificis sententiae submisit, errorem suum ejuravit, et paulo post prae tristitia obiit. Doctrinam ejus breviter Concilium Lateranense perstrinxit.[1])

Canones disciplinares.

87. Quoad multos canones disciplinares memoratu dignum est, impedimentum matrimoniale consanguinitatis, quod ante ad septimum gradum extendebatur, et ita frequenter ansam praebebat difficultatibus, coarctatum fuisse ad gradum quartum; coarctatum pariter est affinitatis impedimentum. — Celeberrimus porro est canon 21us de annua confessione et communione instituenda, quo statuitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiae sacramentum.* De canonis sensu aliis in disciplinis satis agitur; hoc loco sufficiet advertere, canonem latum fuisse, quod permulti fideles ad communionem sacram rarissime accederent. In Oriente quidem jam saeculo quarto invaluisse videtur, ut multi nonnisi semel in anno susciperent sacram eucharistiam,[2]) sed in Occidente usque ad saeculum decimum

---

[1]) V. Wouters, H. E. vol. II. p. 261. — Dissert. V. IV. Dissert. XLIII.

[2]) Vulgatus Ambrosius de Sacram. L. V. c. 4. ait: „Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, *quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt?* Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere."

frequens sacrae Eucharistiae participatio satis in usu fuit. Anno 850 synodus Turonensis jussit fideles saltem ter quovis anno ad sacram communionem accedere. Inde a saeculo decimo porro frequentior laicorum communio admodum imminuta est, quumque propter iniquitatis abundantiam refrigescente caritate multorum, jam torpor iste funestus magis magisque invalesceret, sapienter Concilium Lateranense decreto suo statuit, ut stricta obligatione omnes tenerentur saltem semel in anno, tempore paschali, sacram communionem suscipere.[1])

88. De praecipuis Innocentii III gestis disseruimus; ex dictis autem colligitur, quanta fuerit hujus Pontificis in Ecclesia gubernanda solertia, qualis fervor in dilatando regno Christi in terris, quanta sollicitudo pro salute populi christiani, quanta in totam societatem, in reges et principes auctoritas. Sed praematura morte Pontifex brevi post celebratum Concilium Lateranense abreptus est. Quum enim propter subventionem terrae sanctae, inter Pisas, Januenses et Longobardos discordes pacem conciliaturus, Pisas proficisci intenderet, in itinere constitutus apud Perusiam febre correptus est, et die 16° Julii anni 1216 ad coelum migravit. Qui universo orbi christiano ingens sui desiderium reliquit; meritorum autem ejus gloria ac memoria perdurabit usque in saeculorum finem.[2]) — Quod ad ejus

Innocentii III obitus.

[1]) Mirum est, ea aetateetiam in ordinibus religiosis minus frequentem fuisse sacrae eucharistiae usum. A laicis vero vel ipsum decretum Concilii Lateranensis medio aevo haud satis observatum fuisse, colligitur ex verbis Durandi qui scripsit ineunte saeculo XIV: „Postremo vero refrigescente devotione multorum, statuit Innocentius III, ut saltem semel in anno, scilicet in paschate fideles communicent, et adhuc pauci inveniuntur.“ IV. Dist. 12. qu. 3. De hoc argumento, quod spectat frequentiam communionis variis saeculis, erudite agit Dalgairns: La sainte communion etc., (versio Gallica Paris 1868), Tom. I. Ch. VI. Histoire de la Communion.

[2]) De visione s. Ludgardis a Thoma Cantipratense in illius vita relata, qua conspexerit Innocentium III purgatorii poenis detentum vide, si placet, Rainaldi Annales ad a. 1216 nn. 11 sqq. Illusum hac in re fuisse piae illi mulieri, in nota ibidem addita Ill. Mansi ostendere nisus est.

indolem attinet, ex auctore Gestorum Innocentius *fuit vir perspicacis ingenii et tenacis memoriae, in divinis et humanis litteris eruditus, sermone tam vulgari quam litterali disertus, exercitatus in cantilena et psalmodia, statura mediocris et decorus aspectu, medius inter prodigalitatem et avaritiam, sed in eleemosynis et victualibus magis largus, et in aliis magis parcus, nisi cum necessitatis articulus exigebat; severus contra rebelles et contumaces, sed benignus erga humiles et devotos; fortis et stabilis, magnanimus et astutus; fidei defensor et haeresis expugnator; in justitia rigidus, sed in misericordia pius; humilis in prosperis et patiens in adversis; naturae tamen aliquantulum indignantis, sed facile ignoscentis.*[1])

[1]) Gesta, c. 1.

Dissertatio vigesima octava.

De statu societatis christianae durante saeculo decimo tertio.

1. Suum characterem et indolem peculiarem saeculo XIII Innocentii III dedit pontificatus. Tanto enim vigore, sapientia, auctoritate Ecclesiam universamque societatem christianam gubernaverat, ac principia etiam, quibus Sedis Apostolicae auctoritas et influxus niterentur et dirigerentur, tanta gravitate et perspicuitate variis in documentis exposuerat, ut aliquo temporis spatio istum Ecclesiae et societatis statum ipse veluti firmaverit, ejusque Successores ejus vestigia prementes, simili etiam ratione suam exercerent auctoritatem atque influxum. At nihilominus Innocentius III, quamvis continuo contra vitia, abusus, haereses, principum excessus, ei decertandum esset, tamen tranquilla quadam majestate sacrum munus administrare potuit. Sed sub successoribus ejus iterum efferbuit lucta inter regnum et sacerdotium, et inter multas ac vehementes procellas ipsis dirigenda fuit Ecclesiae navis. Dissertationis indoles.

2. Regnante per multos annos s. Ludovico IX, prospero statu in Gallia res civiles et ecclesiasticae floruerunt, ibique etiam magnum robur variis in periculis Sedes Apostolica invenit. — Quod vero ad interiorem conditionem spectat Ecclesiae, eidem singulari splendori et ornamento

fuerunt hoc saeculo ordines religiosi, praesertim Franciscanorum ac Dominicanorum, varii viri tum doctrina theologica tum pietate eximii, inter quos eminent ss. Thomas et Bonaventura, praesules non pauci virtutibus pariter et disciplinarum sacrarum scientia clari. Floruerunt sane hac aetate maxime illae litterarum Universitates, quae auctoritate et influxu Ecclesiae instituebantur et dirigebantur; et, exculta mirum in modum theologia scholastica, collectisque et ordinatis Romanorum Pontificum Decretalibus, sacrae disciplinae ita promotae sunt, ut inde a Patrum aetate, decimum tertium saeculum praecedentibus multum antecellere videatur. Interitu quidem Imperii latini in Oriente, et bellorum sacrorum exitu infelici, piorum spes de recuperanda terra sancta vehementer attrita fuit; sed unione cum Graecis restituta, ac variis Conciliis oecumenicis hoc saeculo celebratis, Ecclesia singulari splendore ornata apparuit.

3. Altero autem hujus saeculi medio variis in regnis christianis, maxime vero in Germania, Italia atque Sicilia, perturbatio rerum publicarum, discordiae, ac factiones perniciosae exortae sunt. Commotiones quoque intestinae in ordine Franciscanorum difficultates creaverunt Pontificibus; etiam veneranda auctoritas Sedis Apostolicae variis ex causis aliquantisper jam imminuta apparet, ac post plurium Pontificum brevem pontificatum dissensiones et difficultates in electione successorum obvenerunt. Versus saeculi finem in Sedem Petri elevatus est Bonifacius VIII, de cujus pontificatu sequenti Dissertatione agemus.

Tractanda. Ut vero quae ad statum societatis christianae saeculi decimi tertii spectant, ordine conveniente exponamus, agemus imprimis *de lucta inter Fridericum II et Romanos Pontifices, ac de imperii fatis,* dein de statu rerum ecclesiasticarum in Gallia, ac speciatim *de pragmatica sanctione* quae s. Ludovico tribuitur, porro *de conditione aliorum aliquot regnorum christianorum,* ac demum *de statu interno Ecclesiae.* — Consuli possunt quoad varias quaestiones tractandas: Raynaldi *Annales saeculum XIII;* Pagii *Breviarium vitae RR. Pontificum,* ad Honorium III et sequentes sae-

culi decimitertii Pontifices; Potthast, *Regesta Rom. Pont. I;* Balan, *Storia di Gregorio IX e dei suoi tempi,* 3 v. in 4°. Modena 1872—73; *Storia d' Italia LL. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.;* Hefele, *Conc.-Gesch. T. V. VI.;* Damberger, *Gesch. T. X. XI.;* Hergenröther, *Kirche und Staat, IV; K. G. T. I. p. 799 sqq. T. III. p. 258. 280* (ed. 1[a]); Brischar-Stolberg, *Gesch. der Rel., B. 52;* Reumont, *Gesch. der Stadt Rom, B. II.* — Gérin, *Les deux pragmatiques Sanctions attribuées à s. Louis,* 2[e] ed. Paris 1869; Viollet, *Examen critique* de cet ouvrage, Bibl. de l'école de Chartes XXXI. 162 sqq., XXXII. 397 sqq. (cf. Gérin, *réponse,* Revue du Monde cathol. [1870]), XXX. 497 sqq.; K. Rösen, *Die pragmatische Sanction etc.;* München 1852. Alios auctores decursu Dissertationis citabimus, ac sub voce virorum illustrium hujus aetatis, plurimos habes auctores apud Chevalier, Répertoire des sources historiques.

I.

De lucta inter Fridericum II et Romanos Pontifices, ac de Imperii fatis.

4. Quamdiu Innocentius III Sedem Apostolicam occupavit, auctoritate sua compescuerat Friderici II tendentias ambitione plenas, eo vel magis, quod isti Pontifici Fridericus multis beneficiis devinctus esset. Sed post Innocentii mortem Imperator maxima pericula Ecclesiae paravit. — Erat Fridericus vir superbiae ingentis, cujus animus dominationi extendendae continuo inhiabat. Audacissima in hunc finem concepit consilia, quae vi exequi nitebatur et dolo perverso; simulationem enim et artes callidas jungebat ausibus temerariis. Haud ipsi deerant multiplices animi dotes, atque excultus erat variis disciplinis ita, ut coaevis plerisque praecelleret. Sed libidinibus indulgens, et Saracenis adhaerens mulieribus, turpiter mores foedavit; ac superbia abreptus eousque Ecclesiam

Friderici II indoles.

oppugnavit, ut multis etiam fidem abjecisse videretur. In haeserant, inde ab adolescentia, ejus ingenio patris Henrici VI et avi Friderici I audacia consilia, ab aulicis jam pueri auribus instillata. Elatum animum multum offen derat, quod aliquando, ipso seposito, Ottoni IV coron Imperii esset concessa, nec minus eum pigebat et pude bat, quod Siciliae regna ut feuda Apostolicae Sedis ten ret, adeoque hujus esset vasallus. Conatus omnes eju uti quondam Friderici I, eo dirigebantur, ut libertatem municipiorum Italiae, imo et Ecclesiae libertatem conve leret, dominationem Italiae jungeret Germaniae imperi ac monarchiam efformaret absolutam et in sua famili haereditariam, qua et proceres laicos et ecclesiasticos si penitus subjectos regeret. Quamdiu nondum imperialem cinxerat coronam, videbatur Ecclesiae Sedique Apostolica addictus, et promptus erat, ut optima quaeque polliceretu solemni addito sacramento; sed postea perfidus ac pe jurus, uti opportunum videbatur, promptior erat, ut pr missa omnia et juramenta foede violaret. Talis quum ess Fridericus II talesque ejus animi sensus et nisus, indepe dentiam et libertatem Ecclesiae in summum vocabat di crimen, fierique non potuit, quin Pontifices etiam pac maxime cupidi, luctam in eum suscipiendam vitarent.

Honorius III R. P.

5. Erepto ex hac vita Innocentio III, altera jam d 17° Julii Perusiae electus et renuntiatus fuit Pontifex *H norius III.* Appellabatur antea Cencius, eratque ex R mana Sabelliorum. familia oriundus. Inde a temporib Coelestini III aerarii ecclesiastici fuerat praefectus, se ut vulgo dicunt, S. R. E. Camerarius, *librumque censuu* quo bona patrimonialia Romanae Ecclesiae continentu ipse confecerat. Ab Innocentio III creatus fuerat Card nalis tituli ss. Joannis et Pauli; praecellebat negotioru peritia atque animi mansuetudine, eratque aetate val provectus, quando in Sedem Petri elevatus est. — Frid ricus jam anno 1215, quum Aquisgrani in regem Germ niae coronaretur, cruce sumpta expeditionem cruciata se suscepturum esse voverat, ac promissa ista identide repetiit, ut Honorii III favorem sibi servaret. Interi

effecit, ut Henricus filius, jam in regem Siciliae coronatus, etiam anno 1220 in regem Germaniae eligeretur; Honorii III vero sollicitum ea de re animum compescere studuit variis artibus. Scripsit Pontifici, electionem illam insperate a principibus factam esse, ut ipso absente ob expeditionem cruciatam, in tuto esset Germaniae regnum, se non consensurum esse, nisi et Pontifex consentiret, et administrationem Siciliae ac Germaniae semper fore separatam. Caeterum se Romam mox esse venturum pro recipienda corona imperiali, ac dein in Orientem cum copiis profecturum. Venit porro in Italiam, quumque ibidem signa quaedam dedisset animi Ecclesiae devoti, delinitus est Honorii animus, atque die 22° Novembris anni 1220 ab ipso Fridericus II cum Constantia uxore Imperii coronam accepit. Solemni modo iterum spopondit, se regnum Siciliae nullatenus Imperio jungere velle[1]), se Romanae ecclesiae jura defensurum, ecclesiarum libertatem ac jura conservaturum, et cruciatam expeditionem in Syriam susceptorum esse. Ex manibus etiam Ugolini Cardinalis denuo crucem accepit. Sed inania fuerunt ejusmodi et ficta promissa, ac Fridericus mox dominationi suae absolutae intentus firmandae, variis praetextibus moras nectere non destitit pro suscipiendo bello sacro, quamvis turpi hypocrisi calamitates terrae sanctae verbis eloquentibus plangeret, litterisque datis etiam alios evocaret, ut eidem succurrerent.

Friderici dolus.

6. Subsequentibus annis ab Honorio saepius admonitus, ut succurreret terrae sanctae, ubi res Christianorum magis magisque dilabebantur, verba quidem dedit, nova

[1]) Profitetur in diplomate ante coronationem dato: „Imperium nihil prorsus juris habere in regno Siciliae, nec nos ratione Imperii obtinere aliquid juris in ipso, cum ad nos non ratione patris aut praedecessorum ipsius, sed ex matris tantum successione pervenerit, quae a regum Siciliae stirpe descendit, qui regnum ipsum ab ecclesia Romana tenebant et nos ipsi tenemus, ejus rei proprietatem eidem recognoscentes ecclesiae.“ Rouleaux de Cluny p. 335. V. ap. Balan Storia d'Italia, L. XXV. n. VI.

pacta iniit, excusationes attulit quod primum regnum pacifice disponendum esset, inducias petiit et obtinuit. Quum Longobardorum seditionem imminentem praetexeret, indeque moras novas postularet, Honorius ei adfuit ad pacem cum Italis servandam, et in conventione ad S. Germanum inita anno 1225 inducias bienni ei concessit. Convenit ipse

Conventio de cruciata.

Fridericus pacto solemni, ut nisi mense Augusto anni 1227 iter susciperet, in excommunicationem jam exinde latam incideret, utque in ipsum et terram suam sententiare Pontifex posset. Conditiones initas et juratas solemni rescripto ipse Fridericus agnovit: *„Lata ex nunc,* ait, *excommunicationis sententia, in quam incidemus, si non transfretaverimus in passagio supra dicto . . . Si autem defecerimus in aliquibus, . . . ecclesia Romana sententiabit in nos et in terram nostram, de spontaneo et jam praestito consensu nostro.*[1]) Interim Fridericus post mortuam (a. 1222) uxorem Constantiam, in matrimoniam duxit a. 1226 Isabellam seu Jolantham, filiam Joannis Briennii regis Hierosolymarum regnique haeredem, patremque adegit, ut sibi jura sua regisque titulum cederet. Nec tamen in Orientem profectus est.

7. Ita Honorius III summa indulgentia usus est in Fridericum, quamvis is jam multis querelis causam praeberet. Subditos enim Sedis Apostolicae, ac si Imperatori subjecti essent, tractabat; Siciliae regnum conservabat; clerum Siciliae opprimebat; ecclesiastica jura, praesertim jus eligendi episcopos in Italia usurpabat et canonice electos ejiciebat. Caeterum Imperator magis magisque tyrannidi et libidini indulsit, uxore spreta injuriisque affecta, more principum Saracenorum voluptatibus turpibus sese dedit, atque Lucerae in Italia meridionali coloniam constituit militum Saracenorum ipsi addictorum, qui Christianis maximo fuere terrori.

8. Honorius III, qui nonnisi insigni animi lenitate se patientia graviores conflictus cum Friderico II evitaverat,

---

[1]) V. epistolam ap. Raynaldum ad a. 1225 n. 4 sqq.

obiit die 18° Martii a. 1227 adeoque antequam biennium Imperatori concessum terminum attigisset. Novies sub ipso Fridericus expeditionem cruciatam juramento solemni se facturum promiserat, nec jurata eousque impleverat. Ad ultimos vero limites Honorii indulgentia processerat; quo magis patet, merito successores ejus justitiae vigorem in Imperatorem adhibuisse. — Altero post obitum Honorii die in ejus locum omnium Cardinalium consensu electus fuit *Gregorius IX*, antea appellatus Ugolinus, Cardinalis Episcopus Ostiensis, vitae probitate, animi fortitudine ac doctrina conspicuus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1241. Is, quum res terrae sanctae in summo discrimine essent, imprimis adlaboravit contrahendis undique auxiliis bellicis contra Turcas, atque etiam Fridericum II enixius monuit, ut, quemadmodum spoponderat, sacram expeditionem susciperet. Imperator respondit, se id facturum, et edixit, ut crucigeri Brundusium in Italia convenirent ad diem festum Assumptionis B. V. Mariae. **Gregorius IX R. P.**

9. Reipsa numerosi exercitus, ex sola Anglia, teste Mathaeo Parisio, sexaginta virorum millia, convenerunt. At Fridericus continue moras nectens causa exstitit, quod maxima crucigerorum pars saevientibus caloribus, morbis aliisque incommodis perierit, reliqui vero in terras suas redierint. Quod factum Imperatoris, ait Matthaeus Paris, ad a. 1227, *damnose nimis redundavit in dedecus et praejudicium totius negotii Crucifixi.* Dum id audivit Gregorius IX, die 29° Septembris anni 1227 congregatis in ecclesia apud Anagniam Cardinalibus, episcopis aliisque praelatis, Imperatorem excommunicatum declaravit. Exstant ista de re litterae Gregorii IX, egregie conscriptae, ad varios praesules, quibus ex ordine eventuum seriem exponit, atque aperit, necessario excommunicationi Fridericum subjiciendum fuisse. Quum ex hac epistola totius rei momentum optime perspiciatur, quaedam juvabit ex ea afferre. **Expeditio cruciata dilata.**

10. Postquam Pontifex multiplices illas promissiones, morasque continuas Friderici per longam annorum seriem

commemoravit, de pacto ad s. Germanum ante biennium confecto ait: „Cumque ad s. Germanum cum pluribus Alemanniae principibus pariter convenissent, Imperator propria manu juravit, quod inde ad biennium, id est in passagio Augusti proxime nunc transacti, omni excusatione et dilatione cessantibus transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum in obsequiis terrae sanctae, centum millia unciarum auri in quinque passagiis proximo tunc futuris illuc destinaret, certis assignanda personis: et tunc Cardinales praedicti de Imperatoris assensu in ejus conspectu, principum ac populi circumstantis, sententiam excommunicationis publice, auctoritate Sedis Apostolicae protulerunt, in quam incideret Imperator, si forsan in aliquo deficeret praedictorum. Obligavit se insuper Imperator ad centum calendras et quinquaginta galeas ducendas et tenendas biennio ultra mare, ac quod insuper duobus millibus militum passagium certis terminis largiretur, in animam suam jurari faciens, se ista quae diximus impleturum, et sponte consentiens in ipsum et regnum suum ferri sententiam, si haec non fuerint observata." — Dein Pontifex Friderici perfidiam deplorat. „Qualiter autem, inquit, hoc impleverit, advertatis. Nam quum ad ejus frequentem instantiam multa crucesignatorum millia per excommunicationis sententiam coarctata, in termino destinato ad portum Brundusii properassent, . . . ipse (Imperator) omnium promissorum quae Apostolicae Sedi et crucesignatis per litteras suas fecerat immemor, tamdiu in aestivi fervoris incendio, in regione mortis et aëris corruptela, detinuit exercitum Christianorum, quod non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium et magnatum pestilentia, sitis aviditate et ardoris incendio ac multis incommodatibus exspiravit. Inter quos defecerunt nobilis vir lantgravius (Thuringiae, Ludovicus) et episcopus Augustensis. Pars vero non minima, infirmitate gravata regrediens, in viis, et silvis, montibus, planitiis et speluncis, occubuit jam ex parte. Sane reliqui vix Imperatoris obtenta licentia, licet galeae, calendrae, ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum et

Gregorii epist. de Friderico.

equorum, ut promiserat, non adessent, in festo tamen nativitatis B. Virginis, cum jam temporis instantia immineret, ut naves a transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt, se pro nomine Jesu Christi discrimini commitentes, ac credentes, Imperatorem cominus eorum vestigium secuturum. Idem vero evacuatis promissionibus, ruptis vinculis quibus videbatur adstrictus, calcato timore divino, contempta reverentia Jesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, derelicto exercitu christiano, exposita infidelibus terra sancta, devotione populi christiani abjecta, in suum et totius christianitatis opprobrium, retrorsum abiit attractus et illectus ad consuetas delicias regni sui, abjectionem corporis sui frivolis excusationibus, ut dicitur, gestiens palliare." — Videlicet juxta accuratiorem relationem, Fridericus etiam die 8° Septembris, comite Ludovico Thuringiae Lantgravio, navi profectus est, sed post paucarum leucarum iter, praetextu morbi, navem reverti et ad Otrantum appelli jussit. Ipse vero, quantum videtur, non incidit in morbum, sed tunc ex inopinato extinctus est Ludovicus, rumorque exortus est, a Friderico eum veneno interemptum fuisse. Imperator porro se contulit Puteolos, ut in hujus oppidi balneis valetudinem curaret. Expeditionem cruciatam usque ad tempus vernum subsequentis anni distulit, et mense Majo suscipiendam dixit. Ad Pontificem duos aulicos misit, qui eum ob dictam expeditionem cruciatam excusarent, rationesque Papae exponerent. Sed Gregorius IX haud acquievit eorum dictis, morbum Imperatoris confictum esse censuit, et, uti diximus, solemniter declaravit, eum in excommunicationem incidisse.

11. Postquam videlicet in litteris citatis calamitatem terrae sanctae multis Gregorius planxit et ad auxilia evocanda praesules excitavit: *Porro,* pergit, *ne tanquam canes muti non valentes latrare videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo, qui tantam ruinam in Dei populo procuravit, Imperatorem Fridericum, qui nec transfretavit in termino, nec illuc in taxatis passagiis praescriptam pecuniam destinavit, nec duxit mille milites per* **Excommunicatio.**

biennium tenendos ibidem ad suum pro subsidio terrae sanctae, sed in his tribus articulis manifeste deficiens, in excommunicationis descriptae laqueum ultroneus se ingessit, excommunicatum , quamquam invite, publice nuntiavimus, et mandamus, ab omnibus arctius evitari, per vos et alios ecclesiasticos praelatos ipsum excommunicatum praecipientes public nuntiari, contra ipsum, si contumacia ejus exegerit, graviu processuri.[1])

Eventus expenduntur.

12. Ut vero de his eventibus judicium criticum pro feramus, advertendum est, quoad plura quae Fridericun spectant certum quid definiri vix posse. Mortem Hermann Thuringiae comitis vel etiam episcopi Augustani, venen propinato ab Imperatore fuisse procuratam, sparsum qui dem fuit rumoribus, idque malam Friderici apud coaevo famam ostendit. Caeterum vero non sunt ejusmodi faci noris indicia solida, quum grassantibus ob calores aestivo morbis facile ipsi succumbere potuerint. — Contendit qui dem Imperator identidem, se morbo vexatum, et inde im peditum fuisse, ut iter propositum susciperet. „Postmodum scribit, resumpta convalescentia galeas ingressi sumus, no et dilectus consanguineus noster lantgravius, vestigia pra cedentium secuti. Ubi tam subito invasit utrumque tu batio, quod et nos in graviorem recidimus recidivam, idem lantgravius post accessum nostrum apud Hydruntu de medio, proh dolore, est ereptus.“[2]) Attamen gravior alicujus morbi, quo Imperator correptus sit, nullum exst documentum. Pontifex vero ac fideles Ecclesiae addic universim censuerunt, confictum esse Friderici morbum quumque Imperator jam ante toties moras traxisset, mala de ejus moribus et fide fama esset sparsa, gravi erant motiva, ut ita judicarent. Quum negotium exped tionis cruciatae pro tota societate christiana haberet summi momenti, quumque haec expeditio ingenti sollic tudine a Pontificibus esset praeparata, Imperatoris ve

[1]) Epistola haec data est die 10° Octobr. a. 1227.
[2]) Epist. Friderici LXXIX ad universos Cruce signatos; ap. Ma tene, Scr. Vet. II. 1194.

desidia eousque retardata, Fridericus II debuisset providere honori suo, et statuto tempore demum stare promissis, nisi gravi et manifesto motivo impediebatur. Sed ejusmodi motivum haud apparebat. Saltem debuisset Imperator, si reapse infirma valetudine afficiebatur, brevem post moram adhuc eodem auctumno, viribus restitutis, illico rem coeptam prosequi. Quum vero, maximo exercitus detrimento, in alterum annum expeditionem differret, profecto eam suppositionem provocabat, inanes quaeri ab ipso praetextus.

Motiva vera Friderici

13. Caeterum, si forte ob calores aestivos leviora sentiebat incommoda, alia tamen fuisse motiva vera, ob quae distulit expeditionem sacram, ex rerum colligitur adjunctis, atque a gravissimis auctoribus jam agnoscitur.[1]) Fridericus II videlicet, vir voluptatibus deditus, haud ita fidei ac religioni christianae erat addictus, ut *bellum sacrum* in Oriente gerendum ad convellendam Saracenorum dominationem ei gratum esset atque utile videretur. Negotium terrae sanctae habebat potius ut quaestionem politicam, quam tractatione diplomatica solvere satagebat. Eo tempore, quum Saladini posteri ac haeredes variis discordiis et luctis essent divisi, Hierosolyma et adjacentes regiones, quae antea sub dominio fuerant sultani Damasci, in possessionem venerant sultani Aegypti Malek al Kamel. Cum hoc rege igitur secretam negotiationem inierat Fridericus, sperans fore, ut cessionem urbis sacrae et adjacentis provinciae, foedere constituto, obtineret. Quum vero principibus Orientis nota esset indoles Imperatoris, qui Saracenis in Sicilia degentibus favorem praestabat, Kamel, Aegypti rex, haud abnuit, amica quadam negotiatione legatis et litteris utrimque missis cum Imperatore tractare, sperans, se cum Imperatoris auxilio Damasco quoque potiturum esse. Sed mense Augusto anni 1227 nondum eo pervenerant, ut conventio aliqua vel pax conclusa esset, adeoque molestum et inopportunum visum est Imperatori, ex-

---

[1]) Cfr. Balan Storia d'Italia L. XXV. n. XX. Brischar-Stolberg B. 52. S. 117.

peditionem sacram in Orientem tunc suscipere, ac praetextibus et ambagibus eam iterum differre nisus est. Ipse praeter valetudinis conditionem alias fuisse rationes differendi bellum, forte innuit in epistola ad principes datâ scribens: „Viso et inspecto statu personae nostrae, et *quibuslibet circumstantiis indagatis*, consulendum de transitu (consilarii) non viderunt.“[1]) Sed reapse tempus illud, ob divisiones principum Saracenorum in Oriente, expeditioni maxime opportunum fuisset. — De modo agendi Gregorii IX Pontificis in Imperatorem, varium fuit jam ea aetate judicium, ac recentiorum quoque auctorum est sententia discors. Sed hac de quaestione inferius agemus, postquam eventuum seriem perlustravimus.

Excommunicatio repetita.

14. Subsequenti igitur anno 1228 in Coena Domini Gregorius IX excommunicationem in Fridericum II redintegravit, sacrisque interdixit loca in quibus is ageret. Rationibus superius jam prolatis, in epistola data ad praesules Apuliae adhuc alias adjungit, videlicet quod Imperator archiepiscopum Tarentinum ad sedem suam accedere populumque suum visitare impediret; quod Templarios equites bonis, quae in regno ejus habebant, injuste spoliasset; quod concordiae leges cum Comite Celanensi et Raynaldo de Aversa initas, pro quarum observatione Romana ecclesia ad ejus preces fidejusserat, servare contemneret; quod comitem Rogerium, crucesignatum et sub protectione Sedis Apostolicae constitutum, comitatu aliisque terris injuste privasset, ejusque filio in custodia retento, secundum Apostolicum mandatum libertatem reddere recusaret. — Vides, gravissima fuisse motiva, ob quae Gregorius IX Fridericum II excommunicavit; attamen ejus depositionem tunc nondum Pontifex pronuntiavit, nec subditos a juramento fidelitatis solvit.

15. Fridericus Imperator interim acerrimas litteras contra Gregorium die 6° Decembris 1227 misit ad principes christianos, quibus refellere nitebatur accusationes

---

[1]) Epist. Friderici LXXIX. ad universos Crucesignatos, ap. Martene l. c.

Pontificis, ac vehementer et turpiter invehebat in ecclesiam Romanam. In epistola missa ad Henricum III, regem Angliae, eum excitabat contra Pontificem, recolens modum agendi Innocentii III in Joannem sine terra, Henrici patrem, et in comitem Tolosanum, eique in mentem revocabat illud poetae: *Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.*[1]) Praeterea vero Romanos in Gregorium commovere conatus est. Conradus Urspergensis abbas ea de re in Chronico scribit: *Imperator convocavit ad se de civibus Romanis potentissimos et nobilissimos, de familia eorum qui dicuntur Frangentes panem* (Frangipani), *et de aliis, ad quos praecipue respectum habebat populus Romanus: habuitque cum illis tractatum, qualiter eos faceret vasallos Imperii, et ut sibi faciant hominium et fideliter assistant in omnibus causis. Jussit itaque eosdem sub certa aestimatione pretii et census computare, quantum valeant omnes res ipsorum immobiles, quas habebant in civitate tam in aedificiis, quam in agris et vineis et mancipiis et aliis rebus. Quo facto, omnes res illas dato pretio comparavit ab eis, et easdem res ipsis in feudum concessit, ratione fidelitatis, quam deberent sibi et Imperio. Quocirca iidem reversi, quum Papa rursus excommunicaret Imperatorem, fecerunt, ut a populo pelleretur turpiter extra civitatem; unde apud Perusium eo anno, et sequenti ibi permansit.*[2])

16. Dein vero mense Julio Imperator, veluti in ludibrium Pontificis, ut se injuste excommunicatum ostenderet, paucis cum copiis in Syriam transvectus, bellum fictum cum Saracenis suscepit. Proficiscens varia de regno Siciliae et Germaniae disposuit, quae pactis anterioribus de non jungendis illis regnis contraria erant; magnum quoque exercitum, in quo etiam Saraceni militabant, duce Raynaldo reliquit, ut Pontificis ditionem istae copiae invaderent. Quando in terram sanctam advenit, cum hostibus non dimicavit, sed pacisci coepit, et anno 1229 mense Februario, reclamantibus licet Christianis Palaestinae, cum Friderici expeditio in Orientem.

[1]) V. Matth. Paris ad a. 1228.
[2]) Ap. Raynald. ad a. 1228. n. 6.

sultano Aegypti indecoras decem annorum inducias pepigit Quod in grande rei christianae in Syria detrimentum plurimis videbatur vergere.

Res in Palaestina gestae.

17. Scripsit ea de re Geroldus, patriarcha Hierosolymitanus, ad Gregorium IX litteras, quibus amare queritu de ficta illa Friderici expeditione, qua confusio et ignominia nomini christiano comparetur. Accusat Imperatorem quod Saracenis potius favorem ostendat, et conventione terrae sanctae nocivas cum iis ineat, moresque prae s ferat turpes, Saracenis ipse similis. *Quod cum maxime* scribit, *verecundia referimus et rubore, Imperatori soldani audiens, quod secundum morem Saracenicum se haberet, mis cantatrices quae et saltatrices dicuntur, et joculatores, personas quidem non solum infames, verum etiam de quibu inter Christianos haberi mentio non deberet. Cum quibu idem princeps hujus mundi vigiliis, potationibus et indumentis, et omni modo Saracenico se gerebat, etsi talia abhorruit exercitus Jesu Christi. Adhuc, dante Domino, loco tempore Sanctitatis vestrae auribus referent, qui propri oculis haec viderunt. Erga Saracenos non solum largus e stitit; sed effusor, ac si emere vellet pacem, quam obtinei non poterat violentia vel timore.*[1]) Etiam Matthaeus Paris *Conglutinata est,* scribit, *anima Imperatoris cum animo soldani indissolubili caemento dilectionis;*[2]) quamvis id attribu grato animo Friderici, cui soldanus manifestaverit insidi Hospitaliariorum et Templariorum contra Imperatorem Caeterum cum Fridericus excommunicatus esset, clerici milites terrae sanctae nonnisi aegre et magna cum cat tela cum eo agere poterant, atque ubi erat Imperator, o interdictum nec sacra peragebantur.

18. Pacta, quae Fridericus II cum Sarracenis iniera Gregorius IX rejecit. Varias rationes exprimit Pontife in epistola scripta ad Leopoldum Austriae ducem.[3]) Saracenis Imperator commiserat custodiam templi (Salomonis

---

[1]) Ap. Raynald. a. 1229. n. 5.
[2]) Ad a. 1229.
[3]) Ap. Raynald. ad a. 1229. n. 23.

et statuerat, ut Christiani ac Saraceni simul uterentur hoc templo, quod antea ecclesia cathedralis Patriarchae fuerat. *Arma christianae militiae*, scribit praeterea Pontifex, *gladii potestatem de altari B. Petri sumpti, ad vindictam malefactorum laudemque bonorum, sibi a Christo per suum vicarium assignati, quo pacem Christi, fidem Ecclesiae defenderet et muniret, soldano Babyloniae, inimico fidei, adversario Jesu Christi, cultori perditi Mahometi impudentissime resignavit, denuntians ei, ut de ipso faceret, quidquid vellet, et affirmans, se nolle arma sumere de caetero contra ipsum, quem ut impugnatorem fidei fideliter impugnaret, acceperat imperialis culminis dignitatem. — Antiochiam et Antiochenam provinciam, Tripolitanam etiam cum adjacentibus, . . . occupanda paganis exposuit, quando ipsa a confoederatione treugarum excepit. Imo si ea invadi contingeret a paganis, non solum se omne subsidium denegaturum assensit, sed universos ferentes auxilium impedire et cohibere nefandissimo juramenti vinculo se adstrinxit. — Contra totum populum christianum apparet ipsius et paganorum confoederatio manifesta, ubi ita se damnabiliter obligavit, quod si omnes praedicti inter se initis factionibus vellent quomodolibet obviare, juramento tenetur suis expensis et exercitu suo pro suis viribus debellare. Ex quo constat, quod si christianus exercitus ulcisci sui vellet injuriam Redemptoris, et a templo Dei et a terra sancta eliminare spurcitias paganorum, patenter tenetur se opponere Christianis.* — Manifestum est, Pontificem merito talia pacta rejecisse. Ea inania fuisse, brevi apparuit; nam jam anno 1230 Hierosolyma, cujus moenia ex pactis non erant restauranda, a saeva Saracenorum turba expugnata et multis caesis devastata est.

19. Illud porro quoad conventionem Fridericum inter et sultanum Aegypti maxime attendendum est, urbes et castella quae sultanus cessit Friderico, proprie pertinuisse ad ditionem sultani regni Damasci. Vicissitudine belli inter utrumque sultanum exorti, eo tempore quidem inciderant in manus Kameli sultani Aegypti, sed dubium non erat, opportuna occasione data, sultanum Damasci tentaturum esse, ut ea recuperaret. Poterat igitur Aegypti **Conventio inanis.**

sultanus facili negotio ista cedere Friderico, ut ea ratione cum eo pacem commodam ac foedus haberet. Sed quum sultanus Damasci non comprehenderetur in pactis concordiae, uti scite advertit Geroldus patriarcha, nulla pax solida firmata erat, sed Christianis maxima pericula ex parte sultani Damasci imminebant.

20. Interim Gregorius IX contra Fridericum, cujus copiae ditionem ecclesiasticam invaserant, etiam subsidiis pecuniariis petitis et acceptis a variis nationibus, exercitum comparaverat validum ejusque ducem constituerat Joannem Brienniun, virum fortem, antea Hierosolymae regem, et Friderici socerum.[1]) Pontificis exercitus non solum copias Friderici ex ditione ecclesiastica ejecit, sed etiam partem Apuliae expugnavit. Quod quum Friderico nuntiatum esset, reditum ex Oriente acceleravit, et mense Majo a. 1229 Palaestinam relinquens, mense Junio in Italiam appulit, moxque amissa maxima parte recuperavit. Excommunicatio Friderici renovata fuit a Gregorio IX ac bellum continuatum; studuit tamen tunc Imperator, Agitur de pace. quum timeret, ne in eum coalescerent omnes fideles Ecclesiae atque adversarii familiae ipsius, pacem cum Pontifice inire. Paratum se semper ostenderat Gregorius ad concordiam restaurandam, dummodo Imperator debitam satisfactionem praestare ac se emendare vellet. Quum igitur Fridericus oratores ad eum misisset, litterisque utrimque directis negotium tractatum fuisset, anno 1230 die 23° Julii pax constituta est. Jurejurando spopondit Fridericus, se redditurum esse territoria ditionis ecclesiasticae quae occupaverat, pariterque clero et monasteriis ea restiturum, quae ipsis ademerat. Promisit, se revocaturum esse episcopos e sedibus ejectos, libertatem concessurum pro electionibus in Italia meridionali ac Sicilia haud arbitrario modo tributis impositis clerum jam vexaturum esse; se agniturum semper dependentiam feudalem

---

[1]) Fridericus, uti diximus, Jolantham Joannis filiam duxerat uxorem atque patrem etiam adegerat, ut sibi cederet titulum regis Hierosolymitanorum; sed Jolantha jam a. 1228 in partu Conradi filii mortua erat.

Siciliae utriusque ab Apostolica Sede, et rebus Palaestinae sollicite provisurum. Ab excommunicatione die 28⁰ Augusti solutus, Fridericus die 1⁰ Septembris Gregorium IX Anagniae visitavit, ab eoque ipse affirmavit benevolentia adeo sincera se esse receptum, ut omnem animi acerbitatem exinde deposuerit. Gaudium de concordia restituta tum Pontifex, tum Imperator, variis litteris significaverunt. Scripsit tunc Fridericus ad principes: *Summum Pontificem vidimus reverenter. Qui affectione paterna nos recipiens et pace cordium sacris osculis foederata tam benigne nobis propositum suae intentionis aperuit, de ipsis quae praecesserant, nil omittens et singula prosequens evidenti judicio rationis, quod, etsi nos praecedens causa commoverit vel rancorem potuerit aliquem attulisse, sic benevolentia quam persensimus in eodem, omnem motum lenivit animi et nostram amoto rancore serenavit adeo voluntatem, ut non velimus ulterius praeterita memorari, quae necessitas intulit, ut virtus ex necessitate prodiens operaretur gratiam meliorem.*[1]) Sed et subsequentibus annis Gregorius IX, quantum potuit, pacem servare conatus est, ac praesertim Lombardos Imperatori conciliare studuit. Concordia restituta.

21. Ex enarratis satis patet, immerito auctores quosdam, tam coaevos quam recentiores, Gregorium IX accusasse, quod animo hostili in Imperatorem saevierit, injuste eum violatae fidei arguerit, et Ecclesiae in eum verterit censuras atque anathema. Haud videtur necessarium haec fusius refutare. Sed non desunt auctores graves Ecclesiaeque addicti, qui admittunt quidem, Gregorium non caeca quadam passione egisse, nec injustiae eum argui posse: sed censent, haud prudentem et inopportunam fuisse rationem illam agendi severam. Zelo Pontificis imprudenti ac severitati inopportunae tribuendum esse, quod expeditio cruciata successu caruerit, quodque, exorta lucta inter Imperatorem et Papam, fervor bellorum sacrorum exstinctus sit.[2]) — Profecto *per se* accidere potest, ut Pontifex

[1]) V. Raynaldum ad a. 1230 n. 16.
[2]) Cfr. Reumont, Gesch. der Stadt Rom, II. 509 ff.

An Gregorius IX arguendus.

aliquis minus prudenter agat in negotiis ecclesiasticis disponendis utque inde detrimenta lugenda proveniant. Sed gravissimis in sua ratione agendi Gregorius ducebatur motivis, nec censuerim, eum jure argui posse imprudentiae vel inopportunae severitatis. Recolendum est, nihil profuisse longanimem Honorii III patientiam; unde prudentiae esse videbatur, auctoritatis severioris adhibere justa remedia. Inanem autem fuisse turbatae valetudinis praetextum, quo novas expeditionis sacrae moras Imperator nectebat, omnia, uti vidimus, suadebant.[1]) Unde Gregorium IX haud reprehendi posse arbitramur, quod Imperatorem in excommunicationem incidisse, solemniter annuntiaverit. — Fridericus porro, antequam altero anno expeditionem in Orientem suscepit, hostilem in Pontificem animum manifeste ostendit. Ea vero ratione, uti vidimus, se gessit in terra sancta, ut non appareat, quomodo Gregorius tunc ei reconcilari ejusque conatibus assentiri potuerit. Principia politica et religiosa quae ipse in suis pactis cum Saracenis prosequebatur, talia erant, ut eadem Pontifex admittere non posset, eo vel magis quod Fridericus, princeps vitae lubricae, quoad fidem et religionem christianam valde dubius videretur.

22. Restituta tamen videbatur concordia, quum a. 1230 Imperator se Gregorio IX reconciliasset; sed Friderici tendentiae obstabant, quominus pax solida et diuturna cum Ecclesia consistere posset. Tendebat omnibus quibus poterat mediis, uti quondam Fridericus I, ut absolutam dominationem in Italiam conquireret; praeeminentiam Ecclesiae, et dependentiam imperialis majestatis ab ipsa respuebat; Ecclesiae dominari conabatur, et callida arte ita

[1]) Adverti adhuc potest, Fridericum II quum a. 1228 revera transfretare vellet in Orientem, sollicite varias dispositiones fecisse quoad regni Siciliae administrationem et successionem si ipse obiret. Sed a. 1227, quamvis ad expeditionem cruciatam se accinctum ostentaret, quoad regni administrationem et successionem nihil omnino statuerat. Gravissimo id est argumento, eum tunc nullatenus voluisse suscipere illud iter in Orientem, infirmam vero valetudinem inani praetextu fuisse confictam. Cfr. Balan, Storia d'Italia, L. XXV. nn. XIII. sqq.

res vertere, ut Romani Pontificis auctoritate etiam abuteretur ad consilia sua perfida et superba exequenda. — Contra promissa Imperator mox eos persecutus est, qui ex partibus Pontificis steterant, praesertim Hospitaliarios et Templarios, ita ut Gregorius ea de re eum monere adigeretur. Promulgavit dein pro regno Siciliae codicem legum, a cancellario suo Petro de Vineis compositum, quibus Ecclesiae auctoritatem coarctabat, et absolutam potestatem regiam, a qua omnia dependerent, (secundum centralisationis quod dicitur systema), statuebat. Aegre tulit ea de re admonitiones Gregorii IX, qui tamen nonnisi indirecte, per Collectionem Decretalium suarum, hisce obviare nisus est. — Anno 1232 Fridericus II comitia Imperii tenuit Ravennae, ibique plures leges edidit contra libertates municipiorum Italiae, maxime Longobardiae, simulque leges tulit severas contra haereticos, quos ad poenam rogi condemnavit. Sed dum Saracenos maxime fovebat, illis legibus contra haereticos vario modo abusus est. Non solum persecutus est plures Catholicos, qui eum offenderant, sub praetextu, quod haeretici essent, sed exinde Longobardos libertatum tenaces, eo quod in eorum civitatibus coetus haereticorum invenirentur, omnes consideravit ut haereticos et fautores haereticorum. Imperii autem, quod uti Pontificatum divinitus institutum contendebat, scopum principalem esse dicebat haeresis exstirpationem, adeoque jam Longobardos ut tales insectatus est, quo facilius libertatem ac jura eorum destrueret. Imo etiam postulabat, ut Pontifex contra Longobardos tanquam haereticos auctoritatis suae subsidium ei praestaret.

Friderici tendentiae.

23. Gregorius IX quidem identidem Friderico adfuit, ut in commodum ipsius concordia cum Longobardis restauraretur, nec minus contra Henricum filium ejus rebellem eum auctoritate sua auxiliatus est. Ita usque ad annum 1236 pax cum Pontifice, hujus prudentia et patientia, servata fuit. Sed exinde majores difficultates exortae sunt. Fridericus enim, quum eo tempore, rebus in Germania secunde compositis, regnumque Siciliae absoluto dominio tenens, ad magnam potentiam pervenisset, jam

armata manu Longobardiam penitus subjicere statuit; simul vero superbo animo, multa in Ecclesiam injuriose perpetravit ac praesules et clerum varie oppressit. Bellum susceptum, ut jugo duro et injusto municipia Italiae superio-
Friderici facinora. ris submitteret, exhibuit ut pugnam sacram ad exstirpandam haeresim initam, utque Longobardi vinculo excommunicationis constringerentur, a Pontifice poposcit. Is perfidis Friderici consiliis obsecundare renuit, eum hortatus est, ut aequa ratione ageret in Longobardos, qui controversias Sedi Apostolicae dirimendas deferebant, et gravius identidem Imperatorem monuit de multis injuriis, quibus Ecclesiam, Apostolicam Sedem, ac religionem catholicam affi ciebat. Secunda belli fortuna elatus Fridericus reddidi Pontifici litteras acres et conviciis plenas, et vexatione in ecclesias etiam auxit.[1])

24. Aegerrime ferebat merito Gregorius IX, quo bello injusto contra Longobardos ut haereticos suscepto irrita redderentur spes et conatus omnes ad liberan dam terram sanctam e manibus Saracenorum, quodqu Fridericus nepotem regis Tunisii, adolescentem qui Ro mam se conferebat ut baptismum susciperet, in Sicilia pe milites suos custodiae mandasset, eo praetextu, princi pem esse seductum, et sine patrui permissione christianam fidem suscipere non posse. Multa alia praeterea eran propter quae jure Gregorius vehementer conquestus es Arguebat Imperatorem, quod conditiones pacis, ad s. Ger manum anno 1230 confectae, haud observasset, quod Ro manos (a. 1236) ad rebellionem contra Pontificem exc tasset, quod legatum Pontificis custodiae mandasset, plure praesules dire vexasset et in exilium expulisset, quod pres byteros varios crudeliter ultimo affecisset supplicio. Praete haec impedierat Fridericus electionem episcoporum pr pluribus sedibus quae vacabant, ecclesias christanas pe milites suos Saracenos destrui fecerat, insulamque Sard niam, quae agnoscebatur ut Romae ecclesiae proprieta

[1]) Cfr. Gregorii epistolas et Friderici responsa ap. Raynaldum a a. 1236 nn. sqq.

ipse cum regis titulo dederat Enzio filio suo notho. Luxuriae maxime deditus, impietatis, haeresis et incredulitatis famam apud coaevos Imperator sibi consciverat. Quamvis enim ut monarcha orthodoxiam severam fingeret et prae se ferret, in vita privata incredulitatem profiteri videbatur ac more Saracenorum vivebat.

25. Quum igitur post multas exhortationes et monita Pontifex videret, Imperatorem ad meliorem frugem haud reverti, summum autem diserimen imminere, ne libertas Sedis Apostolicae et Ecclesiae subverteretur, et Ecclesiae influxus salutaris in societatem penitus destrueretur, Excommunicatio Friderici. neve haec ab Imperatore ad vilem conditionem ancillae redigeretur, quae serviret ipsius criminibus, et despotismus sultanorum Orientis etiam in Occidentis regionibus stabiliretur: pro officio suo Gregorius hisce obviare statuit. Foedera itaque pepigit cum Januensibus et Longobardis, et die 20° Martii anni 1239 Imperatorem excommunicavit; quamdiu sub excommunicatione esset a vinculo fidelitatis subditos solvit, loca autem in quibus Fridericus degeret interdicto subjecit. Crimina Friderici II singillatim in bulla excommunicationis recensentur.[1]) Lapsis nonnullis diebus universos christiani orbis praesules sententiam in Fridericum latam promulgare encyclicis litteris (d. d. 15. Aprilis) jussit Pontifex. In quibus, ubi post collocata in luce ingentia beneficia quae Fridericus a Romanis Pontificibus acceperat, atrocia scelera in concepta anathematis forma adduxit, subjicit: *Quia vero super iis et quampluribus aliis excessibus pluries a nobis monitus correctionis medelam non sentiens, cum suarum sint ulcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur, nos haec absque Christi offensa praeterire sub dissimulatione ulterius non valentes, de fratrum nostrorum consilio, ex parte Dei omnipotentis, cujus vicem in terris gerimus licet immeriti, et auctoritate beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus ac nostra, in eum et omnes illos, qui in praemissis vel alias*

[1]) V. Raynaldum ad a. 1239 nn. 2 sqq.

contra Romanam ecclesiam sibi praestiterint consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis et anathematis sententiam duximus promulgandam, tradentes ipsum satanae in interitum carnis, ut spiritus ejus in die Domini salvus fiat; omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti hujusmodi absolutos, et firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis adstrictus. Ad haec civitates, castella, villas, et alia loca ad quae ipse pervenerit, quamdiu ibi fuerit, ecclesiastico subjicimus interdicto, ita quod publice vel secreto nullum ibi divinum officium celebretur, indulgentia vel privilegio quolibet non obstante.[1]) In iisdem litteris versus finem Pontifex scribit: *Caeterum quum praefatus Fridericus de aliis magnis et gravibus sit plurimum infamatus, nos dante Domino super iis suo loco et tempore procedemus, prout in talibus negotii natura requirit.* Hisce significat notam haeresis et incredulitatis, qua Fridericus infamatus erat.

Imperatoris irae. 26. Imperator immanes iras contra Pontificem concepit, ac tum alloquiis variis, injuste se excommunicatum proclamans, conviciis Gregorium affecit, tum ad principes christianos litteras dedit, quibus contra Pontificem eos excitabat. Querebatur, Gregorium, post obtentam pontificiam dignitatem superbia elatum, ex amico in hostem descivisse; ipsum sibi innumeras insidias conflasse; morbo laboranti profectionis in Orientem differendae moram immaniter denegasse, susceptaque expeditione litteras ad soldanum, ne ereptas terras restitueret, scripsisse; decimas corradere non ad ferendam terrae sanctae opem, sed ut in suos usus eas converteret. Insubribus, Imperii perduellibus, semper favisse; quoties ipsius judicio res Imperii suasque injurias permisisset, totius circumventum fuisse. Maximi denique principum interesse, ut non aequo animo inustam summo Christianorum principi injuriam tolerarent, cum ipsorum dignitas in ejus causa laboraret; ac facile reges et princi-

---

[1]) V. Raynaldum ad a. 1239 nn. 14 sqq.

pes a Pontifice obtritum iri, si Imperatorem suae mancipasset servituti.[1]) Eo audaciae processit, ut negaret, Gregorium valere auctoritate, qua ipsum ab Ecclesia praecidere potuerit, utque sacramenta magno sacrilegio sibi anathemate defixo ad impietatis ostentationem porrigi juberet.

27. Tunc Pontifex etiam de ejusmodi haeretica Friderici sententia ac de aliis impiis ejus assertionibus die 1° Julii a. 1239 ad praesules, reges et principes dedit epistolam, in qua inter alia scribit: *Sicque affirmans, non esse apud Ecclesiam a Domino beato Petro et ejus successoribus ligandi atque solvendi traditam potestatem, dum haeresim asserit, proprio sibi argumento concludit, consequenter ostendens, quod male sentiat de caeteris fidei orthodoxae articulis, dum Ecclesiae super quam fides fundata consistit, auferre nititur concessum verbo Dei privilegium potestatis. Sed quia minus bene ab aliquibus credi posset, quod se verbis illaqueaverit oris sui, probationes in fidei victoriam sunt paratae, quod iste rex pestilentiae,* (asseruerit) *a tribus baratatoribus, ut ejus verbis utamur, scilicet Christo Jesu, Moyse et Mahumeto, totum mundum fuisse deceptum, et duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Jesum in ligno suspensum manifeste proponens. Insuper dilucida voce affirmare vel potius mentiri praesumpsit, quod omnes fatui sunt qui credunt, nasci de Virgine Deum, qui creavit naturam et omnia, potuisse; hanc haeresim illo errore confirmans, quod nullus nasci potuit, cujus conceptum viri et mulieris conjunctio non praecessit; et homo nihil debet aliud credere, nisi quod potest vi et ratione naturae probare. Haec et alia multa, quibus verbis et factis catholicam fidem impugnavit et impugnat, suo loco et tempore sicut decet et expedit manifeste poterunt comprobari.*[2])

Fridericus suspectus de incredulitate.

28. Effatum blasphemum *de tribus impostoribus* a Thoma Cantipratano adscribitur Simoni Tornacensi, doctori Parisiensi: „Magister Simon de Tornaco, scribit, Parisiis in

---

[1]) V. Raynald. ad a. 1239. nn. 17 sqq.
[2]) Raynald. a. 1239. n. 26.

Blasphemia de tribus impostoribus. theologia regebat, et erat excellens ille suo tempore; sed contra decentiam talis officii supra modum incontinens et superbus. Hic cum super omnes doctores civitatis auditores haberet, et in schola coram omnibus de humilitate altissimae doctrinae Christi quaestionem, disputatione praehabita, terminaret, in fine tandem datus in reprobum sensum in execranda contra Christum blasphemiae verba prorupit. Tres sunt, inquit, qui mundum sectis suis et dogmatibus subjugarunt: Moyses, Jesus et Mahometus. Moyses primo Judaicum populum infatuavit. Secundo Jesus Christus a suo nomine Christianos. Tertio gentilem populum Mahometus. Nec mora, eversis oculis pro humana voce mugitum emisit, et epilepsia statim elisus in terram, die tertio ejusdem morbi vindictam accepit." Boni universalis L. II. c. 48. n. 5. — Immerito autem Gieseler ex his infert, talia non dixisse Fridericum, qui alterius dicta repetere noluerit.[1]) Imo potius concludendum est, ejusmodi effatum blasphemum in ore impiorum illius aetatis haud ita infrequens fuisse. — Commemoratur etiam liber *de tribus impostoribus,* quod opus medio aevo scriptum multi crediderunt; sed liber qui exstat saeculi XVI foetus est.[2]) Fridericus quidem negavit, se ea dixisse quae ipsi a Gregorio IX tribuebantur. *Quod absit,* scribit, *de nostris labiis processisse, cum manifeste confiteamur unicum Dei filium.* Sed ejus verbis non est fidendum; multa enim sunt argumenta, eum fidem in religionem christianam abjecisse, idque etiam ipsi Muhamedani testantur. Qui Friderico enim comes fuit quum Hierosolymis esset, eique aedes sacras Turcarum monstravit, testatus est, Imperatorem sermonibus suis ostendisse, se non reputare veram religionem christianam, eamque ludibrio habuisse.[3])

29. Interim Fridericus bellum in Pontificem et in addictas ei civitates acerbius gessit; Romanae ecclesiae

---

[1]) K. G. B. II. Abth. II S. 129.

[2]) Vide hac de re Hefele, Beiträge B. I. S. 339.

[3]) Cfr. Reinaud, Extraits des historiens arabes relatifs aux guerres des Croisades. Paris 1829. p. 431.

terras invasit et devastavit, totam Italiam dissidiis, factionibus, et bellis turbavit. Atque eo major erat Imperatoris perversitas in lucta ista contra Pontificem suscipienda, quod eo tempore magna societati christianae pericula afferrent Tartari, qui ex Asia prorumpentes jam Hungariae, Poloniae aliisque regionibus imminebant. Sed Fridericus etiam tunc arte subdola Pontifici culpae vertere nisus est litteris ad principes scriptis, quod pax adeo turbata esset. Calumnias rejecit Gregorius variis epistolis, auxiliaque regum Galliae et Angliae contra Imperatorem petiit, qui et subsidiis pecuniae missis Pontifici adfuerunt; isque quamvis ad magnas redigeretur angustias, forti tamen animo Sedis Apostolicae et Ecclesiae libertatem et auctoritatem vindicavit. Germaniae principes tunc conati sunt pacem inter Pontificem et Imperatorem conciliare; hic vero dum palam se promptum fingeret ad concordiam restituendam, interim litteris privatis Conrado filio significabat, id sibi animo statutum esse, ut omni conventione rejecta gladio rem dirimeret, et Pontificis potestatem ita frangeret, ut ne mussitare quidem auderet contra Imperatoris majestatem.[1]) Treugas oblatas etiam recusavit, quod ad Longobardos eas extendere nollet.

Lucta contra Pontificem.

30. Quum tanta essent rerum discrimina, Gregorius IX, quod Fridericus antea ipse petierat, anno 1240, die 9° Augusti. generale indixit Concilium. In epistola convocationis ad episcopos data inter alia scribit: *Quia igitur grandes Apostolicae Sedis eventus et causas te ignorare non convenit, tanquam necessarium matris Ecclesiae munimentum, propter quae necessitate urgente tuam et aliorum videmus praesentiam plurimum opportunam, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus usque ad proximum festum resurrectionis Dominicae ad nostram praesentiam personaliter venire procures omni occasione cessante, ut habeat Ecclesia mater in filio speratum in tua visitatione solatium et gratum providi*

---

[1]) V. Bréholles, V. 1003. 1005. 1007.

Convocatio Concilii.

consilii fulcimentum.[1]) Scripsit etiam ad reges ac principes ut oratores ad Concilium mitterent. Sed Fridericus ex inde per dolum ac vim synodum istam, in qua depositio nis sententiam contra ipsum pronuntiatum iri verebatu impedire conatus est. Sparsis in christianum orbem litte ris, terrores ac minas in eos qui se itineri accingeren circumtulit, infesta venientibus futura itinera, cum in e synodo conflanda adversus ipsum conjuratio esset; ac no de concilianda pace, sed de bello tractandum contendeba Quod ex ipsa pontificiarum litterarum serie se elicei jactabat; quum ea nimirum obscuris verbis cogenda synodi causa afferretur, ut in rebus arduis dubiisque co silia certiora expediri possent. Atque mox Alpium fauce vias publicas, maris oras et portus, militibus munivit c stodibus, quibus larga promisit praemia, si venientes a concilium praesules interciperent.

31. Praesulibus tamen animum addidit Pontifex nov litteris missis; qui et cum Januensibus pacta confecit, itinere maritimo per eorum naves ac milites episcopi e Gallia, Hispania, Anglia et aliis regionibus secure Roma deducerentur. Sed Imperator praevalidam classem ex S culis et Pisanis ad intercipiendos mari praesules exstrux cui Entium nothum suum, dictum Sardiniae regem, pra fecit. Quamvis autem Pontifex legatum suum Janu agentem hac de re certiorem reddidisset ac monuisset, praepotentem classem pararent etiam Januenses, cui host non essent pares, tamen negligentia quadam factum e ut non satis provideretur securitati praesulum. Quum i tur tres Cardinales atque ultra centum praesules ac p multi alii ecclesiastici Januensium navibus, cum arma rum manu, non exigua quidem, sed non sufficienti, tra veherentur, Imperatoris classis eos adorta est, et pau tantum praesulum elapsis, aliquot in mare demersis, r qui omnes cum quatuor millibus militum Januensium captivitatem Friderici redacti sunt. Is durâ eos tenuit

[1]) Ap. Raynald. a. 1240. n. 53.

Italia meridionali custodia, ubi complures aerumnis confecti mortem obierunt. Gallorum praesulum liberationem, nonnisi post moram satis longam, s. Ludovicus IX obtinuit. Pontifex vero magno animi dolore in ista calamitate afflictus, litteris studuit praesules captivos consolari et ad constantiam exhortari.

32. Fridericus porro bellum contra Gregorium continuavit, eoque tendebat, ut Pontificem, a quo defecerat etiam Joannes Cardinalis Columna, in suam redigeret potestatem. Sed cum magis magisque appropinquaret urbi, Gregorius IX curis gravioribus fessus, ac senectute, in qua vividae juventutis robur et constantiam eousque servaverat, jam confectus, e vivis decessit die 21° Augusti anni 1241. Insignis Pontificis memoriam laceravit Imperator, dum ejus obitum principibus petulantia inepta ac fera nuntiat. *Victorioso exercitu nostro Romanis finibus insidente,* scribit, *ad quos aviditate componendae pacis et voto gravis dissidii specialiter celsitudo nostra pervenit, publicus ad castra nostra rumor exivit, quod die (21) praesentis mensis Augusti Gregorius Papa noviter est rebus humanis exemptus, ut qui pacem et tractatum pacis recipere denegabat, ad universalem dissensionem aspirans, vix ulterioris Augusti metas excederet, qui Augustum offendere nitebatur. Revera mortuus est, per quem pax deerat, vigebat dissidium, et quam plures in mortis periculum incidebant.* [1] Quam injuste, fraudulenter et impie haec tyrannus iste proferret, ex dictis colligitur et ex dicendis magis patebit. Mors Gregorii IX.

33. Trigesimo ab obitu Gregorii IX die Pontifex electus est Godefridus Castilionaeus Mediolanensis, Cardinalis Episcopus Sabinensis, ex Ordine Cisterciensi, morum integritate, doctrina, experientia, par summae dignitati. Nomen *Coelestini IV* suscepit, atque cum Friderico II de pace ineunda tractare coepit. Sed jam die 17° pontificatus sui vivere desiit. Tunc ob Friderici animum in Ecclesiam hostilem Sedes Apostolica ultra annum cum dimidio vacavit. Cardinales poscebant, ut Imperator libertati

[1]) Ap. Raynald. a. 1241. n. 83.

restitueret Jacobum Praenestinum et Ottonem s. Nicolai Cardinales, ut exercitum suum ab Urbis viciniis reduceret, et loco in quo electio peragenda foret plenam securitatem concederet; plures ex ipsis, ne violentia ad electionem faciendam cogerentur, Anagniam fugerunt. Imperator conditiones illas admittere noluit; nihilominus vero invehebat in Cardinales, quod in creando Pontifice moras traherent. Continuabat etiam devastare ditionem ecclesiasticam atque ita manifeste ostendebat, non tantum Gregorii IX personam, sed pontificatum ipsum ab eo impugnatum fuisse. Quum Cardinales haud cederent, tandem Fridericus duos, quos captivos tenebat, Cardinales dimisit, ac tunc demum Anagniae die 25° Junii anni 1243 unanimi voto electus est in Pontificem Sinibaldus Fliscus Genuensis, Cardinalis s. Laurentii, qui *Innocentius IV* appellari voluit.

Innocentius IV. 34. Hic Pontifex, qui in Fridericum, uti is fatebatur, semper se benevolum ostenderat, nihil magis cordi habebat, quam ut concordia inter Sacerdotium et Imperium restitueretur. In hunc finem oratores Melphium misit, ubi Fridericus versabatur, ac de pace cum ipso tractavit. Initio Imperator reniti visus est, multasque Innocentio IV proposuit querelas, quas Pontifex diluere studuit. Demum versus finem anni 1243, quum Fridericus a Viterbiensibus magna clade affectus esset, proniorem ad concordiam sese ostendit, atque die 31° Martii anni 1244 pax Romae conclusa est. Oratores Imperatoris in conventu Cardinalium, praelatorum, senatus populique Romani illius nomine jurarunt, eum mandatis Apostolicis circa ea capita, ob quae a Gregorio IX fuerat excommunicatus, pariturum, et satisfacturum pro damnis quae ecclesiis et ecclesiasticis personis intulerat. Verumtamen mox Fridericus pacis conditiones arbitrario modo contra Pontificis sensum interpretatus est, per Frangipanum familiam Romae turbas excitavit, nec ante captivos dimittere et territoria occupata reddere voluit, quam ab excommunicatione esset solutus. Quum Imperatoris animus hostilis apertius se ostenderet, ipseque insidias pararet Pontifici jam ad se Narnium properanti, Innocentius IV die 28° Junii cum Cardinalibus

et Praelatis domesticis fugam arripuit, et Civitate vetere elvens, Januensium navibus vectus est Januam. Inde profectus in Galliam, a s. Ludovico rege magno cum honore exceptus est. Lugduni substitit, indeque die 3° Januarii anni 1245 litteras dedit ad praesules et principes, quibus generale Concilium ibidem die festo s. Joannis Baptistae inchoandum indixit.

Concilium Lugdunense I.

35. Concilium tempore statuto convenit, ac coeptum fuit die 26° Junii in aedibus monachorum s. Justi; haec tamen sessio praevia fuisse videtur, ita ut prima sessio solemnis die 28° Junii in ecclesia cathedrali Lugdunensi haberetur. Praefuit Innocentius IV; praeter Cardinales venerant Patriarchae tres, Constantinopolitanus, Antiochenus, et Aquilejensis, atque in congregatione illa praevia iam adfuerunt centum quadraginta praesules. Numerum hein auctum fuisse admodum probabile est; etenim in hronico coaevo Erfordiensi ducenti et quinquaginta episcopi synodo interfuisse dicuntur.[1]) Praetermittimus hoc loco reliqua quae in synodo gesta et statuta sunt, ut ea tantum commemoremus, quae Fridericum II spectant. Inita statim in ipso Concilii limine, videlicet in sessione praevia, summo Pontifici spopondit Friderici Imperatoris omine ejus orator Thaddaeus de Suessa, vir belli juris- que peritissimus et eloquentiae vehementis, ut Ecclesiae gratiam promissis magnificis ipsi conciliaret. Promisit scilicet, Fridericum Graecorum Imperium ad obedientiam Romanae Ecclesiae revocaturum, Tartaros, Choresminos, Saracenos, ornata propriis sumptibus expeditione, petiturum, profligatis terrae sanctae res pristino splendori restituturum, ereptas Ecclesiae Romanae ditiones redditurum, et pro illatis damnis irrogatisque injuriis facturum satis. Tam splendida promissa fieri a Friderico ut Ecclesiae illuderet, satis Innocentius IV perspexit, atque unam superesse viam Synodi poenas evadendi respondit, si nimirum juratae jam olim pacis capita Imperator religiose adimpleret.

[1]) Böhmer fontes II. 403; cit. ap. Hefele C. G. V. S. 983. nota 2.

Causa Friderici II discussa.

36. In sessione prima solemni, die 28° Junii, Inn centius Friderici facinora palam exposuit, ac de iisde etiam in secunda sessione die 5° Julii habita fusius actu est. Thaddaeus quidem contra Pontificem et varios pra sules causam malam Imperatoris vehementi cum eloque tia defendit; sed in ejusmodi negotio certe nihil profice poterat. Dilata tamen est, eo petente, sessio tertia usq ad diem 17um Julii, si forte signa animi vere mutati I perator daret. Sed ipse monitus, Pontificem ac Synodu ceu hostile agmen exsecratus est, judicesque recusavit, lata de inimicitiis calumnia. Quum ejusmodi effata I peratoris ad aures praesulum pervenissent, etiam illi q ei aliquantipser favebant, animum mutarunt. Tertia igi sessione die 17° Julii habita, omnibus episcopis cons tientibus, solemnem sententiam Innocentius IV in Fri ricum tulit.

37. In ea sententia, quae incipit: *Ad apostolicae d nitatis apicem,* quatuor maxime criminum reus Fridericus pronuntiatur; primum perjurii multiplicis et violatae pa ecclesiam inter et Imperium quondam sancitae. Secun sacrilegii perpetrati in captione et violenta detentione C dinalium et aliorum antistitum, qui ad Concilium sub G gorio IX proficiscebantur. Tertio, vehementis ac pa evidentis de haeresi suspicionis. Quarto, laesae pon ciae majestatis, siquidem probrosas et petulantes epist contra Gregorium IX scripserat, ecclesiasticarum dition populos contra ipsum commoverat, urbes et castra trimonii s. Petri invaserat. Haeresis suspicio ex contem censurarum ecclesiasticarum, et ex inito cum Sarace foedere et amicitia probatur. Accesserunt accusatio Ecclesiae libertate in sacris praesertim electionibus pressa, quo factum erat, ut undecim archiepiscopatus episcopatus plurimi ejus culpa in ipsius ditionibus eti num vacarent; atque accusatio de clericorum gravam quos non solum immanibus exactionibus affligebat, et saecularia tribunalia trahi permittebat, sed etiam du subire, et in carcere publico detrudi jubebat. De ty

aide demum in Siculos Romanae vasallos ecclesiae postulatus est.

38. Propter haec igitur praecipue crimina sententiam Pontifex in Fridericum tulit his verbis: *Nos itaque super praemissis et compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris et sacro Concilio deliberatione praehabita diligenti, cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in beati Petri Apostoli persona sit dictum: „Quodcumque ligaveris super terram etc.," memoratum principem, qui se imperio et regnis omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a Deo, ne regnet vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis et abjectum, omnique honore et dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus ac nihilominus sententiando privamus; omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti a juramento hujusmodi perpetuo absolventes; auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de caetero sibi tanquam Imperatori vel regi pareat vel intendat, et decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori aut regi consilium vel auxilium praestiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De praefato vero Siciliae regno providere curabimus, sicut viderimus expedire.* Depositio Friderici II.

39. Hac de sententia juxta principia sua Gallicana scribit Natalis Alexander: *Fridericum Imperatorem tot criminum reum* (Pontifex) *juste excommunicavit, juste et regno Siciliae privavit, quod beneficiario jure ab ecclesia Romana tenebat. . . . Verum alia de Imperio ratio erat, quod Romanae ecclesiae non ita obnoxium est. At quia illud Friderico Innocentius III contulerat, exauctorato Ottone, ex praejudicata quorumdam opinione, maxime Gregorii VII, ad jura etiam Imperii abroganda abreptus est Innocentius IV. . . . Juribus mere temporalibus in ditionibus quas beneficiario nomine ab Ecclesia non tenebat, Pontificis Romani vel Synodi sententia spoliari non poterat.*[1]) Profecto haec non sunt admittenda; tum

[1]) In saec XIII. Dissert. V. art. III. n. IV.

Innocentium IV, tum alios Pontifices medii aevi atqu concilia, potestatem suam non excessisse in ejusmodi act bus, pro certo habemus. — Gosselin, atque ante ipsu Fénelon[1]), ex potestate *directiva* summorum Pontifica et ex jure sociali illius temporis depositionem Frid rici II, uti alia similia facta, plene explicari posse conte dunt. *Tout ce que nous avons dit plus haut* (n. 91) inqu Gosselin, *pour expliquer la sentence de Grégoire VII cont l'empereur Henri IV, s'applique évidemment à celle d'Inn cent IV contre Frédéric II. Le pouvoir divin de lier et délier que le Pape invoque à l'appui de sa sentence, e uniquement relatif au pouvoir d'excommunier. La dépo tion, prononcée dans la même sentence, n'était qu'une cons quence de l'excommunication d'après la persuasion alors un verselle, fondée sur les anciennes lois de l'empire; c'était un simple interprétation du serment de fidélité, donnée en ver du pouvoir directif, dont nous venons de parler.*[2])

Quo jure nisus sit Pontifex.

40. Notum est, hanc sententiam qua ex jure histori seu sociali depositio principum per Pontifices explicatu hoc tempore esse satis acceptum. Sed Pontifices ad ill jus sociale non appellant, nisi forte secundario. Praeter difficile foret, ostendere, exstitisse leges antiquas, secu dum quas etiam reges et principes excommunicati, regn amitterent, quamvis id analogia et convenientia responde legibus illis, quibus subditi excommunitati si per ce tum tempus Ecclesiae non satisfaciebant, honoribus juribus civilibus privarentur.[3]) Ob indolem christiana totius societatis videbatur profecto plane absonum, ut pri ceps excommunicatus eam regeret. — Attamen ultima radicem auctoritatis deponendi principes, Pontifices ide tidem inde sibi vindicant, quod sint successores Petri Vicarii Christi.

---

[1]) Dissert. de auctorit summi Pont. c. 39.

[2]) Pouvoir du Pape, P. II. n. 213.

[3]) Praesertim Imperatores ex Suevorum stirpe inde a Friderico statuebant, omnibus legibus superiorem esse dignitatem imperialem. u et Fridericus II in litteris post depositionem suam datis (v. inf. n. 4 diserte contendit.

41. Quum Fridericus quae in Concilio Lugdunensi contra eum statuta fuerant comperisset, in sua obstinatione perseverans, vehementes iras contra Pontificem et Ecclesiam concepit. Die 31° Julii litteras dedit ad praesules et fideles Angliae, quibus injuste se esse depositum ac damnatum evincere studuit. Agnoscit quidem, Romanum Pontificem plenam auctoritatem habere *in spiritualibus*, sed nec jure divino nec jure humano ei, contendit, eam potestatem convenire, ut regna transferat ac principes temporali poenae, regnorum privatione, subjiciat. Ineptum plane esse Imperatorem Romanum, nulli legi subjectum, ut majestatis laesae reum damnare. *Per quam (sententiam)*, ait, *Imperator Romanus in laesae majestatis crimine dicitur condemnatus, per quam ridiculose legi subjicitur, qui legibus omnibus imperialiter est solutus.* Multis porro conatur ostendere, praecipitanter, arbitrarie et contra juris praescripta, condemnationis sententiam prolatam fuisse.[1]) Acres etiam litteras dedit ad reges et principes, quibus in Innocentium IV et ecclesiam Romanam conviciis invehit et principes contra Pontificem excitat. *Qui*, scribit, *vocata synodo ut asserit generali, contra nos, nec citatos nec super aliqua fraude vel pravitate convictos, ausus est sententiam depositionis statuere, quam praeter omnium regum enorme praejudicium non poterat stabilire. Quid enim vobis singulis regibus singulorum regnorum a facie talis principis sacerdotum timendum non superest, si nos et principum electione solemni, et approbatione totius Ecclesiae, dum cleri fide ac religione vigebant, imperiali diademate divinitus insignitos, et alia regna nobilia magnifice gubernantes, ille deponendos aggreditur, cujus quoad temporalium detrimenta non interest, in nos aliquid exercere rigoris, etiam si causae legitimae probarentur. Verum quos sacerdotalis sic infestat abusio potestatis, et a summo conatur praecipitare deorsum, nec primi sumus, nec ultimi.*[2])

Friderici II irae.

42. Verum Friderici partes principes nullo modo suscepisse, enarrat diserte Matthaeus Paris, etsi auctor Pon-

[1]) Ap Hulliard-Breholles, VI. 331.
[2]) V. ap. M. Paris ad a. 1245.

tificibus sat infestus. „Haec, inquit, dum ad christianissimos Francorum et Anglorum reges nunciata pervenissent, patuit luce clarius ipsis et eorum magnatibus, quod Fridericus libertatem ac nobilitatem Ecclesiae, quam ipse nunquam auxit, sed magnifici antecessores ejus malo grato suo stabilierunt, toto conamine studuit annullare; et de haeresi per id ipsum se reddens suspectum, merito omnem quem hactenus habebat in omni populo igniculum famae propriae prudentiae et sapientiae impudenter et imprudenter exstinxit, atque delevit. Reges tamen memorati, quia muliebre videretur et inhonestum, statim infestare quem protexerant, non sine murmure siluerunt adhuc dissimulantes. Ac per hoc Domini Papae conditio meliorata respiravit.“[1])

Sententia prudenter lata.

43. Quanta autem diligentia, prudentia ac maturitate Innocentius Papa in ista Friderici II causa usus fuerit, manifestum est ex ejus epistola ad monachos Cistercienses, quam eo tempore, quum Congregationem generalem haberent, ad eos direxit: *Non vos moveant,* ait Pontifex, *imperitorum et veritatis ignarorum, precamur, obloquia, ut a nobis quasi praecipitanter putetis, et absque deliberato fratrum nostrorum et multorum peritorum moroso consilio, contra ipsum Fridericum fuerit sententiatum. Non enim meminimus unquam causam cum tanta deliberatione et diligenti examine*

[1]) Ibidem. — Pergit dein Matthaeus verbis in Romanam ecclesiam acerbis et parum monacho dignis: „Unum insuper omnes angebat tam principes quam praelatos vulnus angustiae, futura pericula ratione praevia ponderantes. Eo quod et si dignus multipliciter fuerit Fridericus deprimi et omni honore privari, tamen si eum, Deo juvante, auctoritas papalis irrestaurabiliter deponeret, Romana ecclesia, gratia Dei abutens, in posterum in tantam elationem et intolerabilem superbiam sublevaretur, quod principes catholicos insontes et justos, et praecipue praelatos, quavis levi causa vel deponeret vel deponere probrose comminaretur loquendo sublimia, gloriandoque dicerent Romani licet a plebeja stirpe procreati: *Nos ipsum maximum Dominum et Imperatorem Fridericum conculcavimus, et quis es tu qui nobis temere credis resistere!* Et ita provocati nobiliores contra elevabunt calcaneum. Deoque vindice auctoritas Romana poterit deperire.“ Vides, eum depositionem *formalem* Pontifici tribuere, nullatenus vero habere ejusmodi auctoritatem ut jure sociali introductam ac communiter receptam.

fuisse excussam, et peritorum atque sanctorum mentibus liberatam exstitisse; adeo quod in secretis aliqui fratrum nostrorum induerunt personam advocati pro ipso, aliqui autem personam adversantis, ut ex objectionibus et responsionibus inquirentium et disputantium, ut solet in scholis, causae veritas radicitus hinc indeque discuteretur. Nec aliquam viam invenimus, sine Dei injuria et gravi ejus offensa et Ecclesiae ejusdem laesione et conscientiarum nostrarum vulnere, aliter procedendi, quam ut processimus, licet inviti et ejusdem laeboris miseriae condolentes. Parati igitur sumus, in hac causa et pro illa usque ad mortem stare, et pro ea et in ea, tam omnes fratres nostri quam nos, mori, immutabiliter pro causa Dei et ejus Ecclesiae dimicantes.[1]) Quod vero Matthaeus Paris dicit: *In Imperatorem Fridericum sine aliqua palpitatione, vel dissimulatione vel dilationis indultu, talem sententiam excommunicationis in pleno concilio, non sine omnium audientium et circumstantium stupore et horrore terribiliter fulguravit,* quatenus intelligi posset, invitis et stupentibus Concilii membris sententiam latam fuisse, certe omni fundamento caret, uti ex dictis satis colligitur. Auctoritatem primariam quidem exercuit Innocentius IV in excommunicatione et depositione Friderici, sed consenserunt omnes praesules. *Propter contumaciam ejus* (Friderici) *et innumerabilia mala quae fecerat contra Ecclesiam,* scribit auctor coaevus, *Innocentius Papa residens in Concilio, de assensu praelatorum et totius Concilii protulit contra Fridericum depositionis sententiam, juste, pariter et constanter.*[2]) Imo ipse Matthaeus Paris post descriptam excommunicationis Bullam ita loquitur, ut stuporem illum potius adscribere videatur defensoribus Imperatoris aliisque laicis, qui Synodo adstabant. Ait enim: „Haec igitur in medio Concilio prolata cunctis audientibus ad instar coruscantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incusserunt. Magister igitur Thaddaeus de Suessa et Walterus de Ocra, et alii procuratores Imperatoris et qui cum ipsis erant, emisso

Concilium consensit.

[1]) Ibid. l. c.
[2]) Monachus Paduanus, Chronic. L. III.

ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indicium dolori percutientes, vix a profluvio lacrymarum se continuerunt Et ait magister Thaddaeus memoratus: *Dies ista, dies irae calamitatis et miseriae.* Dominus igitur Papa, et Praelat assidentes Concilio, candelis accensis in dictum Impera torem Fridericum, qui jamjam Imperator non est nomi nandus, terribiliter, recedentibus et confusis ejus procura toribus, fulgurarunt."[1])

44. Studuit quidem s. Ludovicus IX aliquo tempori spatio adducere Innocentium IV, ut Fridericum exaucto ratum in gratiam rursus reciperet. Permovebat religiosi simum principem instaurandarum Syriae rerum cupidita Reconciliationis studia quum prudentissime praesagiret, ordinandam a se in p tentissimos hostes sacram expeditionem parum felicite confectum iri, si Occidens civilibus Imperium inter Ecclesiam bellis arderet. Sed quamvis plura colloqui cum Pontifice ista de re habuerit s. Ludovicus, effectu ej interventio caruit. Nec dubium est, Friderici II superbi factum esse, ut reconciliatio obtineri non posset. Quu enim Pontifex postularet, ut sine ullis conditionibus ip sese Ecclesiae submitteret, Fridericus tantum salvis jur bus Imperii et regnorum suorum, *„quibus auctore Domi praesidebat"*, offerebat satisfactionem debitam praestare. ipse in epistola ad Angliae regem scribit.[2]) Jam ve ejusmodi principis callidi propositionem, quum jam toti is Pontificem et Ecclesiam decepisset, Innocentius IV a mittere non poterat. Caeterum testabatur ipse regi Ga liae, summam operam se semper adhibuisse, ut conflict cum Friderico componeretur. *Verum scire te volumus,* scrib in epistola ad Ludovicum IX, *quod nos et fratres nost ab eo tempore, quo fuimus supra regimen universalis Eccl siae constituti, usque ad tempus Concilii Lugdunensis, t*

[1]) Ad a. 1245 l. c. — Natalis Alexander pro opinione sua Gall cana dimicans, inani labore nititur ostendere in Diss. V in saec. XII *De Concilio Lugdunensi I,* synodum partem non habuisse in illa sen tentia.

[2]) V. ap. Raynald. ad a. 1246 n. 27.

ingenio totaque sollicitudine instantes, opportune et importune, laboravimus, in vanum tamen, ad pacem hujusmodi obtinendam. Unde amodo per ea quae praecesserunt, non speramus posse proficere in tractatu.[1]) Dein tamen affirmat, se libenter, si cum Dei et Ecclesiae honore fieri possit, pacem cum Friderico inire velle. Ludovicum IX vero Pontificis rationibus acquievisse, inde colligitur, quod brevi post Innocentio IV ad evertendam Friderici tyrannidem in Italiam ducere exercitum obtulit.

45. Principes Germaniae Innocentius hortatus est litteris datis, ut novum Imperatorem eligerent; ac revera post aliquam moram et negotiationem maxima pars eorum suffragia sua in *Henricum* Raspe, Hassiae et Thuringiae landgravium, direxit, eumque die 25° Maji Hochhemii prope Wirceburgum in regem Germaniae elegerunt. Novo Caesari stipendia ex aerario Ecclesiae ad bellicum apparatum contra Fridericum adornandum Pontifex suppeditavit, atque etiam bellum sacrum in hunc fecit nuntiare, et Henricum ejusque exercitum cruce insignivit. Anathema autem in Fridericum ceu Ecclesiae hostem ejusque fautores ubique promulgari jussit, ac terris quae illi parerent sacrorum omnium communione usuque interdixit, legatumque misit in Germaniam, qui praesules, proceres, et populos omnes ad Henrici obsequium adduceret, atque etiam censuris ecclesiasticis compelleret. — Aemulum ut comprimeret Fridericus, raptim copias Conradum filium contra ipsum ducere jussit. Apud Francofurtum ad Moenum die 5° Augusti anni 1246 acerrimo praelio dimicatum est, et fugato Conrado insignem victoriam reportavit Henricus. Sed quum ipse regnum suum juvante Pontifice firmare conaretur, praematura morte die 17° Februarii a. 1247 e vivis sublatus est. Electio regis Germaniae.

46. Quamvis autem Henrici obitu partes Friderici in Germania aliquantisper roborarentur, et praesertim complures principes laici desides fierent in oppugnando Fri-

---

[1]) Ibidem n. 25. Cfr. de Friderici depositione Hergenröther, Kirche und Staat, IV. n. 25.

derico, tamen die 3° Octobris, praesertim a pluribus archiepiscopis in regem electus fuit *Gulielmus* Hollandiae comes, regisque adolescentis, (viginti annos habebat), partes Innocentius IV firmare nisus est. Initio Gulielmus res satis prospere egit, ac civitate Aquisgrani expugnata die 1° Novembris ipse ibidem solemniter coronatus est. Exarsit tamen atrox bellum civile in Germania, uti quondam, quum Philipus Suevus et Otto IV de regno dimicarent. Interea Fridericus in animum induxerat, ut ad Innocentium Papam comprimendum cum exercitu Lugdunum contenderet, et jam mense Junio a. 1246 usque ad Alpium montes pervenerat. Sed quum comperisset, in Longobardia res ipsius periclitari, quumque etiam Ludovicum regem sibi adversum esse adverteret, mox in Italiam reversus est. Ibidem magno cum vigore et haud minori crudelitate bella sua contra Siculos et Longobardos continuavit, quumque primum secunda fortuna uteretur, die 18° Februarii anni 1248 ingenti clade a Parmensibus est affectus.

Friderici ultima gesta. 47. Eo tempore Fridericus quidem aliquos conatus fecit, ut cum Pontifice reconciliaretur; sed quum principia ejus eadem remanerent, nec ex animo ipse hostilem in Ecclesiam mutaret voluntatem, lucta inter regnum et sacerdotium perduravit. Multa adversa ultimis annis vitae suae Imperatori acciderunt. Enzius filius die 26° Maji anni 1249 victus et captus est a Bononiensibus, qui Friderici preces, ut eum libertati redderent, respuerunt, captivumque Enzium tenuere usque ad mortem, quae anno 1272 accidit. Crudelitate et vindicta Imperator se reddidit valde exosum; praesules captivos, uti Aretii episcopum ignominiose ultimo supplicio affecit; de mulieribus et parvulis ultionem capiebat pro conjugum et patrum rebellione Petrum de Vineis, amicum et cancellarium, qui dolosas et virulentas Imperatoris epistolas conscribere consueverat carceri mancipavit et excaecari fecit, ob suspicionem (ut videtur) quod veneno ei mortem parare voluerit. Demum quum res ejus iterum magis prosperare viderentur, Florentiolae apud Tarentum dyssenteria correptus, die 13° Decembris anni 1250 omnibus invisus decessit. Ex parte

tamen testamento suo quae injuste fecit resarcire studuit. Manfredus videlicet ejus filius, qui morti ipsius adfuit, in epistola ad Conradum fratrem scribit: *In ipsis mortis indiciis, praeter dona mirifica et beneficia gloriosa, quae in testamenti serie fidelibus gratanter indulsit, sanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxae zelator humiliter recognovit, et damna quae dudum ecclesiis, invitus forsitan vel provocatus, intulerat, integre restauranda sancivit.*[1]) Confessionem quoque peregit apud archiepiscopum Panormitanum, a quo et absolutionem accepit; sepultus autem est postea in ecclesia cathedrali Panormi.

48. De Friderici II vita et influxu universim haec, cum Em. Card. Hergenröther, advertimus. — Sicut vicissitudines variae, ita et tendentiae plane contrariae in Friderici vita conspiciuntur. Usque ad annum 1245 municipiorum libertati atque haeresibus sese ostendit acerrima lucta adversum, exinde minus hisce oppositus fuit. Eos saltem fructus, eosque solos, habuit ejus educatio ab Innocentio III directa, quod artibus et disciplinis fautor existeret. Humaniores litteras apud Arabes florentes, philosophiam, mathematicam, promovit; linguâ Italicâ ipse carmina componebat; Neapoli atque Panormi scholas eruditorum multum curavit. Superstitioni astrologiae penitus erat deditus, Ecclesiae naturam et indolem haud intelligebat nec quae ex historia colligere potuisset quoad ejus auctoritatem et jura. Imperium concipiebat modo chalifati Orientis, et ad instar dominationis Tiberii aliorumque antiquorum *divinorum* Romae Imperatorum; atque hujus Imperii servitio, etiam hierarchiam, *omnibus bonis temporalibus privatam et ad evangelicam paupertatem redactam,* mancipare volebat. Splendore quodam externo Imperium ejus fulgebat, indeque ejus asseclae in ipsius admirationem abripiebantur; sed ferrea severitate subditis dominabatur, et qui religioni ac fidei erant addicti, Imperatoris perfidiam ac tyrannidem detestabantur. Violenta ejus in Ecclesiam

Friderici II indoles.

[1]) Ap. Balut. Miscellan. t. I. p. 475.

lucta factum est, ut Italia funestis turbis concuteretur, in Germania Imperii robur ac majestas admodum diminuerentur, et ipsius stirpis Friderici praepararetur excidium. Permagna etiam mala Ecclesiae inde exorta sunt. Quamvis enim Pontifex victoriam in ipso conflictu reportaret, tamen Ecclesiae gravia inflicta sunt vulnera. Quum enim Romani Pontifices cogerentur, ut propter expensas immensas et rerum angustias jus suum urgerent, quo variis regionibus et regnis censum ac decimas imponebant valde amplas, inde querelae vehementes et infensae in Sedem Apostolicam ortae sunt. Eo vel magis id accidit, quod Imperator litteris, perfidia ac hypocrisi plenis, ubique sparsis, permultos in eam opinionem perduxisset, in isto conflicto haud agi de Ecclesia ejusque bonis necessariis, sed inter Imperatorem et Pontificem certari de possessionibus ac de majori minorive alterutrius potestate, illamque controversiam pro Christianorum salute nullius esse momenti. Ita igitur etiam Ecclesiae victrici multa mala ex hoc conflictu provenerunt, ac diuturno tempore praeterea ipsa advocato et protectore caruit, quum Imperium usque ad annum 1312 vacarit. Haec tamen conditio praeferenda erat anteriori oppressioni.[1])

Fata Imperii. 49. Fata Imperii post mortem Friderici paucis colligemus. *Conradus,* hujus filius, ex Germania expeditionem in Italiam meridionalem ac Siciliam suscepit, ac magnam partem regni hujus sibi submisit. Attamen quum patri suo Friderico perfidia et crudelitate similem se ostenderet, Innocentius IV ei Siciliam concedere noluit, sed cum Carolo Andegavensi, s. Ludovici fratre, ac dein cum Edmundo Henrici III Angliae regis filio, de Apuliae ac Siciliae investitura eis concedenda egit. Negotium tamen tunc ad finem non est perductum. Quum Innocentius IV anno 1253 Romam rediisset, actum est de concordia restituenda inter Conradum et Pontificem, sed mox Conradus adhuc excommunicatione constrictus, quum tantum viginti sex annos natus esset, morte sublatus est. Duorum annorum

[1]) Cfr. Hergenröther, K. G. I. Per. V. Cap. I. I. (p. 812, ed. 1.)

reliquit filium *Conradinum;* quae vero quoad Siciliae regnum evenere, inferius referremus.

50. Imperii autem fata parum felicia exinde fuere. *Gulielmus* Batavus quidem post mortem Conradi ab omnibus fere ut rex Germaniae ad Imperium promovendus agnitus est; attamen defuit ipsi sufficiens auctoritas in principes magis magisque insolescentes. Jam anno 1256 insidiis Frisonum, quos bello vicerat, oppressus, diem ultimum clausit. — Tunc nemo principum Germaniae pro bono communi regni et Imperii onus suscipere voluit sed omnes quae sua erant tantum quaerentes, independentiae et territoriorum amplificationi inhiabant. Hinc electores ecclesiastici adacti fuerunt, ut animos et suffragia ad exteros principes verterent. Sed neque tunc unanimes inter se fuere Germaniae proceres, ita ut denuo duo competitores coronae electi sint. Plerique principes elegerunt *Richardum* Anglum, fratrem Henrici III regis Angliae; reliqui vero *Alphonsum* X Castiliae regem, qui *Sapiens* dictus est quod in astronomia valde excelleret. Suffragia autem principum uterque magna vi pecuniae data coëmerat. Competitores Imperii.

51. Alphonsus nunquam in Germaniam venit, sed tantum decreta varia misit, quae a nemine observabantur. Richardus pluries Germaniam visitavit, et quaedam fecit bono publico proficua; ipse etiam agnitus fuit ut rex Germaniae ab Alexandro IV, et invitatus ut Romanam expeditionem pro Imperio consequendo susciperet. Alphonsum Pontifex frustra adducere studuit, ut juribus, si quae haberet, renuntiaret; atque causa illa sub Pontificibus Alexandro IV, Urbano IV, Clemente IV identidem agitata est. Quum decessisset Richardus anno 1272, Alphonsus a Gregorio X coronam imperialem postulavit; sed Gregorius ei significavit, jura ipsius, quum vix adhuc in Germania essent qui eum agnoscerent et qui ei deferrent, admodum dubia esse, eumque monuit, ut suo juri ad Imperium cederet; secus cum dedecore damnatum iri Sedis Apostolicae judicio. Suasit dein Germaniae principibus, ut voto concordi regem novum eligerent; secus enim se

adhibito Cardinalium consilio, Imperio jam dudum vacanti providere debere, ut Ecclesia advocatum et protectorem haberet. Principes demum comitia celebravere, et die 29° Septembris anni 1273 ab iis in regem Romanorum (seu Germaniae) electus est *Rudolphus* comes Habsburgensis, vir exiguarum quidem opum, sed ingentium animorum, atque justitia, pietate, bellica virtute insignis et non impar Imperio. Aquisgrani die 24° Octobris coronatus fuit, eumque ut regem Germano-Romanum agnovit Gregorius X anno 1274, et invitavit, ut Romam veniret ad imperialem coronam suscipiendam.

Rudolphus Habsburgensis.

52. Altero anno 1275 Pontifex Lausannae cum rege convenit, ubi is juramenta consueta pro tuenda Ecclesia et conservandis juribus Sedis Apostolicae praestitit, cruce se signavit ad suscipiendam expeditionem in terram sanctam, ac promisit, se altero anno Romam venturum esse. Sed turbis multiplicibus ac negotiis continuo in Germania Rudolphus detentus est. Res publicas ibidem magna prudentia ac virtute restituit; Austriae ducatum filio suo Rudolpho, ac post hujus mortem alteri filio Alberto contulit, et ita fundamenta jecit futuri splendoris domus Austriacae. Princivallem Fliscum Genuensem, cancellarium suum, misit in Italiam cum vicaria potestate, ac variarum urbium cives, quum videret eos ad strictiorem dependentiam ab Imperatore aegre revocari posse, praesertim Bononienses, Florentinos, Lucenses, ingenti exacto auri pondere, perpetua libertate donavit. Ita quidem Imperii vis in Italia diminuta est; attamen Honorio IV ista alienatio jurium haud displicuit, quum ea ratione ecclesiastica ditio securior futura esset, dum Imperator civitates liberas non vexaret, nec Italiae populis molestus esset.

53. Obiit Rudolphus anno 1291, die 15° Julii, quum septuaginta trium esset annorum. Altero anno a principibus, qui suis commodis inhiantes regem ex eadem domo nolebant eligere, ne nimiam haberet in ipsos potentiam, neve corona haereditaria fieret, creaverunt in successorem *Adolphum* Nassoviensem. Is fortitudine quidem personali excellebat, sed pauper erat opibus nec ea prudentia prae-

ditus, ut administrando regno par esset. Ab electoribus anno 1298 in ordinem redactus est, quod Imperium extenuaret, discordias et bella nutriret, populos tributis insolitis gravaret, foveret praedones oppressoresque pauperum, principes contemneret. In ejus locum electus fuit die 23° Junii anni 1298 *Albertus I* Austriae dux, Rudolphi I filius. Contra quem Adolphus, commisso ad Wormatiam praelio fortiter pugnans, cecidit die 2° Julii illius anni.

54. Post Adolphi interitum Albertus electionem suam, minus forte legitimam, ab electoribus ratam haberi curavit, ne tyrannidis accusaretur, atque die 24° Augusti in regem coronatus est. Legatis missis etiam a Bonifacio VIII petiit, ut eum confirmaret in regno et Imperio; sed Pontifex id recusavit, quod perjurii, rebellionis et necis in regem Adolphum se reddiderit reum. Anno 1301 regem ut laesae majestatis reum intra sex menses Romam citavit; studuit tamen Albertus causam suam missis litteris et legatis defendere, crimina objecta diluere, suam in Ecclesiam obedientiam animumque devotum probare. Demum die 30° Aprilis anni 1303 Bonifacius VIII confirmavit Albertum in regno Romano-Germanico, suppletis juris defectibus. Exinde Albertus se Pontifici et Ecclesiae deditum ostendit, et per litteras juramenta a Rudolpho quondam facta et ipse praestitit. Sed antequam corona imperiali ornatus esset, vindicta privata a Joanne fratris filio, ut dicitur, aliisque conjuratis insidiose occisus est die 1° Maji anni 1308. Successit ei *Henricus VII* Luxemburgensis, isque, post intervallum diuturnum, anno 1312 Romae a Cardinalibus, quibus Clemens V Avenione residens id munus delegaverat, solemniter in Imperatorem coronatus est. Albertus Imp.

55. Per luctas, quae inter Sacerdotium et Imperium exarserant, ac dein per diuturnum illud interregnum, quo rex et Imperator indigenus in Germania deficiebat et res publicae vehementer turbatae erant, evenit, ut non modica mala in ecclesiis Germaniae sese diffunderent. Lucta Imperatorum contra Ecclesiam effecit, ut proceres laici et

Interregni tristes sequelae.

municipia frequenter oppositionem arrogantem in clerum prae se ferrent. Principum ecclesiasticorum dominatio temporalis passim spernebatur, clerici ad tribunalia civilia trahebantur, vel alio modo vexabantur, decreta in Ecclesiae jura infensa promulgabantur. Universim oppositio audax et invida nobilium, civium, rusticorum, in potestatem ecclesiasticam et clericos jam ea aetate sese evolvit, et etiam carminibus popularibus ejusmodi sensus fovebantur. Quum vero adeo in Germania dissolutio ac legum contemptus vigeret, etiam in clero et in monasteriis relaxatio disciplinae non modica exorta est. Avaritiae et incontinentiae malum frequentius apud clericos inveniebatur, ac monasteria, praesertim ditissimae Benedictinorum abbatiae, pariter dissolutionis identidem arguebantur. Attamen auctoritas ecclesiastica tum synodis provincialibus, tum synodis dioecesanis malis obvenire studuit. Ita anno 1266 Gualo Cardinalis legatus Bremae, Vindobonae, aliisque in regionibus synodos coëgit provinciales, ut disciplinae provideretur. Joannes Cardinalis Tusculanus legatus anno 1287 cum episcopis ultra triginta Herbipoli concilium nationale celebravit. Et quamvis mala non modica essent, tamen generatim fides ac religio satis floruerunt.

II.

De conditione Galliae ac de „Sanctione pragmatica" s. Ludovico adscripta.

56. Vidimus, Galliae regnum jam saeculo XII splendore non mediocri ornatum fuisse eo, quod in difficultatibus et luctis Pontificibus et episcopis auxilio et patrocinio esset, exulibusque refugium. Ita Innocentius II et Eugenius III Galliam, ut regnum s. Sedi valde addictum in angustiis suis visitarunt, subsidioque vario a regibus

et praesulibus Galliae suffulti fuerunt. Alexander III quum a Friderico I premeretur, pluribus annis in Gallia versatus est; eo confugit etiam s. Thomas Becket aliique post eum episcopi Angliae, quum a regibus suis angustiarentur. Saeculo XIII Galliae regnum potentia, gloria, decore, adhuc multum amplificatum est. Habuit quidem *Philippus Augustus*, ob dimissionem Ingeburgae et ob bella sua contra Joannem sine terra, varios cum Innocentio III conflictus; attamen universim et ipse considerabatur ut rex Ecclesiae addictus, satis sub eo religio et res ecclesiasticae floruerunt; regni autem territorium et potentiam iste princeps multum auxit.

57. *Ludovicus VIII* ejus filius et successor bello contra Albigenses suscepto non minus Ecclesiae profuit, quam regni amplificationi. Dum ex bello Albigensi in citeriorem Galliam rediret, dyssenteriae morbo correptus, ad Montempenserium in Alvernia obiit in octavis Omnium Sanctorum, anno 1225, quum quadraginta tantum annos haberet. A scriptoribus coaevis evehitur magnis encomiis, ut vir fervidae pietatis et integrae castitatis. Cujus specimen dedit moriens. Quum enim juxta falsa principia artis medicae illius temporis sperarent, eum mortem effugere posse et morbo liberari, si (uxore absente) consuetudinem cum alia muliere haberet, cumque ad id eum adducere vellent, respondit: *Non ita erit; non enim peccarem mortaliter ullo modo.*[1])

58. Maximam gloriam Gallia ejusque ecclesia adeptae sunt regnante *s. Ludovico IX*. Is, patre defuncto regium nomen sumpsit, statimque Remis inauguratus est annum agens aetatis decimum. Tutelam impuberis filii regnique procurationem, mariti regis suprema voluntate sibi demandatam, Blanca mater, heroici animi et pietatis eximiae femina, suscepit. Factiones quidem variae procerum contra ipsam exortae sunt, quum impatienter plures magnates ferrent, quod femina, genere externa, rerum summam regeret; at prudentissimis consiliis armisque regina factiones S. Ludovicus IX.

---

[1]) Gulielmus de Podio Laur. de bello Albig. c. 35.

dissipavit. Anno 1234 Ludovicus IX uxorem duxit Margaritam, comitis Provinciae filiam, atque inde ab a. 1236 regni gubernationem suscepit, quamvis ejus mater magnum conservaret in res publicas influxum. Pietate, justitia, administrationis prudentia ac bellica fortitudine clarus, Ludovicus IX tum apud coaevos, tum apud posteros, insigne nomen sanctitatisque gloriam acquisivit, regnique prosperitati ac religionis profectui sapientissime providit.

Expeditiones cruciatae. 59. Commemorare hic juvabit expeditiones cruciatas ab ipso susceptas. Quum videlicet s. Ludovicus anno 1244 ex gravissimo morbo convaluisset, sacro bello se devovit, et a Parisiensi episcopo accepit crucis insigne. Ad annum usque 1248 regii voti executionem domesticorum negotiorum necessitas retardavit. His vero rite compositis a. 1248 Parisiis discessit cum conjuge Margarita, tribus fratribus, Roberto, Carolo et Alphonso, ac numeroso nobilium comitatu, regni procuratione matri Blancae relicta. Quum auctumnum et hiemem in Cypro insula consumpsisset, cum sua denique classe in Aegyptum feliciter delatus, Damiatam circa Pentecostem anni 1249 expugnavi et occupavit. Hinc mense Novembri movens, satis rem prospere gessit Cairum petiturus; sed quum pestifera lue in castris orta et exercitus illius ab hostibus undique circumventus et caesus fuisset, ipse cum duobus fratribus (Roberto caeso,) a Saracenis die 5° Aprilis anni 125 captus est. Ad redimendam propriam libertatem Damiatam restituere adactus est, pro reliquis captivis ingens pretium solvit, ac inito armistitio decennali, dimissus fui Deinde transiit in Palaestinam, ubi rebus Christianorum utcumque consuluit, donec, cognita morte matris, anno 1254 in Galliam rediit. — Verum voti sui religionem nedum exsolvisse sibi visus, anno 1267 cum tribus filiis crucem e manu Simonis Cardinalis legati suscepit, et a. 1270 in Africam cum copiis transvectus est, Tunetum expugnaturus, inde in terram sanctam transiret. At in portu Tunetano mul milites et ipse rex eodem anno 1270 pestilentia sublati sun *Philippus III* Ludovici filius et successor, illiusque frat Carolus rex Siciliae, Tuneti obsidionem continuarunt; se

invalescente hiemis asperitate et annonae penuria, cum principe Tunetano decennes inducias composuerunt, inter alia stipulantes, ut Christiani captivi libertati redderentur, et religio christiana in toto regno libere praedicari et exerceri posset. — Ludovicus IX a Bonifacio VIII a. 1298 in catalogum Sanctorum relatus est.

60. Disceptatur inter eruditos acriter de *Sanctione pragmatica* s. Ludovici, quaestionemque de hujus documenti genuinitate hoc loco discutere convenit, quum inter graviores historiae ecclesiasticae controversias eadem recenseatur. Documentum, de quo agimus, in codicibus eam plerumque habet inscriptionem: *Sanctio pragmatica tempore sancti Ludovici regis Franciae edita.* Appellatio tamen ejusmodi sat serio inducta est, primumque occurrit anno 1491 in appellatione aliqua Universitatis Parisiensis. Nomen videtur desumptum a Sanctione pragmatica, quae anno 1438 in conventu Bituricensi (Bourges) ad res ecclesiasticas ordinandas edita fuit, ob similitudinem utriusque documenti.[1]) **Sanctio pragmatica.**

61. Sanctio autem haec pragmatica s. Ludovici ejusmodi est: *Ludovicus Dei gratia Francorum rex ad perpetuam rei memoriam. — Pro salubri ac tranquillo statu ecclesiae regni nostri, necnon pro divini cultus augmento et Christi fidelium animarum salute, utque gratiam et auxilium omnipotentis Dei, cujus soli ditioni atque protectioni regnum nostrum semper subjectum exstitit et nunc esse volumus, consequi valeamus, quae sequuntur hoc edicto consultissimo, in perpetuum valituro, statuimus et ordinamus.*

I. *Ut ecclesiarum regni nostri praelati, patroni et beneficiorum collatores ordinarii jus suum plenarie habeant, et unicuique jurisdictio debite servetur.*

II. *Item ecclesiae cathedrales et aliae regni nostri liberas electiones et earum effectum integraliter habeant.*

---

[1]) Apud Romanos *sanctio pragmatica* dicebatur dispositio Imperatorum quoad res publicas civitatum et provinciarum edita. In Gallia eo nomine significabatur lex quoad negotia ecclesiastica, consulentibus episcopis, a rege emissa.

III. *Item simoniae crimen pestiferum ecclesiam labefactans, a regno nostro penitus eliminandum volumus et jubemus.*

IV. *Item promotiones, collationes, provisiones et dispositiones praelaturarum, dignitatum vel aliorum quorumcumque beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem, determinationem juris communis, sacrorum conciliorum ecclesiae Dei atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum, fieri volumus pariter et ordinamus.*

V. *Item exactiones et onera gravissima pecuniarum, per curiam Romanam ecclesiae regni nostri impositas vel imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, sive etiam imponendas aut imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationabili, pia et urgentissima causa inevitabili necessitate, et de spontaneo et expresso consensu nostro, et ipsius ecclesiae regni nostri.*

VI. *Item libertates, franchisias, immunitates, praerogativa, jura et privilegia per inclytae recordationis Francorum reges, praedecessores nostros, et successive per nos ecclesiis monasteriis atque locis piis, religiosis, necnon personis ecclesiasticis regni nostri concessas et concessa innovamus, laudamus, approbamus, et confirmamus per praesentes. Harum tenore universis justitiariis, officiariis et subditis nostris ac loca tenentibus, praesentibus et futuris, et eorum cuilibet prout ad eum pertinuerit, districte praecipiendo mandamus quatenus omnia et singula praedicta diligenter et attente servent, teneant et custodiant, atque servari et teneri et custodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attentent, seu fieri vel attentari permittant transgressores aut contra facientes juxta casus exigentiam tali poena plectendo, quod caeteris deinceps cedat in exemplum. — In quorum omnium et singulorum testimonium praesentes litteras sigilli nostri appensione muniri fecimus. — Datum Parisiis anno Domini 1268, mense Martio.*[1])

---

[1]) Labbe, XI. 907. — S. Ludovicus in suis rescriptis publicis annum incipiebat a festo Paschatis, quod a. 1268 incidebat in diem 8um Aprilis; adeoque mensis Martius qui hic indicatur pertinet ad annum civ

62. De hac *Sanctione pragmatica* tres prodierunt labente tempore et exstant adhuc sententiae. Plurimi, praesertim omnes fautores opinionum Gallicanarum, eam habuerunt ut genuinam, atque hoc etiam documento usi sunt, ut sua principia vindicarent. — Sed jam Thomassinus[1]), Stiltingus Bollandista in Vita s. Ludovici, aliique eam suspectam judicarunt. Dein Charlas, Roncaglia, et alii plures ejus suppositionem evincere nisi sunt; nostro tempore hanc sententiam propugnarunt Thomassy[2]), Rösen[3]), Gérin[4]); atque etiam P. Viollet[5]), quamvis argumenta varia, quae Gérin attulit, carpat, huic sententiae accedit. Alii auctores graves, uti Em. Hergenröther, suppositum esse illam *Sanctionem* pariter tenent. Sententiae variae.

63. Aliqui auctores demum existimant, suppositum esse articulum quintum, quo Sedes Apostolica carpitur, reliquos vero articulos genuinos esse et a s. Ludovico IX editos. Hos vero non dirigi contra Sedem Romanam, sed iis coërceri Galliae magnates, qui episcoporum et ecclesiarum jura multoties laedebant. — Sed haec opinio nimis arbitraria est; quintum enim articulum edicto interpolatione insertum esse, non aliunde posset firmari, nisi quod supponi nequeat, Ludovicum IX regem sanctum, Sedi Romanae addictum, articulum tam injuriosum Pontificibus edidisse. Sed hujus argumenti vis merito contra totam Sanctionem urgetur. Pasquier quidem in opere a. 1596 edito asserit, articulum illum de exactionibus Curiae Romanae a Nicolao Gilles additum esse.[6]) Hac assertione

lem 1269. Cf. L'art de vérifier les dates ed. 1783. t .I. p. 586. „S. Louis commençait l'année à Pâques dans ses Diplômes.“

[1]) Eccl. discipl. P. II. L. II. c 33. n. 4; P. III. L. I. c. 48. n. 17.

[2]) De la Pragmatique Sanction attribuée à St. Louis. Paris 1844. Correspondant T. 8. p. 342. oct. 1844.

[3]) Die pragmatische Sanction etc. Eine kirchengeschichtliche Abhandlung von Dr. Karl Rösen. München 1853.

[4]) Les deux Pragmatiques etc. Paris, Lecoffre 1869. 2e édit.

[5]) Biblioth. de l'Ecole des chartes, a. 1870. p. 162. Examen critique du livre de Mr. Gérin.

[6]) Les recherches de la France. Paris 1596. p. 135. A.

Pasquierii nititur Berlier, dum in dissertatione recentius edita statuit, articulum quintum esse suppositum, reliquos vero articulos exponendos esse, uti superius innuimus.[1]) Sed advertendum est, antequam Nicolaus Gilles edidisset anno 1492 opus suum *Les annales et chroniques de France depuis la destruction de Troye jusques au temps du roi Louis XI,* jam pluries *Sanctionem pragmaticam* una cum articulo quinto commemorari. Videlicet a. 1464 a Parlamento Parisiensi, eodem anno a Ludovico XI, et anno 1491 ab Universitate Parisiensi illius articuli quinti fit mentio; adeoquo haud ipse a Nicolao Gilles adjectus est.[2]) Itaque dicendum esse censuerim, aut *integram* Sanctionem pragmaticam genuinam habendam, aut *integram* ut suppositam esse rejiciendam.

Sanctio spuria.

64. Jamvero gravissima sunt argumenta tum externa, tum interna, quibus evincitur Sanctionem illam pragmaticam a s. Ludovico IX haud editam, sed posteriori tempore esse confictam; rationes autem, quae a Natali Alexandro et aliis auctoribus ad probandam authentiam illius documenti afferuntur, eam revera non demonstrant. — Dum illa argumenta recensemus, advertendum est, ea esse quidem hujusmodi, ut singillatim sumpta peremptorie rem forte non probent; sed ita comparata sunt, ut vis unius argumenti roboretur et augeatur altero. Atque sic simul considerata, tantum valorem acquirunt, ut suppositionem demonstrent ea morali certitudine, quae in hujusmodi quaestionibus sufficit.

65. Itaque primum afferri potest contra authentiam Sanctionis pragmaticae *argumentum negativum* multiplex, quod in hac quaestione permagnam vim habet. Advertendum videlicet est, hic non agi de aliquo scripto privato, sed de *lege* quae pro ea aetate maximi erat momenti. Finis enim hujus *Sanctionis* erat, ut gravissima negotia ecclesiae nationalis Gallicanae disponerentur, ut libertas

---

[1]) Berlier, Etudes sur la pragmatique Sanction de s. Louis, Louvain 1848. (Mémoires de la société littéraire, Tom IV. p. 123 sqq.)

[2]) Ita Rösen l. c. p. 20. nota 1.

electionum et jura clericorum vindicarentur, ut impediretur beneficiorum simoniaca venditio, utque contra Pontificum exactiones ecclesiae Galliae defenderentur earumque confirmarentur privilegia. Ejusmodi porro lex regia, pro tota Francia edita, non poterat a rege solo ferri, sed praevia requirebatur deliberatio Parlamenti hujusque confirmatio. Dein publicatio talis *Sanctionis*, uti et aliarum legum fiebat certa cum solemnitate ac formalitatibus quibusdam determinatis. Hinc fieri non potuisset, quin ejusmodi *Sanctio pragmatica*, gravissimum sane decretum, coaevis etiam notissimum fuisset; imo multorum attentionem eo magis movisset, quod rex adeo insignis contra Sedem Apostolicam Galliae ecclesias tali lege tueri intenderet.

Argumenta externa.

66. Jamvero 1° neque auctores historici, qui tempore s. Ludovici floruerunt, neque illi scriptores qui vitam s. Ludovici composuere, uti Gulielmus Carnotensis, Godefridus Bellovacensis, Joinvillus, mentionem faciunt ejusmodi decretorum. Nec in epistolis s. Ludovici ad Romanos Pontifices, vel Romanorum Pontificum ad eum, unquam agitur de tali lege ferenda vel lata. Ludovicus IX, quando a. 1270 e Gallia discedens bellum sacrum suscepit, litteris ad gubernatores Galliae datis, sollicite inculcat observationem eorum quae in legibus anno 1254 decreta erant, et statuta contra blasphemos ut serventur insistit. Mirum fuisset, si gravissimae *Sanctionis* paulo ante editae mentionem non fecisset.

67. Sed 2° illa *Sanctio pragmatica* etiam deest in Regestis, quae resolutiones et decreta Parlamentorum inde ab anno 1255 continent; collectio autem saltem jam brevi post tempora s. Ludovici IX facta est,[1]) atque Parlamentum in legibus ferendis saeculo XIII mediante jam suas partes habebat. Gravissimum igitur argumentum contra

[1]) „A peine le Parlement fut-il un corps fixe, qu'on commença à compiler ses arrêts. Jean de Monluc, sous le règne de Philippe-le-Bel, fit le recueil qu'on apelle aujourd'hui les registres *Olim*". Montesquieu, de l'esprit des lois, liv. 28. ch. 39.

genuinitatem *Sanctionis pragmaticae* inde repetitur, quod in Regestis non habetur.

Argumenta externa.

68. Neque 3⁰ unquam *Sanctionis pragmaticae* s. Ludovici mentio facta est tempore luctae inter Philippum pulchrum et Bonifacium VIII. Tunc sane, quum Philippus (a. 1302) in comitiis Parisiis habitis vehementissime conquereretur de exactionibus et de oppressione curiae Romanae, maxime opportunum fuisset commemorare illam *Sanctionem*, quae similes plane querelas continet. Sed in toto isto dissidio ne verbum quidem auditur de praecedente aliqua lege jam a Ludovico IX emissa. Etiam tempore schismatis Avenionensis, quando (a. 1406) sub Carolo VI Galli se opposuerunt exactionibus Benedicti XIII, et annatas aliave tributa ab eo imposita haud solvenda statuerunt, nullo modo adducunt in exemplum *Pragmaticam* Ludovici IX. Citat quidem Carolus VI, dum Pontificis exactiones prohibet, Joam regem (IV Reg. 12), suosque praedecessores aetate Bonifacii, Clementis, Gregorii aliorumque Pontificum anteriorum, seque duci ait exemplo Theodosii, Honorii, Constantini, Caroli Magni aliorumque praedecessorum qui abusibus Ecclesiae prudenter obviaverint.[1]) Sed quum prae caeteris sanctus rex Ludovicus laudandus fuisset ob *Sanctionem pragmaticam*, nulla illius fit mentio. — Etiam Gerson, doctissimus Universitatis Parisiensis cancellarius, qui quatuor orationes panegyricos in s. Ludovicum IX edidit, scripta et documenta illius aetatis optime noverat, et cum aliis viris illustribus tunc exactiones Pontificum Avenionensium impugnabat, illius *Sanctionis* non meminit, adeoque eam penitus ignorasse videtur.

69. Addamus 4⁰ silentium Romanorum Pontificum. Merito Romani Pontifices jura sua semper, quum impugnarentur, vindicaverunt, ac sese opposuerunt acriter decretis vel legibus quibus eadem impetebantur. *Pragmaticam Sanctionem* Bituricensem Eugenius IV ejusque succes-

---

[1]) V. Preuves des libertés de l'église gallicane. Paris 1731 ch. 20. — Rösen, l. c. p. 9.

sores impugnare non cessarunt, donec eidem Ludovicus XI renuntiaret. Ita etiam Ludovici IX legem non dimisissent Pontifices sine protestatione. Et quamvis ea *Sanctio* supponatur edita a. 1269 vacante Sede Apostolica, tamen qui dein secutus est Pontifex, B. Gregorius X, ejusque successores, certe se opposuissent legibus Sedi Romanae adeo infensis. Infirma plane est responsio, Gregorium X fuisse virum pacificum, eumque et ejus successores, qui brevi tempore Ecclesiae praefuerint, satius habuisse, ut se gererent ac si ignorarent *Sanctionem pragmaticam,* utque tantum opportunitate data eam impugnarent.[1]) Arbitrarie talia conjiciuntur, nec Sedis Apostolicae tales sunt mores.

70. Ex hisce igitur rationibus colligi censemus, usque ad initia saeculi decimiquinti *Sanctionem pragmaticam* s. Ludovici IX plane ignotam fuisse; unde concludes, eam non exstitisse. — Primum ea prolata fuit a. 1438 in synodo vel potius conventu Bituricensi, si vera sunt quae a. 1464 Bazinus episcopus Lexoviensis (Lisieux) scripsit ad Ludovicum XI, quum abrogasset *Sanctionem pragmaticam* Bituricensem. Idem scribit: „Et ce n'est pas chose nouvelle que les roys et princes catholiques aient donné remède et provisions contre telles et semblables entreprises faites par court de Rome, contre les décrets des Saints Pères et les libertés et droitures tant de l'Eglise gallicane que d'autres; car ainsi ont fait vos très-nobles et dignes progéniteurs et antécesseurs, comme saint Loys en son temps, du quel j'ai veu l'ordonnance escripte et scellée en semblables matières, qui fut monstrée et exhibée aux conventions solennelles fait de l'Eglise gallicane à Chartres, à Bourges, par la convocation de vostre feu père de bonne mémoire."[2]) Designari hic *Sanctionem pragmaticam* s. Ludovici merito auctores existimant, quumque in conventu Bituricensi a. 1238 alia *Sanctio pragmatica* edita sit juribus Sedis Apostolicae valde opposita, satis probabile est,

Quando prolata Sanctio.

[1]) V. Rösen. l. c. p. 8.
[2]) Thomassy, l. c. p. 346.

tunc documentum hoc (confictum) prolatum fuisse, ut animi ad illa decreta firmanda excitarentur.[1])

Mentio Sanctionis.

71. Mentionem *Sanctionis pragmaticae* pariter fieri dixeris apud Joannem Juvenalem Ursini, archiepiscopum Remensem, dum in sua Historia Caroli VII regem hunc monet, ut Sanctionem pragmaticam Bituricensem promulget. Scribit videlicet: „Et ce n'est pas le premier roy qui a fait telles choses; car qui bien voit l'histoire de Philippe-le Conquérant, il ordonna le même. Si fit saint Louis, qui est saint et canonisé, et faut dire qu'il fit trés bien. Vostre père et les autres les ont approuvés.“[2]) — Aperte porro Sanctio illa commemoratur Remonstratione 89 articulorum a Parlamento Parisiensi anno 1464 Ludovico XI oblata, ut eum adducerent atque juvarent ad Sanctionem Bituricensem, quam revocaverat, restituendam. — Etiam alio decreto Ludovici XI, die 17° Februarii anni 1463 (1464) edito, articulus V illius *Sanctionis* verbotenus continetur. Inde quidam intulerunt, solemnem fuisse *Sanctionis* auctoritatem, ejusque genuinitatem regi et omnibus certissimam. Sed ex verbis Ludovici XI sequitur, eum non nisi ex relatione Parlamenti illam *Sanctionem* cognovisse. Dicit enim: „Postquam preces et querelas curiae nostrae audivimus et per eam memoratum decretum s. Ludovici vidimus.“[3]) Unde pro genuinitate hujus documenti inde nihil colligi potest, imo sequitur, minus notum ac solemne adhuc tunc illud fuisse.

72. Ad *Sanctionem pragmaticam* forte etiam alludunt comitia regni Turonibus a. 1483 habita. Conventus enim procerum a rege Carolo VIII petit, ut et ipse regnum et ecclesiam Gallicanam tueatur, ea ratione, uti id praestiterint ejus praedecessores Clodoveus, s. Ludovicus, Philippus Pulcher, Joannes, Carolus V, Carolus VI et Caro-

---

1) Cfr. Gérin, Les deux Pragmatiques, Ch IX

2) Ap. Rösen, p 11. — Merito tamen advertit Gérin, l. c. Appendice II, p. 263, ex textu haud colligi, hic agi de aliqua *Pragmatica* s. Ludovici.

3) Ap. Rösen, p. 14.

ius VII, qui omnes libertatem et privilegia hujus ecclesiae miti sint, et invigilaverint etiam exactionibus pecuniarum decretis suis. Si hisce forte ad Ludovici *Sanctionem*, tunc certe jam in lucem prolatam, alluditur, tamen nullum argumentum iis continetur pro ejus authentia. — Universim manifestum est, ex testimoniis illis saeculi XV, quae citavimus, argumentum alicujus ponderis pro genuinitate *Sanctionis pragmaticae* confici non posse. Incidunt haec testimonia, quae post duo saecula inde a s. Ludovico primum occurrunt, in tempus, quo Galli in Romanos Pontifices male animati, praepostero zelo suas quas dicebant libertates vindicare praetendebant, illorumque exactiones carpere et repellere. Tempore conventus Bituricensis valde opportunum videri poterat aliquod documentum sancti regis componere, quo tuerentur decreta tunc in injuriam Sedis Apostolicae confecta. — Censemus, argumentum multiplex negativum, quod attulimus, si omnia ejus momenta rite perpenduntur, tale esse, quo probetur, Sanctionem s. Ludovico adscriptam haud esse authenticam.[1])

73. Hisce accedunt argumenta interna ex ipso decreti textu deprompta, quae pariter simul sumpta gravissimum conficiunt argumentum, quo *Sanctio* probatur supposita et posterioris temporis foetus. Continet videlicet haec *Pragmatica* formulas varias, quae saeculo XIII in diplomatibus nullo modo in usu erat ut adhiberentur. Notissimum vero est simul ac certissimum, quoad principum leges ac decreta stabiles et determinatas fuisse quovis saeculo in variis regnis formulas; adeoque, quum invenitur, in aliquo diplomate, non unam tantum sed plures haberi formulas, quae ea aetate cui adscribitur vel ab illo principe cui attribuitur documentum, non adhibebantur, deesse vero formulas et verba tunc assueta, suppositionis habetur signum perspicuum. — Imprimis igitur Inscriptio illa: „Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, *ad perpetuam rei memoriam,*“ in cancellaria s. Ludovici nullo modo in usu erat; sed formula ista: *Omnibus praesentes litteras inspecturis notum facimus,* Argumenta interna.

[1]) Cfr. Gérin, Les deux Pragmatiques Sanctions, Ch. VIII.

vel similes.[1]) Praeterea omittuntur in *Sanctione* illae appellationes officialium regis, quae eo tempore in usu erant, videlicet *senescalli, baillivi, praepositi, vicecomites, villarum majores;* alia autem nomina adhibentur, quae eo tempore nondum erant in usu, cum dicitur: „Horum tenore universis *justitiariis, officiariis* et subditis nostris *ac loca tenentibus.*“ Nullum aliud edictum s. Ludovici afferri potest, quod dirigatur ad justitiarios, officiarios et loca tenentes, sed semper adhibentur ea nomina, quae supra citavimus.[3]) Etiam in epistolis Clementis IV Pontificis qui ex Gallia oriundus inter Ludovici IX consiliarios fuerat, commemorantur utique senescalli, baillivi, praepositi, non vero justitiarii, officiarii et loca tenentes. Atque s. Ludovicus in adhortatione directa ante mortem ad Philippum filium, eum monet, ut fideles sibi esse curet *praepositos atque baillivos.* Ex hisce concludi oportet, *Sanctionem pragmaticam* tunc tantum compositam fuisse, quando illae appellationes aetate s. Ludovici in usu positae jam in oblivionem abierant, et aliae illae, *justitiarii, officiarii loca tenentes,* receptae erant.[2])

Argumenta interna.

74. Dicitur porro in prooemio *Sanctionis:* Omnipotentis Dei, *cujus soli ditioni atque protectioni regnum nostrum semper subjectum exstitit et nunc esse volumus.* Quum *Pragmatica* contra Romanorum Pontificum nominationes promotiones et exactiones dirigatur, satis patet, cum al

---

[1]) Cfr. Gérin l. c. Ch. VI.

[2]) In aliquo Edicto anni 1254 juxta Tillemont (Vie de s. Louis t. VI. p. 298) tantummodo *officiales* identidem indicantur. Bene vero advertit Gérin: „En effet (le mot *officiales*) est dans les articles 2, 1 et 30, mais à la suite de *baillivi, praepositi, senescalli* et *alii officiales:* il est seul dans l'article 11, mais par une erreur de copiste, comme le fait expressément remarquer l'editeur du tome I[er] des *Ordonnances* p. 70, note cc; d'ailleurs, la Pragmatique porte *officiarii* et non *officiales* La Pragmatique de Bourges est adressée aussi aux *consiliarii officiarii* et *justitiarii* sans désignation plus précise.“ L. c. p. 143.

[3]) V. Rösen l. c. p. 18. — Advertatur, argumentum duplici constare elemento, scilicet quod 1° omittantur penitus appellationes, quae aetate s. Ludovici in usu erant, ac 2° illae adhibeantur, quae nullatenus in usu fuisse inveniuntur.

qua emphasi ista hic posita esse. Jam vero s. Ludovicus non ignorabat, adhuc ipsius tempore ter saltem regnum Franciae sub Sedis Apostolicae protectione susceptum fuisse. Primum Gregorius IX post coronationem Ludovici IX, Blanca regina instanter petente, ob merita regum Franciae in Sedem Romanam, ipsam, ejus liberos, regnum et omnes possessiones in protectionem Sedis Apostolicae susceperat. Dein Innocentius IV, anno 1248, antequam s. Ludovicus expeditionem cruciatam susciperet, protectionem Franciae contra Anglos susceperat. Demum Clemens IV a. 1267 iterum pro tempore novae expeditionis cruciatae, *petente Ludovico,* Franciam in patrocinium suum suscepit. Quemadmodum igitur a pietate s. Ludovici jam per se alienum erat, ut illa assertione Sedem Apostolicam carperet, ita post ea quae, ipso et matre petentibus, evenerant, omnino inepta fuisset ejusmodi affirmatio mendax.[1] — Argumenta haec interna ita comparata esse censemus, ut suppositionem *Sanctionis pragmaticae,* praesertim si cum argumento superius allato simul spectantur, omnino demonstrent.

75. Hisce adjicimus quaedam argumenta, quae rem probatam confirmant. A pietate notissima s. Ludovici regis, qui semper magnam reverentiam in Ecclesiam et Romanos Pontifices professus est, penitus abludit, ut talem *sanctionem pragmaticam* edidisse dicatur. Etenim articuli ejus, secundo forte excepto, diriguntur contra usurpationes et exactiones quae Romanis Pontificibus imputantur, et ipse textus quinti articuli valde acerbus est. Sanctionem igitur tam acrem et injuriosam in Apostolicam Sedem regem illum edidisse, admitti nequit, nisi certis demonstretur argumentis. Neque illo tempore motiva fuerunt, ut Romanis Pontificibus tanta cum acrimonia modus poneretur, in conferendis beneficiis et exigendis pecuniis. Quoad hanc rem sufficiat ea citare quae habet Thomassinus. *Constat,* scribit, *in gestis sanctissimi ejus regis nihil occurrere, quod possit ansam dedisse ei Pragmaticae publicandae,*

Confirmatur sententia.

[1] Cfr. Gérin l. c. p. 180 sqq.

cum nihil unquam ei causae vel negotii fuerit cum Romano Pontifice vel cum Curia Romana. . . . Non a Romana tum Curia proficiscebantur electionum dissidia et intemperiae, sed a laicorum factionibus tumultuosis, ex quibus extrema vis caedes quoque quandoque erupere.[1]) *Adde, si quae fuerunt eo* (s. Ludovico) *regnante Romanorum Pontificum in ecclesiam Gallicanam exactiones, eam pecuniam venisse in manu sanctissimi regis ad sacras ejus expeditiones, ut procul si a veri etiam specie, iniquo illum animo eas tulisse. Quin propius a vero abest, sollicitatos non semel a s. Ludovi fuisse Pontifices, ut id genus exactionibus assentirentur, und et in Pontificem tunc et in regem tam crebra Cleri murmur Addam et, quod habet Chronicum vetus Neustriae a summ viro Duchesnio publicatum, cum anno 1254 flagitasset B. Lu dovicus a Papa novam decimam in Clerum ad sacram m litiam, procuratores ecclesiarum Galliae cathedralium Lutetia congregatos, Pontificem per litteras certiorem fecisse, quas angustias detrusa esset ecclesia Gallicana his decimis, du decimis, centesimis, aliisque oneribus. . . . Ab uno Ponti spem sibi affulgere aliquam pristinae libertatis, testificant Occupatus Pontifex precibus et epistolis regis, durius hab procuratores Capitulorum, decimasque concessit ad tres ann gravibus poenis in contumaces saeviturus. Ubi res ita co firmatae erant, locus haud sane erat Pragmaticae isti modi.*[2])

Objectio. 76. Contenderunt nihilominus illi auctores, qui g nuinitatem *Sanctionis* vindicare nisi sunt, uti Natalis A xander aliique Gallicani, et recenti tempore Beugnot[3]) Soldan,[4]) res publicas et ecclesiasticas revera in ea co ditione fuisse, ut temporum adjunctis *Pragmatica* illa a prime conveniat. Atque etiam Viollet, quamvis ob arg menta superius allata cedat in sententiam, *Sanction*

---

[1]) Eccl. disc. P. II. L. II. c. 33. n. 4.

[2]) Ibid. P. III. L. 1. c. 43. n. 17. — Cfr. his Gérin l. c Ch. I et V.

[3]) Essai sur les institutions de s. Louis. Paris 1821, p. 422 sqq.

[4]) Ueber die pragm. Sanction Ludwig des Heiligen, Zeitschr. die histor. Theol. 1856. III.

s. Ludovici non esse authenticam, contendit tamen, infirmam plane esse probationem, dum ex s. Ludovici in Ecclesiam et Sedem Romanam pia submissione, et ex conditione rerum ecclesiasticarum in Gallia, quibus haud respondeant articuli illius decreti, deducitur, a Ludovico IX eam *Sanctionem* editam esse non posse. Nititur dein probare, simoniae malum etiam eo tempore serpsisse, Romanos Pontifices coarctasse nominationibus et praesentationibus electionum libertatem, et non raro exactionibus curiae Romanae ecclesias quoque Galliae vexatas fuisse.[1])

77. Ut hac de re prudens judicium instituatur, advertendum sane est, auctores aliquos dum sententiam quamdam evincere nituntur, in excessum interdum abire. Atque ita agunt, qui regnum ac gubernium s. Ludovici sic describunt, ac si omnia in statu plane eximio fuissent, et ob piissimi regis submissionem docilem sub episcopis et Sede Apostolica, nunquam lites de mutuis juribus pacem et concordiam vel minime turbassent. Ista sunt exaggerata. Controversiae de juribus oriri possunt etiam quum universim concordia regnat, atque praesules quoque, ordines religiosos, viros insignes inter se passim litigare conspicimus quovis saeculo, quin culpae saltem majori talia vertantur. Frequenter enim ex dubio statu rerum, ex diversis tendentiis etsi honestis, vel ex infirmitate quadam humanae naturae insita talia proveniunt. — Ita igitur etiam sub regno Blancae et s. Ludovici passim quaedam lites cum praesulibus vel controversiae cum Sede Apostolica exortae sunt; de jure *regaliae* speciatim inde a tempore Philippi Augusti usque ad Philippum Pulchrum controversiae cum Sede Apostolica habitae sunt.[2]) — Sed vis argumenti in eo consistit, quod Ludovicus reverentiam magnam in Sedem Apostolicam semper professus sit, adeoque *Sanctionis* tam acerbae in Romanos Pontifices auctor haberi

Expenditur.

[1]) Examen critique l. c. II.

[2]) Jus regaliae in eo consistebat, quod episcopatuum proventus tempore vacationis rex percipere posset, et pleno jure nominare ad beneficia tunc vacantia, exceptis parochiis.

nequeat, praesertim quum ea capita, quae in *Sanctione* commemorantur, non essent objectum difficultatum inter regem et Pontifices.

Praesulum nominationes. 78. De regalia in eadem *Pragmatica* nihil dicitur. quod sane mirum videtur, si genuina esset. Si qui casus simoniae interdum accidebant, tamen non legitur tunc illud malum adeo invaluisse, ut propterea specialis lex convenerit. Quod ad nominationes attinet a Sede Apostolica praeter normas jam consuetas, extraordinario modo factas. rari forte occurrunt casus, etsi postulationes et commendationes ad beneficia minora frequentiores fuisse videantur. Ea de re dicit Viollet dum sententiam suam probare studet: „Voici ce que nous apprennent les lettres des papes. En dehors des cas de dévolution canonique ou des circonstances exceptionnelles spécifiées plus haut (dans les cas de troubles, confusion, violences dans les églises), Clément IV nomma un évêque d'Evreux, un évêque de Marseille, un évêque de Périgueux. Urbain IV nomma un évêque d'Agen. Innocent IV nomma un évêque de Tolède au lieu et place du candidat désigné à l'unanimité par le chapitre. Ce sont là des faits incontestables, qui viennent infirmer l'opinion des auteurs, sur lesquels s'appuie Mr Guérin.[1]) Quant à la nomination des chanoines et en général à la collation des bénéfices mineurs, il suffit de consulter la collection des lettres des Papes à la Bibliothèque impériale, pour constater que les recommandations et même les nominations directes par les Souverains Pon-

---

[1]) L. c. p. 167 nota 3. — Sed quae hic de nominatione episcoporum Viollet advertit, ipse maxima parte correxit, videlicet L. c. p. 38[?] inserens *Erratum*, in quo inter alia dicit: „On nous signale une erreur grave que nous nous empressons de rectifier. — Clément IV n'a jamais nommé d'évêque d'Evreux, comme nous l'avons écrit p. 167, mais bien un évêque d'York (sc. Eboracensis). Peut-être aussi aurions-nous dû faire remarquer que les évêques de Marseille et de Périgueux dont nous parlons (p. 167) furent nommés à la suite de la démission offerte par leurs prédécesseurs." Etiam reliqua, quae auctor quoad Galliae episcopos adverterat, refutavit cl. Gérin in responso ad criticam cl. Viollet. V. Revue du Monde catholique, 1870; Tom. XXX. p. 477 sqq.

tifes sont extrêmement fréquentes; on en trouve des exemples presque à toutes les pages de ce précieux recueil." — Advertit porro, magna ex parte ipsos praelatos vel principes per instantiam suam tales provisiones directas per Pontifices provocasse. „Ce sont trop souvent les évêques ou les hauts dignitaires qui provoquent de telles irrégularités, ce sont des puissants et saints personnages, par exemple Isabelle, fille de Louis IX." — Ex epistola qua Urbanus IV Isabellae huic, Navarrae reginae, ad instantias suas promittit, se provisurum eo anno beneficium duobus ipsius clericis, et sequenti anno duobus aliis, Viollet etiam haec verba citat: *Verumtamen, licet firmiter in nostro disposuerimus animo, usque ad unum annum in ecclesiis regni Franciae, cum eas plurimum gravaverimus, et earum praelati scandalizentur de hoc plurimum et turbentur, nemini providere.*[1])

79. Haec sane negligi non possunt, dum in illius aetatis conditionem inquirimus. Sed nihilominus, his consideratis, adhuc parum probabile videtur, ejusmodi acrem *Sanctionem* a s. Ludovico IX edi potuisse. Exempla nominationis episcoporum Galliae per Sedem Apostolicam paucissima sunt, atque ea quoque quae de collatione beneficiorum minorum afferuntur, ostendunt, usum hunc potius in suis initiis fuisse, nec Pontifices in eum se praebuisse propensos. Imo quum ad tales provisiones per praesules et principes passim provocarentur, admitti vix possit, jam tunc tam grave edictum auctoritate regia contra haec confectum fuisse. Casus non fuisse tam multiplices nec tam graves, nec querelas ista de re valde frequentes, vel inde colligitur, quod Thomassinum ista fere latuisse videantur. Adverte porro, nos haud, ut aliqui auctores, argumentum peremptorium contra authentiam *Pragmaticae* inde petere, quod conditio rerum in Gallia illis articulis edendis *nullam* ansam praebuerit; sed dicimus, etiam spectata ista conditione rerum, parum probabile videri ejusmodi *Sanctionem* a Ludovico IX editam esse; alia autem argumenta suppositionem demonstrant.

Sententiam non infirmant.

[1]) V. Viollet l. c.

Exactiones Pontificum.

80. Similia fere occurrunt dicenda de impositione decimarum aliorumve tributorum ex parte Sedis Apostolicae. Videlicet passim sane subsidia quaedam pro Sede Apostolica expetita et collecta fuerunt, quum Romani Pontifices, Gregorius IX et Innocentius IV, magnis premerentur angustiis. Sed contributiones clero impositae plerumque subsidium terrae sanctae spectabant, et quamvis etiam hae contributiones auctoritate Sedis Apostolicae imponerentur, in favorem tamen regis id fiebat in ejusque commodum, eique pecunia collecta vel integra, ut videtur, vel magna parte concedebatur. Quamvis igitur admittendum sit, passim ecclesias aegre tulisse, quod varia tributa ipsis imponerentur, tamen cum ista rerum conditione conciliari nequit, quod rex brevi antequam ad secundam expeditionem cruciatam proficisceretur *Sanctionem* illam ediderit, contra exactiones RR. Pontificum, qui praesertim ad ejus commodum pluries contributiones imposuerant.

81. Nituntur illi qui censent, nimiis exactionibus a Sede Apostolica revera ecclesias Galliae oppressas fuisse, et s. Ludovicum eas voluisse tueri contra easdem, praecipue Matthaeo Parisio, qui more suo acriter hac in re Pontifices eorumque legatos carpit. Ita Natalis Alexander: *Hujus enim condendi decretum s. Ludovico non defuisse, docet Matthaeus Parisius coaevus auctor in Hist. Anglic. ad an. 1247. „Eisdem diebus, inquit, Dominus Papa apices suos per authenticos nuntios Praedicatores et Minores misit ad omnes Franciae praelatos singillatim, supplicans, ut unusquisque juxta suam possibilitatem, sibi unam quantitatem pecuniae accommodaret. Et ipse procul dubio, quum respiraret, quod cuique competeret redderet indubitanter. Quod quum regi Francorum innotuisset, suspectam habens Romanae curiae avaritiam, prohibuit, ne quis praelatus regni sui, sub poena amissionis bonorum suorum taliter terram suam depauperaret. Et sic cum sibilo et derisione omnium papales legati sophistici, quorum humeris hoc officium incumbebat, inanes et vacui a regno recesserunt memorato.“* [1]) — Satis

[1]) Ap. Natal. Alex. Saec. XIII. c. X. a. 3.

inepte Natalis Alexander rationem decreti ex iis repetit, quae viginti annis antequam ederetur accidisse, Matthaeus Paris narrat. Hunc virum autem Pontificibus infensum esse, nec fidem in omnibus mereri, jam ex ipsius Alexandri et Baronii sententia vidimus, atque ad fabulas malignas vel exaggerationes censemus etiam citatam narratiunculam magna ex parte pertinere. Etenim haud probabile est, s. Ludovicum, quum Pontifex magna cum moderatione tantum ut pecunia ei commodaretur peteret, tam inverecunde egisse. Forte exortae sunt quaedam difficultates, vel petitiones Innocentii IV apud praesules effectu caruerunt; inde exaggerando Matthaeus Paris suam composuit narrationem. — Regis observantiam in s. Sedem Gulielmus Carnotensis Ord. Praed., s. Ludovici capellanus, in libro de ejus Vita et Miraculis his verbis commendat. *Sane quam reverenter et humiliter erga sanctam Romanam ecclesiam semper se habuit, quam devote et obedienter rescripta et mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quam obedienter et efficaciter, sicut verus filius obedientiae, adimplere, norunt illi qui ei familiarius adhaerebant. Ipse enim negotia matris Ecclesiae plus quam propria reputans, ea totis effectibus promovere curabat.*[1]) Nihilominus Natalis suis praeoccupatus principiis Gallicanis, pietati s. Ludovici IX ejusque studio tuendi Ecclesiae libertatem, *Sanctionem pragmaticam* optime convenire existimat, sed ejus sententiae haud subscribendam esse censemus.

Exaggerationes.

82. Itaque non negamus quidem, praesules quosdam Galliae, quum ageretur de subsidiis pecuniarum ferendis pro bello sacro aliisve necessitatibus Ecclesiae, identidem, aegre id tulisse et restitisse. Id colligitur ex variis factis, atque etiam ex Urbani IV epistola ad eos anno 1263 directa, qua ipsos arguit, et advertit, pudore suffundi debuisse viros ecclesiasticos, pietate ac religione se vinci a laicis, qui non modo in ea justissima causa belli sacri suas opes, verum sanguinem profunderent.[2]) — Porro centesimam quae

[1]) Ap. Natal. Alex. l. c.
[2]) V. Raynald. a. 1263. n. 13.

Impositiones in regis commodum.

anno 1262 pro bello sacro imposita erat ad quinquennium, in manus ipsius regis esse devolutam, collegeris ex verbis chronistae Lemovicensis ad illum annum scribentis: „*Centesima superius dicta quam rex habuit.*“[1]) Erat eo tempore etiam imposita decima pro Carolo Andegavensi regis fratre in regem Siciliae promoto; sed si id minus gratum fuit praesulibus, supponi tamen nequit, regem hoc aegre tulisse, quum ageretur de amplificanda gloria et potentia familiae regiae. Praeterea vero anno 1267 Clemens IV diserte *in commodum Ludovici IX,* expeditionem sacram praeparantis, ad triennium huic decimas ab ecclesiasticis suscipiendas concessit. In epistola ad Simonem Cardinalem legatum, qua encomiis summis regem evehit ob receptam iterum crucem, scribit: *Et quoniam ob hujusmodi laudandum negotium, quod memoratus rex pro divino timore nominis et amore suscepit magnanimiter promovendum, sumptus fere innumerabiles requiruntur, nos, optantes illi ad hoc opportunae subventionis auxilium non deesse, decimam trium annorum omnium redditaum et proventuum ecclesiasticorum in toto regno Franciae, . . . in subventionem praelibati negotii, regi praefato per nostras sub certa forma litteras jussimus exhiberi. Nec ad ulciscendam injuriosam Salvatoris offensam et eripiendam de infidelium perfidorum manibus haereditatem Domini, de bonis quae obtinent assumptae in ejus sortem personae, necessaria conferre subsidia difficultatem debent ingerere, vel reputare molestum, quum haec bona constet potissimum de illius patrimonio provenire.*[2])

83. Significavit Clemens IV s. Ludovico, vectigalium ecclesiasticorum decimas ad instruendum belli sacri apparatum ei esse attributas. Ingrata quidem ea res admodum fuit Gallicano clero, suorum commodorum quam rei christianae tuendae cupidiori. Utque oneri subducerent humeros, ad Sedem Apostolicam miserunt oratores, qui insulsa oratione in decimarum exactionem mala Ecclesiae retulerunt, imo ob hanc ab obedientia Romana descivisse

[1]) Bibl. des Chartes, l. c. p. 172. note 1.
[2]) Ap. Raynald. a 1267. n. 53.

ecclesiam orientalem effutierunt, ac demum petierunt, ne regi decima in terrae sanctae subsidium concederetur. Repulit oratorum dicta Clemens atque subjectis argumentis fregit, gravi epistola ad capitula et decanos ecclesiae Gallicanae data. Exprobat ipsis, quod in sancto rege juvando laicis inferiores sint. *Nonne*, scribit, *pudere debet pariter et taedere, quod ad impediendum commune religionis christianae ac fidei orthodoxae negotium, sic vestri prorupere conatus, ut terrae praedictae quasi totaliter manibus inimicorum expositae, tantae opportunitatis tempore, praedicto videlicet christianissimo rege cum multorum magnatum et aliorum regni Franciae diversarumque partium multitudine se ad illius praeparante subsidium, manus auxilii subtrahatur: cum decuisset vos potius auxiliatricem liberalitatis offerendo dexteram, celeris oblationis promtitudine in hoc laicos praevenisse. . . . Profecto regis saltem memorati consideratio debuerat vobis in iis silentium indixisse, ut considerantes attentius, qualiter ipse ob vindicanda sui Redemptoris opprobria, sua effundit, cum in ipsum onus quasi totius sui exercitus refundatur, postponit regnum, se ac suos exponit, ori vestro custodiam et ostium circumstantiae labiis poneretis, ne de cujuscumque subventionis concessione sibi ad hoc faciendae murmur erumperet, aut querimonia resonaret, praesertim quum ex eo nimirum vos conscientia deberet arguere, quod laicis onera gravia ultro sponte subeuntibus pro tam necessario crucifixi obsequio, vos invitati, contracti subire etiam levia recusatis.*[1]) Quum igitur hac ratione scriberet Clemens IV mense Septembri anni 1267, et in favorem regis contributionem clero imponens triennii decimas ei petenti concessisset, quis sibi persuadere possit, anno 1269 mense Martio Ludovicum edictum acre edidisse contra exactiones curiae Romanae? Per se jam haud verisimile est, inconsulta Sede Apostolica regem pium ordinare voluisse res ecclesiasticas regni sui, sed eo tempore quam maxime ineptum fuisset ejusmodi edere *Sanctionem.*[2])

Clerus redarguitur.

[1]) Raynald. a. 1267. nn. 58. 59.

[2]) Beugnot in sua defensione genuitatis Sanctionis pragmaticae, nititur documento inscripto „gravamina ecclesiae Gallicanae“, edito pri-

Argumentis allatis censemus evinci, *Sanctionem pragmaticam* s. Ludovici non esse authenticam, sed posteriori tempore, videlicet aetate conventus Bituricensis (a. 1438) eam esse confictam.

Philippus III. 84. S. Ludovico IX in Galliae regno anno 1270 successit ejus filius *Philippus III*, Audax appellatus. Etiam hic regum Franciae potestatem ampliavit, ac sub ipso, quum Tolosanus comitatus Joannae filiae Raymundi VII ejusque mariti Alphonsi vacaret morte, provincia ista in possessionem regum Galliae pervenit. Quum anno 1274 concilium oecumenicum Lugduni celebraretur, Philippus protectione sua Gregorio X et Patribus adfuit, ac generatim vestigiis s. Ludovici insistens, Ecclesiae et religioni is sese praebuit addictum. De ipso Gulielmus Nangius in vita Philippi III: *Super sedem paternam Philippus rex collocatus, patris sui non immemor praeceptorum, quibus illum in extremis laborans imbuerat, ambulavit cum Domino, sapientum tractatibus corde ultroneo adhaerendo.* Recensitis dein Philippi virtutibus: *Unde his*, scribit, *et aliis multis pollens virtutibus, toto tempore vitae suae pacem in regno suo meruit obtinere.* Ejus vero in Sedem Apostolicam animum devotum hoc elogio commendavit Martinus IV: *Quam sit excelsa devotio et affectio, quam sublimis, quibus inter caeteros proceres charissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris, claris progenitorum suorum inhaerendo vestigiis, erga Romanam ecclesiam matrem suam fervore dignoscitur, crebris liquet indiciis, multimodis aperitur operibus, et frequentibus actibus declaratur.*[1]) Obiit Phi-

---

mum ad Ed. Brown in appendice operis Orthuini Gratii „Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum“ Londini 1690. Brown indicat, illud documentum ei communicatum fuisse a Thoma Gala, qui id invenerit inter manuscripta Matthaei Parisii in Bibliotheca Joannis Cotton asservata. Ex contextu colligitur, illa gravamina per aliquem legatum missum a Ludovico IX anno 1247 Innocentio IX proposita fuisse. Sed documentum illud, cujus nulla antea mentio facta, ex tota forma sua se prodit ut spurium. Forte fuit tantum schema aliquod a Matthaeo confectum, ut Gallos vel Anglos in Romanos Pontifices excitaret. Plura vide apud Rösen l. c p. 21.

[1]) Epist. ad Guidonem de Monteforti, ap. Duchesne T. V. p. 886.

lippus, praematura morte abreptus, Perpiniani die 6° Octobris anni 1285; annum aetatis quadragesimum quintum attigerat, regni sedecim numerabat. Successit ei filius *Philippus IV*, cui ob formae praestantiam *Pulchri* cognomen fuit. De ejus cum Bonifacio VIII dissidio aliisque gestis sequenti dissertatione agemus. — Jam enim eo properamus, ut expendamus Bonifacii VIII pontificatum variasque quae ad eum pertinent quaestiones. Supersunt quidem varia argumenta in hac qua versamur aetate, quae discussionem specialem sane merentur; attamen modo ea tractare nobis non est propositum. Verum ut connexio inter haec tempora et vicissitudines quas paulo post Ecclesia subiit perspecta habeatur, quae tractanda venient melius intelligantur, compleaturque saeculi hujus delineatio, quaedam adhuc subnectimus de conditione rerum in variis regionibus, ac de statu interno Ecclesiae.

III.

De aliorum regnorum conditione, ac de statu interno Ecclesiae.

85. Non modicas difficultates ultimis saeculi decimi tertii decenniis crearunt Romanis Pontificibus res Apuliae et Siciliae, quae regna jure feudali Sedi Apostolicae subjecta erant. Post mortem Conradi IV, Bertoldus de Hohenburg, cui Conradus moriens administrationem hujus regni commiserat, petiit ab Innocentio IV, ut Conradinus biennis Conradi filius feudis illis investiretur. Sed Innocentius id recusavit, quamvis benevolum se in Conradinum ostenderet, ita quidem, ut puerum jam ut ducem Sueviae et regem Hierosolymae agnosceret, et etiam concederet juramentum ab Apulis ecclesiae Romanae praestandum fieri, *salvis juribus* Conradini. Pontifici videlicet id praecipue propositum erat, ut Sedis Apostolicae jura in illa feuda vindica- Siciliae regnum.

rentur; caeterum intendebat ipse regnum administrare usque ad aetatem adultam Conradini, quemadmodum id ante fecerat Innocentius III, quum Fridericus II adhuc puer esset. — Manfredus Friderici II filius tunc cum Innocentio IV egit, atque a Pontifice, Anagniae die 27° Septembris a. 1254, uti ejus vicarius pro Italia meridionali constitutus fuit. Sed Manfredus mox in Innocentium IV se hostilem ac rebellem ostendit et, exercitu Saracenorum coacto, copias Pontificis aggressus est.

86. Innocentio die 7° Decembris a. 1254 defuncto successit *Alexander IV*. Sub ipso Manfredus in rebellione sua perstitit, quumque rumor de morte Conradini percrebuisset, die 11° Augusti a. 1258 Panormi regem Siciliae se coronari fecit. Exinde Gibellinorum Italiae partes ut dux eorum propugnavit, ditionemque ecclesiasticam graviter vexavit et Romae turbas fovit, ita ut Alexander IV Urbe discedens Viterbii Anagniaeve residere cogeretur. Quum ipse die 21° Maji anni 1261 obiisset, Sedem Apostolicam ascendit *Urbanus IV*, Gallus. Is quidem multis difficultatibus pressus, concordiam cum Manfredo inire non recusasset, dummodo honori et dignitati Sedis Apostolicae satis providere potuisset. Sed Manfredus excommunicationem

Confertur Carolo Andegav.

ab Alexandro in se latam spernens, ipsum Pontificem Orbeti morantem in suam redigere conabatur potestatem, nec aequas pacis conditiones ei offerebat. Tunc Urbanus IV regnum Siciliae, utpote Sedis Apostolicae feudum, obtulit *Carolo Andegavensi* Ludovici IX fratri, quem Romani quoque in Senatorem suum elegerant. Carolus, quem et regnandi cupido et Beatricis uxoris ambitio vehementius excitabat, invitationi Pontificis acquievit. Quum vero s. Ludovicus IX parum pronum in istud negotium se praeberet, Urbanus IV ei ostendit, Conradini, ob Friderici II avi ipsius proditionem, nulla esse in Siciliam jura, neque Edmundi Angli jura subsistere, quum is oblatum regnum sibi vindicare neglexisset. Edmundus reapse mox omni juri renuntiavit. Ita igitur Siciliae regnum a. 1263 in Carolum Andegavensem translatum fuit; confirmavit Pontifex etiam, quamvis invite, ejus electionem in Senatorem Romanorum, certis conditionibus

de consilio Cardinalium praescriptis, quarum praecipua haec erat, ut non ad vitam summum Urbis magistratum susciperet, sed quousque dumtaxat Siciliae regnum sibi subjecisset, ne Pontificis civilis principatus obscuraretur ejusque imminueretur auctoritas. Ea ratione quidem Urbanus IV Gallis magnum in res Italiae influxum comparavit, unde postea non modica pericula exorta sunt; sed Pontifex istis in angustiis temporum aegre alia ratione Sedi Apostolicae providere poterat.

87. Quum Urbanus IV die 2° Octobris anni 1264 obiisset, Cardinales, postquam Sedes Apostolica ob difficultates temporum quinque mensibus vacasset, in Pontificem elegerunt Guidonem Fulcodi Cardinalem Episcopum Clemens IV. Sabinensem, ex Provincia Galliae oriundum, virum virtutibus rerumque peritia insignem, qui *Clemens IV* appellatus est. Nonnisi magna cum difficultate monachi habitu indutus is ex legatione in Angliam rediens, in Italia superiore Gibellinorum insidias evitavit, quumque universa fere Italia jam sub Manfredi dominatione esset, etiam ipse spem suam in Caroli Andegavensis auxilio et protectione collocavit. Simoni Cardinali, Sedis Apostolicae in Gallia legato, munus ab Urbano IV injunctum sacrae expeditionis in Siciliam promovendae confirmavit, Carolumque, qui paucis cum copiis mense Majo anni 1265 Romam pervenit, ibi excepit. Quum vero Carolus mox cum quadam arrogantia sese gereret, exactionibusque importunis Pontificem premeret, aegre tantum concordiam cum Clemente servavit. Distulit hic contra Caroli votum ejus coronationem in regem Siciliae, donec exercitus major ex Gallia advenisset, ac tunc demum die Epiphaniae anni 1266 Carolus cum uxore Beatrice a quinque Cardinalibus solemniter inauguratus fuit. Caeterum variae dissensionum causae perstiterunt inter Carolum, virum superbum, dolosum et arrogantem, atque Clementem IV, qui non destitit monitis et consiliis sagacibus ad probitatem et modestiam illum exhortari.

88. Carolus primis mensibus anni 1266 magna cum fortitudine Apuliam et Siciliam sibi subjecit, sed multis

militum excessibus, et duritie ac crudelitate opus susceptum foedavit. Clemens inde magnum animi moerorem susce-
Caroli dominatio. pit ac litteris Carolo militum facinora exprobavit.[1]) Ceci-dit Manfredus in praelio apud Beneventum commisso, eju vero uxor et liberi dura captivitate detenti sunt. Ita Ca-rolus Siciliae dominationem acquisivit, atque etiam in re-liquam Italiam suam extendit potestatem. Protectoris enim seu Servatoris Italiae titulum et auctoritatem Pontifex e contulit, quamdiu vacaret Imperium, ut Gibellinos doma-ret. Multas tamen molestias Carolus Pontifici creaba Quamvis enim in Sicilia juxta pacta cum Pontifice priv-legia cleri restitueret, tamen ecclesias et clerum multipl-citer vexabat, debitam Pontifici pecuniam reddere recusa-vit, dignitatem Senatoris Romani contra conventa dol retinere nisus est. Subditis autem dominio arbitrario exactionibus, crudelitate exosum se reddidit.

89. Interim Conradinus, adolescens sedecim annorum male consultus et imprudenter regnum Siciliae sibi recu-perare meditatus est, titulum regis Siciliae assumpsit, cum Italis egit, ut expeditione suscepta perficeret exoptat Clemens IV die 18° Novembris anni 1266 solemni edict Conradino prohibuit prosequi ista consilia, omnibusque qu eum juvarent minatus est excommunicationem. In Coen Domini anni 1267 edictum suum renovavit, Conradinum que ad festum ss. Petri et Pauli Romae diem dixit, commissa purgaret. Contumacem dein anathemate con-fixit. Conradinus tamen nec Pontificis nec Caroli Andi-gavensis monitis a coeptis revocatus est, sed versus auctum-num anni 1267 cum exercitu ac pluribus proceribus Ita-liam petiit, ubi Gibellini et Saraceni eius partes suscepe-runt, atque etiam Henricus Romanorum Senator, quum Conradinus Romam venisset, favorem ac praesidium praesitit. Varia fortuna Conradinus in Italia dimicavit sed die 23° Augusti apud Tagliacozza in Apulia praeli victus a Carolo, paulo post cum pluribus ducibus in fug interceptus, et in vincula conjectus est. Judicio paru

[1]) V. Martene thes. II. 298. — Hefele, C. G. VI. 23.

aequo dein a Carolo capitis sententia damnatus, Neapoli die 29° Octobris anni 1268 ultimo supplicio affectus fuit. Atque ita desiit Friderici quondam Imperatoris stirps infausta. Henricus exsenator Romanus perpetuo carceri traditus est, Carolus vero Senatoris potestate insignitus Romam triumphali pompa se contulit, collatae possessionem iniens dignitatis. Profligatis dein, ducum suorum opera, Gibellinorum in Sicilia superstitum reliquiis, Siculos in deditionem suscepit regnumque suum firmavit. In hisce eventibus Clemens IV quidem merito Caroli partes defendit, ac censuris ecclesiasticis Conradini et sequacium conatus evertere nisus est, sed Caroli excessus nullatenus comprobavit, imo variis litteris eos graviter constrinxit.[1]) Die 29° Novembris anni 1268 Viterbii decessit Pontifex. Conradini mors.

90. Carolus rex duro sub jugo dein Siculos tenuit, suumque regimen iis reddidit valde ingratum. Quum ad Nicolaum III Pontificem Siculi recurrissent, ut ipse qui supremum illius regni dominium habebat, a tyrannide regis eos tueretur, Pontifex Carolum litteris ad majorem aequitatem et lenitatem hortatus est, sed superba retulit illius responsa. Exinde Siculi, auctore praesertim *Joanne Procida*, viro nobili, quem bonis privaverat Carolus, ad hunc regem ejiciendum conspirarunt cum Petro Arragoniae principe, qui Constantiam, Manfredi quondam regni Siculi invasoris filiam, duxerat uxorem. Is igitur sub praetextu quod Saracenos in Africa aggressurus esset, arma paravit. Vesperae Siculae. Sed bellum apertum ipsi Siculi cruenta etiam seditione praevenerunt. Etenim anno 1282 postridie festi Resurrectionis Domini (die 30° Martii), dum populus campanarum sonitu ad vesperas convocabatur, Panormitani de repente in inermes nihilque mali suspicantes Francos irruerunt; et omnes sine sexus, aetatis et conditionis discrimine interemerunt. Excidium istud cruentum *Vesperae Siculae* appellari consuevit. Idem deinde in aliis Siciliae civitatibus perpetratum est. — Siculi regni coronam Martino IV Pontifici obtulerunt, sed Martinus IV Caroli regis, qui

[1]) Cfr. Raynald. a. 1268. n. 42, 43, 54.

cum Pontifice in Etruria agens a caede fuerat praeserva tus, jura vindicavit. Siculis sub poena excommunicationi in personas et interdicti in loca imperavit, ut ad Caroli regis obsequium redirent. Petrum regem Arragoniae ab invadenda Sicilia deterruit, et copiis a Philippo III regi Francorum in Siciliam destinatis eamdem indulgentian concessit, quae pro terrae sanctae defensione dimicantibu concedebantur. Cum nihilominus Petrus ad occupandam Siciliam classem in eam destinasset, Pontifex eum primi excommunicavit ejusque regnum sacris interdixit, deinde Arragoniae regno ac principatibus Valentiae et Catalaunia privatum declaravit, subditos a juramento fidei absolvit et Philippo Francorum regi occupandi ejus ditiones pote statem fecit. Reipsa Philippus III varias Petri urbes oc cupavit, sed propter ingruentem copiis suis pestilentiam i Galliam redire coactus, anno 1285 Perpiniani decessit.

Petrus Arragonus Sicil. rex.

91. Interim Petrus Arragonus cum copiis in Siciliam appulsus, Panormi die 30° Augusti anni 1282 rex cor natus et proclamatus est, feliciterque bellum contra Car lum Andegavensem gessit. Hujus classis apud Neapoli anno 1284 devicta fuit, ejusque filius Carolus captus et i Arragoniam missus est. Obiit Carolus I die 7° Januar a. 1285, postquam moriens regnum suum Pontifici Ma tino IV commendasset. Sed eodem anno etiam Martin et Petrus I Siciliae rex decesserunt. Pontifices quide qui secuti sunt, Honorius IV (1285—1287) et Nicolaus I (1288—1292), quantum potuere laboraverunt, ut Caroli stirpi Siciliae regnum restitueretur, sed eo non perven runt. Obtinuit tamen Nicolaus, ut Carolus II anno 12 ex captivitate dimitteretur, atque exinde ei et successorib ex progenie sua regnum Neapolis a Sicilia separatum i mansit. — In Sicilia vero regnavit Jacobus I Petri Arr goni filius. Is quum mortuo Alphonso III fratre etiam regnum Arragoniae pervenisset, adactus quidem est, Siciliam Pontifici Bonifacio VIII anno 1295 remitter qui ei Sardiniam et Corsicam, Sedis Apostolicae feuda, compensationem promisit. Sed ejusmodi pacta respueru Siculi et Fridericus Jacobi frater, qui Siciliam gubernab

Fridericus ipse tunc Siciliae regnum sibi vindicavit, et per plures annos armis defendit, donec anno 1302 Bonifacius VIII pacem cum eo iniit. Ducta in uxorem Eleonora Caroli II regis Neapolitani filia, cum ipso quoque concordia restituta est, regnumque Siciliae usque ad mortem suam (a. 1337) Fridericus tenuit.

Gibellini et Guelfi.

92. Quantas difficultates isti in Italia meridionali et in Sicilia eventus Romanis Pontificibus creaverint, ex dictis satis elucet. Sed etiam in reliquis Italiae partibus multiplices turbae perdurarunt ob dissensiones Gibellinorum, qui principibus ex Suevorum stirpi addicti erant, et Guelforum, qui municipiorum independentiam propugnabant, et se plerumque Ecclesiae ac Poutificibus magis ostenderunt devotos. Gibellinorum et Guelforum principia et tendentiae ea aetate ita se evolverunt, ut Gibillini in spiritualibus quidem sua jura ac suprematiam Pontifici adscriberent; caeterum vero quoad temporalia monarchiam universalem expeterent, cujus summo capiti, scilicet Imperatori, etiam Pontifex uti princeps civilis subjectus foret. Periculum igitur in eo erat, quod monarchiam politicam universalem ab Ecclesia penitus independentem statuerent, simul vero facile talem influxum in Ecclesiam, quatenus ejus protector esset, Imperatori concederent, ut Ecclesiae libertas et independentia in discrimen vocarentur. Guelfi autem subordinationem reipublicae civilis sub Ecclesia merito ita concipiebant, ut summo Pontifici etiam supremam quamdam auctoritatem in temporalibus adjudicarent, ita quidem ut Pontifex hanc in Imperatorem immediate, mediate vero in universam rempublicam civilem exerceret.[1]) Quae quidem sententia cum principio de potestate indirecta Pontificis in temporalia principum magis cohaeret.[2]) De Imperio servando tamen Guelfi passim minus solliciti erant.

---

[1] Hergenröther, K. G. I. S. 840.

[2]) Citantur (ap. Kraus, K. G. ed. 1. p. 319) veluti exaggerata expressio auctoritatis pontificiae in Imperatorem, illa Innocentii IV verba, occasione depositionis Friderici II scripta: „Christus in Apostolica Sede non solum pontificalem sed et regalem constituit monarchiam,

Angliae regnum.

93. In Anglia hoc saeculo rerum ecclesiasticarum conditio sat florida fuit; multae tamen difficultates passim exortae sunt inter reges et episcopos caeterosque regni proceres. Perduravit videlicet intestina illa lucta, in qua proceres regum auctoritatem coarctare, principes vero suam potestatem firmare et ampliare studebant. Dumque proceres interdum in limitanda principum auctoritate terminos transgrediebantur aequitatis, principes dominationis arbitrariae et despoticae, maxime in clerum et ecclesias, passim merito arguebantur. Sapienter autem in illis controversiis Romani Pontifices intervenerunt eo vel magis, quod specialia ipsis in Angliam jura essent; eorumque influxui tribuendum est, quod perturbationes identidem exortae, atque etiam bellum civile quod anno 1263 exarsit, citius sedata fuerint. Regnaverunt eo saeculo in Anglia, post mortem Joannis sine terra, Henricus III (1216—1272) et hujus filius Eduardus I (1272—1307). Sese opposuerunt Pontifices etiam oppressioni Hibernorum per Anglorum reges, quorum dominium summum in illam insulam, uti vidimus, jam firmatum erat. Ita Honorius III anno 1219 varia hac in re edidit rescripta, et providens, ut aequali jure cum Anglis Hiberni gauderent, mandavit legato suo, ut irritum declararet decretum Anglorum quo statuerant, nulli Hiberno dignitatem ecclesiasticam esse conferendam. Excessum vero quemdam Hibernorum moderavit Innocentius IV, mandans anno 1250 ut revocaretur illorum statutum, quo decreverant, nulli Anglo canonicatum in Hibernia concedendum esse. — Atque haec sufficiat retulisse quoad conditionem rerum ecclesiasticarum in praecipuis orbis regnis et regionibus.

94. Plurima quae ad internum statum Ecclesiae

B. Petro ejusque successoribus terreni simul ac coelestis imperii commissis habenis . . . . (Romanorum princeps) Romanorum Pontifici, a quo Imperii honorem et diadema consequitur, fidelitatis et subjectionis vinculo se adstringit." Sed ejusmodi effata comparanda sunt cum principiis alias, ac praesertim ab Innocentio III expositis, et juxta haec principia intelligenda. Atque ita congrue conciliantur cum doctrina saepius jam laudata.

saeculo decimo tertio spectant, jam iis quae exposuimus continentur. Pauca hic adjicere juvabit, quae inserviunt ad quaestiones speciales in Dissertationibus tractatas melius enucleandas.

Magnum et salutarem influxum in statum religiosum illius aetatis exercuit *diffusio Ordinum Mendicantium.* Jam commemoravimus institutionem Ordinis Fratrum minorum per s. Franciscum, et Ordinis Fratrum Praedicatorum per s. Dominicum; praeter hos Carmelitae et Eremitae Augustiniani Ordinibus mendicantibus accensentur. — Vetusta Ordinis Carmelitarum traditio Ordinisque scriptores Eliam prophetam tanquam illius fundatorem venerantur. Dicunt qui hanc sententiam tenent, Eliam prophetam ejusque discipulos, filios prophetarum, in monte Carmelo vitam eremiticam duxisse, illis in vitae hujus disciplina alios continuo successisse usque ad Christum natum; hos eremitas magno cum fervore christianam religionem suscepisse, et in eadem vitae ratione perseverasse usque ad saeculum XIII, quo a B. Alberto patriarcha Hierosolymitano regulam vitae acceperunt. Alii vero scriptores initia Ordinis Carmelitarum referunt ad saeculum XII, illiusque fundatorem dicunt fuisse Bertholdum sacerdotem e Calabria oriundum, qui circa medium saeculum XII cum aliquot piis peregrinatoribus in montem Carmeli devotionis causa profectus, humile sibi suisque sociis domicilium ibi elegerit, vitam acturus ad normam veterum anachoretarum. Hanc sententiam prae aliis propugnavit Daniel Papebrochius S. J. in Commentario hist. ad Vitam B. Alberti.[1]) Tunc scriptores Ordinis Carmelitarum calamum strinxerunt contra Papebrochium, qui illis fortiter respondit. Quum autem lis acrius agitaretur, Innocentius XII per Breve datum die 29° Novembris anni 1698 utrique parti silentium injunxit. — Quidquid hac de re sit, anno 1209, rogante Brocardo qui post Bertholdum eremitis montis Carmeli praefuit, Albertus patriarcha Hierosolymitanus stabilem iis vitae regulam dedit, quam Romani Pontifices,

Ordo Carmelitarum.

[1]) Acta SS. mensis Aprilis, t. I. die 8. April.

Honorius III anno 1226 et Gregorius IX a. 1230, approbarunt et confirmarunt. Anno 1236, ad evitandas vexationes infidelium Turcarum, domicilium suum Carmelitae transtulerunt in Cyprum, deinde in Siciliam et alias Europae regiones. In Europa constituti priscam vitam eremiticam, favente Innocentio IV, cum coenobitica permutarunt; idcirco Pontifex anno 1246 illorum regulam non nihil mitigavit. Ordo vero in Europa magis magisque diffusus est.

Eremitae s. Augustini. 95. Quod quartum Ordinem mendicantem Eremitarum s. Augustini attinet, advertendum est, saeculis XI et XI plures, praesertim in Italia, formatas fuisse sub nominibu variis congregationes Eremitarum, qui nulli stabili vivend regulae adstricti, non unam et eamdem, sed variam vivend disciplinam observabant. Postquam Gregorius IX et In nocentius IV saeculo XIII nonnullis ex istis congregation bus proposuissent regulam s. Augustini, anno 1256 Al xander IV, edita peculiari Constitutione, praedictas alia que Eremitarum congregationes in unum Ordinem su regula s. Augustini et sub unius Prioris generalis regimin redegit; eis unum eumdemque omnibus habitum dedi eos ab episcoporum jurisdictione exemit et sub singula Apostolicae Sedis privilegio constituit, voluitque, ut nil possidentes ex eleemosynis seu mendicatione viveret Etiam hic Ordo per plures Europae regiones propagatus e

96. Quum porro medio aevo magna esset ad vita monasticam amplectendam propensio, saeculo XIII ineun dum Ordines multiplicarentur, periculum quoddam con sionis et disciplinae minus firmae ortum erat. Hinc Concilio Lateranensi IV canone XIII statutum fuerat, nullus novus Ordo institueretur sine Apostolicae Sedis a probatione. Quum tamen post Concilium Lateranense l novi adhuc Ordines, plerique mendicantes, alii quidem approbatione Sedis Apostolicae, alii vero sine hac app batione fuissent inducti, ita quidem, ut ex eleemosynar collectione vix sustentari possent, Gregorius X anno 12 in generali Concilio Lugdunensi II canone XXIII renov vit canonem XIII Concilii Lateranensis, et distri ti

prohibuit, ne quis deinceps novum Ordinem adinveniret vel habitum novae religionis assumeret; omnes Ordines mendicantes post Concilium Lateranense IV introductos et ab Apostolica Sede non confirmatos perpetuae prohibitioni subjecit; statuit, ut Ordines mendicantes etiam a Sede Apostolica approbati, sed post Concilium Lateranense instituti paulatim decessu incolarum abolerentur, exceptis Ordinibus Fratrum minorum, Praedicatorum, Carmelitarum et Eremitarum Augustinianorum.[1]) Ex hisce autem praesertim Fratres Minores et Praedicatores medio aevo magnam diffusionem acquisierunt. **Minores et Praedicatores.**

97. Jam innuimus, cur eo tempore tam opportuna fuerit Ordinum menicantium, praesertim Minorum et Praedicatorum institutio; ex ipsa conditione religiosa et politica saeculi XIII, eorum influxus permagnus et salutaris proveniebat. Addictus ille ad Ecclesiam animus ac fervor, qui post Gregorium VII, quum expeditiones cruciatae inciperent, Christianos universim occupaverat, apud plurimos desierat. Invidiâ vero et aversione in ecclesiasticos et monachos repleti erant, eo quod ipsos considerarent ut dominatione potentes et divitiis abundantes. Relaxatio quaedam disciplinae variis in regionibus exorta erat, quumque ordinum religiosorum abbatiae locupletes possessiones haberent, etiam ubi regulae observatio tenebatur, singulorum paupertate religiosa fidelium oculi non satis feriebantur. Duces autem sectarum Manichaeismo vel spiritualismo falso addictarum, quae ea aetate oriebantur, ista malevola animorum tendentia utebantur, ut Ecclesiae doctrinam et disciplinam impugnarent, et sub praetextu restitutionis antiquae severitatis ac fervoris, errores suos spargerent atque ad foeda sua dogmata multitudinem allicerent. Hinc summa pericula orta sunt, quibus avertendis nec censurarum ecclesiasticarum severitas, nec armorum saecularium vis, nec episcoporum et cleri saecularis labores, nec Ordinum variorum influxus et auxilia, paria esse videbantur.

---

[1]) Vide haec ap. Wouters, Dissert., vol. IV. dissert. XLII.

Ordinum influxus salutaris.

98. Tunc igitur divina dispositione novi illi Ordines constituti fuerunt; mox Minorum et Praedicatorum agmina peragrarunt civitates, castella, oppida, vicos; viri isti religiosi multitudinem tum exemplo tum doctrina firmaverunt in fide catholica. Contribuerunt ipsi quam maxime, ut conatus haereticorum eliderentur, utque in lucta Friderici II contra Sedem Apostolicam sub obedientia Romani Pontificis populi conservarentur; summique momenti sub utroque respectu *tertiariorum* in saeculo viventium fuit saluberrima institutio. Ita quum saeculo XIII ineunte, haud obstante externo quodam Ecclesiae splendore, impendentis anarchiae religiosae et civilis pericula pro universa Europa grandia essent, Mendicantium labores et influxus opportunissima attulerunt remedia. — Etiam in propagatione religionis christianae inter Asiae et Africae nationes barbaras, in lucta contra schismaticos, in variis et multiplicibus ac difficilibus Pontificum legationibus, atque universim in vita ac disciplina christiana conservanda ac roboranda religiosi illorum Ordinum summa merita acquisiverunt. Ac mirifice contribuerunt, ut saeculis istis disciplinae theologicae et philosophicae in Ecclesia summopere florerent et religio catholica tum contra philosophorum Muhamedanorum, tum contra incredulorum perfidas impugnatione vindicaretur. In istis sane Ordinibus surrexerunt illi Doctores medii aevi, Albertus Magnus, Thomas Aquinas Alexander Halensis, Bonaventura, Duns Scotus, aliique viri, qui sanctitate pariter eminuerunt et rerum sacrarum scientia. Quemadmodum vero in rebus humanis fieri a solet, lites ac dissensiones interdum ortae sunt inter novi illos Ordines ac veteres congregationes, ecclesiasticos, v praesules; etiam inter FF. Minores et Dominicanos simu tates non defuerunt, atque in ipso Ordine FF. Minoru dein graviora dissidia exarserunt. — Quod ad impugn tionem Ordinum mendicantium per alios ecclesiasticos sp ctat, interdum quidem aliquot membra illorum Ordinu ansam imprudenter dederunt, ac querelis variorum etia Innocentius IV adductus fuit, ut anno 1254 ederet Bulla qua praesulum et parochorum jura, ne a religiosis il

minuerentur, tueretur. Sed passim simultati ob influxum illorum Ordinum, et imprudenti ardori quorumdam, qui regulas et vitam Mendicantium ut innovationes alienas a solida virtute et disciplina christiana traducebant, adscribendum est, quod agitationes variae in illos monachos saeculo XIII exortae sint. Quando autem a Romanis Pontificibus, a praesulibus prudentibus, et ab illustribus ipsorum Ordinum viris, negotia apte discussa et res sapienter dispositae fuerunt, turbae istae sedatae sunt, atque apparuit, satis patere latissimum religionis christianae campum, in quo multiplicis generis operarii labores suos perficere possint.

99. Celebriores fuerunt mediante saeculo XIII lites, quas Mendicantes habuere cum Universitate Parisiensi. In ea amplissima Universitate Dominicani jam anno 1229, Franciscani anno 1231 cathedras obtinuerunt; pariter et alii Ordines religiosi, uti Praemonstratenses anno 1252, Cistercienses anno 1261, Cluniacenses anno 1269, suos ibi habuere professores. Sed contra Dominicanos, quum hi religiosi quaedam arbitraria statuta, praesertim de supprimendis praelectionibus, recipere nollent, vehementiores motus orti sunt. Maxime *Gulielmus a s. Amore* a natalis soli oppido apud Sequanos nuncupatus, in s. Facultate Parisiensi doctor theologus, gravissimas tunc contrā FF. Praedicatores atque etiam Minores excitavit turbas; in suas partes traxit Universitatis decanos et varios alios doctores, et Dominicanos e gremio Universitatis eliminari curavit. Totum virus effudit in concione *de Publicano et Pharisaeo*, in libro *de periculis novissimorum temporum*, et in quaestione *de valido mendicante;* multa in hisce dixit injuriosa in auctoritatem RR. Pontificum, atque in vitam et disciplinam religiosorum Mendicantium, assertionesque edidit scandalosas et querelas inanes, exaggeratas, ultra modum ineptas. Innocentius IV, Alexander IV et Urbanus IV Ordines mendicantes contra istos insultus tuiti sunt, ac liber Gulielmi Romae proscriptus fuit. S. Thomas vero et s. Bonaventura variis apologiis causam suorum religiosorum

Gulielmus a s. Amore.

vindicarunt.[1]) Gulielmus ipse beneficiis suis privatus et e Francia expulsus fuit.

Gulielmi retractatio ambigua.

100. Post damnationem illius libri plures quidem professores Gulielmi sententias dimiserunt, et judicio Pontificis se submittentes, pacem et concordiam cum Dominicanis inierunt. Gulielmus quoque professus est obedientiam in s. Sedem, asseverans se rejicere illum textum compilationis ab ipso aliisque confectae, qui a Sede Apostolica damnatus fuerat, sed simul ambagibus variis usus est. Scribit videlicet inter alia in *responsionibus ad objecta: Una cum aliis magistris et scholaribus theologiae et magistris decretorum collegi auctoritates praedictas* (s. Scripturae) *per multas collectiones, quas ego et alii praedicti in unum volumen sub certis rubricis redegimus; sed volumen mutatum fuit quinquies successive magis et magis corrigendo, quaedam addendo, quaedam subtrahendo, quaedam vero determinando: et secundum quod perpendere potui inspiciendo volumen illud, quod vos mihi, Domini mei Cardinales, respiciendum dedistis, volumen istud, secundum quod passum recolere, fuit tertiae compilationis, quae postmodum mutata fuit bis et correcta, addendo, subtrahendo, declarando. Nescio tamen, utrum in ipso volumine, quod mihi inspiciendum dedistis, quidquam additum vel subtractum fuerit per vitium falsitatis. Unde si Dominus Papa modum et formam illius compilationis reprobavit, (nam auctoritates divinas ibi contentas, ut ipsemet confitetur, noluit nec intendit,) sententiae suae non resisto sed obedio, credens firmiter quod, si quartam vel quintam compilationem earumdem auctoritatum vidisset, (quum in ea nihil contineatur, quod offendere debeat animum Christiani non eas reprobasset, sed potius approbasset. Hoc autem sciatur, quod in unaquaque compilationum dictarum, in principio supponitur ipsa compilatio correctioni Ecclesiae, id es*

[1]) Scripsit s. Thomas ea occasione opuscula *contra retrahentes homines ab ingressu Religionis*, et *contra impugnantes Dei cultum et Religionem*. S. Bonaventura autem scripsit opuscula: *Expositio in regulam Fratrum Minorum, — Liber apologeticus in eos qui Ordini Minorum adversantur, — De paupertate Christi contra Gulielmum*

Domini Papae et aliorum praelatorum, quibus competit auctoritas corrigendi.[1]) Ista certe tribuenda sunt illusioni cuidam, cui fere semper obnoxii inveniuntur ii, quorum scripta et errores rejiciuntur, dum distinctionibus subtilibus et vanis sententiam auctoritatis ecclesiasticae revereri simul atque effugere nituntur. Sed in his multum infirmitati humanae concedendum est.

101. Caeterum post Alexandri IV et Urbani IV, qui ipsi proxime successit, obitum, pacatis Academiae rebus et Dominicanis duplicis cathedrae publicae eadem in Academia possessione confirmatis, magister Gulielmus de s. Amore Parisios rediit, ibique doctrinam libelli *de periculis novissimorum temporum* aliam in formam redegit, simplici, ut aiebat Scripturarum collatione. Novum ex veteri opus inscriptum ab ipso est: *Collectiones catholicae et canonicae scripturae ad instructionem et praeparationem simplicium Christi fidelium contra pericula imminentia Ecclesiae generali per hypocritas, pseudopraedicatores, et penetrantes domos, et otiosos, et gyrovagos.* Hanc elucubrationem ad Clementem IV misit, isque rescripsit litteras *Dilecto filio magistro Gulielmo de s. Amore,* ex qua inscriptione colligitur, Gulielmum fuisse in pace Ecclesiae. Sed Pontifex benigne eum monet, ne inhaereat erroribus suis. Inter alia: *Sane,* scribit, *libellum novum evolvere coepimus quem misisti, qui licet interdum alias oras circumeat, veterem tamen multum sapit; et quum excussus et discussus, coloratus in aliquo videatur, totam primi substantiam comprobabitur retinere. Verum quia totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se, ut lateat, in angelum lucis transfigurat.*[2]) Data est haec epistola Viterbii V kal. Nov. a. 1266. — Guilelmus quidem contendebat, se nihil dicere velle contra ipsum Ordinem approbatum ab Ecclesia; sed inanis erat ejusmodi protestatio. Mortuus est ipse anno 1272, et apud

Nova impugnatio.

---

[1]) Apud. Natal. Alex., in saec. XIII et XIV. C. III. a. 7.
[2]) Apud. Natal. Alex. l. c.

Dominicanos voluit sepeliri,[1]) vel ut se dolere ostenderet de impugnatione eorum, vel ut hac ratione confirmaret, se noluisse ipsum Ordinem impugnare.

Istae commotiones quae accidere solent, quando nova instituta pro opportunitate temporum in Ecclesia excitantur, dum homines cordis et ingenii angustioris, vel simultate, vel praepostera novitatum suspicione moventur,[2]) generatim Ecclesiam vel Ordines mendicantes parum turbaverunt.

Simultates inter Ordines.

102. Commemorandae etiam sunt simultates et lites, quae jam primis decenniis inter Dominicanos et Franciscanos exortae sunt, quas tamen viri illustres utriusque Ordinis ac Ministri generales compescuerunt. In hunc scopum anno 1255 communem epistolam circularem admodum insignem ambo Ministri generales ediderunt; qua ad concordiam et caritatem juxta fundatorum exemplum, utriusque Ordinis membra monent, subditosque hortantur, ut unitis viribus pro animarum salute laborent. Istis in litteris etiam quaedam puncta exhibentur, quae litibus ansas praebebant. *Cavendum,* scribunt Ministri generales, *ne propter iniquitatem aliorum, alii sic se abominentur, quod hostilitas inter nos, non fraternitas videatur, . . . ne conceptum transeundi ad alterutrum nostrorum Ordinum, quem aliquis inveniret in aliquo, debilitet vel exstinguat zelo ipsum attrahendi ad suum Ordinem, sed potius inceptum propositum faveat et confirmet. Item ne familiares et benefactores alterius Ordinis aliquis a sua devotione audeat avertere et ad Ordinem suum convertere. . . . Item ne loca quae aliqui*

---

[1]) Digby. Ages of faith vol. X. c. XVII. (Versio germ. Die Klöster des Mittelalters, von Kobler.)

[2]) Notum est, similia evenisse quum Societas Jesu mediante saeculo XVI magis magisque se propagaret et magnum influxum acquireret. Praesertim theologus celeberrimus Melchior Canus tunc novum Ordinem ob instituta sua habuit ut valde periculosum, et sermonibus contra emissarios Antichristi atque hypocrytas, anno 1549 Salmanticae Jesuitas impugnavit. Ipsum quidem superiores ejus coërcuerunt, sed haesisse eum in praejudiciis suis patet ex posthumo ejus opere *Loc. theologici IV. 2.* — Cfr. Schneemann, Die Entstehung der thomistisch molinistischen Controverse, Freiburg 1879. S. 135.

pro domibus construendis accipere proponunt, praesentientes hoc alii caute surripiant, alios excludendo. Item ne eleemosynas . . . alii impediant, ut ipsi habeant, sed potius quum intersunt testamentis, aut aliis negotiis, bona fide sint memores aliorum, pias subventiones aliis fieri procurando. Item ne alii sermones impediant aliorum vel auditores subtrahant, aut ipsos sermones sibi subripiant alternatim. . . . Cavendum est, ne quis nostrum sic sanctos suos, sic statum suum imprudenter extollat, quod in aliorum depressionem laus taliter fieri videatur. Item ne quis obloquatur de aliis, non solum coram multis in publico, sed in clanculo coram externis, nec inter fratres proprios in secreto.[1] — Subsequenti praesertim saeculo, quum s. Thomam Aquinatem Fratres Praedicatores, Scotum vero pluribus in doctrinis a s. Thoma dissentientem Minores sequerentur, etiam controversiae quoad doctrinas variae inter utrumque Ordinem ortae sunt. Generatim tamen concordia conveniens hisce non obstantibus servata fuit, et permagna fuerunt tum Dominicanorum tum Franciscanorum in Ecclesiam merita.

103. Sed Minorum Ordini dissidia interna majora paraverunt discrimina. In alia dissertatione fusius ista de re agemus; hoc loco quaedam sufficiat notare. Duplex, inde ab initiis fere, tendentia in Ordine isto se manifestavit, observatio strictior quorumdam Fratrum qui absolutam paupertatem sequi et hac in re exemplum s. Francisci omnimode imitari volebant; mitior observantia aliorum, quorum dux fuit F. Elias a Cortona. Is quidem jam a. 1219, quum vicarius esset s. Francisci in Orientem profecti, mitigationem regulae de paupertate praeparaverat; sed s. Franciscus reversus innovationes inductas removit. Quum post mortem s. Francisci Elias secundus factus esset Minister generalis Ordinis, majori cum successu conatus suos renovavit; persuasum videlicet ei erat, absolutam illam paupertatem semper conservari non posse, multaque membra Ordinis mitigationem desiderare. Ipse etiam Assisii splendidissimam ecclesiam in honorem s. Francisci

Dissidia in Ordine Minorum.

[1] Wadding, Annal. a. 1255. n. 12.

aedificavit, cistasque in ecclesiis collocari fecit ad oblationes pecuniarum suscipiendas; sed eas strictiores Franciscani mox semoverunt. S. Antonius Paduanus et Caesarius Spirensis praecipue, ut duces partis strictioris Franciscanorum, in mitiganda paupertate Eliae se opposuerunt: ambae factiones autem inter se pugnantes ad Gregorii IX sententiam appellaverunt. Gregorius IX anno 1230 Eliam munere suo privavit ac deposuit, sed in favorem factionis mitioris declaravit, testamento s. Francisci, ne consensu quidem Fratrum, vim obligandi haud adfuisse, ac multo minus ei adstrictum fuisse successorem Ministrum generalem. Additamenta porro Pontifex fecit ad Minorum regulam.

Lites de paupertate. 104. Paulo post, anno 1236, Elias, haud mediocris ingenii vir, iterum in Ministrum generalem electus, et a Pontifice confirmatus fuit. Sed tunc ipse strictiorem partem *zelatorum* seu *spiritualium* persecutus est; unde denuo anno 1239 depositus fuit. Quum vero saeculari prudentia nimium fisus partibus Friderici II addictum se praeberet quumque ejus sequaces denuo ad summam dignitatem eum evehere studerent, anno 1244 ex Ordine ejectus et excommunicatus est. Attamen ante mortem ab excommunicatione solutus, anno 1253 in pace obiit. Eliae in ministeri generali successores erant quidem ex parte strictiori, se mitiorum etiam factio perduravit, ac s. Bonaventura ann 1256 in Ministrum generalem electus, magna prudenti uti debuit, ut scissiones imminentes vitaret. Agebatu jam praecipue de interpretatione capitis sexti regulae sanct Francisci: *Fratres nihil approprient, nec domum nec locu nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenae in hc saeculo in paupertate et humilitate Deo famulantes, vadat pro eleemosyna confidenter.* Innocentius IV anno 125 Nicolaus III anno 1279, aliique Pontifices, varia Rescript et Constitutiones hac in re ediderunt, ac mitigation quasdam prudenter admiserunt. Sed dissensiones ind non sunt sedatae; duplex enim factio in Ordine mox se constituit. Alii, qui dicebantur *Fratres de communitat* acceptarunt mitigationes istas, alii vero qui appellabant

Spirituales eas rejecerunt. Ad Spirituales quidem pertinuerunt initio insigniores Ordinis viri; sed ipsi impedire non potuere, quominus in hac Franciscanorum parte paulatim magis magisque oppositio in Sedem Apostolicam et mysticismus falsus praevalerent.

105. Istae tendentiae se manifestarunt praesertim in *Libro introductorio in Evangelium aeternum.* Evangelium aeternum opus erat, quod Joachimo Abbati Cisterciensi, falso fortasse, adscribebatur, eique praemisit Gerhardus Minorita anno 1254 illum librum introductorium. Summarium doctrinae utriusque operis erat: Novum Testamentum evacuandum esse, sicut Vetus Testamentum evacuatum est; et Legi Novae seu Christi subrogandam esse Legem Spiritus Sancti, sicuti Lex Nova seu Christi subrogata est Legi Veteri seu Patris. Hanc Legem Spiritus Sancti esse omnium perfectissimam et in perpetuum duraturam, eamque incepisse a s. Francisco et veris ejus discipulis. In Lege Veteri, a mundi exordio usque ad Christum natum, homines vixisse secundum carnem, in Lege Nova carnem inter et spiritum, in Lege vero Spiritus Sancti vivendum esse secundum spiritum. In Lege Veteri seu Patris regimen Ecclesiae commissum fuisse aliquibus ex ordine conjugatorum, in Lege Filii seu Christi clericis, in Lege vero Spiritus Sancti illud committendum Monachis nudipedibus. Similia quoque proposuit versus finem saeculi XIII, *Commentario in Apocalypsim, Joannes Oliva* (n. a. 1247) Minorita Spiritualis ardentior. Hic tamen errores suos a. 1283 revocavit, et antequam a. 1297 moreretur, declaravit submissionem suam sub Constitutionibus Sedis Apostolicae. Varii ex Spiritualibus etiam coetus schismaticos *Fraticellorum* constituerunt, et ex istis dissidiis factum est, ut multi Minores partes Ludovici Bavari contra Pontifices amplecterentur. Paulatim tamen Pontificum prudentia, et moderatorum Ordinis auctoritate, motus illi sedati sunt. Plura in alia dissertatione *de Pontificibus Avenionensibus* quoad hanc quaestionem invenies.

Error de Lege Spirit. Sti.

106. Insigni ratione saeculo XIII sese evolverunt ac multiplicarunt *studiorum-Universitates,* ac tum sacrae tum

Studiorum Universitates.

profanae disciplinae inde magna suscepere incrementa. Romani vero Pontifices pro statu societatis illius temporis, et pro summa illa auctoritate et sollicitudine, quam de populi christiani prosperitate, de scientiarum progressu ac de fidei incolumitate semper habuerunt, providam de istis Universitatibus curam multis modis ostendebant. Magna ipsi donarunt privilegia professoribus et discipulis; beneficiis ecclesiasticis sustentationi doctorum providebant, atque etiam pecuniarum aliarumve rerum larga subsidia studiis illis generalibus tribuebant. Praeclare de hac RR. Pontificum sollicitudine pro disciplinis omnibus aliquando scripsit Pius II: *Inter felicitates quas mortalis homo in ha labili vita ex dono Dei nancisci potest, ea non in ultimi computari meretur, quod per assiduum studium adipisci va leat scientiae margaritam, quae bene beateque vivendi viam praebet, et peritum ab imperito sua pretiositate longe faci excellere, et ad mundi arcana cognoscenda dilucide inducit suffragatur indoctis et in infimo loco natos inducit in sublime Et propterea Sedes Apostolica, rerum spiritualium et etian temporalium cujusvis laudabilis exercitii perpetua et constan adjutrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humana conditionis fastigium acquirendum et acquisitum in alio refundendum semper cum augmento quaesiti facilius indu cantur, cum aliarum rerum distributio massam minuat, scien tiae vero communicatio, quantum in plures diffunditur, tant semper augeatur et crescat, illos hortatur, eis loca praepara et opportunae commoditatis auxilia impartitur.*[1])

107. Institutio juridica et supremum moderamen illo rum Universitatum, ad Ecclesiam seu Sedem Apostolica pertinebat. Multiplices vero rationes, ob quas Sedi Apo stolicae ejusmodi jura in generalia disciplinarum studi conveniebant, hoc loco evolvere longum est; pauca suffi ciat advertere. Agnoscebatur merito eo tempore ab om nibus Ecclesia tanquam veritatis dux et salutis, atque ade quum Universitates maxime eum scopum haberent, u regnum boni ac veri, continua ab errore ac malo adhibit

---

[1]) Constit. d. d. 4 April. 1460.

defensione, diffunderetur, et culturae intellectualis opes sacrae atque profanae per generationum seriem populis traderentur: ex indole rei suprema ista in re cura ad Ecclesiam spectabat. Ecclesiae profecto officium et jus proprium est, tuendi tradendique veritates supernaturales, seu eas disciplinas regendi, quae theologiam spectant et jus canonicum. Jam vero harum disciplinarum institutio primum in Universitatibus et praecipuum obtinuit locum. Sed etiam veritatum disciplinarumque naturalium instituta in rem religionis ac morum maximae auctoritatis sunt, et secundum quod recta aut falsa traduntur, vel permagna bona hominibus procurantur, vel in grandia salutis ipsi deducuntur pericula. Unde vides, etiam sub hoc respectu auctoritatem illam Ecclesiae et Sedis Apostolicae in Studia generalia, ipsius christianae societatis constitutioni respondere. Hisce connectuntur multiplicia illa privilegia, immunitates, exemptiones, beneficia, quae a Sede Apostolica tantum Universitatibus conferri poterant.[1]

Pontificum sollicitudo.

108. Quamvis vero ex Universitatum illarum constitutione et florentissima amplificatione multa sequerentur bona, quum scientiarum variarum studia admodum promoverentur, ac virorum doctorum coetus varii coalescerent, tamen etiam incommoda quaedam et damna quoad mores, disciplinam et institutionem, maxime clericorum, inde passim provenisse, silentio tegi non debet. Scholae videlicet cathedrales et monasticae, quae antea valde floruerant, quibusque adnexa erant seminaria pro clericorum educatione, magis magisque conciderunt. Properaverunt videlicet magistri celebriores ad universitates, ubi majora erant studiorum commoda; eo etiam properabant omnes qui poterant clerici, quum excolendi ingenii, ac passim etiam liberioris vitae, cupidi essent. Revera nullum a quarto decimo saeculo seminarium reperias, sive apud cathedrales ecclesias, sive apud monachorum coenobia.

---

[1]) Plura hac de re vide in Dissertatione P. de Robiano O. P., De Jure Ecclesiae in Universitatis Studiorum, c. VI. Lovanii 1863; et in Dissertatione R. D. Bon. Pouan, De Seminario Clericorum, Sect. I. c. IV. Lovanii 1874.

109. Quum vero scholae illae interirent, pauperiores clerici, quibus media non aderant, ut in civitatibus ubi Universitates erant viverent, difficulter convenientem instructionem acquirebant; atque etiam non paucis in monasteriis praevaluit ignorantia, quam sequebatur relaxatio morum ac disciplinae. Collapsa quoque sunt studia, quae ad culturam superiorem in Universitatibus acquirendam praeparabant, indeque factum est, ut multi quum vix lingua latina instructi ad studia generalia accederent, parum in disciplinis proficerent. Magna porro libertas et relaxatio morum interdum in Universitatibus, ad quas multa millia adolescentium confluebant, vigebat. — Romani tamen Pontifices, quum in ruinam inclinare viderentur tum episcoporum seminaria, tum scholae monastoriorum, reluctati sunt, ac primum tentaverunt sustinere illa instituta. Dein vero multum adlaborarunt, ut vitae honestae, praesertim clericorum, in Universitatibus, legibus ac statutis convenientibus et collegiorum institutione, providerent. Ordines quoque religiosi hac in re suo officio non defecerunt. At tamen ex dictis colligitur, varia ex Universitatibus provenientia detrimenta evitari haud potuisse.[1]) Unde etiam Concilium Tridentinum restitutioni seminariorum tantam attulit curam, eoque praesulum et Pontificum labores ultimis saeculis maxime directi sunt, ut apta ratione Universitatum et seminariorum instituta jungerentur.

Variae sectae.

110. Quod ad *haereses* spectat, quibus saeculo XIII Ecclesia turbata est, de Albigensibus et Waldensibus, eorumque in Gallia et Italia turbis satis jam diximus; i nuimus etiam perversas opiniones eorum, qui regnum Spiritus exspectabant, quique vel Almaricum de Ben vel Joachim Abbatem ut magistrum se sequi praete debant.[2]) Commemorandae restant aliquot aliae secta

---

[1]) Cfr. Hergenröther, K. G. I. S. 901. — Poñan l. c

[2]) Joachim Abbas Florensis, vir pius et austerus, qui cum fa sanctitatis a. 1192 obiit, erravit, uti vidimus, dum impugnavit Petr Lombardum, quoad doctrinam de SS. Trinitate. Reliquit ipse lib genuinos: De concordia utriusque Testamenti; Expositionem Apoc psis; Psalterium decem chordarum; Commentarios in Isaiam et Je

pariter pseudomysticismo vel spiritulismo falso addictae. Tales fuerunt *Apostolici,* et *Fratres ac Sorores liberi spiritus.* — Apostolicorum auctor fuit Gerardus Segarelli, Parmensis, vir omnis eruditionis expers. „Is a Fratribus Minoribus, in quorum Ordinem suscipi cupiebat, repulsam passus, Apostolorum quos in ecclesia Parmensi depictos conspexerat, habitu externo excitatus, eorum vitae rationem imitari, et alios ad idem adducere sibi proposuit. Anno circiter 1260 assumpto habitu ad instar illius quocum Apostolos in ecclesia Parmensi depictos conspexerat, loca varia mendicando et poenitentiam praedicando peragrare coepit. Alii, magna parte viles et otiosi, se ei associarunt, qui se fratres apostolicos, Gerardum vero magistrum suum appellabant. Eumdum ac ille habitum ferentes, urbes et pagos percurrebant, victum mendicantes, et mulieres quas sorores vocabant, secum ducentes. Hi etiam adventum regni Spiritus Sancti annuntiantes, effutiebant, Romanam Ecclesiam esse corruptam, et clerum universum, praesertim Pontifices et episcopos, divitiis opibusque esse depravatum. Regnum Spiritus Sancti dicebant esse coetum amoris et perfectae caritatis, in quo omnia, etiam uxores, essent communia. Quidquid ex caritate fieret, etsi in se spurcissimum, dicebant esse licitum.“ Apostolici haeretici.

111. „Mirum igitur non est, utramque potestatem, civilem et ecclesiasticam, in ejusmodi sectarios animadvertisse. Pessimam sectam damnarunt Honorius Papa IV anno 1275 et Nicolaus IV anno 1290. Anno 1280 Gerardus illorum magister ab episcopo Parmensi interceptus et tanquam delirus per sex annos in custodia detentus, dein demissus et e dioecesi Parmensi relegatus fuit. Inquisitores etiam haereticae pravitatis illos insectati sunt,

---

niam atque epistolas. In libris suis saepe de eventibus futuris disserit, ejusque praedicationes alii vindicarunt, alii impugnarunt. S. Thomas de iisdem scribit: „Abbas Joachim non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanae, quae aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur de futuris aliqua vera praedixit, et in aliquibus deceptus fuit.“ In IV Sent. dist. 43. q. 1. a. 3.

et praeter aliquot alios praefatus Gerardus anno 1300 flammis traditus fuit. — Ab eo tempore sectae caput fuit Dulcinus Novariensis, a quo sectarii dicti sunt Dulcinistae. Is cum magno asseclarum numero inter ditionis Mediolanensis et hodierni Pedemontii asperos et invios montes vagatus, et oppida et agros depraedatus est, donec anno 1307 cum Margarita scorto aliisque captus et Vercellas ductus, sententia curiae saecularis flammis traditus fuit. Ab hoc tempore secta dispersa, dein exstincta est.“[1])

Mentionem quoque hoc loco faciamus *Guillelminae*, stolidae feminae ex Bohemia oriundae, quae Mediolani versus finem saeculi XIII sectam efformavit. Ex Joachimi scriptis, uti dicitur, ansam sumpsit, ut primo sibi, dein aliis persuaderet, Spiritum Sanctum in sua persona humanam naturam assumpsisse, adeoque se esse Spiritum sanctum, ac destinatam, ut infideles et Christianos redimeret. Antiquatis quatuor Evangeliis asserebat a se alia quatuor substitutum iri. Inter asseclas ipsius fuerunt fr. Andreas et soror Mayfreda, monialis ex Ordine Humiliatorum; hanc papissam suam constituit, ut abrogatis Romanis Pontificibus, haec iis succederet. Anno 1300 Andreas et Mayfreda flammis traditi sunt Mediolani; effossa etiam Guillelminae jam mortuae ossa et in flammas projecta.[2])

Fratres et sorores lib. spiritus. 112. „Iisdem temporibus tum erroribus tum moribus pravis in Gallia et Germania turbas graves excitarunt ii qui in historia veniunt sub nomine *Beghardorum* et *Beguinarum*, et qui etiam *fratres et sorores liberi spiritus* vocati sunt. Contendebant illi, hominem in praesenti vita ad talem pervenire posse perfectionis gradum, ut reddatur penitus impeccabilis et amplius proficere in gratia non valeat; qui hunc perfectionis gradum assecuti sint, neque orare neque jejunare debere, quod tunc sensualitas tam perfecte esset subjecta spiritui, ut homo posset libere corpori concedere quidquid placeret; in isto perfectionis statu praecepta Ecclesiae non esse servanda, et

[1]) Wouters, Dissert. Vol. IV. Dissert. XLIII.
[2]) V. Vascotti, H. E. II. 153.

non peccari actu carnali dum natura ad illum inclinat; hominem in praesenti vita posse assequi finalem beatitudinem secundum omnem perfectionis gradum, sicuti eam accipiet in vita beata; quamlibet naturam intellectualem in se ipsa esse naturaliter beatam, et animam non indigere lumine gloriae eam elevante ad Deum videndum eoque beate fruendum. — Errores istos Clemens papa V anno 1312 condemnavit in Concilio generali Viennensi, eorumque sectatores episcopis dioecesanis et inquisitoribus denuntiavit."[1])

113. Saeculo XIII mediante etiam *Flagellantium* coetus vel sectae exortae sunt, in quibus pariter pseudospiritualismus quidam dominari visus est. Originem primum habuit secta anno 1260 in Italia, quum eadem Friderici II et Manfredi tyrannide turbata, atque in Gibellinorum et Guelforum factiones divisa, discordiis et flagitiis scateret. Monachus Paduanus in Chronico ita de ortu Flagellantium loquitur: „Cum tota Italia multis esset flagitiis et sceleribus inquinata, quaedam subitanea superstitio et a saeculo inaudita invasit primitus Perusinos, Romanos postmodum, deinde fere Italiae populos universos. In tantum itaque timor Christi irruit super eos, quod nobiles pariter et ignobiles, senes et juvenes, infantes etiam quinque annorum nudi per plateas civitatum, opertis tantummodo pudendis, deposita verecundia, bini et bini processionaliter incedunt: singuli flagellum manibus de corrigiis continentes, et cum gemitu et ploratu se acriter super scapulis usque ad effusionem sanguinis verberantes, et effusis fontibus lacrymarum, ac si corporalibus oculis ipsam Salvatoris cernerent passionem, misericordiam Dei et Genitricis hujus auxilium implorabant suppliciter deprecantes, ut qui innumeris poenitentibus est placatus, et ipsis iniquitates proprias cognoscentibus parcere dignaretur. Non solum itaque in die, verum etiam in nocte eum cereis

Flagellantes.

[1]) V. Wouters l. c. Nullo modo cum his confundendae sunt Begginae Belgicae, quarum institutio multo prior est, quasque expresse Joannes XXIII declaravit illa condemnatione nullatenus comprehendi.

accensis in hieme asperrima centeni, milleni, decem millia quoque per civitates et ecclesias currebant, et se ante altaria humiliter prosternebant, praecedentibus eos sacerdotibus cum crucibus et vexillis. . . . 'Siluerunt tunc tempore omnia musica instrumenta et amatoriae cantilenae. Sola cantio poenitentis lugubris audiebatur ubique tam in civitatibus quam in villis, ad cujus flebilem modulationem corda saxea movebantur, et obstinatorum oculi se lacrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantae devotionis fuerunt minime expertes. Sed in cubiculis suis, non tantum populares, sed etiam matronae nobiles et virgines delicatae, cum omni honestate haec eadem faciebant. Tunc fere omnes discordes ad concordiam redierunt; usurarii et raptores male ablata restituere festinabant; caeteri diversis criminibus involuti peccata sua humiliter confitentes, se a suis vanitatibus corrigebant etc.“[1]) Eadem poenitentiae publicae forma etiam in Germaniam penetravit. Atque initio quidem bona intentione homines ferventes illas processiones ac flagellationes susceperunt; sed paulatim faex populi se hisce miscuit et absurdae opiniones erroresque sparsi fuerunt. Contenderunt videlicet Flagellantes, neminem a peccatis solvi posse, qui eorum sectae non esset adscriptus, et se invicem, quamvis laici essent, audita confessione a peccatis absolvebant. Hinc Romani Pontifices identidem contra Flagellantes eorumque errores decreta emiserunt, et quum saeculo XIV iterum Flagellantium turbae varias regiones percurrerent, anno 1349 Clemens VI illud poenitentiae publicae genus prohibuit.[2])

Pontificum series.

114. Varia quidem variorum Pontificum saeculi XIII gesta jam commemoravimus; quae majoris momenti dicenda supersunt modo referamus. *Gregorii IX* nomen celebre est tum ob fortitudinem qua Friderico II restitit, tum ob Ordinum s. Dominici et s. Francisci protectionem, tum ob merita de disciplina Juris canonici, facta authen-

[1]) Chron. L. III. — V. Boileau, Historia Flagellantium, C. IX.
[2]) Cfr. Natal. Alex. saec. XIII. c. III. a. V.

tica Decretalium Collectione. Constitutiones videlicet ac responsa decessorum suorum per s. Raimundum de Pennafort *capellanum et poenitentiarium suum in unum volumen resecatis superfluis, providit redigenda,* et anno 1234 promulgavit libris quinque quos *Decretales* inscripsit, *volens, ut hac tantum compilatione universi uterentur in judiciis et in scholis: districtius prohibens, ne quis praesumeret aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicae.*[1]) Elogium insigne Gregorii IX in perantiquo codice Vaticano hisce verbis habetur: *Innocentium papam III consanguinitatis tertio gradu attingens* (Gregorius IX), *matre vero de potentioribus Anagninis exortus, forma decorus et pervetustus aspectu, perspicacis ingenii et fidelis memoriae praerogativa, liberalium artium atque utriusque juris peritia eminenter instructus, fluvius eloquentiae Tullianae, sacrae paginae diligens observator et doctor, zelator fidei, disciplina virtutis, rectitudo justitiae, solatium miserorum, religionis plantator et cultor, castitatis amator et totius sanctitatis exemplar.*[2])

115. Post brevem *Coelestini IV* pontificatum (1241), successit *Innocentius IV* (1243—1254); ejus conflictum cum Friderico, celebrationem Concilii generalis Lugdunensis I, acta quoad res Siciliae, jam enarravimus. Virtutibus insignis ac meritis clarus Innocentius IV die 7° Decembris anni 1254 Neapoli supremum diem obiit. Satis inepte de ejus obitu scribit Cantipratanus haec quae referre juvat, ut appareat quam periculosum sit angustiori mente negotia ecclesiastica demetiri. *Quidam nostro tempore Papa,* scribit, *cujus nomen propter sanctae Sedis reverentiam silentio pertransimus, cum, sicut ab illis indubitanter accepimus qui Romae in curia tunc fuerunt, litteras dedisset contra privilegia a seipso et suis praedecessoribus quatuor Apostolicis obtenta duorum Ordinum, quorum unum per Zachariam prophetam conditor ab aeterno decorem vocavit (Zach. 11), Praedicatorum scilicet, alterum vero funiculum, quo lucidissime intelligas et Minores, eadem die paralysi percussus ob-* Innocentius IV.

[1]) Greg. IX in Praefatione Decretalium.
[2]) Apud Raynald. ad a. 1227.

mutuit, nec unquam postea invaluit vel surrexit. Qui etiam a quodam sanctissimo viro extra muros urbis Romae, manifestissime visus est mortuus dari sanctis Dei Francisco et Dominico judicandus. — Litteras vero datas Alexander Papa cum consilio Fratrum Cardinalium solemniter revocavit.[1] Ista sine ratione asseri, jam conveniunt auctores graves, uti Raynaldus[2]), Natalis Alexander[3]), Sandini[4]). Innocentius IV enim illis Ordinibus multa dedit magnae benevolentiae signa. Quaestio de restringendis privilegiis ad prudentiam spectabat, atque uti ipse opinatus fuerat expedire ad difficultates cavendas, ut restringerentur, ita Alexander, re considerata, existimavit expedire potius bon(Ecclesiae ut firmarentur. Ejusmodi in rebus practicis sententiarum discrimina passim apud viros plane insigne: occurrunt.

Alexander IV. 116. Post Innocentii IV obitum die 12⁰ Decembri anni 1254 in Pontificem electus est *Alexander IV*, Ana gninus, Innocentii III et Gregorii IX propinquus, dictu antea Raynaldus, Cardinalis Episcopus Ostiensis ac Veli ternus. Ejus virtutes omnes scriptores laudant, vel ips Parisius, quamvis eum nimis facilem perhibeat in adul torum susurris recipiendis. *Sublato de medio*, scribit, *In nocentio IV Papa, subrogatus est alius vir, ut ajunt sat benignus et bene religiosus, assiduus in orationibus, in a stinentia strenuus, sed sibilis adulantium seducibilis, et prae avarorum suggestionibus inclinativus, Episcopus videlic Ostiensis, nepos Gregorii Papae pridem defuncti, qui ipsu in episcopatum promoverat, et vocatus est Alexander, videlic quartus.* Tum Germania tum Italia sub ejus pontificat internis perturbationibus multum laborarunt, uti ex dic colligitur, nec eo pervenire potuit Pontifex, ut malis is mederetur. Quae in lite Ordinum Mendicantium cu Universitate Parisiensi apte disposuerit, et quae egerit a res Siciliae ordinandas, superius diximus. Legatis mis

---

1) Cantipr. L. II. c. X. nn. 21, 22.

2) Ad a. 1254. n. 70.

3) Saec. XIII. c. I. a. IV.

4) Hist. Pontif. *Innoc. IV.*

in Orientem etiam unioni Graecorum cum Ecclesia Romana adlaboravit, quamvis ejusmodi negotium ad faustum exitum tunc non fuerit perductum. — Pro viribus et magna cum sollicitudine sane Alexander Ecclesiae administrationi ac bono providit. Parem forte praedecessoribus vigorem non habuit, eumque revera consiliariis minus dignis aditum tribuisse sunt qui existimant.[1]) Illud satis mirum est, quod Cardinales nullos creaverit, ita ut, ipso decedente, octo tantum fuerint Cardinales, Episcopi duo, Presbyteri duo, Diaconi quatuor, ex quibus Cardinalibus erant Itali quatuor, alii quatuor Sabaudus, Anglus, Gallus et Hungarus. Seditione Romae excitata, Alexander IV Viterbium se receperat, dein Anagniam, ubi mansit annos duos. Viterbium reversus, ut concilio celebrato pacem inter Genuenses et Venetos conciliaret, ibidem obiit die 25° Maji anni 1261.

117. Post mortem Pontificis comitia ad successorem eligendum habita sunt Viterbii, magno octo Cardinalium certamine. *Cum inter eos*, scribit auctor coaevus, *vertiginis spiritu et invidiae livore suffuso, non possent in aliquo de gremio convenire, contigit, quod Hierosolymitanus patriarcha* (Jacobus Pantaleon) *natione Burgundus, qui tunc ad curiam ipsam pro ecclesiae suae promovendis negotiis accesserat, concorditer ad apicem Apostolicae dignitatis assumptus sit.*[2]) Nomen ipse *Urbanus IV* assumpsit. In Tricassibus (Troyes) tenui loco ortus, sed ingenio et virtute insignis, primum canonicus Trecensis, deinde archidiaconus Leodiensis, Sedis Apostolicae in regionibus orientalibus legatus, episcopus Verdunensis, dein patriarcha Hierosolymitanus, demum die 29° Augusti anni 1261 Pontifex creatus fuit. Hujus pontificatus initio eversum est imperium Latinorum Urbanus IV.

[1]) Hergenröther K. G. I. 814.

[2]) Sicul. rerum auct. anonym. ap. Raynald. a. 1261. n. 7. — Disceptaturus erat Patriarcha cum Hospitaliariis, quibus Alexander IV monasterium s. Lazari Bethaniae, Ordinis Benedictini, concesserat, non sine gravi ecclesiae Hierosolymitanae incommodo; quae donatio postea ab Urbano pontificatum adepto rescissa est.

in Oriente, capta a Michaële Palaeologo urbe Constantinopoli. Contra Palaeologum Urbanus indixit bellum sacrum; sed ille ut Pontificem revocaret ab inceptis, significavit, se peroptare conjunctionem pacemque graecae ecclesiae cum latina. Atque ita negotiatio ista de re continuata est. — Siciliam Carolo Andegavensi ab Urbano concessam esse, et sic Gallis magnum in Italia paratum fuisse influxum, consilio non improvido, sed exitu minus fausto, superius vidimus. Ab Urbano IV institutum est festum Corporis Christi, propriumque ejusdem solemnitatis officium per B. Thomam de Aquino tunc in ipsa Curia existentem edidit. Multis in curis ac laboribus Urbanus IV inter magnas difficultates ob Italiae turbas pontificatum gessit tribus annis; mortuus videlicet est die 2° Octobris anni 1264.

Clemens IV. 118. Postquam per quatuor menses Sedes Apostolica vacavit, in Pontificem die 5° Februarii a. 1265 electus fuit *Clemens IV*, uti ejus praedecessor ex Gallia oriundus. Antea nominabatur Guido Fulcodi; ad s. Aegidii in Provincia natus, adolescens primum militiam secutus est, dein juris disciplinam amplexus, magnum in ea nomen sibi acquisivit. Matrimonio junctus, e consilio fuit s. Ludovici regis, et duas ex uxore habuit filias. Sed post conjugis mortem statum ecclesiasticum amplexus, aliquanto post Podiensis (Le Puy) praesul, dein Narbonnensis archiepiscopus factus, postremo ab Urbano IV Cardinalis Episcopus Sabinensis creatus est. — Virtutibus clarus et in negotiis gerendis insignis, Clemens IV, uti vidimus, tum componendis rebus Italiae et Siciliae, tum promovendae expeditioni cruciatae s. Ludovici IX operam navavit sedulam, atque etiam in Germaniae, Angliae, Arragoniae principes Sedis Apostolicae auctoritatem intrepide exercuit. Sed etiam ipse, dum ejus animus magnis rebus exequendis esset intentus, post pontificatum paucorum annorum prae matura morte Viterbii die 29° Novembris anni 1268 decessit.

119. Pontificis subrogandi comitia Viterbii habita sunt, sed Cardinalium contentionibus multum protracta,

ita ut Sedes Apostolica duobus annis et octo mensibus vacaret. Demum Cardinalibus sex creandi Pontificis arbitrium permiserunt reliqui, ac tunc die 1° Septembris anni 1271 summum Sacerdotium datum est Theobaldo Visconti Placentino, archidiacono Leodiensi, quem cum exercitu Christianorum ac principe Anglico Eduardo Ptolomaide in Syria degentem, virtutes ac res tum antea tum ibi pro Christianis gestae commendabant. Anno insequente veniens in Italiam Viterbium se contulit ac postea Romam, ubi die 27° Martii anni 1272 Pontifex inauguratus et *Gregorius X* appellatus est. Nulla prior ei potiorque cura fuit, quam ut Christianis terrae sanctae compararet subsidium, atque in hunc maxime scopum, utque unionem Graecorum cum Ecclesia Latina perficeret, Concilium generale indixit Lugduni, inde a die 1° Maji anni 1274 celebrandum. Interim res turbatas Germaniae et Imperii feliciter composuit, dum principes induxit, ut novum regem atque imperatorem Rudolphum Habsburgensem (die 29° Sept. a. 1273) eligerent. B. Gregorius X.

120. *Concilium oecumenicum Lugdunense II* celebrari coeptum est die 8° Maji anni 1274, et sex sessionibus habitis die 17° Julii illius anni absolutum. *Numerus praelatorum qui interfuerunt Concilio, fuit quingentorum episcoporum, abbatum septuaginta, aliorum praelatorum mille.*[1]) Praesedit Concilio B. Gregorius X, quemadmodum ex Actis Concilii colligitur; cura tamen dirigendi negotia et providendi quae essent proponenda, a Summo Pontifice ex parte s. Bonaventurae Cardinali demandata fuerat. Sed obiit hic Lugduni ipso Concilii tempore die 15° Julii. — In Concilio imprimis Gregorius X ferventer promovit *negotium Terrae sanctae,* ac praelatis proposuit ab iisque obtinuit decimas reddituum ecclesiasticorum ad sex annos, in subsidium belli sacri et ad prosequendam terrae sanctae causam ac defensionem. — Etiam *negotium unionis Graecorum* visum est felicem habere exitum. Etenim missis legatis et litteris Imperator Michaël Palaeologus et praelati graeci Concil. Lugdunense II.

[1]) Ptolom. Lucens. H. Eccl. L. XXIII. c. 3.

ea praestiterunt, quae ad unionem componendam requiri et sufficere videbantur. Imperator in litteris lectis sessione quarta die 6° Julii, secundum formulam quam a Clemente IV et Gregorio X acceperat, inter alia professus est primatum Romani Pontificis, processionem Spiritus sancti ex Patre Filioque et purgatorii poenas. Praelati graeci pariter epistola missa se his consentire testabantur. Concessum fuit Graecis, ut recitarent Symbolum sine additione *Filioque*, uti illud ab antiquo etiam ante schisma recitabant, utque permanerent in iis ritibus, quibus ante schisma utebantur, quique nec fidei nec divinis praeceptis aut Scripturis vel doctrinae Conciliorum generalium aut sanctorum Patrum forent contrarii. His factis legati Graecorum, Georgius acropolita et magnus logotheta Michaelis Palaeologi nomine Imperatoris, et Joannes lector, scriniarius patriarchatus CPtani nomine praesulum graecorum, schisma ejuraverunt, atque ita unio *juridice* restituta fuit.

121. Etiam plures Constitutiones, canones et decreta, quae fidem et disciplinam spectant, in Concilio Lugdunensi vel immediate post Synodum finitam condita sunt; decreta haec Pontifex die 1° Novembris anni 1274 publicavit. In Librum sextum Decretalium omnes istae Constitutiones receptae sunt, excepto canone 19 *de postulando,* in quo agitur de causis nimium protrahendis. Sufficiat citare decretum quod *regaliam* spectat, et Constitutionem *de electione Pontificis,* eo quod in variis quaestionibus et eventibus dijudicandis ista decreta prae oculis habenda sint.

Canon de Regalia.

122. De regalia statuitur canone XII: *Generali constitutione sancimus, universos et singulos qui regalia, custodiam sive guardiam advocationis vel defensionis titulum, in ecclesiis, monasteriis sive quibuslibet aliis piis locis, de novo usurpare conantes, bona ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare praesumunt, quantaecumque dignitatis honore praefulgeant, clericos etiam ecclesiarum, monachos monasteriorum, et personas caeteras locorum eorumdem qui haec fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiae subjacere. Illos vero clericos qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus eccle-*

riarum, seu locorum ipsorum, pro tempore quo praemissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus. Qui autem ab ipsarum ecclesiarum caeterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine, jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, et suos ministros in eis sollicite faciant abstinere, quod ea quae non pertinent ad fructus, sive redditus provenientes vacationis tempore, non usurpent; nec bona caetera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.[1]) Hoc decreto igitur jura regaliae vel similia, quae fundatione vel antiqua consuetudine a principihus aliisve personis jam sibi vindicabantur et exercebantur, iis conceduntur ut legitima essent. Sed tum abusus tum extensio ejusmodi oneris in ecclesias et monasteria eousque libera strictissime prohibetur. — In litibus quae postea de Regalia ortae sunt, hic canon maximi fuit momenti.

123. Quum Gregorius X animadvertisset, ultimo tempore vacationem Sedis Apostolicae propter dissensionem Cardinalium et exortum variarum factionum influxum identidem admodum esse protractam, uti id acciderat maxime ante ipsius electionem, quumque inde damna pro Ecclesia ac diminutionem auctoritatis Sedis Apostolicae censeret proventura, animum eo intendit, ut Constitutione severa edita Cardinales adigeret, quo citius Sedi Apostolicae vacanti providerent. Egit ista de quaestione cum Cardinalibus et episcopis. Cardinales quidem generatim parum propendebant in ejusmodi decretum, propter incommoda non exigua quae timebant, et deliberatio ea de re aliquanto tempore perduravit. Sed Gregorius, cui praesules universim consentiebant, consilium suum executus est, et Constitutionem in sessione quinta, die 16° Julii habita, promulgavit, ac postea cum reliquis publicavit. — In hac Constitutione, quae est secunda inter Concilii decreta, primo confirmantur ea, quae a praecedentibus Romanis Pontificibus, praesertim ab Alexandro III, pro evitandis

Decretum de elect. Pontificis.

[1]) Labbe, T. XI. col. 983.

dissidiis in electione Pontificis salubriter fuerant determi-nata. Dein statuitur: *Hoc sacro approbante Concilio sta-tuimus, ut si eumdem Pontificem in civitate, in qua cum curia sua residebat, diem claudere contingat extremum, Car-dinales qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes ex-spectare decem diebus tantummodo teneantur. Quibus elap-sis, sive absentes venerint sive non, ex tunc omnes convenian in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis, vel laicis, prou duxerint eligendum. Illis tamen quibus patens necessitas i suggerit indulgeri, duos habere permittimus, ejusdem electioni arbitrio reservato. In eodem autem palatio unum conclav nullo intermedio pariete seu alio velamine, omnes habiten in communi. Quod (servato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare vale vel exire, nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel fa cultas secrete loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se veni entes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardina lium inibi praesentium pro iis tantum quae ad electioni instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittend vel nuntium, aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo: ips facto sententiam excommunicationis incurrat. In concla tamen praedicto aliqua fenestra competens dimittatur, pe quam iisdem Cardinalibus ad victum necessaria commod ministrentur, sed per eam nulli ad ipsos patere possit in gressus. Verum si, quod absit, infra tres dies, postquam ut praedicitur, conclave praedictum iidem Cardinales intra verint, non fuerit ipsi Ecclesiae de pastore provisum, pe spatium quinque dierum immediate sequentium singulis di bus tam in prandio quam in coena uno solo ferculo sin contenti. Quibus provisione non facta decursis, ex tun tantummodo panis, vinum et aqua ministrentur eisde donec eadem provisio subsequatur.*[1]) — Varia dein adjungu tur, quae eamdem electionem Pontificis, ejusque acce

Decretum de elect. Pontif.

[1]) Labbe XI. 975.

rationem adhuc accuratius determinant, et varia sanciuntur, quibus statutorum observatio efficacius inculcatur.

124. Rediens post Concilium in Italiam, Rudolphum Imperatorem electum Gregorius X obvium habuit Lausannae, ubi fausta concordia de Ecclesiae et Imperii negotiis tractarunt. Transgressus Alpes accessit Mediolanum, inde Placentiam, atque dein, praetervolans Florentiam, cui ob non servatas leges pacis cum Gibellinis interdixerat sacra, pervenit Aretium. Ibi recuperationem Palaestinae volventem animo, eoque se cum exercitu conferre meditantem, intercepit mors die 10° Januarii anni 1276. — *Sepultus est Aretii summa cum veneratione, multaque circa illius corpus miracula postmodum subsecuta fidem ejus sanctitatis indubiam praebuere.*[1]) Solemniter a Clemente XI anno 1713 Gregorius X inter Beatos relatus est.

125. Post Gregorii X obsequia juste persoluta Cardinales, in conclavi inclusi secundum legem in Synodo Lugdunensi latam, elegerunt in summum Pontificem Petrum de Tarantasio Cardinalem Episcopum Ostiensem, ex Ordine s. Dominici, virum vitae integritate et eruditione praecellenti, quam ejus opera testantur, celeberrimum. Is nomen *Innocentii V* accepit, et Gregorii X vestigiis insistens, magna cum sollicitudine Ecclesiam coepit gubernare. Praeclara pro rei christianae amplificatione, defensione ac ornatu meditabatur egregius Pontifex, quum spes ingentes a fidelibus de ejus regimine conceptas mors acerba praecidit anno ipso 1276 die 21° Junii, sexto pontificatus mense. — Substitutus est ei mox Ottobonus Fliscus, Cardinalis Genuensis, Innocentii IV nepos, qui *Hadrianus V* appellatus est. Fervorem pro liberanda terra sancta statim testatus est missa pecuniae ampla summa ad patriarcham Hierosolymitanum, ut armaturas compararet. Sed morte praereptus est Hadrianus V, postquam ab electione tantum triginta novem dies transierant, die 18° Augusti anni 1276, quum nondum sacerdos esset consecratus. Jam cum crearetur, infirma admodum valetudine utebatur, ita ut affini-

Innocentius V.

Hadrianus V.

[1]) S. Antonin. Chron III. tit. 20. c. 2. §. 4.

bus gratulantibus feratur dixisse: *Utinam ad sanum Cardinalem, non moribundum Pontificem venissetis.* Hadrianus V, conventu cum Cardinalibus habito, suspendit Constitutionem Gregorii X quoad electionem Pontificis. Forte magna incommoda, quum ipse infirmae valetudinis esset, expertus erat, ita ut censeret hanc Constitutionem nimis severam, eamque modificare vellet. Id enim diserte indicat auctor coaevus Jordanus scribens: *Hic statim post suam creationem Constitutionem Gregorii de restrictione Cardinalium in electione Papae suspendit, intendens eam aliter ordinare, sed morte praeventus non potuit.*[1])

126. Post mortem Hadriani V difficultates quoad
Joannes XXI. istam Constitutionis suspensionem contra Cardinales exortae sunt; noluerunt enim Viterbienses et plures officiales curiae Romanae illam suspensionem admittere; rumor etiam sparsus est, ante mortem ab Hadriano suspensionem revocatam fuisse. Atque ita Viterbienses acrius insistentes adegerunt Cardinales, ut sine mora diuturna ad electionem procederent. In Pontificem creatus est die 16° Septembris Petrus Juliani Cardinalis, Lusitanus, celeberrimus quondam medicus, dein presbyter, a Gregorio X archiepiscopus Bragensis, ac post Cardinalis Episcopus Tusculanus constitutus. *Joannes XXI* vocatus est. Magnam habebat eruditionis in variis disciplinis famam, ut inde *clerici* (viri docti) *generalis* nomen adeptus sit. Ipse confirmavit suspensionem Hadriani quoad Constitutionem de electione Pontificis edito diplomate, quod nimis dura ea continerentur, nec satis apta esset, experientia docente, pro scopo obtinendo; simul autem intentionem suam esse indicavit ut alia ratione accelerandae Pontificis electioni provideret.[2]) Negotia ecclesiastica, unionem cum Graecis firmandam, causam terrae sanctae, magno cum vigore promovit. Sed etiam ipsius pontificatus brevis fuit, octo tantummodo mensium; camerae enim ruina percussus, occubuit Viterbii die 16° Maji anni 1277. Dicit quidem de hoc Pontifice Ptolomaeus Lucensis O. Pr.: *Quamvis magnus fuerit* i...

---

[1]) Raynald. a. 1276. n. 26. [2]) Raynald. l. c. a. 30.

scientia, modicus tamen fuit in discretione, praeceps enim fuit in verbo et minus cautus in moribus.[1]) Sed fidei admodum dubiae censerem ejusmodi testimonium Ptolomaei, qui et ipse praeceps et minus cautus fuit in actionibus suis, et forte a Joanne alienus, quod censeret, eum fuisse religiosis oppositum.[2]) Attamen inde ab initio missionem magni momenti, ad Philippum Galliae et Alphonsum Castiliae reges, commisit Magistris generalibus Ordinum Praedicatorum et Minorum, neque occurrunt vestigia infensi in religiosos animi. Sed facile ejusmodi rumores tunc spargebantur et acceptabantur.

127. Post Joannis XXI mortem quum Constitutio Nicolaus III. Gregorii X jam esset suspensa, electio novi Pontificis per sex menses protracta est. Variae controversiae inter Cardinales Italicae et Gallicae nationis exortae sunt, cum suae gentis vel saltem suis tendentiis addictum Pontificem utraque pars in Sedem Apostolicam studeret evehere. Viterbienses post duorum mensium intervallum, morae impatientes, Cardinales, qui tunc octo erant, in praetorio civitatis inclusere. Collegium Cardinalium quidem sedulo negotia Ecclesiae administrare nisum est, variaque edidit rescripta; attamen nonnisi post menses sex electionem Pontificis perfecerunt. Electus fuit videlicet die 25° Novembris anni 1277 Joannes Cajetanus, Romanus ex Ursina domo, qui *Nicolaus III* appellatus est. Singularis fuit in rebus gerendis prudentiae vir, et magna morum gravitate praeditus; inter alia praeclare gesta brevi tempore pontificatus sui principatum civilem et auctoritatem Romanorum Pontificum egregie firmavit. Adduxit enim Rudolphum Imperatorem, ut omnes donationes antecedentes principum confirmaret et suorum comitum excessus in Italia reprimeret. Inter Rudolphum et Carolum I Siciliae regem,

---

[1]) Cfr. Natal. Alex. In saec. XIV. C. V. de Scriptoribus, a. III. n. 17. nota Dom. Mansi.

[2]) „Religiosos, scribit, parum dilexit, et inde eidem ut creditur male cessit; unde tradunt historiae, quod eo tempore quo camera recidit super caput ejus, quaedam fulminaverat contra religiosos.“ Raynald. l. c.

quum jam bellum imminere videretur ob nimiam Caroli potentiam, pacem conciliavit conditionibus Rudolpho valde acceptis; Carolum quoque adegit, ut senatoriam urbis dignitatem deponeret, editaque Constitutione cavit, ne in posterum talis dignitas regibus aut principibus externis conferretur. Seipsum porro senatorem ad vitam fieri procurans, senatorium munus dein jussit per suos parentes fere per duos annos administrari. Motus in Ordine Minorum, quibus valde addictus erat, Constitutione *Exiit* compescere studuit. Id unum Nicolao III objicitur, quod suam Ursinorum familiam nimium evehere nisus sit. Ex sex Cardinalibus enim quos creavit, tres hujus familiae erant; atque etiam propinquis laicis ampla contulit munera. Erant tamen viri illi meritis ac dotibus insignes, obque rationes politicas videtur Nicolaus censuisse, ea ratione firmandam esse suam auctoritatem. Obviare videlicet studebat Nicolaus III nimio influxui Caroli Andegavensis et factionis ipsius; Rudolpho Imp. quidem favebat, ejusque coronationem in Imperatorem animo volvebat. simul tamen Italos tueri nitebatur contra excessus auctoritatis imperialis, et firmare potestatem civilem Sedis Apostolicae. Et quamvis ex familia Ursinorum plures Cardinales crearet, unum tamen etiam selegit ex Columnarum (Colonna) potentissima stirpe, quae Gibellinorum tendentias sequebatur. Sed ex inopinato Nicolaus III apoplexia correptus die 22° Augusti anni 1288 occubuit, et sub ejus successore tendentiae oppositae praevaluerunt.

Martinus IV. 128. Carolus I Siciliae rex cesserat quidem Nicolai III vigori, ejusque postulatis obsecutus erat; verum post Pontificis mortem, praeponderantem suum influxum recuperare, et electionem Pontificis ipsi faventis procurare nisus est. Venit igitur Viterbium, et sub ejus auspiciis dein Richardus de Annibaldeschis, qui civitati dominabatur, seditionem provocavit Viterbensium in Cardinales. Duo Cardinales Ursini injuriis affecti et custodiae mandati fuerunt, Cardinalis quoque Latinus vexatus fuisse, et e conclavi abductus, postea tamen redditus esse videtur.[1]

[1]) V. Raynald. a. 1281. n. 1.

Quamvis vero omnes Cardinales contra ejusmodi violentiam fortiter reclamarent, tamen eo res devenit, ut Pontifex eligeretur Carolo I et ejus parti valde addictus. Post sex menses videlicet, die 22° Februarii anni 1281, in Pontificem electus est Simon de Bria, Cardinalis s. Caeciliae, Gallus, qui *Martinus IV* appellatus est. Erat is Pontifex in negotiis gerendis bene versatus et sanctitate vitae insignis, sed minus faustae Sedi Apostolicae evenerunt ejus tendentiae politicae, quibus nimium influxum Galliae factioni firmavit. Rudolpho Imperatori quidem benevolum se ostendit, ejusque in Tuscia praefecto auxilia praestitit; praesertim tamen Caroli I Andegavensis auctoritatem et potestatem ultra modum amplificare et tueri visus est. Quum Romani ad sedandas discordias Pontifici, ut viro privato, senatoriam dignitatem contulissent, Martinus IV ea investivit denuo Carolum I, et ita rescidit Nicolai III statuta. Caroli dominatione in Sicilia per Siculorum seditionem eversa, regis partes, uti vidimus, magno ardore suscepit, atque exinde multis difficultatibus ob Siciliae negotium Sedes Apostolica involuta est, et expeditioni sacrae in Orientem nova oborta sunt impedimenta. Novem creavit Martinus IV Cardinales, inter quos quum quatuor essent Galli, hac quoque ratione illius nationis influxus auctus est: varios etiam milites Gallos rectores ac praefectos in civitatibus ditionis ecclesiasticae Pontifex constituit.

Martini IV tendentiae.

129. Constantinopoli interim unio Graecorum cum Ecclesia Romana parum substitit. Imperator quidem Michaël Palaeologus, et Joannes Veccus Patriarcha, qui post Concilium Lugdunense Josepho Patriarchae unioni infenso suffectus est, unionem confectam per aliquot annos contra schismaticos firmiter vindicaverunt. Sed refriguit dein Imperatoris fervor, quum commoda politica quae speraverat ex unione proventura non assequeretur, et tendentiae schismaticorum Constantinopoli multum invaluerunt. Jam Nicolaus III suspectos habuit Graecos, atque institit per legatos, ut fidem catholicam apertius profiterentur. Martinus IV quum censeret, Michaëlem Imperatorem simulatione uti et schisma fovere, eo vel magis quod promissa

Christianis contra infideles auxilia non praestabat bellumque parabat contra Carolum regem Siciliae, ab ipso rege etiam vehementius in Michaëlem commotus, hunc die 18° Novembris anni 1281, ut fautorem schismatis et haereseos excommunicavit. Tunc Michaël Pontificis nomen in liturgia exprimi prohibuit, tamen unionem nondum penitus dissolvit. Sed quum ipse die 11° Decembris anni 1282 obiisset, ejus filius ac successor Andronicus concordiam cum ecclesia Romana omnino abrupit, schisma instauravit, et Joannem Veccum in unione constantem in exilium Prusam in Bithyniam misit, ubi hic anno 1294 obiit. — Martinus IV die 29° Martii anni 1285, post pontificatum quatuor tantum annorum, Perusiae obiit, eodemque loco sepultus est, atque miraculis claruisse sepulchrum, auctores coaevi perhibent.[1])

130. Jam post tres dies unanimi Cardinalium suffragio
Honorius IV. in Martini IV successorem electus fuit Jacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis, qui *Honorius IV* appellatus est. Erat vir litteris bene eruditus, qui per annos multos in negotiis ecclesiasticis partes habuerat, sed aetate jam valde provectus, et infirmitate consumptus. *Hic fuit vir*, ait Martini Poloni continuator, *omnino temperatus et magnae discretione, impeditus tamen corpore in pedibus et manibus libenter ubique pacem quaerens.*[2]) Prudentiam suam et discretionem in gubernatione rerum manifestavit. Senatoriam dignitatem contulit fratri suo Pandulpho, qui severa cum justitia ea functus est; regnum Apuliae, quod regebat, dum Carolus II in Arragonia captivus detineretur, legibus optimis ordinavit; in Italia pro pace constituenda indefesse laboravit. Studuit tamen censuris Siculos ad obedientiam Caroli II redigere, episcoposque qui Petrum Jacobi regis Arragoniae filium coronaverant, deposuit. Sed jam post biennium Honorius IV, die 3° Aprilis 1287, diem supremum obiit. Non plane liquet, unde factum sit quod Cardinales ipsum infirmum et grandaevum tam cito unanimiter elegerint; forte, quod prudentem virum omnes eum haberent, factiones varias sibi conciliaverat. Gregorii X

[1]) Apud Raynald. ad a. 1285. n. 14.

decretum de reclusione Cardinalium illis diebus vehementer displicuisse, inde colligitur, quod ipse Honorius IV in Encyclica qua suam electionem annuntiavit, dicit: *Libere, nulla inclusionis coactione praeambula, quam aliquando in Ecclesiae ipsius vacationibus damnabilis praesumpsit abusus, convenimus ad tractandum de substituendi electione pastoris.* Haec quidem directe videntur referri ad Viterbiensium violentiam in praecedente vacatione, simul tamen invisam ostendunt fuisse Gregorii X Constitutionem. Sed mox iterum magnae difficultates in subrogando Pontifice ortae sunt.

131. Post Honorii mortem videlicet Cardinales Romae in palatio pontificio apud s. Sabinam ad eligendum successorem convenere. Sed dissensionibus protracta est electio, et ingravescente ob tempus aestivum intemperie aëris, plures ex iisdem Cardinalibus adversa valetudine tentati sunt, et nonnulli morbi gravitati succubuere. Quam ob causam dissoluto conventu ad colligendas puriores auras Cardinales discesserunt; solus ex iis remansit Hieronymus de Ascolis, antea Magister generalis Franciscanorum, tum vero Cardinalis Episcopus Praenestinus. Sedata hiemis frigore epidemia, anno 1288 denuo Cardinales convenerunt, atque tunc die 22° Februarii, post decem mensium Sedis vacationem, in Pontificem elegerunt Hieronymum de Ascolis Cardinalem, qui *Nicolaus IV* vocatus est. Vir erat virtutibus insignis; semel atque iterum traditum pontificatum abnuit, demum Cardinalium precibus victus coactusque annuit. Nicolaus IV.

132. Nicolaus IV monitis suis eo pervenit, ut Carolus II, cui Claudo additur cognomen, ex captivitate dimitteretur, eumque Reati Siciliae et Apuliae regem coronavit, in easdem conditiones in quas pater ejus fuerat a Clemente IV inauguratus. Ita Apuliae quidem regno Carolus II potitus est, sed conatus Nicolai IV ut etiam Siciliam sub ejus dominium redigeret, uti vidimus, effectu caruerunt. — Quum eo tempore Ladislaus IV Hungariae rex sine liberis obiisset, Rudolphus Imperator Albertum filium suum eo regno investivit; sed Nicolaus IV vindi-

cavit jura peculiaria s. Sedis in Hungariam, eaque investivit Carolum Martellum, Caroli Claudi filium. Carolus Claudus videlicet uxorem duxerat Mariam Ladislai sororem, adeoque ejus filio Carolo Martello convenire videbatur successio in illud regnum. Hungari vero ipsi regem crearunt Andream III, qui ex stirpe regum antiquorum Arpadum illius regni originem habebat; isque felici successu regnum contra competitorem Carolum et adversarios internos defendit usque ad mortem suam anno 1301.[1])

Nicolai IV gesta.

133. Sedulo intentus fuit Nicolaus IV propagandae fidei, et praecones Evangelii e FF. Minorum et Praedicatorum Ordinibus ad Bulgaros, Tartaros aliasque gentes destinavit. Restauravit ipse Romae varias ecclesias collabentes, ut cultum divinum promoveret; sed et amplis palatiis urbem ornavit, unde Romani ei admodum dediti fuerunt. Auctus est sub Nicolao IV splendor et influxu familiae Columnarum; creavit enim ex ea a. 1288 alterum Cardinalem, Petrum Columnam; Jacobum jam Nicolaus III in sacrum Collegium adoptaverat. Etiam Senatores passim ex illa familia selecti sunt. De praeeminentia Romae tunc inter se Ursini et Columnae proceres eorumque factiones decertabant, isti potius Guelforum, hi Gibellinorum tendentiis dediti, et ex litibus illarum familiarum vehementiores etiam commotiones exortae sunt. — Anno 1291 pontificatus Nicolai quarto, expugnata fuit a sultano Aegypt Ptolomaïs, quae erat sola quae remanserat Christianis firm urbs in Syria, atque ita dominium Christianorum in Syri et terra sancta tunc penitus eversum fuit. Nicolaus IV quidem omnia tentavit ad excitandum bellum sacrum contr Turcarum progressus, litterasque scripsit ad ecclesiaru praesules, ad principes Europaeos, ad Imperatorem Gra corum regesque Tartarorum, Armenorum, Georgianoru et Iberorum. Verum priscus suscipiendae crucis belliq orientalis ardor ubique tepuerat, et posthaec cruciatis e peditionibus ad vindicandum a Muhamedanorum jugo terr

[1]) Quum Andreas III etiam sine prole obiret, lis de successi continuata est, donec anno 1308 Carobertus, filius Caroli Martelli, con competitores suos regnum illud obtinuit.

sanctam renuntiatum fuit. Nicolaus IV vero Pontifex brevi post, videlicet die 4° Aprilis anni 1292, diem supremum obiit. Exornat illum s. Antoninus nobili elogio, quod paucis verbis absolvit: *Reputatus rectus homo et sanctae conversationis.*[1]) — Quae electionem s. *Coelestini V* ejusque pontificatum spectant, ita cum Bonifacii VIII vita et gestis cohaerent, ut ad sequentem dissertationem haec referenda esse videantur.

134. Percurrimus in hac dissertatione ac praecedentibus ea tempora, quibus auctoritas et majestas Sedis Apostolicae summo cum splendore effulsit. Saeculo enim decimotertio maxime adimpleta et comprobata sunt illa verba, quibus jam suo tempore s. Leo Magnus Romam evehit, dum ss. Apostolorum Petri et Pauli encomia celebrans, hisce Urbem alloquitur: *Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram Beati Petri Sedem latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui terra marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subjecit.*[2]) Ista, inquam, ea aetate, quoad influxum religionis in societatem quoque civilem, maxime valent. — Animadvertimus autem, versus finem ejus saeculi variis eventibus politicis, perturbatione in Italia oborta, celeri morte ac frequenti variorum Pontificum successione, Cardinalium dissensione et variis tendentiis, hisque ex causis, obumbrari aliquantisper illum Sedis Apostolicae splendorem, ac veluti praesagiri luctas graviores et discrimina saeculorum sequentium. Ad ea tempora jam accedimus, videbimusque, etiam in istis periculis manifestari divinam illam virtutem, qua Christus Ecclesiam super petram aedificatam protegit, ne portae inferi praevaleant adversus eam. Conclusio.

[1]) Raynald. a. 1292. n. 17.
[2]) Serm. 1 in Natal. SS. Petri et Pauli.

Index.

Pag.

Dissertatio vigesima tertia.

De statu Ecclesiae priori saeculi duodecimi medio. 1

I. De expeditionibus cruciatis 3
II. De conditione RR. Pontificum 20
III De schismate Petri Leonis, ac de Innocentio II ejusque successoribus 57
IV. De haeresibus et controversiis hujus aetatis 74

Dissertatio vigesima quarta.

De dissidiis inter Fridericum I Imperatorem et Romanos Pontifices. 102

I. De initiis dissidii 104
II. De lucta Friderici I Imperatoris contra Alexandrum III. R. P. 119
III. De eventibus post pacem restitutam 143

Dissertatio vigesima quinta.

De causa s. Thomae Cantuariensis Archiepiscopi. 155

I. De causis initiisque controversiae 157
II. De exilio s. Thomae ac de luctae continuatione . . . 184
III. De s. Thomae in Angliam reditu ac de ejus martyrio . . 199
Appendix. De Henrici II in Hiberniam expeditione . . . 209

Pag.

Dissertatio vigesima sexta.

De Pontificatu Innocentii III. 229

I. De Innocentii III gestis quoad Imperium 231
II. De causa matrimoniali Philippi II Galliae regis . . . 247
III. De dissidio inter Innocentium III et Joannem Angliae regem 267
IV. De expeditione cruciata quarta 298

Dissertatio vigesima septima.

De oppugnatione haereticorum, ac de quibusdam Innocentii III Decretalibus. 31

I. De haeresi Albigensium ac de bello contra eos suscepto . 317
II. De vi coactiva ab Ecclesia in haereticos adhibita . . . 34
III. De aliquot Innocentii III Decretalibus, ac de Concilio Lateranensi IV 36

Dissertatio vigesima octava.

De statu societatis christianae durante saeculo decimo tertio. 39

I. De lucta inter Fridericum II et Romanos Pontifices, ac de Imperii fatis 39
II. De conditione Galliae, ac de „Sanctione pragmatica“ s. Ludovico adscripta 43
III. De aliorum regnorum conditione, ac de statu interno Ecclesiae 45

Index alphabeticus rerum.

A.

Abaelardus ejusque conceptualismus, D. XXIII. 111; ejus rationalismus, 113; varii errores et fata, 116 sqq.

Adolphus Nassoviensis in Imperatorem electus, D. XXVIII. 53.

Agnes Meraniensis uxor a Philippo II superinducta, D. XXVI. 31 sqq., obitus 38.

Albertus I Imperator, D. XXVIII, 53. 54.

Albigensium haeresis et bella, D. XXVII. 3 sqq.; belli finis 30.

Alexander III R. P. (Rolandus Card.), D. XXIV. 11 sqq.; electio 21; lucta cum Friderico I, 27 sqq.; pax cum Friderico, 42; accusationes in eum falsae, 44 sqq.; decretum de electione Pontificis, 49; mors, 50; gesta ejus in causa s. Thomae Cantuariensis. D. XXV. 20 sqq.; decretum contra haereticos, D. XXVII. 45.

Alexander IV R. P., D. XXVIII. 115

Alexius Comnenus Imper. Cptanus, D. XXIII. 5; XXVI. 88. 89.

Alexius II Imp. Cptanus, D. XXVI. 90.

Alexius III Imp. Cptanus, D. XXVI, 91.

Alexius IV Imp. Cptanus, D. XXVI. 91. 92.

Almaricus de Monteforti, D. XXVII. 29. 30.

Almaricus de Bena ejusque errrores, D. XXIII. 112; XXVII. 88.

Anastasius IV R. P., D. XXIII. 94.

Andronicus Imp. Cptanus, D. XXVI. 90.

Anglia ab Innocentio III interdicto subjecta, D XXVI. 64 sqq.; fit feudum s. Sedis, 71 sqq.; Magna Charta, 77 sqq.; status regni saeculo XIII, D. XXVIII. 92.

S. Anselmus Cantuariensis contra Roscellinum, D. XXIII. 115.

Apostolici haeretici, D. XXVIII. 109 sqq

Arnaldus a Brixia ejusque gesta, D. XXIII. 103 sqq.

Arnaldus abbas Cisterciensis in bello contra Albigenses, D. XXVII. 14 sqq.; in expugnatione Biterrarum 22 sqq.

Arnulphus Lexoviensis in causa s. Thomae Cantuariensis, D. XXV. 19. 24.

Augustinianorum Eremitarum ordo, D. XXVIII 94.

B.

Balduinus I Imperator latinus Cptanus, D. XXVI 98 sqq.

S. Bernardus de exitu infelici cruciatae secundae, D. XXIII. 23. 24; ejus gesta in schismate Petri Leonis, 76 sqq.; arguit Innocentium II nimiae severitatis in Petrum Cardinalem 86; oppugnat Arnaldum a Brixia, 105; resistit Petro Abaelardo, 122; ei reconciliatur, 124; impugnat Gilbertum Porretanum, 126; immerito arguitur ab Ottone Frisingensi, 128.

Biterrensis civitatis expugnatio, D. XXVII. 22 sqq.

Bonifatius marchio dux Cruciatae quartae, XXVI. 83.

C.

Caesarii de Heisterbach narratio de expugnatione Biterrarum, D. XXVII. 24.

Calixtus III antipapa (Joannes de Struma) D. XXIV. 41. 47.

Cantù de Friderici I tendentiis, D. XXIV. 46 nota.

Carmelitarum ordo, D. XXVIII. 93.

Carolus I (Andegavensis) Saeciliae rex, D. XXVIII. 85 sqq.

Cathari eorumque haeresis, D. XXIII. 107 XXVII. 3 sqq.

Clarendonensis conventus, D. XXV. 21; articuli, 22.

Claromontanum concilium, D. XXIII. 7.

Clemens III. R. P., D. XXIV. 57.

Clemens IV R. P. s. Ludovico decimas concedit, D. XXVIII 81 82; gesta quoad Carolum I Siciliae regem 86; pontificatus. 117.

Cluniacensium Congregatio turbata per Pontium abbatem, D. XXIII. 67.

Coelestinus II R. P., D. XXIII. 89.

Coelestinus III R. P., D. XXVI. 4 sqq.; gesta in causa matrimoniali Philippi II Galliae regis, 29. 30.

Coelestinus IV R. P., D. XXVIII. 33.

Comnenus Alexius, D. XXIII. 5; XXVI. 88. 89; Joannes, D. XXVI. 89; Manuel, 90.

Conceptualismus Abaelardi, D. XXIII. 111.

Concilium Lateranense II, D. XXIII. 84.

Concilium Lateranense III, D. XXIV. 28; decreta de electione R. Pontificis et de haereticis. 49

Concilium Lateranense IV, decretum de haereticis; D. XXVII. 49; celebratio et statuta, 86 sqq.

Concilium Lugdunense I, D. XXVIII. 35.

Concilium Lugdunense II, D. XXVIII. 119. 120.

Conclave in electione R. Pontifici secundum decretum Gregorii X D. XXVIII. 122.

Conradinus Friderici II nepos, D. XXVIII. 49; interitus 88.

Conradus Friderici II filius, D. XXVIII. 49.

Constantini donatio; v. Donatio.

Constantinopolis expugnata et fu

datio Imperii latini, D. XXVI. 97 sqq.
Controversiae saeculi XII, D. XXIII. 108 sqq.
Cruciata prima, D. XXIII. 7 sqq.; objectiones contra cruciatas expenduntur 11; motiva expeditionum. 12; influxus R. Pontificum, 13; justitia, 14; effectus et utilitas, 16 sqq.; obstacula exitus felicis, 19 sqq.
Cruciata quarta, D. XXVI. 82 sqq.
Cruciatae s. Ludovici regis Galliae, D. XXVIII. 58.
Cruciati contra Albigenses an excessus commiserint, D. XXVII. 60.

D.

Dandolus dux Venetorum in cruciata quarta, D. XXVI. 84 sqq.
David de Dinant realista heterodoxus, D. XXIII. 112.
Decretalis *Venerabilis*, D. XXVI. 15 sqq.; *Per venerabilem*, D. XXVII. 62 sqq.; *Novit*, D. XXVII. 74 sqq.
Decretalium Pseudo-Isidori codices duplices generis, D. XXIII. 49.
Dominicani, v. Praedicatores.
S. Dominicus, D. XXVII. 15. 29.
Donatio Constantini discutitur, D. XXIII. 29 sqq.
Donatio Mathildis Comitissae, D. XXIII. 27. 28.
Durandus de Osca, Waldensis conversus, D. XXVII. 42.

E.

Ecclesiae potestas in temporalia ex s. Thoma Cantuar. et Joanne Sarisber., D. XXV. 36 sqq.; ex Innocentio III, D. XXVII. 62 sqq.
Ecclesiae vis coactiva quoad haereticos, D. XXVII. 87 sqq.
Eremitae s. Augustiini, D. XXVIII. 94.
Eudo de Stella ejusque errores, D. XXIII. 96. 97.
Eugenius III R. P., D. XXIII. 92. 93.

F.

Flagellantes D. XXVIII. 112.
Franciscani, v. Minores.
Fraticelli, D. XXVIII. 104.
Fratres et sorores liberi spiritus, D. XXVIII. 109. 111.
Fridericus I Imp. ejusquè tendentiae, D. XXIV. 2. 46 nota; indoles4; dissidia cum Hadriano IV, 7 sqq.; lucta contra Alexandrum III, 27 sqq.; pax Venetiis inita, 42; dissidia cum Urbano III, 53; cruciata et mors, 59.
Fridericus II Imp. rex Germaniae, D. XXVI. 25; decreta contra haereticos, D. XXVII. 50. 54; tempore Honorii III, D. XXVIII. 5 sqq.; dissidia cum Gregorio IX, 9 sqq.; expeditio in Orientem, 16 sqq.; pax cum Pontifice, 20; lucta iterata, 23; Fridericus suspectus incredulitatis, 27; sub pontificatu Innocentii IV, 34; depositio, 38 sqq.; mors, charater et influxus, 47. 48.

G.

Galliae regnum saeculo XIII, D. XXVIII. 55 sqq.
Gerhardi Minoritae liber introductorius in Evangelium aeternum, D. XXVIII. 104.
Gerhohus Reicherspergensis de lucta Friderici I contra Alexandrum III, D. XXIV. 44.

Gibellini et Guelfi in Italia sub finem saeculi XIII, D. XXVIII. 91.
Gilbertus Folioth episcopus Londin. adversarius s. Thomae Cantuar., D. XXV. 19. 29. 35. 41. 44.
Gilbertus Porretanus, D. XXIII. 126.
Godefridus Bolionaeus, D. XXIII. 9.
Gosselin de potestate RR. Pontificum in reges, D. XXVII. 83.
Graeci Ecclesiae uniuntur in Concil. Lugdun. II., D. XXVIII. 119; unio rupta, 128.
Gregorius VIII R. P.. D. XXIV. 56.
Gregorius IX R. P. ejusque cum Friderico II dissidia, D. XXVIII. 9 sqq.; judicium de Pontifice, 21; discordia iterata, 23; mors 32; elogium 113.
Gregorius X R. P., D. XXVIII. 118; decretum de electione Pontificis, 122.
Guilelmina haeretica, D. XXVIII. 110.
Guilelmus I Angliae rex, D. XXV. 4.
Guilelmus II Angliae rex, D. XXV. 4.
Guilelmus a s. Amore contra Mendicantes, D. XXVIII. 98 sqq.
Guilelmus Campellensis realista, D. XXIII. 112.
Guilelmus Comes Montispessulanus et decretalis *Per Venerabilem*, D. XXVII. 62 sqq.

H.

Hadrianus I R. P. an mentionem faciat Donationis Constantini, D. XXIII. 35. 39.
Hadrianus IV R. P., D. XXIII. 106; dissidia cum Friderico I D. XXIV. 6 sqq.; conventio cum Normannis, 8; mors 19; quaestio an Hiberniam concesserit Henrico II Angliae regi, D XXV. 58 sqq.
Hadrianus V R. P., D. XXVIII. 124. 129.
Haereses saeculi XII, D. XXIII 95 sqq ; decretum Concilii Lateranensis III contra haereticos. D. XXIV. 49; edictum Veronense, 52; haeresis Albigensium, D. XXVII. 3 sqq.; Waldensium, 33; haeresum repressio per Ecclesiam, 37; legislatio contra haereticos, 44 sqq.; haereses saeculi XIII, D. XXVIII. 109 sqq.
Heloïsa et Abaelardus, D. XXIII. 117 sqq
Henricus I Angliae rex, D. XXV. 4.
Henricus II Angliae rex, D. XXV. 4; lucta contra s. Thomam Cantuariensem, 14 sqq.; reconciliatio, 41; quoad mortem s. Thomae. 47 sqq.; expeditio in Hiberniam 54 sqq.; de regno disponit et moritur, D. XXVI. 50. 51.
Henricus III Angliae rex Magnam Chartam admittit, D. XXVI. 80
Henricus VI Imperator; nuptiae cum Constantia, D. XXIV. 53 58; succedit patri 60; regnum D. XXVI. 5. 6.
Henricus haereticus; saec. XII, D XXIII. 100.
Hibernia an ab Hadriano IV concessa Anglis, D. XXV. 54 sqq
Honorius II R. P., D. XXIII. 6 sqq.; mors, 71.
Honorius III R. P., D. XXVIII 5 sqq.
Honorius IV R. P., D. XXVIII 129.

I.

Imperium latinum Cptanum, D. XXVI. 97.

Impostoribus (blasphemia de tribus), D. XXVIII. 27 sqq.
Ingeburga ejusque causa matrimonialis, D. XXVI. 28 sqq.; moritur, 44.
Innocentius II R. P., D. XXIII. 71; schisma Petri Leonis 73; alia gesta, 76 sqq.
Innocentius III R. P., D. XXVI. 1 sqq.; gesta quoad Imperium; principia et decretalis *Venerabilem*, 12 sqq.; gesta in causa matrimoniali Ingeburgae, 28 sqq.; interdictum in Galliam latum, 34; in regnum Legionis, 46; principia de interdicto, 48; dissidia cum Joanne rege Angliae, 53 sqq.; recipit Angliam ut feudum, 71; in quaestione de *Magna Charta*, 77; gesta quoad cruciatam quartam, 82 sqq; quoad Imperium latinum Cptanum, 97; repressio haeresis Albigensium, D. XXVII. 14 sqq.; sollicitudo de haereticis conversis, 42; decreta contra haereticos, 49; decretales *Per Venerabilem* et *Novit* expenduntur, D. XXVII. 62 sqq.; celebrat Concil. Lateran. IV, 86; mors et character, 90.
Innocentius IV R. P. ejusque dissidia cum Friderico II, D. XXVIII. 34 sqq.; Concil. Lugdunense I, 35; mors et elogium, 114.
Innocentius V R. P., D. XXVIII. 124.
Inquisitio in Gallia meridionali, D. XXVII. 32; institutio universim, 58.
Interdictum in Gallia, D. XXVI. 34; in Hispania, 47; quaestio de interdicto expenditur, 48. 49; interdictum in Anglia, 64.
Interregnum funestum in Germania. D. XXVIII. 49.
Ioannes XXI R P., D. XXVIII. 125.
Joannes I Angliae rex ejusque dissidia cum Innocentio III, D. XXVI. 52 sqq.; offert Angliam Sedi Apostolicae, 71; lis de Magna Charta, 77 sqq.; recurrit ad Innocentium III contra Philippum II (decretalis *Novit*), D. XXVII. 74.
Joannes Comnenus Imp. Cptanus, D. XXVI. 89. 90.
Joannes Sarisberiensis in causa s. Thomae Cantuar., D. XXV. 20. 32 sqq.; ejus sententia de potestate Ecclesiae in principes, 37. 38; relatio de Hadriano IV ac de Hibernia, 58; an genuina, 66 sqq.
Isaac Angelus Imp. Cptanus, D. XXVI. 91.

L.

Langtonius Steph. archiep. Cantuar. creatus, D. XXVI. 58, obstacula, 59 sqq.; adventus in Angliam et gesta, 76 sqq.
Lateranense Concilium II, D. XXIII. 81.
Lateranense Concilium III, D. XXIV. 48.
Lateranense Concilium IV, D. XXVII. 86; decretum de haereticis, 49.
Lotharius II Imp. investiturae restitutionem postulat, D. XXIII. 80; coronatio et homagium de allodiis Mathildis, 81. 82.
Lucius II R. P., D. XXIII. 91.
Lucius III R. P., D. XXIV. 51; decretum Veronense contra haereticos, D. XXVII. 46.
Ludovicus VIII Galliae rex, D. XXVIII. 56.
S. Ludovicus IX ejusque gesta, D. XXVIII. 57; quaestio de Sanctione pragmatica, 59 sqq.

Lugdunense Concilium I, D. XXVIII. 35.
Lugdunense Concilium II, D. XXVIII. 119.

M.

Magna Charta Angliae, D. XXVII. 77 sqq.
S. Malachiae ep. vaticinia, D. XXVII. 90; ejus salutaris influxus in Hibernia, D. XXV. 69.
Manfredus Siciliae rex, D. XXVIII. 84. 85.
Manichaei novi, D. XXIII. 107. cfr. Cathari.
Manuel Comnenus Imp. Cptanus, D. XXVI. 90.
Martinus IV R. P., D. XXVIII. 127.
Mathildis comitissae donatio, D. XXIII. 27 sqq.
Mendicantium ordinum diffusio et influxus, D. XXVIII. 93 sqq.
Milo legatus Innocentii III contra Albigenses, D. XXVII. 17.
Minores Fr. instituti eorumque influxus, D. XXVIII. 93 sqq.; difficultates et dissidia in ordine, 101 sqq.
Monarchiae Siculae privilegium discutitur, D. XXIII. 53 sqq.
Moran Ill. ep. ejusque argumenta, quibus probat spuriam esse Hadriani IV epistolam qua Hiberniam Anglis concesserit, D. XXV. 61 sqq.

N.

Neo-Manichaei, D. XXIII. 107; XXVII. 3. Cfr. Cathari.
Niceta vel Niquinta Catharorum papa, D. XXVII. 8.
Nicolaus III R. P., D. XXVIII. 126.
Nicolaus IV R. P., D. XXVIII. 130.
Nominalistae eorumque sententia, D. XXIII. 111.
Novit Decretalis, D. XXVII. 74.

O.

Octavianus (Victor IV) antipapa, D. XXIV. 21.
Oliva Joannes Minorita, D. XXVIII. 104.
Ordines equestres instituti, D. XXIII. 10.
Ordines mendicantes eorumque influxus, D. XXVIII. 93 sqq.
Otto IV Imper. ejusque lucta de Imperio, D. XXVI. 9 sqq; oppositio contra Innocentium III 22 sqq.; poenitentia et mors, 26.

P.

Palaeologus Michaël Imp. Cptanus, D. XXVIII. 116; unionem init, 119; excommunicatus a Martino IV, 128.
Palaestinae conditio saeculo X. D. XXIII. 4 sqq.
Pandulphus subdiaconus ejusque negotiatio cum Joanne Angliae rege, D. XXVI. 67 sqq.
Parisius Matthaeus auctor R. Pontificibus infensus, D. XXVI. 71. XXVIII. 42. 80.
Paschalis II epistola quoad Monarchiam Siculam, D. XXIII. 60.
Paschalis III antipapa, D. XXIV. 37. 41.
Pauperes Lugdunenses, D. XXVII 35.
Per Venerabilem decretalis, D. XXVII. 62 sqq.
Petri Leonis schisma, D. XXIII. 71
Petrus de Bruis ejusque errores D. XXIII. 98 sqq.
Petrus de Tarantasia seu Innocentius V, D. XXVIII. 124.

Petrus Eremita, D. XXIII. 5.
Petrus Waldo et secta Waldensium, D. XXVII. 33 sqq.
Philippus II Galliae rex ejusque causa matrimonialis D. XXVI. 28; bellum parat contra Joannem Angliae regem excommunicatum, 67 sqq.; de legitimatione liberorum ejus, D. XXVII. 65 sqq.; Decretalis *Novit*, 74; ejus regnum. D. XXVIII. 55.
Philippus III Galliae rex, D. XXVIII. 83.
Philippus Suevus ejusque lucta de Imperio, D. XXVI. 9 sqq.; mors, 20.
Philippus abbas de Eleemosyna intervenit in causa s. Thomae Cantuar., D. XXV. 20.
Pius IX. abolet Monarchiam Siculam, D. XXIII. 62.
Pontificum RR. auctoritas aucta saeculo XII, D. XXIII. 25; electio ex decreto Alexandri III, XXIV. 49.
Pontius abbas Cluniacensis ejusque fata, D. XXIII. 67 sqq.
Potestas Ecclesiae et RR. Pontificum in temporalia secundum s. Thomam Cantuar. et Joannem Sarisber., D. XXV. 36 sqq.; secundum Innocentii III Decretales. D. XXVII. 62 sqq.
Praedicatorum ordo institutus, D. XXVII. 29; diffusio, D. XXVIII. 95; difficultates cum Universitate Parisiensi, 98.

R.

Rainaldus de Dassel Friderici I cancellarius. D XXIV 12 sqq.
Raymundus VI Comes Tolosanus fautor Albigensium, D XXVII. 13 sqq.; comitatu privatur, 26; expenditur dispositio, 60.
Raymundus VII Comes Tolosanus, D. XXVII. 29.
Realistae eorumque doctrinae, D. XXIII. 112.
Regaliae usus in Concilio Lugdun. II canone ordinatur, D. XXVIII. 121.
Richardus I (Cor Leonis) Angliae rex, ex cruciata rediens captus, D. XXVI. 5; regnum et mors, 51.
Rogerius I dux Normannus obtinet ab Urbano II privilegium, D. XXIII. 55.
Rogerius II ejusque cum Honorio II dissidia, D. XXIII. 66
Rogerius archiep. Eboracensis adversus s. Thomam Cantuar., D. XXV. 19. 29. 41. 44 sqq. 51.
Romani contra Pontifices tendentiis democraticis dediti, D. XXVII. 88. 91 sqq. 106. — D. XXIV. 51. 57.
Romaniae Imperium Constantinopoli fundatum, D. XXVI. 97 sqq.; fata, 104
Roncaliis comitia habita a Friderico I, D. XXIV. 17.
Roscellinus Nominalista, D. XXIII. 114.
Rudolphus Habsburg. electus ad Imperium, D XXVIII. 51.

S.

Sanctio pragmatica s. Ludovico III adscripta qualis et an genuina, D. XXVIII 59 sqq.
Schisma Petri Leonis, D. XXIII. 71 sqq.
Scholastica theologia ejusque indoles, D. XXIII. 109.
Sectae variae saeculi XII, D. XXIII. 95 sqq.; Saec. XIII, D. XXVIII. 109 sqq.
Siciliae regnum sub Andegavensibus, D. XXVIII. 85 sqq.
Sicula Monarchia discutitur, D. XXIII. 53.

Simon de Monteforti contra Albigenses, D. XXVII, 22; mors, 29.
Simon de Tornaco ejusque blasphemia de tribus impostoribus, D. XXVIII. 28.
Stephanus Angliae rex, D. XXV. 4.
Stephanus Langtonius archiep. Cantuar., D. XXVII. 58.

T.

Tanchelinus ejusque errores, D. XXIII. 96.
S. Thomas Becket, D. XXV. 1 sqq.; ortus et character, 6; archiepiscopus Cantuar, 11; discordia cum rege, 14 sqq.; quaestio de consuetudinibus avitis, 17 sqq.; exilium et lucta continuata, 31 sqq.; sententia de potestate Ecclesiae in temporalia, 36; reconciliatio cum rege et reditus in Angliam, 41 sqq.; martyrium, 48; judicium criticum 49 sqq.
Thomas Morosini patriarcha latinus Cptanus, D. XXVI. 103.
Tolosae civitas in bello contra Albigenses, D. XXVII. 28.

U.

Universitates studiorum saeculo XIII, D. XXVIII. 105 sqq.
Urbanus II R. P. et cruciata prima, D. XXIII. 6 sqq.; privilegium Rogerio duci concessum (Monarchia Sicula), 55 sqq.
Urbanus III R. P. ejusque cum Friderico I dissidia, D. XXIV. 53. 54; mors, 55.
Urbanus IV R. P. confert Carolo Andegavensi Siciliam, D. XXVIII. 85; pontificatus 116.

V.

Vaticinia supposita s. Malachiae episcopi, D. XXIII. 90.
Venerabilem Decretalis, D. XXVI. 15 sqq.
Vesperae Siculae, D. XXVIII. 89.
Victor IV antipapa, D. XXIV. 21 sqq.; mors, 36.

W.

Waldensium secta et Waldo, D. XXVII. 33 sqq.

A. M. D. G.

Im gleichen Verlage sind erschienen und können durch alle Buchhandlungen bezogen werden:

Jungmann, B., Ph. et S. Th. Doct. ac Profess. ord. in S. Fac. Theol. Universitat. cath. Lovaniensis, **Dissertationes selectæ in historiam ecclesiasticam.** Vol. I—IV. 1880/84. 8°. (I. 466 pag., II. 466 pag., III. 452 pag., IV. 408 pag.) 15 ℳ. 60 ₰.

„Den Freunden kirchengeschichtlicher Quellenstudien bietet der durch seine dogmatischen und historischen Arbeiten wohlverdiente Professor der Universität Löwen in Band I—III. 17 Dissertationen, welche der Zeit nach bis ins 9. Jahrhundert hinabreichen. Sie beginnen in Band I mit dem römischen Episkopat des h. Petrus, den Päpsten der 2 ersten Jahrhunderte, den Philosophumena (des Tertullian?), dem h. Cyprian und dem nicänischen Concil; behandeln dann in Band II die Geschichte des Arianismus (6. und 7. Dissertation), die Beichte in den ersten christlichen Jahrhunderten, die christologischen Streitigkeiten in der orientalischen Kirche (9—12 Diss.) und endlich in Band III die Ikonoklasten, die Entstehung des Kirchenstaats, Staat und Kirche im 9. Jahrhundert, die Decretalen des Pseudo-Isidor und das photianische Schisma. Würden diese fleissigen und gründlichen Abhandlungen in der gleichen Weise bis auf die neueste Zeit fortgesetzt, so hätten wir darin eine überaus dankenswerthe Erneuerung der Dissertationen von Natalis Alexander, dem jetzigen Stande der kirchengeschichtlichen Forschung entsprechend und den Arbeiten der Gegner mindestens ebenbürtig. Aber auch das bis jetzt Vorliegende wird seinen nächsten Zweck, die angehenden Theologen in Wesen und Methode der kirchengeschichtlichen Forschung einzuführen, deren Wichtigkeit Papst Leo XIII. in dem kürzlich erschienenen, herrlichen Schreiben vom 18. August d. J. so trefflich hervorgehoben hat, sicherlich mit grossem Nutzen erfüllen" (Pastoralblatt f. Ermeland 1882.)

Jungmann, B., Institutiones Theologiæ Dogmaticæ specialis:

Tractatus de Gratia. Editio V. 1882. 8°. 320 p. 3 ℳ.

Tractatus de Deo uno et trino. Editio IV. 1882. 8°. 388 p. 3 ℳ. 30 ₰.

Tractatus de Deo uno et trino. Brevis Analysis. 1874. 8°. 56 p. 80 ₰.

Tractatus de Deo Creatore. Editio IV. 1883. 8°. 396 p. 3 ℳ. 60 ₰.

Tractatus de Novissimis. Editio III. 1885. 8°. (Unter der Presse.)

Tractatus de Vera Religione. Editio II. 1879. 8°. 260 p. 2 ℳ. 80 ₰.

Tractatus de Verbo incarnato. Editio IV. 1884. 8°. 408 p. 3 ℳ. 60 ₰.

„Ejusmodi Tractatus, ea profunditate catholicae doctrinae, ea claritate et ordine, ea accurata et scientifica dicendi ratione sunt conscripti, ut nihil in eis redundet, nihilque desiderandum relinquant, ut in Seminariis tamquam codices habeantur et juvenibus explanentur. Id tantum supponunt, ut analogum philosophiae cursum in Seminariis juvenes praemiserint, quo idonei evaserint ad recte cogitandum, recteque disserendum." (Acta S. Sedis, fasc. 74.)

DISSERTATIONES
SELECTAE
in
HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
in Universitat. cath. Lovaniensi.

Tomus VI.

MDCCCLXXXVI.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII,

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. Lethielleux, via vulgo Cassette, 4. **BRUGIS:** Beyaert-Storie.
TORNACI: H. Casterman Vidua. **LONDINI:** Burns et Oates; R. Washbourne. **ROMAE:**
Libreria Religiosa (Ant. Saraceni.) **TILBURGI:** W. Bergmans.

DISSERTATIONES

SELECTAE

in

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
in Universitat. cath. Lovaniensi.

Tomus VI.

MDCCCLXXXVI.

RATISBONAE, NEO EBORACI & CINCINNATII,

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. Lethielleux, via vulgo Cassette. 4. **BRUGIS**: Beyaert-Storie. **TORNACI**: H. Casterman Vidua. **LONDINI**: Burns et Oates; R. Washbourne. **ROMAE**: Libreria Religiosa (Ant. Saraceni.) **TILBURGI**: W. Bergmans.

Approbatio.

Dissertationes in Historiam ecclesiasticam, auctore viro eximio Bernardo Jungmann, S. Th. et Philos. Dr., Historiae ecclesiasticae et Patrologiae in Universitate catholica Lovaniensi Professore ordinario et ecclesiae cathedralis Brugensis Canonico honorario, novem annorum spatio exaratas atque ab auditoribus magno cum fructu exceptas. nunc primum, utpote ab omni, ut Nobis visum est, naevo immunes, atque solidissima doctrina refertas, approbamus et ultro imprimi permittimus.

Datum Brugis, hac 1. Junii 1880.

J. J. Epus Brugens.

Opus quod inscribitur: *Dissertationes selectae in Historiam ecclesiasticam, Tom. VI., auctore Bernardo Jungmann, Eccles. Cath. Brugens. Can. hon., Philos. et S. Theol. Doctore, in Univers. Cath. Lovaniens. Hist. eccles. et Patrolog. Prof. ord.*, ex auctoritate Reverendissimi Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 2. Februarii a. MDCCCLXXXVI.

C. Pieraerts, Rect. Univ.

Dissertatio trigesima.

De Pontificatu Bonifatii VIII.

---

1. In Sede Petri labente saeculo XIII et incipiente XIV sedit *Bonifatius VIII.* Ejus pontificatum, quamvis haud longae fuerit durationis, tamen summi esse momenti, et foecundum eventibus, qui in fata Ecclesiae singularem exercuere influxum, omnes conveniunt. Hic autem pontificatus eo magis attentionem movet, quod inde a temporibus Bonifatii paulatim diminutus apparuit salutaris illius auctoritatis influxus, quem RR. Pontifices medio aevo per plura saecula ut populorum christianorum summi arbitri, etiam in regimen temporale societatis exercuerunt. Quum vero Ecclesiae jura magna cum virtute vindicaverit Bonifatius, nactus est suo tempore infestissimos adversarios; nec postea defuerunt, qui ambitionis, superbiae, arrogantis imprudentiae eum arguerunt. Imo multae etiam aliae accusationes jam ipsius aetate in hunc congestae sunt Pontificem, ita ut plurima vitia et crimina foedissima ei tribuerentur. Illegitima videlicet usurpatio Sedis Romanae ac simonia, avaritia et impudicitia, haeresis et incredulitas ei objectae fuere; et quemadmodum in vita sua multa ab hostibus passus est mala, ita adversarii etiam post ejus mortem memoriam ipsius foedare non destiterunt. **Indoles Dissertationis.**

2. Aequo igitur examine Bonifatii facta perlustrare maxime convenit. Ipsâ autem sincerâ et ex fontibus petitâ narratione eorum quae gesta sunt patebit, immerito hunc Pontificem tam acriter accusatum fuisse. Videbimus enim, non ipsi tribuendum esse, quod labentibus saeculis influxus ille Pontificum in moderamen nationum christianarum diminutus fuerit; sed Bonifatium laude dignum esse, quod jura Ecclesiae et vera principia solemniter, quamvis successu minus felici, contra aggressores vindicaverit. Utrum vero, quod aliqui auctores putant, hac in re passim minori prudentia nimiaque vehementia processerit, ex rerum expositione judicandum erit. Quod demum ad ea quae Bonifatio tributa fuere attinet crimina, quoad plur[illegible] perspicue probari potest, nonnisi per calumniam eaden ipsi impingi, quoad alia ostendi, accusationem saltem null[illegible] niti solido fundamento.

Scriptores. Scriptores praecipui de Bonifatio VIII consulend[illegible] sunt isti: Jacobus Card. Stephaneschi, *Carmen de vita* [illegible] *canonisatione s. Coelestini* (Bolland. m. Majo. T. IV. p. 43 sqq.). — Ptolomeus Lucensis *hist. eccl. l. XXIV. c. 29 sqq.*, a[illegible] Muratori Scr. T. XI. 741. — Raynaldi *Annales* ad [illegible] *1294—1303.* — P. Dupuy, *histoire du différend du Pa[illegible] Boniface VIII avec Philippe-le-Bel.* Paris 1655. — Adri[illegible] Baillet, *histoire des démeslez du Pape Boniface VIII a[illegible] Philippe-le-Bel,* Paris 1718. — Boutaric, *la France so[illegible] Philippe-le-Bel,* Paris 1861. — D. Luigi Tosti, *Storia* [illegible] *Bonifacio VIII e dei suoi tempi,* Monte Cassino 1846. [illegible] Drumann, *Geschichte Bonifacius des Achten,* Königsbe[illegible] 1852. — Bianchi, *della potestà della Chiesa, L. VI. §. V s[illegible]* — Wiseman, *Défense de divers points de la vie de Bo[illegible] face VIII,* Université catholique t. 12. p. 59. — Ro[illegible] bacher, *H. E. t. 19.* — Hefele, *Concilien-Geschichte, B* [illegible] — Höfler, *Abhandlung d. bayer. Akad. d. WW. histor.* [illegible] *Bd. III. 3.* — Hergenröther, *K. G. B. II. s. 1 sqq.* — Bal[illegible] *Storia d' Ital. L. XXVIII. XXIX.* — Il Papato vol. X. [illegible] 1878. p. 27. *Nuova confutazione di alcune accuse moss[illegible] Bonifacio VIII.* — Alios scriptores vide ap. Chevalier. [illegible] pertoire, Bio-Bibliographie sub voce Boniface VIII.

I.

De Pontificatu s. Coelestini V, et de electione Bonifatii VIII.

3. Post mortem Nicolai IV (4° April. a. 1292) Apostolica Sedes annis duobus et mensibus tribus vacavit. Cardinales videlicet, qui numero duodecim erant, divisi sunt in duas partes, quarum uni Jacobus Colonna, alteri Matthaeus Ursini praeerat. Inter has familias nobilissimas, uti diximus, simultas de praeeminentia vigebat; simul vero Carolus II Andegavensis, rex Neapolis, influxum in electionem exercere studebat, ut persona sibi addicta in Sedem Petri eveheretur. Si credere fas est scriptori Florentino Villani, regis partes hac occasione tenuit Matthaeus Ursini, cum aliquot aliis Cardinalibus, qui nonnisi personae Carolo gratae vota sua dare voluerunt, eaque ratione diu electionem impediverunt. Dubium tamen revera videtur, an Matthaeus Ursini Caroli II partes promovere voluerit. Ursinorum familia plerumque dicitur Guelforum, Columnensium domus Gibellinorum factioni praefuisse. Sed scite scribit Brunengo: „Factionibus Romae praeerant Ursinorum et Columnensium domus, illi Guelfi, hi Gibellini; vel potius Italo-Guelfi erant Ursini, Gallo-Guelfi erant Columnenses. Etenim Guelforum et Gibellinorum appellatio jam ab antiqua significatione factionis *pontificiae* et *imperialis* desciverat; lucta autem erat inter Guelfismum moderatum et nationalem seu Italum, et Guelfismum immoderatum ac Gallicum. Ultima haec factio, Andegavensibus nitens, independentiae et principatui civili Pontificum pericula creabat, ac brevi post videmus Columnenses cum Philippo Pulchro contra Bonifacium VIII conspirare.“[1]) — Ita igitur multiplicibus tendentiis agitabantur Cardinales. Inter Cardinales ingenii vi et scientia juris canonici eminebat Bene- S. Sedis vacatio.

---

[1]) Civiltà cattol. a. 1873. III. I Destini di Roma, p. 415. — Quum igitur Columnenses potius regi Neapolis addicti essent, mirum, si hac occasione Ursini ei sese junxerunt.

dictus Cajetanus, qui postea fuit Bonifatius VIII. Hic a factionibus politicis quidem remotior, Gallisque nullatenus infensus, tamen ut independentia Ecclesiae plane salva esset, videtur adlaborasse, et aegerrime tulisse, quod tamdiu electio protraheretur.

Conclave Perusiae habitum.

4. Quum jam variis in locis Cardinales conclave constituissent, et schismatis fere pericula apparerent, postremo mense Octobri a. 1293 Perusiae convenerunt; sed et ibi per plures menses discordia de Pontificis electione duravit. Venerunt quoque in hanc civitatem tempore verno Carolus II et filius ejus Carolus Martellus electus Hungariae rex, Cardinalesque monuit Carolus rex, ut electionem perficerent. Benedictus autem Cajetanus, quum perspiceret (uti existimo) ipso influxu regis retardari electionem, gravissimis verbis libertatem Cardinalium coram eo vindicavit, ita ut Carolus iratus discederet. Hac de re Platina: *Haec incommoda Carolus II rex Neapolitanus prospiciens e Narbonensi provincia Perusium veniens, Cardinales ipse saepius ad concordiam et electionem Pontificis adhortatus est. Nec id quidem facere destitisset vir insignis, nisi acriter reprehensus a Benedicto Cajetano patria Anagnino, quod instando acerbe nimium ipsis Cardinalibus vim afferre videretur, quorum suffragia libera esse deberent.*[1])

5. Post diutinas demum contentiones Cardinales Pontificem extra Collegium quaesiere, ac repente mutatis animis Petrum de Murrone eremitam, novae religiosae familiae (quae postea Coelestinorum dicta est), sectantis s. Benedicti instituta patriarcham, in remota Apuliae solitudine macerando corpori ac rebus coelestibus contemplandis in

[1]) Vita Nicolai IV, in fine. — Cfr Ptol. Luc. l. c. l. 24. c. 28. Ptolomaeus (Bartholomaeus Fiadoni) Lucensis, natus a. 1236, ordinem Fr. Praedicatorum ingressus a. 1272, historiam ecclesiasticam scripsit a Christo nato usque ad a. 1312. Ptolomaeus episcopus Torcellanus renuntiatus est a. 1319, sed quum nimia in nepotes suos indulgentia grassari illis in res episcopatus Torcellani permisisset, ac monita Dominici Gradensis patriarchae neglexisset, in Gradensi provinciali concilio sententiam excommunicationis incurrit. Ab eadem tamen postea solutus ecclesiam Torcellanam libere rexit. Obiit circa a. 1327.

tentum, elegerunt. Electionis autem ratio haec fuit. Quum Cardinales, commoti morte inopinata insignis viri ex familia Ursinorum, colloquerentur de rerum humanarum caducitate, et de necessitate providendi Ecclesiae Dei per Pontificis electionem, Latinus Cardinalis Ostiensis, vir pietate conspicuus, verba habuit de visione cujusdam viri sancti, qua Cardinalibus magna mala nuntiabantur. Tum Benedictus Cajetanus *subridens:* „Quid, inquit, haec forte una est ex visionibus Petri de Murrone?“ Affirmavit Latinus, atque tunc *inter se Cardinales plures de egregiis Petri virtutibus sermones contulerunt, et quaesierunt, num gerendo pontificatui idoneus esset.*[1] Omnium primus Latinus Cardinalis suffragium suum illi addixit, mox alii adjecerunt, distulerunt nonnulli, donec Petrus C. qui aegritudine laborabat consuleretur; eoque assentiente ipsi quoque caeteris se adjunxerunt. Tunc decretum electionis die 5° Julii confectum est, et missi sunt praesules plures ad Petrum, ut ipsi electionem factam significarent. — Facile patet, in hac electione Benedictum Cajetanum peculiarem influxum haud exercuisse. Imo non immerito conjicimus, eum cum aliquot aliis Cardinalibus, electioni tantum propterea adhaesisse, quod in ea medium a divina providentia oblatum videbat, ut concordi ratione Ecclesiae pastor constitueretur. Caeterum vero, quum Petrus de Murrone Carolo regi esset addictus, et Benedictus Cardinalis, perspicacis ingenii vir, merito timeret, ne rebus gerendis vir ille sanctus non esset valde idoneus, forte jam tunc metuit, ne res in detrimentum Ecclesiae cederet. Electio s. Coelestini V.

6. Petrus de Murrone, qui nomen sumpsit *Coelestinus V*, aetate jam erat valde provectus, ita ut saltem septuaginta duos, ex aliis octoginta fere annos haberet. Litteris quidem humanioribus fuerat imbutus, nec omni hominum ac rerum experientia destitutus; attamen tali gerendo muneri et oneri nullatenus par esse visus est. Facile id patebit, si gesta Coelestini breviter commemoraverimus. *Attenden-*

[1] Jacobus Card. Stefaneschi (a. 1296) in Praef. ad Vitam Coelestini. — Ap. Bolland. Acta SS. Maj. Vol. IV. p. 437.

dum, ait scriptor coaevus Ptolomeus Lucensis, *quod ipso creato simul cum decreto Cardinalium litteras eidem transmittunt, et suae Sanctitati significant, ut ad locum communem, ubi sua facta erat electio, dignaretur venire. Ille vero ad instantiam regis, venire recusabat: quinimo iisdem mandavit, ut ad ipsum veniant. His igitur peractis dominus* Coelestini V gesta. *Latinus graviter infirmatur, in quo totum pondus incumbebat super electione Coelestini. . . . Ex familiari devotione et confidentia bonitatis fuit motus ad suadendum de ipso, ut in summum assumeretur Pontificem. Aggravatus igitur aegritudine moritur Perusii. Sed redeundum est ad Coelestinum quia sibi persuaderi non potuit ut veniret Perusium, sed in Aquila aliquo tempore pedem fixit. . . . Interim Cardinales aliqui praecedunt ad Papam, aliqui subsequuntur versus Aquilam: ultimus tamen ad veniendum fuit dominus Benedictus Cajetani, et dubitabatur, quod non veniret, quia regem verbis offenderat in Perusio.*[1]) Aegre igitur accessit, eo vel magis quod jam evidens esset, Carolum in Coelestinum per magnum exercere influxum.

7. *Fecit dein Coelestinus,* ait Ptolomaeus Lucensis, *ad petitionem regis unam magnam ordinationem Cardinalium.* Duodecim videlicet creavit Cardinales, ex quibus septem erant Galli, et duo monachi eremitae Congregationis suae. Aegerrime autem tulerunt Cardinales, quod nullo modo hac in re consilia eorum petiit, sed rem usque ad vigiliam creationis celavit. Quodam vero die post coenam sine ritu solemni Cardinalem etiam creavit Joannem archiepiscopum Beneventanum ipsi valde gratum; unde tali Cardinalium contentio exorta est, ut archiepiscopus dignitate cedere coactus sit, qua postea ex antiquo ritu donatus est. — Monachis Cassinensibus et habitum cinericium et regulas suae Congregationis Coelestinus praescripsit; rigidioribus autem quibusdam Franciscanis permisit, ut a caeteris se separarent et peculiarem Congregationem sub nomine pauperum Eremitarum constituerent. — Assumpsit vero secretarios laicos, eo quod sacerdotibus saecularibus

[1]) H. E. L. XXIV. c. 28 sqq. — V. Raynald. ad a. 1294.

in Curia degentibus non fideret. *Sed quamvis*, sribit Ptolomaeus Lucensis, *Coelestinus faceret opera sancti viri, quia per statum pontificalem non recesserat a primo statu, sed eadem humilitas, eadem puritas perseveravit in ipso, licet modus vivendi esset immutatus propter dignitatem, decipiebatur tamen in suis officialibus, quantum ad gratias quae fiebant, quorum ipse notitiam habere non poterat, tum propter impotentiam senectutis, quia aetatis decrepitae, tum propter inexperientiam regiminis circa fraudes et hominum versutias,* Oneri impar. *in quibus curiae multum vigent; unde inveniebantur gratiae aliquando factae tribus, vel quatuor, vel pluribus personis, membrana etiam vacua, sed bullata.* Romam vero, etiam veniente auctumno, Coelestinus non profectus est, sed incitante rege Carolo curiam transtulit Neapolim. — Filio regis Ludovico archiepiscopatum Lugdunensem concessit. Ludovicus quidem admodum pius erat, ita ut postea inter sanctos relatus sit, sed nonnisi viginti annos habebat. Renovavit porro Coelestinus, quod vehementer exasperavit Cardinales, decretum severum, de Cardinalibus Sede vacante in conclavi detinendis, conditum a Gregorio X; imo, statuit, ut si mors Pontificis in ditione Caroli accideret ad eum secundum formam Constitutionis ejusdem ipsa coarctatio pertineret.[1]) Appropinquante autem tempore Adventus, cellam exstrui voluit in palatio, ubi sacris contemplationibus pristino more vacaret, regimine Ecclesiae interim tribus Cardinalibus relicto. Ab ultimo hoc consilio tamen destitit exsequendo, quum quidam Cardinales adverterent, inde scandala pro populo christiano posse exoriri.

8. Manifestum ex his est, Coelestinum rebus gerendis fuisse parum idoneum. Ipse quoque mox animadvertit, se tanto oneri gerendo imparem esse, qua de re pro tenera pietate sua non modicum turbatus est; simulque vehementissime doluit, quod multiplicibus curis distractus consuetis piis exercitiis vacare non posset. Unde de abdicando

---

[1]) Vide Raynald. t. XIV ad a. 1294 et Append. p. 634. — Damberger, T. XII p. 100. et Kritikh. p. 20.

pontificatu cogitare coepit. Doctissimorum virorum consilia ac nonnullorum praecipue Cardinalium, hac de re exploravit; inter alios autem etiam Benedictum Cajetanum, juris canonici peritissimum, consuluit. Varia quidem media adhibuerunt Carolus rex aliique, ut abdicationem Pontificis impedirent, et Cardinales ipsi, quum eorum sententiam Coelestinus petiisset, hortati sunt, ut conaretur in munere gerendo perseverare, dimissisque aliis cum fiducia eorum vellet consiliis uti. Re tamen multum agitata et ventilata augustissimum onus, sed ipsi intolerandum, Coelestinus V excutere decrevit. Constitutionem igitur edidit, qua definivit, Pontificem posse se abdicare pontificatu, et secundum hanc ipsam Constitutionem die 13° Decembris a. 1294 in Consistorio sponte pontificatum deposuit.

Abdicatio Coelestini V.

9. *Post hujusmodi cessionem die undecima, vigilia scilicet natalis Domini, quae labentis tunc millesimi ducentesimi nonagesimi quarti anni ultimo decurrebat die, Bonifatius VIII, tunc Benedictus Cajetanus nomine, Anagniae ortus, profundae juris utriusque scientiae, longique in illis exercitii, doctaeque experientiae, in Romanae Ecclesiae moribus veteranus, cardine etiam insignis, in summum Pontificem scrutinio accessioneque eligitur.*[1] Ornat illum simillimo elogio coaevus pariter scriptor Ptolomeus Lucensis,[2] qui addit: *Hoc totum Neapoli est factum, et praesente Rege.* Coelestinus autem, *electo Papa, illo videlicet quem pater sanctus praedixerat, statim ad illum introivit, et ejus pedes osculatus est.*[3] Quot annos habuerit eo tempore Bonifatius, historici accurate non referunt; colligunt vero auctores ex gestis muneribusque vitae anterioris ipsius, eum natum fuisse versus annum 1220, ita ut quum eligeretur jam senectutis esset valde provectae. Caeterum erat *nobilis secundum saeculum, vir utique prudens et liberalis et magni animi, zelator magnus et conservator jurium Ecclesiae.*[4]

Electio Bonifatii VIII.

---

[1]) Jacob. Stephaneschi, in praef. carminis De Vita Coelestini.
[2]) H. E. L. XXIV. c. 37.
[3]) Vita Coelest. ex ms. Vatic. apud Damb. T. XII. Kritikh. p. 24.
[4]) S. Antonin. H. E. tit. 20. c. 8. §. 1.

Pater Bonifatii fuit Luitfridus Cajetani, mater Emilia ex familia comitum Segniensium. Unde magnis illis Pontificibus Innocentio III, Gregorio IX, Alexandro IV, Bonifatius familiae necessitate junctus erat. In civitate Todi atque (ut videtur) Parisiis studia juris canonici erat prosecutus, canonicatus ac beneficia dein Anagniae, Lugduni et alibi acceperat; sub Innocentio IV fuit notarius pontificius et consistorii advocatus, Cardinalis Diaconus sub Martino IV, Presbyter vero Cardinalis sub Nicolao IV, qui et multa negotia difficilia ac legationes ipsi commisit.[1])

Accusationes expenduntur.

10. Postquam ea narravimus, quae Coelestini pontificatum, abdicationem et Bonifatii electionem spectant, opportunum erit commemorare accusationes quae in Bonifatium quoad haec congesta fuerunt. Ipsum videlicet dixerunt ingenti ambitione motum, inhiasse acquirendo pontificatui. Hinc eum instigasse Coelestinum ad abdicationem, adeoque viro sancto et simplici fraudibus et dolo persuasisse, non tantum communi hominum persuasione, sed supernis etiam significationibus ostendi, eum ad dimittendum pontificatum teneri, ne Ecclesia ob ejus imperitiam periclitaretur. Dein vero Bonifatium per favorem Caroli regis, imo simoniaca corruptione dignitatem summam acquisivisse. — Unde ejusmodi accusationes aliaeque etiam graviores originem habuerint inferius videbimus; modo ad eas rejiciendas haec advertere sufficit. Accusationes istae jam ex *simplici* quam proposuimus *gestorum narratione* refutantur. Ex eadem enim manifestum est, revera, testibus coaevis auctoribus, S. Coelestinum muneri summo gerendo haud fuisse idoneum, depositionem oneris ipsum vehementer desiderasse, gravissimasque ei fuisse rationes. Ab historicis autem fide dignis, testibus oculatis et auritis ac Coelestino addictissimis, quales fuerunt Jacobus de Stephaneschi et Ptolomeus Lucensis, facta ita narrantur, ut nulla in Bonifatium accusatio feratur, imo ut pateat, nullius fraudis eum argui posse.

---

[1]) Cfr. Tosti T. I. p. 29—78.

Bonifatii ante pontificatum influxus.

11. Ut vero clarius hoc perspiciatur, juvabit paulo accuratius ex relatione scriptorum illorum temporum colligere, quem *influxum* Bonifatius in ista negotia exercere potuerit. — Tempore quod praecessit electionem Coelestini, Bonifatius apparet potius a reliquis Cardinalibus segregatus, ita ut in electionis negotium magnum influxum non exerceret. Commemoratur videlicet pluries, ipsum Viterbii vel Anagnii solum fuisse. Perusii restitit Carolo regi, qui libertati Cardinalium minari videbatur,[1]) unde ejus indignationem incurrit. Electioni Petri de Murrone, de cujus visionibus *subridens* quaesierat, eum admodum favisse non censemus; etenim perspicax ingenii vir haud potuit non timere, ne magna rerum turbatio inde proveniret. Haud dubium, eum aegre tulisse, quod Coelestinus Perusium venire nollet, Cardinalesque Aquilam vocaret; ultimus omnium accessit, partim *quia regem offenderat in Perusio,*[2] partim forte ex animi moerore, quum res jam male pro cedere conspiceret. — In curia autem Coelestini permagnum eum acquisivisse influxum indicat Ptolomeus Lucensis scribens: *Venit tamen ultimo, et sic scivit sua deducer negotia, quod factus est quasi dominus curiae.*[3]) Ex alter parte tamen facta quae retulimus ostendunt, plura a Coelestino haud prudenter et provide facta fuisse, quae cert Bonifatius inhibuisset si potuisset; in Coelestinum proind potius regem et alios quosdam, praelatos, laicos, monacho Coelestinenses magnum exercuisse influxum, et eum ad vari constituenda movisse. Propterea tamen non assentiri veli iis qui existimant, Bonifatii influxum in curia Coelesti fere nullum fuisse. Colligi enim videtur ex factis, Coe lestinum, quamvis multum adhuc regis alteriusque facti nis desideriis cederet, tamen Bonifatium ob agnitam eju virtutem rerumque peritiam magni habuisse, imo etia regem, generatim religioni et Ecclesiae addictum, aliosqu

---

[1]) Fortasse jam tunc coarctationem quamdam Cardinalium sibi vi dicare studebat.

[2]) Ptol. Luc. l. c. L. 24. c. 30.

[3]) Ptol. Luc. Ibid.

studuisse hunc virum caeteris praestantem honorare, et ejus sibi conciliare benevolentiam. Videmus enim, ejus consobrinum Joannem Gaëtanum a Coelestino in Cardinalem evectum fuisse; nec est cur dubitemus, in variis rebus Bonifatium, doctissimum in jure canonico, Coelestino adstitisse et in quibusdam occasionibus, ne in pluribus improvide ageret, etiam impedivisse.[1])

12. Quod abdicationem spectat Coelestini, Villani quidem[2]) et Dantes Alighieri,[3]) Gibellini Bonifatio valde infensi, hunc accusant, quod ad eamdem Coelestinum stimulaverit, idemque Platina quoque in Vita Coelestini V asserit; sed si auctores aequiores scriptoresque rerum testes consulimus, id nequaquam apparet. Auctor anonymus Vitae s. Coelestini scribit, ipsum Coelestinum tempore Adventus in sua cellula coepisse *cogitare de onere quod portabat, et quomodo possit illud abjicere absque periculo et discrimine animae suae.* Ptolomaeus vero Lucensis refert, ab aliquot Cardinalibus, quum Neapolim pergeret, eum stimulatum fuisse. *Vadens illuc multum stimulatur ab aliquibus Cardinalibus, quod papatu cedat,* et inferius etiam (c. 33), *Dominum Benedictum cum aliquot Cardinalibus,* repetit Coelestino suasisse ut officio cedat. Jacobus Cardinalis de Stephaneschis inducit in suo poëmate *de renuntiatione Coelestini* Bonifatium dissuadentem Pontifici abdicationem; etiam Aegidius Columna O. P., discipulus s Thomae et episcopus Bituricensis (in libro *de renuntiat. Papae* c. 23) dicit: *Potest ex pluribus adhuc viventibus comprobari, dominum Bonifatium VIII . . . persuasisse Domino tunc Coelestino, quod non renuntiaret, quia sufficiebat Collegio, quod nomen suae Sanctitatis invocaretur super se. Et quia etiam pluribus audientibus hoc factum fuit, ideo in renuntiatione non fuerunt illae dolositates, nec illa machina-*

An moverit Coelest. ad abdicationem.

---

[1]) Inde a fine mensis Octobris Coelestinus Constitutiones ejusmodi, quae varia innovabant et imprudenter determinabant, amplius non edidisse invenitur. V. Damberger, T. XII.

[2]) Muratori S. R. I. T. XIII. p. 847. L. VIII. c. 6

[3]) Inferno, Canto XIX.

menta, nec illae fraudes, ut adversarii asserebant. — Ex his colligimus, Bonifatium certe non acriter apud Coelestinum institisse, ut pontificatu cederet, nec malis fraudibus usum esse. Profecto sanctum virum oneri portando non esse idoneum et ipse Bonifatius videbat; ex altera vero parte abdicationem insolitam novis difficultatibus occasionem praebere posse, eum non latebat. Quidquid vero existimatur fecisse, sive consulerit cum aliis Cardinalibus Coelestino renuntiationem, sive dissuaserit, nihil inveniri potest, in quibus honesti viri tramitem hac in re Bonifatius deseruisse dicatur. — Postea sane Coelestinum consuluisse Benedictum Cardinalem, an et qua ratione possit abdicare, tradunt historici; atque facile conceditur, hunc virum juris canonici peritissimum juvasse Pontificem, ut ea ratione abdicationem perficeret, qua saluti Ecclesiae provideret, ac pericula quantum fieri poterat, praeveniret.

Electio haud vitiata

13. Accusatio porro, qua Villani refert, Bonifatium promissionibus a Carolo rege obtinuisse, ut influxu ejus vota Cardinalium pro dignitate pontificia obtineret,[1] omni fundamento caret, et solidis argumentis refutatur. Carolus, secundum Ptolomaeum Lucensem, quantum potuit Coelestinum a renuntiatione amovere studuit, ac die 6° Decembris solemnis habita est ad Pontificem processio, cui etiam Ptolomaeus interfuit. *Unus,* scribit, *episcopus processionis praedictae a sancto Pontifice audientiam petit, loquens in persona regis et totius regni quantum ad clerum et populum, me praesente, supplicans humiliter eidem, vice et nomine omnium supra dictorum etc.*[2] Decem diebus post abdicationem Coelestini, Cardinales conclave ingressi, altera die elegerunt Bonifatium VIII. Id Ptolomaeus Neapoli praesens paucis verbis narrat; nullum vero de promissionibus Carolo factis vel de influxu regis in electionem verbum scribit. *Ad electionem,* scribit, *alterius procedunt praesente rege Carolo Neapoli, et in vigilia Nativitatis Dominicae in*

---

[1]) Villani, L. VIII. c. 6. ap. Muratori, t. XIII.
[2]) H. E. L. XXIV. c. 31.

Dominum Benedictum Gaëtani sua vota dirigunt et in summum Pontificem assumunt.[1]) Jacobus vero Card. clare indicat, Carolum ejusmodi electione spe frustratum fuisse et Deo miserante id factum esse; acerbis verbis dein merito sugillat regem, qui libertatem Ecclesiae coarctare voluerit.[2])

Haec sane scribere non potuisset, si Bonifatius ob pactum simoniacum per favorem Caroli Pontifex electus fuisset, vel si talis opinio apud homines cordatos exstitisset. — Imo ipsi Columnenses, postea adversarii infensissimi Bonifatii, quando libello edito validitatem electionis Bonifatii impugnaverunt, ne minimam quidem de simonia accusationem proferunt, sed invalidam fuisse Coelestini renuntiationem conclamant. Quodsi simoniae Bonifatium accusare potuissent, id certe egregium ipsis argumentum fuisset ad electionem impugnandam. Atque vel unice hoc silentium Cardinalium Columnensium peremptorie evincit, nullum simoniae vestigium in Bonifatii ad pontificatum accessu adfuisse.

14. Regi Carolo, quamvis Bonifatio reconciliatus esset, electionem tamen ejus parum gratam fuisse, ex dictis colligitur; noverat enim Bonifatium ut virum magnanimum, qui influxum principum haud admissurus esset. Si quaeritur, quomodo fieri potuerit, ut Cardinales illi qui in gratiam Caroli promoti erant vota sua in Bonifatium conferrent, praeter divinae providentiae dispositionem facile rationes conjici possunt, ex quibus id explicatur. Erant illi Cardinales viri integri et Ecclesiae devoti. Perspiciebant sane discrimina temporum et pericula, quae Ecclesiae im- Carolo haud grata.

---

1) Ibid c. 34.

2) „. . . . Caroli spes coepta precando
Defecit. miserante Deo. Sunt ista relatu
Digna, quod et patri necnon sibi praestita noscens
Munera ab Ecclesia, vultus avertit et ora.
Nec Matrem violare licet quin libera possit
Desponsare viro. Caveant quicunque sinistris
Fraudibus injectant oculos, ac ipsa potentum
Formidet subjecta manus: sic gloria praestat.“ De elect.
Bonif. L. I. c 2; Acta SS. T. IV. Maji p. 460.

minebant, nec ipsis gratum esse potuit, quod sub custodia Caroli regis in conclavi coarctati essent. Hinc conscientiae suae imprimis consuluerunt ac vota contulerunt in eum, qui manifeste inter caeteros eminebat et prae caeteris propter notam ejus in negotiis peritiam idoneus ad Ecclesiae gubernium videbatur. Tradunt etiam historici illius temporis, Coelestinum obsecrasse Cardinales per sacra omnia, ut sibi quantocius Pontificem subrogarent; ac non immerito conjicimus, ab eo Bonifatium quibusdam laudatum et commendatum fuisse.[1])

II.

De initiis Pontificatus Bonifatii VIII ac de origine dissidii inter ipsum et Philippum Pulchrum.

Animadvertenda.

15. Antequam Bonifatii gesta prosequamur, duo animadvertere juvabit: 1° Non id in quaestionem venit, utrum Bonifatius VIII fuerit Pontifex imperfectionum naevis carens, et sapientiae sanctitatisque singularis. Si quis enim existimat variis imperfectionibus, e. g. nimio animi ardori, eum fuisse obnoxium, et quaedam minus opportune disposuisse, hac de re non litigabimus. Sed arguitur Bonifatius *criminum gravium,* atque haec accusatio ex monumentis nuper editis hoc tempore iterum speciem quamdam accepisse videtur. Sub hoc igitur respectu vita Bonifatii examinanda est, ac videbimus, merito ejus memoriam ut probi ac honesti, imo insignis Pontificis, vindicari. Praeterea vero asseritur, Bonifatium magna cum violentia se immiscuisse rebus temporalibus principum ac principia plane falsa esse secutum. Quoad hoc apparebit, Bonifatii principia non alia fuisse, quam Gregorii VII, Alexandri III

[1]) Vide Raynald. a. 1294. — Praenuntiasse s. Coelestinum Bonifatio pontificatum, scribit Jacob. Stephanides Cardinalis, idque se ex ipsius Bonifatii aliorumque ore accepisse.

et Innocentii III, illamque accusationem pariter esse inanem. — Advertimus 2° non nobis propositum esse, ut omnia facta Bonifatii referamus et examinemus; sed ea discutientur, ob quae Pontifex ille invidiam multorum subiit; reliqua breviter, si opus fuerit, tangemus.

16. Bonifatius igitur, quamvis precibus urgeretur a Carolo rege, ut Neapoli consisteret, pontificii decoris esse arbitratus, Romae insignia dignitatis accipere, in Urbem, regibus Siciliae et Hungariae stipatus, profectus est. Singulari cum pompa ibidem fuit receptus et die 16° Januarii consecratus et coronatus. Magno cum animo dein et eximio vigore ad Ecclesiam gubernandam sese accinxit, atque Encyclicam praeclaram de sua electione emisit.[1] — Commemorandum vero hoc loco, quod paulo post, die 8° Aprilis a. 1295, Bonifatius edidit Constitutionem, qua plurima privilegia ac gratias olim a Coelestino concessa, nominatim ea quae Coelestinensibus aliisque religiosis concesserat, indulgentias etiam, et alia ab illo decreta revocavit, et irrita declaravit nisi renovarentur.[2] — Coelestinus post abdicationem desiderabat Sulmonam reverti, sed Bonifatius timebat, ne simplicitate ejus aliqui abusi, ei persuaderent, abdicationem ejus non esse validam, et sic schisma in Ecclesia producerent. Propterea Pontifex eum secum voluit ducere Romam. Jacobus Card.: *Humane cedentem*, scribit, *tractans eum secum ad Romanas vel Campaniae partes ducere tentabat, cavens sibi Ecclesiaeque, ne viro simplici aliquorum calliditate periculi aliquid suaderetur.* Sed Coelestinus jam in itinere, quum ad S. Germanum prope Montem Cassinum pervenisset, clam aufugit, seseque Sulmonam in cellam suam recepit. Magna cum laetitia a populo fuit ibi receptus. Bonifatius vero misit nuntios, qui iterum eum honorifice Romam deducerent. Sed Coelestinus, fuga denuo arrepta, primum in variis Apuliae locis substitit, quumque latitare non posset (ut fertur) mare trajicere statuit. In littore vero detentus, regis Caroli jussu

Bonifatius Romam pergit.

[1]) Apud Raynald. a. 1295. nn. 7 sqq.
[2]) Cfr. Tosti I. p. 79. -- Damberger T. XII. Krit. p. 26.

a patriarcha Hierosolymitano magna veneratione Romam deducitur. Innumerabilis ipsi occurrebat multitudo, atque *erant tum multi, qui viro Dei suadebant, ut se Papam faceret nominari dicentes, eum de jure non potuisse renuntiare papatui.*[1]) Consuluit dein Bonifatius Cardinales, qua ratione cum Coelestino agendum esset, et alii, eum posse libere dimitti, alii vero censuerunt, eum esse detinendum, ne Ecclesiae pax periclitaretur. Horum consilium secutus est Bonifatius. *Cellam* autem *optanti, in castro Fumonis firmo cellam, qualem verosimiliter sanctus ipsi designarat, ad formam ejus quam in Murrone habuerat, fieri jussit.*[2]) *Tentus igitur* (Coelestinus) *in custodia non quidem libera, honesta tamen, in castro ut dicunt Fumonis* post menses novem die 19° Maji a. 1296 *moritur.*[3]) Scriptores vero illius aetatis generatim mortem Coelestini V tribuunt vehementi febri qua correptus obierit. *Sic ab humoribus,* ait Jacobus Card. Stephaneschi, *ardens febris adest stimulatque senem, sacrisque potitum exhalare cogit piam ad sidera mentem.* Solemnissimo autem modo sancti viri exequiae habitae sunt tum Romae a Bonifatio, tum Ferentini in Ecclesia s. Antonii, ubi sacrum ejus corpus depositum est usque ad annum 1327. Eo videlicet anno translatum fuit Aquilam in ecclesiam S. Mariae in colle Madio.

Coelestinus V detentus obiit.

17. Ex his quae juxta coaevos historicos narravimus jam patet, Bonifatium inimicitiae vel crudelitatis in tractando Coelestino nullatenus jure accusari posse, et *in se* ejus agendi modum reprehensibilem nequaquam fuisse. Alia est quaestio, utrum *opportuna* fuerit ista agendi ratio, quae multis clamoribus foedissimisque accusationibus occasionem praebuit. Accusatus videlicet fuit Pontifex, quod crudelissime coarctaverit Coelestinum, ut mox eum enecaret. Imo rumor sparsus est, Bonifatium curasse, ut violenter occideretur; dormientis cranium clavo perforatum fuisse, et sic sanctum virum obiisse. Mox ille clavus repertus

---

[1]) Petr. de Alliaco, Vita Coelest. L. II. c. 16.
[2]) Ibidem. Ap. Tosti L. II. p. 109.
[3]) Ptol. Luc. H. E. L. XXIV.

adhuc sanguine aspersus, cranii foramini inventus est adaptatus, et conservatus ut reliquia; imo in ecclesia s. Mariae haec Coelestini mors pictura et inscriptione expressa fuit ejusque sepulchrum palmis ornatum.[1]) Jam ex illo tempore factum esse videtur, ut pessima de Bonifatio narrarentur, multisque ipse calumniis afficeretur. Hinc locus jam est exponendi, unde talis in Bonifatium linguarum persecutio provenerit.

18. Bonifatius igitur inde ab initio pontificatus sui turbam magnam habuit adversariorum, qui ipsi infestissimi erant. Tales fuerunt omnes illi, qui per abdicationem Coelestini, per electionem Bonifatii, et per revocationem Constitutionum Coelestini frustrati sunt in sua spe, et commodis variis privati. Ex his igitur fuerunt multi curiales, qui Coelestini simplicitate abutentes beneficia ecclesiastica acquisiverant et distribuerant, a Bonifatio vero repressi sunt. Dein aegerrime tulit abdicationem Coelestini Congregatio ipsius, quorum membra nominantur a Jacobo Card. Stephaneschi monachorum *non culta satis sed rustica turba:* hique monachi certe Bonifatio vehementer succen- **Adversarii Bonifatii.**

[1]) Vide Tosti T. I. p. 111. — Duram fuisse detentionem Coelestini etiam conqueritur Petrus Card. de Alliaco. Attamen, uti superius vidimus, ipse scribit, cellam factam fuisse, optante Coelestino, ad formam ejus quam Murrone habuerat. Haud mirum igitur est, si viri severi cella fuit valde incommoda, nec argui posset Bonifatius VIII, etiam si vera essent illa Petri de Alliaco: „Missus est ad castrum Fumonis et fortissimae turri inclusus; et adhibitis sex militibus et aliis triginta satellitibus ad ejus custodiam die noctuque ita tenebatur arctatus, ut nulli hominum ad eum patere posset accessus. Petiit autem, ut duo sibi darentur fratres, cum quibus divinum ageret officium; qui ei concessi illius carceris angustiam diu ferre non valentes, inde extrahebantur infirmi. Erat enim tanta turris arctatio, ut vir sanctus ubi habebat pedes, dum missam celebraret, ibi habebat pedes dum dormiendo quiesceret.“ L. II. c. 17. Sed Petrus de Alliaco vixit quinquaginta annis post Coelestinum, et valde acerbus est in Bonifatium, adeoque quaedam in his exaggerata esse, merito supponimus. Auctores coaevi scribunt, honestam fuisse custodiam, ipsumque Coelestinum *noluisse laxioribus quibus poterat uti.* Ita Jacob. Stephaneschi. Id plane convenit sancti viri rigori.

sebant, quod revocaret decreta Coelestini, extensionem regulae vel vestimenti ipsorum ad reliquos Benedictinos, et privilegia omnia concessa. Multitudo vero plebium in Coelestino nonnisi sanctitatem vitamque severam mirabantur, rationes autem illas graves abdicationis non intelligebant; dumque videbant sanctum senem non liberum esse sed detineri, facillime omnia pessima de Bonifatio admiserunt. Erant dein fratres quidam Minores rigidiores, qui permittente Coelestino peculiarem Congregationem pauperum Eremitarum efformarant; sed et haec Congregatio a Bonifatio dissoluta est. Alii tunc ex his ab Ecclesia
F. Jacoponus. defecerunt, et sectam constituerunt (Fraticelli); alii vero se iterum reliquis Franciscanis junxerunt, sed Bonifatium valde exosum habuere. Inter hos fuit celeberrimus Fr Jacoponus (Jacobus a Benedictis), ex dissoluto juris consulto rigidissimus Franciscanus, homo valde pius quidem sed animi ardentissimi et popularis poëta. Hic acerrimi conviciis suis prosecutus est Bonifatium, ejusque adversariis ita adhaesit, ut a Bonifatio excommunicatus sit e carcere detentus. Quemadmodum vero audacius ad Coelestinum scripserat carmen,[1]) quo eum terret et ipsi curia pericula exponit, sic etiam plura habemus ipsius ad Bonifatium carmina, praesertim satyrica, inter quae satyram celebrem et virulentam, in qua Bonifatium ut hominem valde perversum exhibet.[2]) — Non pauci igitur imprudenter et judicio temerario videntur Bonifatii varia fact male interpretantes, et falsa conjicientes, auctores fuisse rumorum pessimorum, qui dein ab aliis, uti fieri solet avide recepti sunt, ita ut paulatim ea crimina quae ill tempore accidere solebant, ei imponerentur. Pontife vero magnanimus ac fortissimi animi vir, magno cum vigore quae pro salute Ecclesiae ejusque juribus defendend utilia videbantur prosequebatur, quin auram populare sectaretur, et de hominum sermonibus sollicitus esset.

---

[1]) Apud Tosti V. I. p. 233.

[2]) Est illa satyra: O Papa Bonifatio, — Molto hai jocato mondo etc. V. Tosti I. p. 284. — Jacoponus creditur fuisse auctor s quentiae *Stabat mater*.

19. Bonifatius inde ab initio pontificatus sui plurimum adlaboravit varioque successu, ut pacem inter principes christianos restitueret. Quae in hoc negotio fecerit, paucis sufficiat indicare. Legatos misit ad Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges bello inter se divisos; cum hac legatione nihil effecisset, bellumque acrius gereretur, a. 1296 duobus regibus inducias suasit, et post biennium pacem inter eos constituit, cum ambo compromisissent in Pontificem, attamen quatenus hic erat persona privata, Benedictus Cajetanus juris utriusque peritissimus. Promulgavit tamen sententiam arbitrii solemniter ut Pontifex. — In Sicilia et Arragonia lites ita composuit, ut Jacobus rex omne jus in Siciliam cederet Carolo II, ipse vero regni Arragoniae, principatus Valentiae et comitatus Barcinonensis investituram acciperet a legato apostolico. Sed Siculi, uti diximus, Gallicam dominationem adversantes, Fridericum Jacobi fratrem regem salutarunt, bellumque recruduit. Haud dubium est, Bonifatium etiam inde, quod pro officio suo Caroli II regis jura defenderet, inter Siculos et alios Italos, qui dominationem extraneam exosam habebant, adversarios nactum fuisse. Tandem pax composita fuit ea lege, ut Fridericus Eleonoram Caroli II filiam uxorem duceret, et dotis profectitiae nomine retineret Siciliam, quae post ejus mortem ad Carolum hujusque haeredes rediret. — In Germania post mortem Rudolphi (a. 1291) electus fuit Adolphus comes Nassoviae, sed mox principibus invisus, a. 1298 in comitiis Moguntinis depositus est, et in locum ejus electus Albertus Rudolphi filius et Austriae dux, a quo Adolphus eodem anno victus et caesus est. Bonifatius vero Albertum initio agnoscere noluit, ac propter perjurii et laesae majestatis crimina eum increpavit; attamen quum Albertus se Ecclesiae ac s. Sedi devotum ostenderet, indulgentia prudenter usus ipsum agnovit, et emendatis electionis vitiis ei Romanum Imperium confirmavit.[1])

Negotia cum principibus.

---

[1]) V. Dissert. praecedentem et Wouters, Comp. T. II. p. 306.

20. Opportunum erit hoc loco etiam commemorare, Bonifatium mense Decembri primi anni pontificatus sui sex Cardinales creasse. Omnes erant viri magnorum meritorum; sed erant inter ipsos tres ex familia Pontificis, videlicet Jacobus et Franciscus Cajetani et Andreas ex comitibus Segniensibus. Quamvis hi purpura dignissimi essent, tamen valde probabile est, inde quoque occasionem sumpsisse adversarios Bonifatii, ut in Pontificem obloquerentur eo vel magis, quod etiam S. Coelestinus V jam consobrinum Bonifatii Joannem ad eamdem dignitatem evexerat. Jacoponus certe in satyra sua increpat Bonifatium ob inverecundam exaltationem familiae suae.[1])

Philippi P. tendentiae.

21. Sed jam loquamur de initiis *dissidii*, quod *Bonifatium inter et Philippum IV* Galliae regem mox exortum est. Causa fundamentalis litis inter regem istum et Pontificem fuit regis perversitas et malitia summa, quam sicuti per totam vitam suam in multis ostendit, ita etiam in talibus negotiis, quae interventum Romani Pontificis necessarium reddebant. Bonifatius scilicet se regi opposuit, ut jura Ecclesiae vindicaret; utrum vero hac in re modum excesserit, ex rerum expositione colligi poterit. — Philippus, uti ex historicis clare colligitur, homo erat perfidus, dolosus, injustus, hypocrita, effraenata dominandi libidine repletus, ita ut conculcatis Ecclesiae juribus, *absolutismum*, ut dicunt, arbitrarium in suo regno sibi vindicaret, exteriores vero regiones, ut Flandriam, dura tyrannide sibi subjiceret. In conatibus suis obviam habuit Bonifatium, qui pro charactere suo cum vigore ac firmitate ei restitit; indeque provenit conflictus Bonifatio valde arduus. Philippo postea cessit Clemens V; at nec ipsi gloriosum, nec Ecclesiae id fuit salutare.

22. Inde ab anno 1293 inter Eduardum I Angliae regem et Philippum Pulchrum exarserat bellum, quod facile evitari potuisset, quum Eduardus aequissimis conditionibus ad pacem se ostenderet promptum. Sed Phi-

---

[1]) Pare che la vergogna — Derieto ahi gittato, — L' alma et el corpo hai posto — Ad allevar tua casata — etc.

lippus regni dilatandi percupidus, opportunam nactus occasionem Vasconiam occupavit, et Eduardo reddere noluit; unde hic foedus contra Philippum iniit cum Guidone Flandriae comite et Adolpho Germaniae rege. Bonifatius, uti diximus, pacem conciliare studuit; sed jam ejusmodi conatus fortasse Philippo molestus fuit, quum inde impediretur Eduardo provinciam eripere.

23. Causa tamen immediata conflictus regis cum Pontifice fuit hujus Bulla *Clericis laicos*, quam edidit d. 25° Febr. a. 1296.[1]) Quum videlicet reges Angliae et Galliae ob gravissimos sumptos qui in bello profundendi erant, aliique principes (ardebat namque discordiis Occidens) in ecclesiasticos grassarentur, bona ecclesiarum diriperent, nova quotidie vectigalia ab ecclesiasticis personis exigerent, et arbitratu suo decimam vel vigesimam ecclesiasticorum redituum partem tributi nomine imperarent, his obviavit Bonifatius VIII per illam Constitutionem, quam consilio cum Cardinalibus habito condidit. — Notatu vero maxime dignum est, interventum Pontificis provocatum fuisse a viris ecclesiasticis Galliae a quibus ad Bonifatium data est epistola, qua vehementer de regis exactionibus conqueruntur. Eum comparant vel ipsi Pharaoni impio Aegyptiorum principi, et Sedis Apostolicae praesidium contra vexationes illas implorant. Epistola inscripta est: *Sanctissimo patri ac domino Bonifatio, Dei gratia summo Pontifici, abbates, abbatissae, conventus, canonici, presbyteri ac totus clerus regni Franciae pedum oscula beatorum, et feliciter sancti Petri naviculam in maris fluctibus gubernare.*[2]) Con- Bulla *Clericis laicos*.

---

[1]) Raynald. ad a. 1296 et Rohrbacher T. 19. l. 77 aliique editam scribunt Bullam d. 16° Augusti. In Corp. Juris can. invenitur sine temporis expressione. Sed 25um Febr. esse diem editionis, certo modo in cod. Moenofr. I. 328 invenit cl. Boehmer. Inde plura magis clarescunt. Cfr. Hefele Conc. Gesch. VI. §. 685.

[2]) V. Lettre du clergé français etc., tirée du manuscrit des Dunes; T. XXV des Mémoires de l'Académie royale des sciences, des lettres et des beaux-arts de Belgique. Ap Christophe T. I. Pièces justific. N. 3. Annus et dies quo data fuerit epistola non indicantur. Satis mirum est, episcopos Galliae in inscriptione epistolae non recenseri. Videtur id

Epistola cleri Galliae. querentes de principum actionibus, inter alia scribunt: *Principes onera sua fere imponunt ecclesiis universa, et tot angariis clericos affligunt, ut eis quod Jeremias deplorat competere videatur: „princeps provinciarum facta est sub tributo", sive quidem decimas seu alia quaelibet sibi attrahentes de bonis ecclesiarum, clericorum et pauperum Christi usibus deputatis, jurisdictionem etiam et auctoritatem eorum taliter evacuantes, ut eis videatur nihil potestatis super ecclesiis vel personis ecclesiasticis remansisse. . . . Quod eis per potestatem concessum est, in cleri injuriam ac in pauperum penuriam faciunt redundare, et cum multi consules principum, tam clerici quam alii, propriae prudentiae innitentes et humanam amittere gratiam formidantes eis recta loqui libere pertimescunt . . . Hinc est, quod Sanctitati vestrae de qua id quod sumus et erimus cognoscere volumus, supplicamus cum omni affectione qua possumus et desiderio puri cordis, ut huic morbo pestifero vestrae gratiae ac potestatis subsidia porrigatis, sine quibus status diu stare non poterit clericalis, qui nunc per mundum titubando graditur universum, cum nullus audeat pro defensione Ecclesiae voce libera hujus mundi potestatibus contraire, licet pastoribus recta timuisse dicere, nihil ad eas quam terga tacite praebuisse ac pugnam pro domo Israël in praelio Domini evitasse, quos Dominus increpat per Isaiam: Canes muti non valentes latrare. Vivat ac valeat Vestra Sanctitas reverenda, nobis et Christi pauperibus in praedictis aliquod remedium salubre, conferendo cum libet Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa, ut sub ala protectionis possimus, ut cupimus, respirare ac umbram sentiamus gratitudinis et quietis.* Eodem tempore etiam ex Anglia similes querelae contra Eduardum regem ad Sedem Apostolicam delatae sunt.

---

partim inde explicandum esse, quod a rege praesertim abbates. canonici aliique beneficiarii exactionibus premerentur, ac minus forte praesules: unde etiam directe illi ad Sedem Apostolicam recursum habuere. Videntur etiam episcopi, uti ex epistola colligitur, favore vel timore regis ignaviores ista in re fuisse, indeque factum esse, ut abbates cum parte aliqua cleri Gallici negotium illud susciperent.

24. Tunc igitur Bonifatius, ut clericos contra illas exactiones tueretur, Constitutionem *Clericis laicos* edidit. *Clericis laicos,* ita in hac Constitutione Pontifex, *infestos oppido tradit antiquitas: quod et praesentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt, quam sit eis in clericos ecclesiasticasve personas et bona interdicta potestas: ecclesiarum praelatis, ecclesiis, ecclesiasticisque personis regularibus et saecularibus imponunt onera gravia, ipsosque talliant, et eis collectas imponunt, ab ipsis suorum proventuum vel bonorum dimidiam, decimam seu vicesimam, vel quamvis aliam portionem aut quotam exigunt et extorquent, eosque moliuntur multifarie subjicere servituti suaeque submittere ditioni: et (quod dolentes referimus) nonnulli ecclesiarum praelati ecclesiasticaeque personae, trepidantes ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quaerentes, plus timentes majestatem temporalem offendere quam aeternam, talium abusibus non tam temerarie quam improvide acquiescunt, Sedis Apostolicae auctoritate seu licentia non obtenta. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate statuimus, quod quicumque praelati ecclesiasticaeque personae, religiosae vel saeculares, quorumcumque ordinum, conditionis aut status, collectas vel tallias, decimam, vicesimam seu centesimam suorum et ecclesiarum proventuum vel bonorum laicis solverint, vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem aut quotum ipsorum proventuum vel bonorum, aestimationis vel valoris ipsorum sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo, vel quaesito colore, absque auctoritate Sedis ejusdem: necnon imperatores, reges seu principes, duces, comites, vel barones, potestates, capitani, vel officiales . . . qui talia imposuerint, exegerint vel receperint, . . . necnon omnes qui scienter dederint in praedictis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.*[1]

Textus Constitutionis.

[1]) Apud Christophe, T. I. Notes Nr. 3.

Hac igitur Constitutione Bonifatius VIII prohibuit severe, sub poena excommunicationis, praelatis quidem, quominus *sine permissione* Sedis Apostolicae talia tributa imponi sinant ac solvant, laicis vero, quominus sine Sedis Apostolicae auctoritate haec imponant et exigant. Ecclesiae scilicet et ecclesiasticorum juribus ac privilegiis apprime providere voluit eo, quod tributorum impositionem et solutionem *sine auctoritate s. Sedis* fieri vetaret.

25. Eduardus Angliae rex initio quidem hac de re iratus fuit, sed quum episcopi, Constitutione ista nitentes, jura sua firmiter defenderent, mox animo mutatus veniam petiit, resque apte composuit. Etiam in Germania Bulla cum reverentia accepta est. — Sed vehementissime de

Philippi P. resistentia.

Constitutione Pontificis commotus fuit Philippus. Hic ut sibi pecunias corrogaret jam falsificatione monetae usus erat, eclesiasticos autem plus quam alii principes gravissimis tributis oppresserat.[1]) Modo igitur, quum Bonifatii Bulla se ad moderationem revocari intelligeret, homo cupidus et superbia tumidus, jura sua violari et *plenitudinem regiae potestatis suae* a Bonifatio coarctari conquestus est. Attamen, quum non minus callidus esset ac superbus, haud apertam luctam cum Bonifatio iniit, sed perfide aliam viam quaesivit, ut Pontificem vexaret, ac vindictam de ipso sumeret. Sub praetextu videlicet, Galliam opibus ad alias provincias ac saepius ad hostes deportatis exhauriri et ad inopiam redigi, legem tulit sub gravi poena, ne quis ex regno pecuniam, gemmas, alias res pretiosas et equos eveheret. Praeterea extraneis, quominus in Galliae regno degerent, interdixit. Hac ratione versutus rex implicite etiam impediebat, quominus pecunia pro auxilio terrae sanctae, ac pro aliis Sacrae Sedis necessitatibus et negotiis Romam transmitteretur, et quominus clerici Itali, quibus beneficia in Gallia collata erant, ibidem residerent, vel beneficiorum fructus reciperent. Laedebatur sane in his Ecclesia ac Sedes Romana; sed multo magis quam de-

---

[1]) V. Phillips, Kirchenrecht, B. III. §. 130; Boutaric l. c. L. X Ch. III. Impôts sur le Clergé

trimentis materialibus Bonifatius profecto commotus fuit ex contemptu et gravissima contumelia, qua ipse subdole isto decreto afficiebatur. Eo gravius id Bonifatio erat, quod regibus Galliae Pontifices magnam benevolentiam semper ostenderant, ac Philippum praecipue Bonifatius in lite cum Arragoniae rege componenda favore et influxu suo adjuverat. Studuit tamen Pontifex concordiam cum rege conservare.

26. Edidit igitur d. 25° Septembris a. 1296 bullam aliam *Ineffabilis*, quam per episcoporum Vivariensem regi transmisit. Eâdem 1°, uti officium ejus pastorale requirebat, gravibus quidem sed benevolis verbis admonet regem de iniquo isto decreto, ingratum ejus animum increpat, significat, ipsum, si decreto illo etiam clericos et bona Ecclesiae comprehendat, censuris subesse, et advertit, quum tot hostibus rex circumdetur, ipsi sane consultius esse, ut Ecclesiam habeat sibi propitiam, quam ut eam offendat. Dein 2° queritur, quod consiliarii regis prava interpretatione sensum Constitutionis pervertissent. Exponit igitur, se nihil novi eâdem constituisse, sed tantum vetera statuta novis poenis sanxisse; atque declarat, se *non absolute* cavisse, ne clerici pro regis regnive defensione vel necessitate subsidia praestarent, sed ne id fiat *sine Apostolicae Sedis consensu*, perpensis intolerabilibus exactionibus, quae ecclesiis et ecclesiasticis personis imponebantur. *Ubi*, inquit, *regni nempe gravis, quod absit, praedicti necessitas immineret, nedum ab ipsius praelatis et personis ecclesiasticis tibi vel ipsi Sedes eadem concederet et faceret subveniri, iterum etiam si exegisset casus, ad calices, cruces aliaque propria vasa sacra manus extenderet, priusquam tantum et tale regnum tam ipsi Sedi carum, imo carissimum et ab antiquo devotum, exponeret minoris curae defectui, quominus sub ea efficacis defensionis praesidia sortiretur.* Postremo cum indignatione rejicit malignam interpretationem quorumdam, ac si etiam ad ea tributa se extenderet prohibitio, ad quae ratione feudorum ecclesiastici tenebantur. *Sunt et alii*, scribit, *qui maligne surrepunt dicentes: Jam non poterunt praelati et personae ecclesiasticae regni tui*

Bulla *Ineffabilis*.

servire de feudis, vel subventiones facere, in quibus feudorum ratione tenentur: jam non poterunt unum sciphum, unum equum dare liberaliter regi suo. Non fertur ad tales et consimiles interpretationes subdolas dictae nostrae Constitutionis intentio: tam falsidicos interpretes non admittit, sicut haec plenius aliquibus tuis nuntiis et familiaribus vivae vocis oraculo saepius duximus exponenda.

Petitio Cleri Galliae.

27. Recruduit interea bellum inter Philippum et Eduardum ac Guidonem Flandrum, eaque occasione etiam Petrus Barbet archiepiscopus Biturigarum (Bourges) cum provinciae suffraganeis et abbatibus ad Bonifatium litteras dedit initio anni 1297, quibus exponit, quantopere in Gallia Constitutio *Clericis laicos* animos commoverit, ac petit, ut ipsis liceat regi in hoc bello subsidiis succurrere, utque Pontifex concordiam cum rege conservet, ne status Ecclesiae Gallicanae turbetur. Ad haec episcopi partim ex metu regis, partim ex nimio quodam patriae amore moti videntur. Cistercienses enim contra modum quo rex et episcopi agebant, protestationem emiserunt.[1]) Bonifatiu episcopo magnâ cum benignitate II. Kal. Febr. a. 129 respondit, subsidia larga *hac vice* danda permittit, simulqu iterum favorem, quo regem Galliae ejusque regnum prose quatur, multis significat. — Aliis litteris ad regem directi *Exiit nuper* et *Romana mater ecclesia,* dd. VII. Id. Febr eum monet, ne credat, quod Constitutio illa habeat *interpretationem sic strictam, sic rigidam, sic avaram, prout nonnullorum et specialiter de tuo consilio, interpretatur astutia, . . . se reducatur humane ad sanum et rationabilem intellectum.* Varios casus occurrentes dein benignissime explicat, doce illa Bulla non prohiberi, quominus pecunia ab ecclesi regi mutua detur vel dona ab ecclesiasticis amice invitat offerantur, et permittit, ut in casu necessitatis, quo *propt periculum in mora* s. Sedes adiri nequeat, etiam sine eju licentia subsidia regi conferantur. Simul tamen, quum hac ratione Pontifex regem mulciri studeret, ei minatu excommunicationem, si pecuniam pro bellis sacris Roma

[1]) Boutaric, La France sous Philippe-le-Bel, p. 97.

transferri impediat. — His igitur Philippus adactus fuit, ut edictum ab ipso latum suspenderet; atque sic pro tempore conflictus sopitus est. — Bonifatius vero animum in Galliam ejusque regem propensum etiam eo ostendit, quod illo anno 1297 die 11° Augusti solemniter peregit s. Ludovici regis canonizationem, quae jam per 24 annos praeparata erat. Sed nihilominus animus Philippi mansit exulceratus ac Pontifici infensus, ita ut mox dissidium renovaretur.

28. Restat, ut de Constitutione illa *Clericis laicos,* et de subsequentibus factis judicium feramus. Quod igitur *ad rei summam* attinet, ex dictis colligitur, agendi rationem, qua Bonifatius usus est, reprehendi non posse. Etenim 1° in illis temporum adjunctis, uti vidimus, gravissimae erant causae, cur Pontifex nova Constitutione Ecclesiae juribus, immunitati et libertati provideret. — 2° Bonifatius nihil novi prohibuit, sed omnino institit decretis antecedentium Pontificum et Conciliorum. Jam in Concilio Lateranensi III canone XIX quoad exactiones laicorum in ecclesias statuitur: *Sub anathematis districtione severius prohibemus, ne de caetero talia praesumant attentare, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem vel utilitatem inspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas communes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda. Si autem consules et alii de caetero id praesumpserint et commoniti desistere noluerint, tum ipsi tum eorum fautores excommunicationi se noverint subjacere.* Concilium Lateranense IV, can. XLIV similia statuit, et can. XLVI decernit, ab episcopis Apostolicam Sedem consulendam esse, antequam laicis in casu necessitatis subsidia ex bonis ecclesiasticis concedantur. His consonum est decretum Alexandri IV, quo anno 1260 iterum prohibuit, ne laica potestas hujusmodi onera ecclesiasticis viris imponeret.[1]) Proinde Bonifatius jure merito ad Philippum regem rescripsit: *Constitutio nostra* (Clericis laicis), *si ad rivalem sensum non trahatur postposito con-*

Expenditur Bulla *Clericis laicos.*

---

[1]) Sexti Decret. L. III. tit. 23. c. 1.

juge, id est, si bene perpenditur, statuit quod alias per san ctiones canonicas est statutum.

29. Hinc etiam auctores conspicui, uti Tosti,[1] e Phillips,[2]) Bullam istam ut plane aequam et justam vindi cant; severius tamen est judicium, quod de eadem tuli Ill. Hefele,[3]) ex quo colligimus ea, quae contra eam animad verti posse videntur. — Advertit igitur Hefele, ipsum ini tium Constitutionis: *Clericis laicos infestos oppido trad antiquitas, quod et praesentium experimenta temporum ma nifeste declarant,* praepostera quadam animi acerbitate imprudenter conscriptum esse, quum eodem universi laicis omnium temporum infestus contra clericos animus lucta objiciatur. — Quemadmodum igitur haec verba pra cipitantiae et iracundiae prae se ferunt indicia, ita et i ipsa Constitutione plura sunt his plane similia. Prudent Pontificis desideratur in eo, quod bona feudalia ecclesi sticorum, tributis sane obnoxia, non distinguit diserte reliquis bonis, quibus immunitas competebat. Hinc exc tae sunt adversariorum malignae interpretationes. — De Bonifatius etiam nimiae cujusdam severitatis argui pote Praedecessores enim ejus in suis prohibitionibus haud co memorant *dona gratuita,* quae Bonifatii Constitutione v tantur; Innocentius III consultationem tantum s. Se ecclesiasticis imposuerat, ut principibus subsidia concede possent, Bonifatius vero expressam licentiam vult pe ipse ecclesiasticis quoque, qui sine hac licentia subsid dant, gravissimas minatur poenas, quod antecessores ha fecerunt. Horum porro decreta directe contra princip ministros tributa exigentes lata erant, mentio impe torum ac regum in ipsis non fiebat, atque ita conflic cum eis evitabantur; Bonifatius vero expresse imp ipsos quoque imperatores et reges. — Praepostere et imp denter plura in Constitutione *Clericis laicos* dicta es inde postremo colligitur, quod Bonifatius mox ex

Animadversiones in Bullam.

---

[1]) L. III.
[2]) Kirchenrecht. B. III. § 130.
[3]) Conciliengeschichte, B. VI. § 685.

catione et interpretatione quae statuerat mitigare coactus est.

30. Istae animadversiones Ill. auctoris certe vim quamdam habent; severius tamen nobis videtur hoc de Constitutione Bonifatii judicium. Pertinet haec ad ea documenta de quibus, etiam salvis principiis, alius aliter judicabit, ac non desunt graves rationes quae observationibus illis opponi possunt. — Querela ista *laici clericis oppido sunt infesti,* occurrit, uti etiam Hefele ipse advertit, jam in synodo Ruffensi a. 1258, in synodo Nannetensi ejusdem anni, et in synodo Nannetensi anni 1264.[1]) Bonifatii autem verba habenda sunt ut adagium quoddam, quod ex indole sua non in sensu universali et absoluto, sed in sensu accomodo accipiendum, neque nimis urgendum est. — In prohibitione Bonifatii non comprehendi tributa de bonis feudalibus ecclesiasticorum, per se patebat, et si cui dubium erat, a juris peritis facile explanari poterat. Ut vero Constitutio pontificia etiam malevolis et perversis lectoribus nullam praebeat occasionem cavillationis et injustae querelae, id sane exigi nequit. — Quodsi dein Pontifex in quibusdam severius agere videtur quam ipsius praedecessores, ratio erat, quia decreta jam lata variis modis videbat eludi. Providere voluit ipsi ecclesiasticorum immunitati Bonifatius, dum iis sub gravibus poenis prohibet, ne laicis sine Sedis Apostolicae licentia subsidia concedant; sic enim laicos urgentes facilius repellere poterant. Ex eadem ratione etiam interdicit portionem proventuum sub *subsidii donive* nomine, vel quovis alio quaesito colore sine auctoritate Sedis Apostolicae concedi; principes videlicet, quum tributa imponere non possent, *cogebant* clericos, ut sub titulo *doni* vel alio modo subsidia

Discuntuntur.

[1]) Cfr. Hefele, Conciliengesch. B. VI. §§ 673, 674. — Ita etiam synodus in castro Gonterii, praeside Vincentio archiep. Turonensi, incipit his verbis: *Quia clericis laici oppido sunt infesti.* — In synodo Turonensi a. 1282 habita can. 11° excommunicantur laici, qui prohibent, ne dominus ipsorum subditi cum clericis communicent in victu et commercio.

ferrent. Pariter necessarium duxit Pontifex expresse reg bus quoque minari poenas ecclesiasticas, quum experienti edoctus videret, vexationum alioquin haud fore finem. E his igitur motivis ea quae Bonifatius statuit vindica possunt. — Recolendum etiam est, Romanos Pontifices semper ostendisse paratissimos, ut principibus in suis n cessitatibus subvenirent; sed officii ipsorum fuisse, ut in pedirent, quominus bona ecclesiastica ad bella injus gerenda dissiparentur. Quodsi Bonifatius relate ad Ga liam in sua spe frustratus et ad concessiones quasdam f ciendas deductus est, id ei vitio verti nequit. Ipse Ph lippi summam perversitatem nondum plane cognosceba neque exspectaverat, fore ut episcopi quoque Galli regi potius quam Sedi Apostolicae adhaererent. Qua igitur etiam praesules in rerum adjunctis, uti existimaba difficillimis, ut remissius Pontifex ageret peterent, prude tiae esse hic existimavit, ut benigna interpretatione, sal rei substantia, quaedam ex iis quae statuerat mitigaret, animos Gallorum, qui de Ecclesia optime meriti era sed de sua ac de patriae independentia et honore nin anxii et solliciti, verbis et factis leniret.

III.

De dissidio cum Columnensibus, de Jubilae aliisque Bonifatii gestis.

Columnensium familia.

31. Ut de Bonifatii VIII causa aequum ferre po mus judicium, jam alii eventus praecipui ejus pontifica nobis sunt considerandi. Atque imprimis agamus de gotio gravissimo quod Bonifatius cum Columnensibus buit, eo vel magis, quia etiam inde adversarii Pontifi occasionem sumpserunt, ut variis eum peterent accusa nibus. Erat igitur Columnensium familia inter Roma potentissima, duosque hoc tempore habebat Cardina Jacobum et Petrum ejus nepotem. Initio quidem

lumnenses sese ostenderunt addictos Pontifici; sed mox grave exortum est dissidium. Causa autem haec fuit: 1° Matthaeus, Otto et Landulphus de Columna apud Bonifatium Papam conquesti sunt, quod a fratre suo Jacobo Cardinali juribus terrisque familiae fuissent orbati, illiusque, ut ea sibi restituerentur, auctoritatem interpellarunt. Bonifatius VIII illorum interpellationem suscepit, et causae eorum patrocinatus est. Hoc aegerrime ferens Jacobus Cardinalis Pontifici adversari coepit, et nepotem suum Petrum pariter Cardinalem aliosque in suas partes attraxit.

Origo dissidii.

2° Praeterea Cardinales Columnenses, Jacobus et Petrus, multum addicti erant principibus Arragoniae, unde eousque progressi sunt, ut cum Jacobo II et dein cum Friderico, qui dominationem in Siciliam Ecclesiae feudum usurpaverat, amicitiam colerent, eorumque perversos conatus promovere studerent. Paratos se ostenderunt, ut Fridericum juvarent ad loca quaedam munita ditionis Pontificiae occupanda.[1])

32. Bonifatius igitur quum admonitionibus haud proficeret, ac de Columnensium, vasallorum suorum, fidelitate merito dubitaret, quo securitati propriae provideret, petiit, ut a suis militibus illorum castella Praeneste, Columna et Zagarolum custodirentur. Id in similibus casibus summi domini, ad impediendas vasallorum rebelliones passim faciebant. — Sed Cardinales Columnenses nec familiae suae jura ac terras, nec Pontificis militiae castella tradere voluerunt; curiam Romanam reliquere, rumoremque sparserunt, electionem Bonifatii legitimam haud fuisse. Quapropter a Pontifice ad rationem reddendam in diem 4um Maji a. 1297 citati sunt. Sed die 10° Maji libellum ad Bonifatium et Cardinales dederunt, quo Pontificem multis calumniis prosecuti, variis rationibus probare nisi sunt, ipsum non esse legitimum Pontificem. Contenderunt videlicet, Coelestinum V haud potuisse se abdicare pontificatu, nec ei proinde Bonifatium subrogari; et provocarunt ad Concilium generale. Hunc libellum Columnenses valvis basi-

[1]) Cfr. Wiseman, Défense de divers points etc. l. c.

licarum affixerunt, imo et in altari s. Petri deposuerunt, Lucta contra Pontificem. atque ad Universitatem Parisiensem transmiserunt. Bonifatius eodem die, (antequam tamen libellus iste ad ejus notitiam pervenisset,) edidit Bullam *In excelso throno,* qua Columnensium facinora aperit, Cardinales illos dignitate privat aliisque afficit poenis. Dein vero die 23° Maji nova edita Constitutione *Lapis abcissus* poenas jam latas contra Petrum et Jacobum Cardd. confirmavit, illos, necnon Agapitum, Stephanum et Sciarram de Columna, ceu schismaticos damnavit, eorum bona fisco addixit, et civitates, castra et loca in quibus publice agerent interdixit sacris.[1])

33. Columnenses se receperunt in arcem Praenestinam, copias collegerunt, suppetias a Philippo Galliae et Friderico Siciliae regibus petierunt, et ad omnes reges, principes et metropolitas dederunt novum libellum *(Intendite)* modo deperditum, quo Bonifatium ut haereticum, schismaticum, Ecclesiae devastatorem depingebant, et Concilii generalis convocationem petebant. Bonifatius, quum Romae se tutum non videret, in castellum Urbevetanum secessit, bellumque sacrum contra Columnenses indixit, atque ex variis Italiae civitatibus copias habuit auxiliares. Mox Columnensium arces ad deditionem adactae sunt, et civitas Praeneste obsessione cincta est. Mense Septembri a. 1298 Cardinales Columnenses etiam hanc arcem Pontifici tradiderunt ipsique ejus clementiam invocaverunt. Bonifatius eos censuris solvit, ex parte indulgentiam eis concessit, pristinae tamen dignitati ipsos haud restituit. Civitatem Praenestinam autem severe puniendam esse censuit. Eam videlicet a. 1299 e fundamentis destruxit, novamque civitatem juxta eam condi curavit, quae Papalis appellaretur et in quam episcopatus et cives transferrentur. Dein vero hisce benigne jura sua et libertates maxima parte restituit. — Columnenses brevi post submissionem suam iterum rebellarunt

---

[1]) Cfr Raynald. ad a 1297 et Appendicem ad t. XV. — Hefele B. VI. § 686. — Tosti, V. I. pp. 198—210. Ap. Raynald. et Tosti Bulla *In excelso throno* incipit *Praeteritorum temporum;* sed id inde provenit, quod initium illius documenti ibidem deest.

Sed mox rebellio repressa est et bona illis adempta sunt; ipsi vero Columnenses in varias regiones aufugerunt, nonnulli ad Philippum Galliae regem, a quo amice recepti sunt.

34. Ex dictis manifestum est, non Pontificem sed Columnenses huic dissidio et bello causam dedisse, et Bonifatium, qua Pontificem et qua principem temporalem, merito usum fuisse censuris et armis ad illos schismaticos et in principem suum rebelles in ordinem redigendos. Nihilominus etiam propter haec negotia gravissimae in Bonifatium sparsae et conscriptae sunt accusationes. Dantes poëta,[1]) Ferretus Vicentinus et Franciscus Pipinus[2]) narrant, Bonifatium quum Praenestem armis expugnare non posset, accersivisse Guidonem a Montefeltro quondam ducem militum astutissimum, tunc Franciscanum, et consilium ab eo petiisse. Hunc ei suasisse, ut dolosis promissionibus cives deciperet; pro hoc autem consilio perverso absolutionem a Bonifatio statim petiisse et obtinuisse. Dein vero a Bonifatio, contra fidem Columnensibus et Praenestinis in pactis datam, civitatem, quum reddita esset, fuisse vastatam et destructam. — Hanc narrationem, quamvis saepe repetitam, meram esse fabellam auctores modo jam consentiunt; et inter alios Tosti l. c. id solidis argumentis probavit. Imprimis Guido eo tempore quo Praeneste in manus Bonifatii pervenit, Assisii vita functus est (mense Septembri a. 1298), adeoque jam per se non est probabile, ipsum, Franciscanum morti proximum, magnas partes in illo bello finiendo habuisse. Scriptores dein coaevi historici hac de re nihil referunt. Praeterea vero ex ipsis factis colligitur, haud pactis initis, sed *ad discretionem* Pontificis Cardinales Columnenses se atque castellum Praenestinum Bonifatio tradidisse. Quum postea Columnenses id negarent et Bonifatium accusarent, quod praeter fidem datam, civitatem destruxisset, coram Clemente V a. 1305 Franciscus Card. Gaëtani, ut Bonifatii memoriam vindicaret, solida argumentatione ejusmodi calumnias confutavit, et Accusationes falsae.

[1]) Inferno, cant. XXVII.
[2]) V. Tosti, V. II. Documenti B.

clementiae ac misericordiae Bonifatii illos se commisisse probavit. — Quodsi quaeritur, unde Dantes aliique illi scriptores fabulas suas collegerint, responsio haud est dif- ficilis. Fortasse aliquod consilium Bonifatius a Guidone petierat, quumque postea destructio civitatis Praenestinae multis esset odiosa, Columnensesque rebellantes calumnia- rentur Bonifatium de injusto agendi modo fideque pacto- rum laesa, rumores et narrationes populares Pontifici de- trahentes inde exorta sunt. Dantes vero ob causas poli- ticas, (uti inferius explicabimus), Bonifatio valde infensus ardenti imaginatione poësim suam composuit, ipsumqu multi alii scriptores secuti sunt.[1])

35. Commemorandum pariter hoc loco, etiam Fran ciscanos illos zelotes, ac speciatim Jacoponum, in rebellion Columnensium implicatos fuisse; Bonifatio enim adver santes, rebellibus istis favebant. Jacoponus hoc tempor a Bonifatio carceri mandatus fuit; ab ipso autem et alii tunc acerbae querelae et accussationes in Pontificem di rectae fuere, et quum caeteroquin viri illi rigidi essent a magna in aestimatione, mirum non est, multitudinem e quae a talibus viris inconsiderate dicebantur, avide acc pisse. An vero Bonifatius quoad destructionem civitati illius nimis severe egerit, dirimere non est necessarium certe justitiam non violavit, nimii tamen rigoris a quibu dam auctoribus arguitur.

36. Inter celebriora Bonifatii gesta certo recensendu

Jubilaeum a. 1300.

est, quod anno 1300 *Jubilaei* gratiam, seu plenissima omnium peccatorum et poenarum veniam concesserit omn bus, qui poenitentes et confessi Romae basilicas Apost lorum devote visitarent, Romani saltem triginta, peregri aut forenses quindecim diebus. Decrevit praeterea, si gulo anno centesimo jubilaeum in Urbe celebrandu Bulla qua jubilaeum concessit his incipit verbis: *Ant quorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honor bilem basilicam principis Apostolorum de urbe concessae su remissiones et indulgentiae peccatorum.* Ex his verbis alii que coaevorum narrationibus conjicitur, jubilaeum a Bon

[1]) Cfr. Tosti, l. c.

fatio VIII non tam institutum, quam restitutum fuisse; res tamen in ancipiti manet. Quum autem plurimi propter humanae vitae brevitatem jubilaeo anni centesimi frustrarentur, postea Clemens VI jubilaeum saeculare ad unumquemque annum quinquagesimum, Urbanus VI ad trigesimum tertium, Paulus II ad vigesimum quintum extenderunt.

37. Necessarium non est hoc loco ostendere, Bonifatium jubilaei institutione optime de Ecclesia meruisse, uberrimosque inde dimanasse omni tempore fructus. Quanta vero multitudine ac pietate fideles ex dissitis quoque regionibus Romam accurrerint, referunt illius temporis auctores, ut Paulinus Petri, et Gulielmus Ventura, Estensis chronographus.[1]) Opportunum vero erit hic Venturae narrationem referre, eo vel magis, quod de oblationibus fidelium quaedam habet odiosa, quae tamen ex alio auctore optime explicantur. „Notum facio, scribit, omnibus fidelibus christianis, quod de anno millesimo trecentesimo ab Oriente et Occidente tam viri quam mulieres ex omni genere christiano, innumerabili quantitate veloces Romam pergentes dixerunt Bonifatio: Da nobis benedictionem tuam antequam moriamur. Audivimus enim ab antiquis, quod quisquis Christianus omni anno centesimo visitaverit corpora beatorum apostolorum Petri et Pauli, liber sit tam a culpa quam a poena. . . . Mirandum est, quot passim ibant viri et mulieres, qui anno illo Romae fuerunt, quia ego ibi fui et per dies XV steti. De pane, vino, carnibus, piscibus, et avena bonum mercatum ibi erat; foenum carissimum ibi fuit; hospitia carissima, taliter quod lectus meus et equi mei super foeno et avena constabat mihi tornesium unum grossum. Exiens de Roma in vigilia Nativitatis Christi, vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat; et fama erat inter Romanos, quod ibi fuerant plus quam viginti centum millia virorum et mulierum. Pluries ego vidi ibi tam viros quam mulieres conculcatos sub pedibus aliorum; et etiam egomet in eodem periculo

Confluxus in Urbem.

---

[1]) Cfr. Tosti, T. II. Documenti, Nota E.

plures vices evasi. Papa inumerabilem pecuniam ab iisdem recepit, quia die ac nocte duo clerici stabant ad altare s. Pauli tenentes in eorum manibus rastellos rastellantes pecuniam infinitam." Cum quadam malitia (ut videtur) dein concludit: „Unde sciant Christiani venturi, quod praedictus Bonifatius et ejus Cardinales in aeternum praedictam Indulgentiam omni anno centisimo venturo firmaverunt et decretam fecerunt."[1]) Haec tamen quae de collectis thesauris ingentibus chronista refert exaggerata plane sunt: caeterum vero oblationes istae profecto non exiguae in basilicarum utilitatem a Pontifice utiliter et pie expensae. Colligimus videlicet ex Cardinale Jacobo de Stephaniscis, oblationes in altaribus ss. Petri et Pauli, quum aliis annis essent 30504 florenorum, centesimo illo anno fuisse 80000 florenorum, (vel secundum aliam ejus verborum interpretationem 50000 fl.). Notat vero, haec oblata fuisse a multitudine *minutis monetis*, unde explicatur facile, quod Ventura de clericis rastellantibus pecuniam refert; et in subsidia basilicarum istam pecuniam expensam esse commemorat. *Non*, inquit, *ex magnis auri vel argenti donis, sed ex usualis monetae provinciae cujusque minutiis, licet non omnium oblationes, pressura vel paupertate praepediente, injectae sint. Devote oblata devote dispensantur, castris casalibus, praediis ex ea pecunia ipso summo Pontifice jubente ad jus et proprietatem basilicarum comparandis, ac deinde ex ipsorum reditibus divinis Apostolorumque augendis cultibus officiisque.*[2]) Ex his convelluntur chronistae verba maligna. Sed vides, quam injuste interdum accusationes in Pontifices ferantur; ac si avaritiae accusatus fuit Bonifatius, non est cur ejusmodi conviciis vel minimam fidem habeamus.[3])

Pecunia pro operibus piis.

38. Bonifatii VIII jam superius (n. 18) breviter innuimus alia gesta. Sed restant ea commemoranda, quae

---

[1]) Apud Muratori, Scriptores rer. ital. t. XI. — V. Tosti, l. c.

[2]) Ap. Tosti, l. c.

[3]) Jacoponus in sua satyra avaritiam Bonifatii arguit acerbis illis verbis: „O pessima avaritia — Sete induplicata — Bevere tanta pecunia — Non essere satiata."

fecit Pontifex ad res Florentinorum componendas optima quidem intentione, sed successu nequaquam felici. Non solum enim discordias civium Florentiae sedare haud potuit, sed quamplurimos Italos sibi reddidit infestissimos, iramque in se provocavit Dantis poëtae, qui memoriam Bonifatii pluries in sua *Divina Commedia* diris devovet. Erat Florentia eo tempore duplici factione divisa, Nigrorum atque Alborum; ultimi mox Gibellinorum tendentias (uti eas superius exposuimus) sunt secuti, alteri Guelforum principiis se addictos profitebantur. Ex turbis Florentiae exortis, Etruriae, imo totius Italiae pax in discrimen venit, unde merito Bonifatius pacem restituere conatus est. Initio anni 1300 misit Florentiam Cardinalem Matthaeum Aquispartanum qui multa fecit ad factiones conciliandas; sed quum nihil proficeret, civitatem interdicto punitam reliquit. Tunc aliud consilium iniit Bonifatius. Cum videlicet magis magisque pax turbaretur et emergerent in dies novi tyranni, qui ditionem pontificiam discerpebant, ad eos comprimendos et in officio populos continendos praepotentis alicujus ducis operam sibi necessariam duxit. In eam rem elegit Carolum Valesium Philippi regis Galliae fratrem, virumque qui ipse ingentia consilia animo volvebat, ut in Italiam veniret invitavit. Sperabat Pontifex, ope ipsius posse pacem restitui, Ecclesiae territoria defendi, Siciliam recuperari, bellum sacrum promoveri, Imperium Constantinopolitanum restitui. Venit igitur Carolus modico cum exercitu in Italiam, atque a Bonifatio Anagniae honorifice exceptus est. Creavit illum imprimis copiarum pontificiarum ducem, ut non modo perduelles Ecclesiae in ecclesiastico principatu debellaret, verum eos qui ipsius Ecclesiae fidissimos oppugnarent everteret. Auxit etiam Carolum ex sacri Senatus consilio in ea Etruriae parte quae Imperio obnoxia erat, *Paciarii* jam ante a Clemente IV instituta dignitate, ut eam provinciam Alborum et Nigrorum, qui Gibellinis et Guelfis permixti erant, factionibus laceratam pacaret.

Florentiae respublica.

39. Carolus igitur qua Paciarius anno 1301 Florentiae versatus est, sed spem Bonifatii omnino fefellit. Omnia

enim fecit arbitrarie, imprudenter, violenter, ita ut concordiam non restauraret, sed dominationem factionis Nigrorum unice promoveret. Hi igitur Albos seu Gibellinos vehementissime vexaverunt, ac postremo sexcentos nobiles Florentinos ex civitate ejecerunt. Isti in varias Italiae regiones dispersi, lamentationibus et clamoribus suis omnia repleverunt, maxime vero Bonifatium ut malorum auctorem dilacerarunt. Eminebat inter exules illos dignitate et ingenio Dantes Alighieri. Jam antea caput fuerat legationis Alborum ad Bonifatium missae, tunc vero cum caeteris ejectus, exsul a patria per totam vitam suam variis in civitatibus degere coactus est. Facile vides, unde factum sit, ut tanta iracundia Dantes Bonifatium prosequatur. Omnia quae per falsos rumores de ipso spargebantur vir iratus libenter accepit, cum simoniacis illum in Inferno collocavit, nullamque dimittit occasionem ad gesta ejus damnanda. Ista igitur multum contribuerunt, ut calumniae et convicia injusta in Pontificem plurimorum animis inhaererent. — Sed jam veniamus ad ultimum conflictum, quem cum Philippo Pulchro Bonifatius iterum habuit.

IV.

De conflictu cum Philippo vehementius renovato

Dissidium recrudescit. 40. Inde ab anno 1301 dissidium inter Philippum Pulchrum et Bonifatium aliquantisper sopitum iterum vehementius exarsit. Maximi fuit iste conflictus momenti multarumque querelarum in Bonifatium occasio; unde ejus factorum seriem convenit accuratius recensere, et documenta hac in lite edita penitius examinare, ut quid de Bonifatio quid de Galliae rege judicandum sit, plenius perspiciatur. — Omnes auctores coaevi conveniunt, Philippum regem post priora quae habuit cum Bonifatio negotia, ejus postulationibus atque consiliis minime morem gessisse, sed majori etiam audacia Ecclesiae jura et libertatem violasse et vi

lari permisisse. Regalium praetextu ecclesiastica bona occupabat, beneficia et episcopatus pro libito suo conferebat, episcopos Pontifici deditos deponebat, decimas ad bellum sacrum destinatas ad alios convertebat usus. Singula hic referre non vacat.[1]) Quanta autem arrogantia Philippus rex invaderet bona et jura Ecclesiae, novimus non e solis Bonifatii epistolis, sed etiam e testimoniis scriptorum illius aetatis. Vicerius in *Vita imperatoris Henrici VII* scribit: *Ad hoc Philippus, ne quid impotentiae praetermitteret, sacerdotales Galliarum titulos a Pontificibus antea pro decretis et pro more sanctae matris Ecclesiae componi solitos, ipse ordinare citra consensum Praesidis Romani statuit. Quae ubi summus Antistes intellexit, gravissime tulit injuriam, pessimi exempli id quod erat existimans, si vel antecessorum recte instituta temere rescinderentur, vel auctoritatem pontificiam laicus profanaret.* Mutius vero in *Chronico Germaniae: Rex,* scribit, *ubi intellexit Pontificis animum a se alienatum, qua erat parrhesia vel ut vocant arrogantia, jus ecclesiasticum quod Papae erat sibi vindicabat; sacerdotia et episcopatus conferebat quibus placuit; quos praelatos cognoverat Pontifici patrocinari, deposuit, eorum praelaturas aliis conferens; diripuit etiam opulentiores episcopatus.*[2])

41. Bonifatius in his rerum adjunctis ad Philippum legavit Bernardum episcopum Apamiensem (Pamiers), qui eum ad parandam expeditionem cruciatam, sicut promiserat, hortaretur, eique prohiberet, ne decimas ad illam concessas in alios converteret usus, ne reditus ecclesiarum vacantium occuparet earumque beneficia conferret sine Apostolicae Sedis consensu, neve Ecclesiae libertatem violaret. Bernardum, virum integerrimum, apostolica cum libertate et constantia legatione sua functum esse haud dubium est; eum vero arrogantia et minis regem vexasse, uti auctores Gallicani scripserunt, nullo argumento pro- Legatio Episcopi Apamiensis.

---

[1]) Cfr. Boutaric, la France sous Philippe-le-Bel, Paris 1861, p. 69.
[2]) Cfr. S. Anton. Chron. p. III. tit. 20. c. 8. et Raynald. ad a. 1298—1302. — Tosti, V. II. L. V. p. 120 sqq.

batur. Rex tamen episcopum Apamiam reversum, quum Romam proficisci pararet, captivum retinuit, eumque, corrogatis subdole testibus, variis accusationibus ut reum laesae majestatis ante consilii supremi tribunal accersivit, ut ab ipso condemnaretur. Tribunal illud regi morem gerens Bernardum damnavit et deponendum esse judicavit. sed episcopus competentiam ipsius fortiter recusavit. Interim a Philippo metropolitano Narbonnensi in custodiam traditus est;[1]) parata autem legatio ad Pontificem, ut legati sui delicta ipsi communicarentur. Ea tamen haud missa esse videtur. — Haec atque reliqua regis negotia praecipue dirigebant eo tempore Petrus Flotta cancellarius, et Gulielmus Nogaretus consiliarus, viri fraudulenti et iniqui.

Poenae in regem latae.

42. Bonifatius, quum quae facta erant comperuisset, et hortationibus ac legationibus se apud regem nihil proficere videret, merito censuit, majori cum vigore contra ipsum Ecclesiae jura vindicanda esse. Philippo igitur denuntiavit, eum censuras contraxisse, nisi alias graviores facti rationes afferret, praecepitque, ut praesulem Apamiensem ex Narbonuensis archiepiscopi custodia liberaret et ad Apostolicam Sedem reverti permitteret, restitueret ecclesiae Apamiensi occupata bona, nec in posterum sacras opes diriperet.

Die 4° Decembris per Bullam *Salvator mundi* omnes gratias et privilegia regi et praedecessoribus ejus concessa suspendit, additaque epistola *Nuper ex rationabilibus causis* d. d. 5° Decembris id Philippo significavit; simul vero benigne advertit, propter bonum commune id fieri, seque

[1]) Bonifatius a quibusdam auctoribus (Cfr. Hefele, Conc. Gesch. T. VI. § 688) arguitur, quod Bernardo ad illam legationem usus sit, quum ipse Philippo exosus esset. Jura videlicet Ecclesiae jam aliquot abhinc annis constanter contra hunc defenderat. Sed ex altera parte adverti potest, Pontificem merito potuisse timere, ne si Italo ad illam legationem uteretur, statim repulsam pateretur. Quum vero Galliae episcopum eligeret, profecto talis requirebatur, qui regis irae vel favori non cederet, sed apostolica cum libertate eum moneret. V. Damberger. T. XII. p. 322.

terminum assignare, *quo . . . concessiones praedictae nostro conspectui praesententur, ut consideratis ipsis et visis provideri possit, si dicta suspensio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda.* Misit etiam epistolam ad omnes Galliae archiepiscopos, episcopos, capitula cathedralia et s. Theologiae Jurisque doctores, quos omnes Romam vocabat ad Concilium die 1° Novembris a. 1302 Romae habendum, *ut,* scribit, *vestra possimus habere consilia, qui apud regem suspicione caretis, et sibi et regno accepti estis et grati, et diligitis ipsum regem, necnon tractare, dirigere et statuere, procedere, facere et ordinare, quae ad honorem Dei et Apostolicae Sedis, augmentum catholicae fidei, conservationem ecclesiasticae libertatis, ac reformationem regis ac regni, correctionem praeteritorum excessuum, et bonum regimen regni ejusdem viderimus expedire.* — Dedit pariter Bonifatius die 5° Decembris ad Philippum celebrem Bullam *Ausculta fili,* in qua paterna simul ac firma scribendi ratione usus, Philippo ob oculos ponit multiplicia mala, quae regno suo, ecclesiis et civibus intulerat inferebatque, et eum ad resipiscentiam atque ad corrigenda mala illata incitat. Simul ei convocationem episcoporum et doctorum ad concilium significat, et advertit, regem, si voluerit, vel per se vel per fideles et providos viros posse interesse, ut quae opportuna credat exponat; alioquin se processurum esse, ut visum fuerit expedire. **Bulla *Ausculta fili.***

43. Haec Bulla postquam in consistorio Cardinalibus proposita et deliberatione pluries habita[1]) approbata esset, initio anni 1302 per Jacobum archidiaconum Narbonnensem regi transmissa est. Quum die 10° Februarii a rege admissus eam paucis praesentibus Philippo legeret, comes Artesius regis consobrinus eam ex manu Jacobi eripuit, in ignem projecit atque combussit. Dein et aliud hujus Bullae exemplar clero destinatum retentum et suppressum est. Alia vero fuit bulla supposita et in vulgus sparsa, tamquam a Pontifice missa, ut Gallorum animi in Pontificem concitarentur. Haec bulla supposita brevis est, et

---

[1]) Cfr. Hefele, B. VI. § 688. 689.

Documenta supposita.

sic se habet: *Bonifatius episcopus, servus servorum Dei, Philippo Francorum regi. Deum time, et mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in spiritualibus et temporalibus nobis subes. Beneficiorum et praebendarum ad te collatio nulla spectat, et si aliquorum vacantium custodiam habeas, fructus eorum successoribus reserves; et si quae contulisti, collationem hujusmodi irritam decrevimus, et quantum de facto processerit revocamus. Aliud autem credentes haereticos reputamus. Datum ad Lateranum Nonis Dec.* etc. Sed etiam alia composita fuit et in vulgus sparsa epistola, Philippi videlicet, qua dicebatur Pontifici respondisse. Haec epistola ita habet: *Philippus, Dei gratia Francorum rex, Bonifatio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam seu nullam. Sciat maxima tua fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, ecclesiarum et praebendarum vacantium collationes ad nos jure regio pertinere, fructus eorum nostros facere, collationes a nobis hactenus factas et in posterum faciendas fore validas et in praeteritum et futurum, et earum possessores contra omnes viriliter nos tueri. Secus autem credentes fatuos et dementes reputamus.* Hanc tamquam genuinam epistolam Bonifatio a Philippo missam plures habent auctores,[1]) sed eadem manifeste conficta quaedam est et supposita responsio regis ad suppositam pariter bullam *Deum time.*[2]) Utrumque hoc falsum documentum composuisse existimatur Petrus Flotta regis cancellarius, quem vel ipse Natalis Alexander nominat hominem diabolicum, caecutientem corpore, caecum mente, acetosum, fellitum. haereticum, discordiae regem inter et ecclesiam Romanam incentorem. Propagata autem fuit etiam haec epistola in vulgus, ut animi commoverentur Gallorum, dum crederent, regem tanto cum vigore Bonifatii mandatis respondisse. Etiam Romae epistola illa haud ignota fuisse videtur; nam in documentis quaedam verba inveniuntur,

---

[1]) Inter recentiores ita existimat Rohrbacher, t. XIX. l. 77. p. 424; Alzog, T. II. § 226.

[2]) Id evincit Hefele, B. VI. § 688; merito idem tenet Tosti, T. II. p. 139.

quae ad illam alludunt. — Jacobum Pontificis legatum illico e regno secedere jussit Philippus; eidem tamen tradidit, ut pariter Galliam relinqueret, Bernardum Apamiensem episcopum, cujus libertatem Bonifatius sub comminatione excommunicationis postulaverat.

44. Rex deinde generalia regni comitia Parisiis coëgit die 10° Aprilis a. 1302. In his comitiis Petrus Flotta nomine Philippi multa falsa et injuriosa de Bonifatio Papa protulit, ac si is epistolis suis jura regia violaret et contenderet, regnum Francicum esse Romanae ecclesiae feudum, atque regem et regnum in omnibus, etiam in temporalibus, subjacere Pontifici Romano. Documenta ipsa autem sive vera sive conficta cancellarius astutus non videtur ostendisse.[1]) Tunc omnium qui aderant sententia petita fuit. Barones, syndici ac procuratores urbium et communitatum regi gratulati sunt, quod jura regia et regnum contra Pontificem defenderet, eique opem et auxilium promiserunt. Praelati aliique ecclesiastici viri inducias ad deliberandum petierunt, Pontificem apud regem et nobiles excusarunt, et concordiam inter regem et Apostolicam Sedem conservandam suaserunt. Sed ad dicendam sine mora sententiam coacti, regis potentia territi quae sua sunt non quae Jesu Christi quaesierunt, et pavidi promiserunt, se regi in personae ejus, honoris, juriumque defensione consilia et auxilia debita praebituros. Simul vero rogarunt, ut sibi secundum Pontificis mandatum ad Romanum concilium properare liceret. Sed rex et nobiles responderunt, se nullatenus id passuros esse. Comitia generalia.

45. Praesules porro epistolam scripserunt ad Bonifatium, in qua ei denuntiarunt cum tristitia ea quae in comitiis acta fuerant, supplicantes, ut ad pacem servandam revocaret decretum, quo ad concilium eos convocaverat. Nobiles vero epistolam amariorem scripserunt ad Cardinales contra sic dicta Pontificis gravamina, qua multas

---

[1]) Id inde colligitur, quod episcopi Galliae in sua ad Bonifatium epistola tantum loquuntur de iis, quae Petrus Flotta Bonifatium scripsisse asseruerit, ipsa autem documenta non commemorant.

congerunt in Bonifatium querelas. Cardinales Anagniae congregati ad nobiles, duces et barones Galliae epistolam reddiderunt, in qua eorum de Pontifice querelas facili negotio diluerunt et inter alia dixerunt: *Volumus vos pro certo tenere, quod praedictus dominus summus Pontifex nunquam scripsit regi praedicto, quod de regno suo sibi subesset temporaliter, illudque ab eo tenere deberet.*[1]) Ad episcopos vero Galliae Bonifatius respondit ipse epistola *Verba delirantis filiae,* qua pro officio suo arguit eorum pusillanimitatem et servile in regem obsequium. Indictum autem concilium omnino celebrandum esse censuit.[2])

Defensio Bonifatii.

46. Sub finem dein mensis Augusti Pontifex consistorium habuit, cui interfuerunt tres episcopi Galli, qui absolutis supradictis comitiis, a clero Gallicano ad Bonifatium fuerant legati. In hoc consistorio Cardinalis Portuensis nomine omnium Cardinalium Pontificem ab accusationibus contra eum prolatis immunem asseruit. Dein Bonifatius litteras suas ad Philippum regem tum a falsis interpretationibus, tum a litteris quae sub ejus nomine fuerant confictae, vindicavit, atque gravamina quae contra ipsum vulgabantur diluit, inter alia declarans: *Sunt enim duae jurisdictiones, spiritualis et temporalis. Jurisdictionem spiritualem principaliter habet summus Pontifex. Jurisdictionem temporalem habet Imperator et alii reges. Tamen de omni temporali habet cognoscere summus Pontifex et judicare ratione peccati . . . . Quadraginta anni sunt, quod nos sumus experti in jure et scimus, quod duae sunt potestates ordinatae a Deo; quis ergo debet credere vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro? Dicimus, quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem regis. Sed non potest ignorare rex seu quicumque alter fidelis, quin sit nobis subjectus ratione peccati.* Pro more suo dein verbis severis mixtis atque benignis animum suum in Galliam semper benevolum commemorat, regisque iniquam agendi rationem perstringit.[3])

[1]) V. Dupuy, Histoire du différend etc. Actes et preuves, p. 63.
[2]) Raynald. ad a. 1302 n. 12; Dupuy l. c. p. 65.
[3]) V. Dupuy l. c. p. 77.

47. Si perpendimus *rationem agendi* qua Bonifatius hoc in conflictu usus est, censemus, eum merito Ecclesiae libertatem vindicasse, nec jura sua excessisse. Id ex re narrata satis elucet. Gallicani quidem auctores, uti ipse Philippus, conqueruntur, Bonifatium per Bullam *Ausculta fili* se ingerere voluisse regimini temporali Galliae. *Quae si valuissent,* scribit Bossuet, *vel de regni regimine Romanus Pontifex Romae, rege sive absente, sive praesente, decerneret; nempe regnaret Pontifex, ipse rex nudum nomen regis obtineret.*[1]) Sed immerito talia ex illa epistola deducuntur. Verba quae maxime Pontificis auctoritatem evehunt sunt ista: *Sane, fili, cur ista diximus, imminente necessitate et urgente conscientia, expressius aperimus. Constituit enim nos Deus, licet insufficientibus meritis, super reges et regna, imposito nobis jugo Apostolicae servitutis, ad evellendum, destruendum, dissipandum, reaedificandum atque plantandum sub ejus nomine et doctrina: ut gregem dominicum pascamus, consolidemus infirma, sanemus aegrota, alligemus fracta, et reducamus abjecta, vinumque infundamus et oleum vulneribus sauciati. Quare, fili carissime, nemo tibi suadeat, quod superiorem non habes, et quod non subsis summo Ecclesiae hierarchae: nam desipit, qui sic sapit, et pertinaciter hoc affirmans convincitur infidelis, nec est intra pastoris boni ovile.* Verum ex tenore totius Bullae patebat, quod Bonifatius postea solemniter declaravit, jurisdictionem temporalem regis Pontificem sibi nullatenus his vindicare, sed tantummodo eum statuere, regem in suis quoque actionibus temporalibus ipsi subjectum esse *ratione peccati.* Hisce Bonifatius nihil aliud contendebat, nisi quod jam Innocentius III a. 1204 exposuit in Decretali *Novit* ad Philippum Augustum, in qua non de *feudis* se judicare edicit, sed Romano Pontifici jus tribuit *de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, — procedere valeamus super quolibet criminali peccato.*[2]) Eadem ratione Innocentius IV a. 1246 jus Ecclesiae vindicat *spiritualiter de temporalibus judi-*

Expenduntur gesta.

---

[1]) Def. declarat. Gallic. T. I. p. 2 l. 7. c. 24.
[2]) Cfr. Phillips, Kirchenr. B. III. § 129. — Hefele B. V. § 641.

Expenduntur gesta.

care.[1]) Atque haec doctrina ab omnibus theologis proposita notissima erat. Aegidius Columna, Romanus, archiepiscopus Bituricarum et quondam Philippi Pulchri magister, hac de re perspicue scribit: „Et sic rex Franciae secundum jura non subest summo Pontifici nec ei tenetur respondere de feudo suo; potest tamen ei subjacere incidenter et casualiter ratione connexionis alicujus causae spiritualis, sicut habetur Extra. de Judiciis Cap. *Novit.*"[2])

48. Verba autem quae habentur in propositione *Constituit enim nos Deus* etc. desumpta sunt ex Jerem. 1, 10; iisque per metaphoram RR. Pontificum vel etiam legatorum sublimis dignitas et officia ardua saepe describi solebant. Nullatenus vero iisdem jurisdictionem temporalem sibi Pontifices attribuebant, sicut nec Deus iis Jeremiae talem jurisdictionem conferebat. Merito etiam Philippo Bonifatius significat: *Ad te ecclesiarum et beneficiorum collatio non potest quomodolibet pertinere nec pertinet,* sed provide addit: *Sine auctoritate vel consensu Apostolicae Sedis;* ac postea in consistorio declarat, saepe se regis legatis dixisse, se esse paratum hac in re Philippo gratias amplissimas concedere, ut licite possit facere, quod eousque illicite fecerat.

49. Quae quum ita se habeant, severius nobis videntur quidam auctores etiam de hac Bulla judicare, quum plura quae tetigimus, minus considerate dicta censent.[3]) Notant quoque, acerbe Philippum *aspidi surdae* comparari, et commemorato idolo *Bel* ad ejus cognomen (le Bel) alludi. — Quoad primum pluribus textibus s. Scripturae *emphatice* Pontifex exprimit, quanta sollicitudine monuerit Philippum, ipsum vero non audivisse. *Adeo,* inquit, *laboravimus in clamando, quod raucae sint factae fauces nostrae; sed tu velut aspis surda obturasti aures tuas* (Ps. 57, 4), *et nostra salubria monita non audisti, nec recepisti ea velut medicamenta curantis.* Quum textus obvii Scripturae congerantur nec ullatenus comparationi aspidis insistatur, non

---

[1]) V. Hefele, B V. § 669.
[2]) V. Bianchi, Della potestà etc. T. I. p. 96. u. a.
[3]) Cfr. Hefele C. G., B. V. § 688.

video specialem regis in his verbis offensam. In usu vero fuisse scriptori documentorum Bonifatii seu ejus secretario illum textum allegare, ex eo colligitur, quod Cardinalibus quoque Columnensibus jam eum applicaverat, in Constitutione *In excelso throno.* Nam etiam in ea dicitur: *Sed nec sic profecimus apud eos; traxit enim illos in desperationis laqueum moles praeponderans peccatorum, ut nec rationibus, nec correctionibus, monitis, sive minis reduci potuerint ad salutem: quin potius velut aspis surda suarum aurium obstruxerunt auditum, eligentes quasi pro gloria confusionis opprobrium et irreparabilis ruinae periculum pro tutela.*[1]) Expenduntur gesta.

50. Quoad alterum dicitur de consiliariis regis: *Hi sunt quasi falsi prophetae, videntes tibi falsa et stulta, quia non viderunt a Domino visionem. . . . In vastitate quadam hostili devorant incolas regni tui, et non tibi, sed eis, mellificaverunt apes. Isti sunt secretiora ostia illa, per quae ministri Bel sacrificia, quae perimponebantur a rege, clanculo asportabant.* Nimis minuta haec videntur, quam ut rex in nominum consonantia merito offendi posset. Neque ex professo scriptor Bullae, in profanis et sacris auctoribus manifeste aeque versatus, ea verba posuisse videtur ut pungeret regem, sed pro genio suo adaptat verba auctorum sacrorum et profanorum suo scopo.

51. Quod Bonifatius Romam convocaverit Galliae praelatos, ut ecclesiae ac bono regimini regni consuleret, hoc sane remedium in illis rerum adjunctis jure adhibere potuit, neque se rebus mere temporalibus regni immiscuit. — Cum indignatione quadam certe plura dixit contra Galliae regem in oratione, quam habuit in Consistorio mense Augusto a. 1302 Romae habito. Sed qualis fuerit Philippus Pulcher, quibusque injuriis, conviciis et dolosis calumniis jam Pontificem affecerit, in mentem est revocandum. Caeterum in ea oratione plura quoque habentur, quibus nimium fere auctoritate sua cedere videtur Bonifatius, dum e. g. se paratum declarat, ut Cardinales vel probos barones Galliae tanquam arbitros accipiat in lite ipsum

[1]) Ap. Tosti, P. I. Docum. p. 270.

inter et regem pendente. Verba igitur quae a Pontifice prolata referuntur, si necesse sit, se etiam depositurum esse regem tantis culpis obnoxium haud secus *ut unum garcionem,* non sunt ad vivum resecanda. Multi praeterea censent Allocutionem interpolatam; textus enim variorum exemplarium non est in omnibus consonus.

V.

De Bulla „Unam sanctam" ac de Bonifatii obitu.

Concilium a. 1302.

52. Die 30° Octobris a. 1302 Bonifatius VIII concilium quod ad componendas discordias convocaverat, Romae habuit; convenerant autem non obstante prohibitione regia e Gallia quatuor archiepiscopi, triginta quinque episcopi, et sex abbates. In hoc concilio Pontifex, quae de tota controversia esset vere mens sua, quantaque ab ecclesiasticae potestatis et libertatis violatoribus passus esset, exposuit. Acta quidem concilii ad nos non pervenerunt; sed exstat celeberrima Bulla *Unam sanctam,* in eo concilio, uti videtur, condita. Quum videlicet Philippus rex contenderet, se in qualicumque potestatis regiae usu nulli, ne ipsi quidem Pontifici, subesse; quum supremam auctoritatem, quam Romanus Pontifex, Christi vicarius ac visibile Ecclesiae caput, jure divino habet in omnia Ecclesiae membra, averteretur atque contemneret; quum ea quae sunt ecclesiasticae potestatis propria, veluti sui proprii juris usurparet, episcopos autem ne Pontificis mandatis obtemperarent impediret: Bonifatius VIII Constitutionem illam *Unam sanctam* edidit, in qua scite disserit de duabus potestatibus, spirituali et temporali, de una et sancta Ecclesia, de usu, fine et ordine utriusque potestatis, de excellentia potestatis spiritualis supra temporalem, et concludit atque definit, omnem creaturam, (omnem hominem videlicet sive regem sive alium,) de necessitate salutis Romano Pontifici subesse. Cum haec Bulla a Gallicanis antea, nostris vero diebus ab apostatis recentibus vehementissime impugnata sit,

atque exhibeatur, ut monumentum praecipuum arrogantiae Romanorum Pontificum, qua dominationem absolutam et universalem super reges etiam et regna universa sibi vindicaverint, juvabit imprimis quae in ista Constitutione habentur, citare.

53. *Unam sanctam Ecclesiam catholicam, et ipsam apostolicam, urgente fide, credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur; extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, sponso in Canticis proclamante: Una est columba mea, perfecta mea; una est matris suae, electa genitricis suae, quae unum corpus mysticum repraesentat, cujus corporis caput Christus, Christi vero Deus; in qua unus Dominus, una fides, unum baptisma. . . . Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus scilicet et Christi vicarius, Petrus Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas. . . . Sive ergo Graeci sive alii se dicant Petro ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse,*[1]) *dicente Domino in Joanne, unum ovile et unicum esse pastorem. In hac ejusque potestate duos esse gladios spiritualem videlicet et temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, in Ecclesia scilicet, quum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis.*[2]) *Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. Nam quum dicat Apostolus: Non est potestas, nisi a Deo, quae autem sunt a Deo ordinata sunt; non ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum B. Dionysium, lex divinitatis est, infima per media*

Bulla *Unam Sanctam.*

[1]) V. s. Bernard. de considerat. L II. c. 8.

[2]) V. s. Bernard. de Considerat. L. IV. c. 3 et ep. 266 ad Eugen.

in suprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia aeque ac immediate, sed infima per media, et inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, et benedictione, et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur: nam Veritate testante spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et judicare, si bona non fuerit. Sic de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Jeremiae: Ecce constitui te hodie super gentes et regna, et caetera quae sequuntur.

Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis, minor a suo superiori; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo: Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur. Est autem haec auctoritas, etsi data sit homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina potestas, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso Christo, quem professus fuerat, petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: Quodcumque ligaveris etc. Quicunque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichaeus, fingat esse principia, quod falsum et haereticum judicamus: quia testante Moyse, non in principiis, sed in principio coelum Deus creavit et terram. Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus et diffinimus omnino esse de necessitate salutis. Dat. Laterani XIV. Kal. Decembris, anno VIII.[1])

Scriptores impugnantes.

Contra Bullam *Unam sanctam* ea aetate scripserunt Joannes Parisiensis Ord. Praed.[2]), aliique qui ita eam interpretati sunt, ac si Bonifatius VIII directam et absolutam potestatem in reges eorumque regna ac regimen sibi vindicaret.[3]) Posteriori tempore inter alios Natalis Alexander

[1]) V. Extra. comm. L. I. tit. VIII. c. I.

[2]) Tract. de regia pot. et papali (Goldast, Mon. II. 108).

[3]) Joannes Parisiensis, uti advertit Em. Hergenröther, negat potestatem Pontificis directam in temporalia, sed admittit indirectam. Ad rem

Bonifatii principia impugnavit. Sed ipse diserte admittit, nonnisi indirectam auctoritatem a Pontifice sibi vindicatam esse in temporalia regum, quamvis hanc dein sententiam, pro principiis suis Gallicanis, vehementer impugnet. *Ex ea de qua mox diximus,* scribit, *Bonifatii VIII ad ecclesiae Gallicanae legatos oratione evidens est, illum, quantumvis opinionis istius, quae ipsi affingebatur, de omnium regnorum ac speciatim Francorum in temporalibus subjectione Romano Pontifici invidiam discusserit, nihilominus indirectam in temporalia regum potestatem, sive auctoritatem eos privandi regnis ratione peccati sibi arrogasse, quod ex ipsius Constitutione quae incipit „Unam sanctam" (Extra de majoritate et obedientia,) luculentius confirmatur, qua docet utriusque gladii potestatem esse penes Ecclesiam, temporalem subesse spirituali, ab eaque institui et judicari, huic a Deo constituto ordini qui resistit, in Manichaeorum haeresin impingere.*[1]) — Ex hisce colliges, non alia principia a Bonifatio VIII vindicari, nisi quae etiam a Gregorio VII, Innocentio III, aliisque Pontificibus proposita sunt, atque semper in Ecclesia viguerunt. Qua ratione autem eousque attenuari possit sensus Constitutionis *Unam sanctam,* ut doctrina de potestate indirecta (secundum expositionem Bellarmini) ex ea eliminetur, alii viderint.

55. Constitutio confecta esse censetur a variis auctoribus ab Aegidio Romano (Columna) Ord. s. Aug. et archiepiscopo Bituricensi (a. 1294), quondam Philippi Pulchri praeceptore. Is eo tempore Romam ad synodum venerat, multae autem Constitutionis sententiae ex ejus Tractatu *de ecclesiastica potestate* fere verbotenus desumpta sunt.[2]) Aegidius recensetur inter illos auctores, qui cum vigore Ecclesiae auctoritatem etiam in temporalia certis ex causis

Aegidius Romanus.

---

citat Hergenröther illa Joannis: „Papa non instituit regem, sed uterque est a Deo institutus suo modo; nec eum dirigit *per se,* ut rex est, sed *per accidens,* in quantum convenit regem *fidelem* esse, in quo instruitur a Papa de fide, non de regimine." V. Kirche und Staat VI. n. 31. et Neander K. G. II. p. 685.

[1]) In saec. XIII et XIV. Dissert. IX. art. II. n. 10.

[2]) V. Hergenröther l. c.

vindicaverunt; imo interdum durius loquitur, ita ut fere directam potestatem asserere videatur, attamen alias ista mitigat. In Constitutione autem *Unam sanctam* principia generalia ponuntur, quae non excedunt potestatem indire ctam. Vehementer hallucinatus est Natalis Alexander qui in impugnatione opinionum Bonifatii VIII multum nititur doctrinis Aegidii Romani. Desumpsit videlice Natalis ea quae affert ex tractatu *de utraque potestate regi et pontificali*, qui apud Goldast. Monarch. s. R. I. II. p 95 sub Aegidii Rom. nomine exstat editus. Sed opus ho spurium esse, inter eruditos jam constat; recentiori tem pore id evicerunt Jourdain[1]) et F. X. Kraus[2]). Aegidiu revera solidam doctrinam de potestate indirecta tenuiss perspicuum videtur ex illis sententiis: *Causae mixtae su causae temporales, quae connexionem quamdam habent cu spiritualibus. . . . Rex Franciae secundum jura non subj summo Pontifici nec ei tenetur respondere de feudo suo, p test tamen ei subjacere incidenter et casualiter, ratione co nexionis alicujus causae spiritualis, sicut habetur Extrava de judiciis cap. Novit.*[3]) *Quodsi temporalia fiant spiritual vel annectantur spiritualibus, vel e contrario temporalib spiritualia sint annexa, sunt spirituales casus, per qu Ecclesia jurisdictionem temporalem dicitur exercere.*[4])

Definitio. 56. Sed jam accuratius capita praecipua illius Co stitutionis proponamus. 1° Definitur in eadem, *subes Romano Pontifici, omni humanae creaturae esse de neces tate salutis.* Verbis *omni humanae creaturae* speciatim i dicantur etiam ii qui potestate civili praediti sunt, uti (verbis ipsis desumptis ex I. Petr. 2. 13[5]) et ex contex patet. — Haec definitio in suo sensu generali ab om bus Catholicis profecto recipienda fuit. Sed in interp

---

[1]) Un ouvrage inédit de Gilles de Rome, Paris 1858.

[2]) Aegidius von Rom; in Periodico Oesterr. Vierteljahrsschrift Theologie 1862. S. 1.

[3]) Quaestion. disput. a. 4.

[4]) De Eccles. potestate P. III. c. 5.

[5]) „Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deu sive regi. quasi praecellenti. sive ducibus, tanquam ab eo missis".

tatione et expositione verborum jam differentia quaedam occurrit. Bossuetus e. g. scribit: *Eo* (Bonifatius) *viam sibi parasse videbatur, ut Romano Pontifici omnem potestatem esse subditam etiam in temporalibus pro certo fidei dogmate definiret. At profecto non eousque processit; hoc enim tantum habet definitio: „Porro subesse Rom. Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, diffinimus, et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis", quod quidem est verissimum et apud Catholicos certum, si de spirituali potestate intelligitur.*[1]) Spiritualis potestas Bossueto manifeste est ea quae circa spiritualia, seu divina, tantum versatur, atque auctoritatem indirectam in temporalia ipse vix admittat. Advertendum tamen est, definitionem finalem Bullae in suo sensu et extensione pluribus praecedentibus propositionibus accuratius determinari. Scopus videlicet Constitutionis non erat simpliciter statuere, reges ut homines privatos et christianos auctoritati Ecclesiae subjici, sed eos etiam qua *principes christianos* potestati spirituali Capitis Ecclesiae subesse, ejusque sententiae obedire debere. Etenim hac de re maxime agebatur in conflictu cum Philippo. Quamvis igitur definitio generalibus verbis concepta sit, illa tamen quibus positive sensus et extensio veritatis definitae determinatur, ingrediuntur implicite ipsam definitionem, vel intime cum ea cohaerent.[2]) Definitionis sensus.

---

[1]) Defens. Declar. Cleri Gallic. L III. c. 23.

[2]) Quoad indolem conflictus Philippi Pulchri cum Bonifatio VIII scribit Boutaric: „Les démêlés de Philippe-le-Bel avec le Saint-Siége eurent pour résultat de dessiner nettement la position respective de l'Eglise et du pouvoir laïque, et d'établir que, si une obéissance entière était due au pape en matière de foi, il n'avait, pour tout ce qui concerne le temporal, que le droit de donner des avis et des conseils, auxquel il était permis de ne pas se soumettre." L. c. Livre IV. Conclusion p. 434 Videlicet ea ratione Philippus Pulcher restringebat Pontificis potestatem, sed Bonifatius VIII vindicavit auctoritatem Ecclesiae in principes etiam quoad regimen *dum ageretur de peccato.* De modo exercendi hanc auctoritatem per judicia de eorum actis, per correctionem, per mandata, per poenas spirituales vel temporales, in definitione explicite nihil dicitur; haec tamen jura ex contextu Constitutionis et ex aliis Decretalibus colligi possunt.

57. Caeterum 2° Constitutio duabus veluti partibus constat. Prima parte declaratur, unicam et unam esse Ecclesiam sub uno capite Christo ejusque Vicario Romano Pontifice. Unde consequitur, sicuti omnibus necessarium est ad Ecclesiam pertinere, ita etiam necessarium esse, auctoritati spirituali capitis Ecclesiae, Romani Pontificis, sese submittere. — In altera parte („In hac Ecclesia") evolvit Pontifex, speciatim principes, qui personaliter ad Ecclesiam pertinent adeoque auctoritati spirituali Romani Pontificis subjecti sunt, etiam quoad potestatem suam relationem certam habere ad Ecclesiam ejusque auctoritatem spiritualem, videlicet adesse subordinationem quamdam potestatis et auctoritatis principum sub auctoritate spirituali Ecclesiae. *Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati.* Quoad haec vero doctrinae capita certe nulla difficultas solida apparet, ac facile omnes auctores catholici ea de re convenire censuerim.

Quid duo gladii. Sed 3° in explanatione ulteriori doctrinae propositae quaedam occurrunt difficiliora, de quorum sensu aliquantisper discrepare videntur auctores catholici. Eo pertinent imprimis quae de gladiis duobus Bonifatius asserit illis verbis: *In hac Ecclesia ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce duo gladii hic, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo gladius in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus; ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam Sacerdotis.* — Advertendum est Pontificem pro more illius temporis argumentari ex s. Scripturae textu allegorice exposito, nec de valore hujus probationis modo inquiri, sed de sensu eorum quae asseruntur.

58. Negative autem imprimis a) liquet, a Bonifati

non confundi, sed apprime distingui auctoritatem spiritualem, et auctoritatem seu jurisdictionem temporalem. Ac nullatenus negat, sed affirmat, hanc potestatem seu gladium temporalem convenire regibus et principibus, eorumque manu exercendum esse.[1]) Neque b) in Constitutione *Unam sanctam* asseritur, a Pontifice principibus collatam primo vel *delegatam* esse eorum potestatem et jurisdictionem temporalem; imo significatur potius, etiam principibus potestatem suam temporalem a Deo collatam esse, quamvis cum subordinatione ad auctoritatem Ecclesiae. Provocat enim Pontifex ad textum Apostoli, scribens: *Nam quum dicat Apostolus: Non est potestas nisi a Deo,* (ab ipso igitur potestas temporalis principum), *quae autem a Deo sunt ordinata, non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio.* — Illis verbis Bonifatii igitur c) id sane continetur, quod multi auctores maxime urgent, gladium temporalem *inservire* debere Ecclesiae, ita ut ipsa de eo *disponere* possit pro sua protectione.

Gladius temporalis quoad Ecclesiam.

59. Dicitur tamen in constitutione etiam, gladium temporalem *esse* ipsius Ecclesiae et *esse in potestate* ejus neque haec verba solum ad spiritualem gladium protegendum referri possunt;[2]) praeterea symbolo et nomine gladii temporalis non solum significatur potestas coactiva principum, sed significatur generatim *auctoritas et jurisdictio temporalis.*

---

[1]) Eam distinctionem et utriusque auctoritatis limites et indolem etiam antea Bonifatius diserte professus est in allocutione dicens: „Quadraginta anni sunt. quod nos sumus experti in jure; et scimus, quod duae sunt potestates ordinatae a Deo. Quis ergo debet credere vel potest. quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro? Dicimus, quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem regis . . .; non potest negare rex seu quicumque alius fidelis, quod sit nobis subjectus ratione peccati."

[2]) Christophe in opere suo: Histoire de la Papauté pendant le XIV[e] siècle, ita vertit verba bullae: „La parole évangélique nous apprend qu'il y a deux glaives au service de l'Eglise: le glaive spirituel et le glaive temporel. Le premier doit être employé par l'Eglise, le second pour l'Eglise." Ita difficultates vitantur et sensus explanatur, attamen aliquid amplius censerem in verbis Constitutionis contineri.

Hinc censerem, pressiori adhuc sensu a Bonifatio VIII dici, in Ecclesia et in ejus potestate esse gladium temporalem. Asserit scilicet, certo quodam sensu Ecclesiam *habere* gladium materialem, eum *pertinere* ad eam. S. Bernardus, ex quo verba illa desumpta sunt, etiam scribit ad Eugenium III: *Tuus ergo et ipse* (gladius materialis), *tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. . . . Uterque ergo Ecclesiae, et spiritualis gladius et materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus est.*[1]) In Glossa ad Constitutionem *Unam sanctam* habetur: Ad voc. „Nam dicentibus“: *Probat quod dixerat; sed dixerat duos gladios in Ecclesia et eos esse in potestate Ecclesiae: et quia non eodem modo isti gladii sunt in potestate Ecclesiae, nec eodem modo pertinent ad usum Ecclesiae, ideo tria facit, quia primo dicit, duos tantum esse gladios in Ecclesia. Secundo ostendit, eos ambos esse in potestate Ecclesiae. Tertio declarat, non eodem modo eos in potestate Ecclesiae, sed alterum ad usum, alterum ad patientiam et nutum. . . . Liquide patet, quod gladius materialis est Petri et in potestate Petri: consequens est igitur, quod uterque gladius sit Ecclesiae et in potestate Ecclesiae.*[2]) Aegidius Romanus pariter: *Quod decet Ecclesiam habere materialem gladium, non ad usum sed ad nutum, et quod sic habere hunc gladium est majoris perfectionis et excellentiae potioris.*[3]) Hisce aliquid amplius igitur significari existimaverim, quam id tantum, quod auctoritatis civilis potestas sit ad protectionem et ad dispositionem Ecclesiae.

Explicatio. 60. Exprimi videtur, quod, quum Ecclesia sit societas *perfecta*, ad ejus jus etiam pertineat, ut in ordine civili quantum spectat ad sphaeram legislativam, judiciariam et executivam, et quatenus non agitur de rebus *mere* civilibus, sed quatenus eae contingunt spiritualia, res ita dispositae sint, ut inserviant fini Ecclesiae quae est salus fidelium, non vero huic fini opponantur. Id quidem Ecclesia non

---

[1]) De consid. L. IV. c. 3.
[2]) Cfr. ap. Molitor l. c. p. 91. nota 5.
[3]) De Eccles. pot. L. I. c. p.

facit directe et immediate, sed ipsa id exigere potest ab auctoritate civili, a regibus atque principibus; ac si ipsi contrarium agunt, intervenire potest Ecclesia *ratione peccati* et eos judicare et coërcere. Ita pertinet ad eam etiam quodam sensu auctoritas temporalis, et ea ratione habet gladium materialem non ad usum, sed ad nutum et patientiam; brevi, gladius ille materialis est potestas indirecta Ecclesiae in temporalia, *ratione peccati*, vel ratione salutis fidelium.[1])

61. Consideranda hic etiam sunt quae brevi ante Constitutionis editionem in Consistorio Cardinalis Portuensis coram legatis Galliae dixerat. „Dominus noster summus Pontifex, ait, habet plenitudinem potestatis in spiritualibus, unde pro libertate Ecclesiae et pro ipso ego et omnes fratres sacri Collegii auderemus et vellemus exponere corpora nostra et vitam nostram. Item planum est, quod nullus debet revocare in dubium, quin possit judicare de omni temporali ratione peccati. Scriptum est: *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti.* Sunt enim duae jurisdictiones, spiritualis et temporalis. Jurisdictionem spiritualem principaliter habet summus Pontifex, et illa fuit tradita a Christo Petro et summis Pontificibus successoribus ejus: jurisdictionem temporalem habent Imperator et alii reges, tamen de omni temporali habet cognoscere summus Pontifex et judicare ratione peccati. Unde dico, quod jurisdictio temporalis potest considerari prout competit alicui ratione actus et usus, vel prout competit alicui de jure. Unde jurisdictio temporalis competit summo Pontifici, qui est vicarius Christi et Petri, de jure. Unde qui dicit contrarium impingit in illum articulum: *Judicaturus est vivos et mortuos,* et in illum etiam praedictum: *Sanctorum communionem.* Sed jurisdictio temporalis, quantum ad usum et quantum *ad executionem actus non competit ei, unde dictum est Petro: Converte gladium*

Cardinalis Portuensis.

---

[1]) Ad rem etiam Turrecremata, Summa de Ecclesia L. II. c. 114: „Romanum Pontificem habere jurisdictionem in temporalibus ex eo ostenditur, quod utrumque gladium habere dignoscitur.“

in vaginam."[1]) Vides, etiam his asseri Ecclesiae potestatem indirectam in temporalia, ob finem spiritualem. Tamen in rebus *mere civilibus* et *temporalibus,* et *sub respectu finis temporalis* Ecclesia nihil potest in societate civili, et in his potestas civilis ab Ecclesia non pendet.

Terminologia exponitur.

62. Atque hoc loco opportunum est animadvertere, in quaestione, de qua agimus, passim confusionem quamdam, ambiguitatem et dissensiones oriri inde, quod *terminologia* hac in re diu, etiam saeculo decimo tertio, haud plane determinata et fixa fuerit, imo etiam notiones passim minus clarae inveniantur. Istae igitur voces *jurisdictio* vel *potestas spiritualis* ac *temporalis,* non semper eodem sensu adhibentur. Quodsi partitionis ratio desumitur a *sphaera* vel *territorio* jurisdictionis, ad jurisdictionem spiritualem pertinent *divina,* scilicet omnia ea quae religionem et cultum directe spectant; ad jurisdictionem temporalem totum territorium potestatis legislativae et executivae in ordine civili. Atque sub hoc respectu dici potest, Ecclesiae competere etiam gladium temporalem, vel jurisdictionem temporalem de jure seu indirecte. Quum ipsa enim sit societas perfecta, cui omnia media ad finem suum obtinendum collata sunt, ejus auctoritas etiam se extendit ad omnia ea quae requiruntur, ut societas hominum fidelium perducatur ad salutem. Unde legislatio quoque et administratio rerum in ordine civili huic scopo conformandae sunt. Ecclesia secundum oeconomiam divinam *de facto* et *usu* non exercet eam jurisdictionem; et principes civiles auctoritatem istam jure naturae et a Deo habent, sed cum subordinatione ad Ecclesiam, ita ut modo conformi Ecclesiae fini res disponere debeant. Si vero huic officio desint eaque agant, quae finem illum impediunt, intervenire potest Ecclesia *ratione peccati.* — Bellarminus advertit, melius dici potestatem Ecclesiae esse *spiritualem,* ita tamen ut etiam in temporalia modo exposito se indirecte extendat.[2]) Sed priori tempore, uti vidimus, sensu

[1]) V. Dupuy, Histoire du différend etc., Preuves p. 77; apud Molitor l. c. p. 94. nota 2.

[2]) Scribit Bellarminus, De potestate summi Pontificis contra Barclayum cap. 12: „Quando proprie loquimur, dicimus, Pontificem habere

explicato saepe affirmabant, Ecclesiam habere etiam potestatem vel jurisdictionem temporalem. — Sin autem partitio potestatis spiritualis et temporalis instituitur ratione *originis* auctoritatis ecclesiasticae et civilis, ita ut potestas *spiritualis* dicatur integra illa potestas in sua plenitudine, quae ob finem spiritualem Ecclesiae a Christo ejus auctore collata est, potestas *temporalis* vero ea auctoritas, quae a Deo ob finem temporalem in ordine naturali gubernio civili commissa est: manifestum est, dicendum esse Ecclesiae convenire potestatem spiritualem, principibus potestatem temporalem, atque hanc ab Ecclesia nunquam sibi arrogari, nec ab ea principibus esse delegatam. — Fusius haec exposuimus, quia agitur de quaestione difficili et intricata; modo jam aliam Constitutionis sententiam examinemus.[1]

Terminologia exponitur.

---

potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem qua Pontifex est." Et cap. 5: „Si in summo Pontifice ponatur potestas spiritualis tantum directe, et temporalis indirecte, id est in ordine solum ad spiritualia: non sequitur, posse Pontificem tollere, vel confundere politicum regimen, sed solum sequitur, posse Pontificem per spiritualem atque Apostolicam eminentissimam suam potestatem dirigere et corrigere potestatem politicam, eamque, si opus sit ad finem spiritualem, uni principi adimere et alteri conferre."

[1]) Terminologiam non satis determinatam difficultatibus passim occasionem dedisse, apprime observavit Em. Card. Manning. et ex ipso cl. Molitor l c. p. 98. Em. Manning *The Vatican Decrees* p. 72 rem hisce elucidat: „One chief cause of the confusion . . . has been the uncertain use of language, and the want of a fixed terminology until a certain date. — The word *Temporal* was used in two senses. It was used to signify the power of Civil Rulers in the orders of nature. And in this sense Church has never claimed it for its head. It was used also to signify the *spiritual* power of de Pontiff *when incident indirectly upon temporal things*. The spirituel power then, had a temporal effect, and took, so to speak, its colour and name from that use, remaining always spiritual as before. For instance, we speak of „the Colonial power" of the Crown, meaning the Imperial power applied to the governement of the Colonies; in like manner the spiritual power of the Pope, applied indirectly to temporal things, was (improprie) improperly called Temporal, and this *usus loquendi* gave rise to much misinterpretation." — Ostendit dein Bellarminum jam ita censuisse, et citat inter alia illa Bellarmini: „That this power is in the Pope is not opinion but certitude among Catholics, though there be many discussions at to *what* and of what quality the power is: that is to say, whether it be properly and in *itself* of

Explicantur quidam textus.

63. Carpuntur multum illa Constitutionis verba: *Quod etiam* (scil. spiritualem terrenam praecellere potestatem) *ex decimarum datione, et benedictione, et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur: nam Veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et judicare, si bona non fuerit: sic de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Jeremiae: Ecce constitui te hodie super gentes et regna et quae sequntur.*[1]) Arguitur Bonifatius, quod quum asserat, terrenam potestatem *institui* a spirituali, repetat originem potestatis temporalis regum ex auctoritate spirituali Ecclesiae, adeoque jura principum laedat. Dumque addit illa verba: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna* etc., dominationem quamdam absolutam etiam in temporalia principum adstruere videtur. — Sed ista haud difficulter diluuntur.

64. Quod igitur ad ea verba spectat, *potestas spiritualis terrenam potestatem instituere habet, et judicare si bona non fuerit,* varii auctores graves existimant, illud *instituere* hoc loco idem esse ac *instruere,* quo sensu revera vox ista frequenter adhibetur et in contextu aptissime recipitur.[2]) Alii tamen, quibus adstipulamur, hoc verbum

a *temporal* kind, or whether it be no rather *spiritual,* but by a certain necessary consequence, and in order to spiritual ends, it dispose of temporal things." (C. Barclay c. 3.) Dein prosequitur: „Now, from these passages it would appear, that in Bellarmines judgement the opinions of the Canonists and the Theologians practically come to one and the same thing, though their language was differrent. By Temporal power some earlier Canonists may perhaps have intended a power temporal in itself; but the later Canonists did not intend more than a Spiritual power over temporal things: which the Theologians also asserted. But this use of the word *temporal* seemed to imply, that the quality of the power was not spiritual, as the Theologians asserted. This ambiguity is the source of the misunderstandings, which we daily read in attacks upon the Catholic Church."

[1]) „Ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et aedifices et plantes." Jer. 1, 10.

[2]) Ita censet Em. Hergenröther, Antijanus, p 136; Kirche und Staat, ed. 1, p. 302; ed. 2, p. 333; Bianchi T. II. L. VI. 522, 523; Scheeben Per. Bl. 1869. B. I. p. 157; Rive, Unfehlb. des Papstes. Paderborn. 1870.

Quid *instituere* potestatem terrenam.

alio suo sensu nativo revera a Bonifatio VIII adhiberi censent. Verum etiam hoc supposito Pontifex nullatenus exprimit, primam originem saecularis potestatis esse ab Ecclesia, sed tantum *certo quodam sensu* hoc dicit. Id facile colligitur, si verba Constitutionis comparantur cum textu Hugonis a s. Victore, apud quem primum ista et plura alia quae in Bulla *Unam sanctam* habentur occurrunt, ac si progressus argumentationis in Constitutione attenditur. Videlicet Pontifex ad hoc alludit, *quod in veteri Foedere primum a Deo sacerdotium institutum est, postea vero per sacerdotium, jubente Deo, regalis potestas ordinata,* quodque exinde in societate christiana medii aevi secundum jus sociale vigens, Ecclesia *per unctionem, coronationem et benedictionem reges veluti in sua possessione installabat,* iisque sacram quamdam et majorem dignitatem conferebat.[1])

65. Textus Hugonis a s. Victore ita habet: *Illa potestas dicitur saecularis, ista spiritualis nominatur. In utraque potestate diversi sunt gradus et ordines potestatum, sub uno tamen utrimque capite distributi, et velut ab uno principio deducti, et ad unum relati. Terrena potestas caput habet regem, spiritualis potestas summum Pontificem. Ad potestatem regis pertinent quae terrena sunt, et ad terrenam vitam facta omnia; ad potestatem summi Pontificis pertinent quae sunt spiritualia et vitae spiritualis attributa universa. Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena, et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam sive saecularem potestatem honore ac dignitate praecedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet, ut sit, et judicare, si bona non fuerit; ipsa vero a Deo primum instituta est; et cum deviat a solo Deo judicari potest, sicut est scriptum: Spiritualis homo dijudicat omnia et ipse a nemine judicatur (Cor. II, 15). Quod autem spiritualis potestas, quantum ad divinam institutionem spe-*

[1]) Cfr. e. g. Phillips, Kirchenrecht B. III. § 130; Molitor l. c. p. 100 sqq.; Périn, Les lois etc. L. II. ch. IV; Moulart, L'Eglise et l'Etat, p. 214.

ctat, et prior sit tempore, et major dignitate, in illo antiquo veteris instrumenti populo manifesto declaratur, ubi primum a Deo sacerdotium institutum est, postea vero per sacerdotium jubente Deo regalis potestas est ordinata. Unde in Ecclesia adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalem consecrat, et sanctificans per benedictionem, et formans per institutionem. Si ergo, ut dicit Apostolus, qui benedicit major est, et minor qui benedicitur (Hebr. VII, 7), constat absque omni dubitatione, quod terrena potestas, quae a spirituali benedictionem accipit, jure inferior existimetur.[1]) Similia plane habet Alexander Halensis, qui fere ipsa Hugonis verba affert.[2]) Aegidius Romanus autem, ex quo contextus Constitutionis immediate desumptus censetur, ita habet: *Quod spiritualis potestas instituere habet terrenam potestatem, et si terrena potestas bona non fuerit, spiritualis potestas eam poterit judicare.*[3]) Advertit quidem Em. Hergenröther inter alia (Kirche u. Staat ed. 1. p. 302. nota 9), quum hoc loco textus Bullae directe et immediate ex Aegidio Romano decerptus sit, sensum verborum non dirimi ex contextu Hugonis a s. Victore; in textu autem Aegidii optime *instituere* sumi posse pro instructione. Admitterem quidem, non *peremptorie* hunc sensum refelli, sed quum Aegidius, uti et Alexander Halensis, sua desumpserit ex Hugone, merito supponitur, illum etiam eodem sensu ista verba adhibuisse, et hunc fuisse veluti sensum traditionalem inde a duobus saeculis.

Argumentationis indoles.

66. Ad *argumentationis indolem* quod attinet, Pontifex praecellentem dignitatem potestatis spiritualis ostendit primum ex natura rei, *quia spiritualia temporalia antecellunt.* Dein argumentatur ex institutionibus juris, et ex rerum gubernatione, quum principium spirituale materialia regat. Populi videlicet Ecclesiae decimas solvunt, principes ab Ecclesia benedicuntur, sanctificantur et ab Ecclesia insignia

---

[1]) De Sacram. L. III. c. 4.

[2]) Summa Theol. P. IV. qu. X. membr. 5. art. 2. De sacrificio missae, verbo: et rege nostro. Ap. Molitor l. c. p. 101.

[3]) De eccles. pot. L. I. c. 4.

suae potestatis accipiunt, uti generatim res materiales a principio spirituali gubernantur. *Quod etiam ex decimarum datione, et benedictione, et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur.* — Accedit autem Scripturae auctoritas, qua comprobatur, rem ita debere habere. *Nam Veritate testante spiritualis potestas terrenam instituere habet, et judicare si bona non fuerit.* Videlicet, Scriptura Ecclesiae non solum potestatem tribuit, ut consecratione sua instituat principem in sua auctoritate, sed etiam ut tanquam supremum tribunal ratione peccati, *(si bona non fuerit,)* principem ad suum tribunal citare et eum judicare possit. — Itaque Ecclesia veluti confert principi *institutionem cardinalem* seu *installationem,* quae non creat jus, sed inducit solemniter in possessionem de facto. — Sepositis aliis textibus et factis Scripturae, citatur dein ille Jeremiae textus, qui inde a quinto saeculo jam adhiberi solebat, ac dein fere formula quaedam sacra factus est apud Pontifices et auctores ecclesiasticos, quando agebatur de potestate Ecclesiae in principes civiles et regna. *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes, et aedifices et plantes.* Hoc textu secundum illam interpretationem et applicationem traditionalem, confirmabatur assertum, quod Ecclesiae esset *judicare,* per verba *ut evellas et destruas;* quod ipsius esset etiam *instituere,* per verba *ut aedifices et plantes.*

67. Explicationi huic Glossa (Joannis Andreae) in hunc locum consentit. *Glossa ad vocem: Nam Veritate testante. . . . Continuatur ergo sic: Bene dictum est, quod potestas ecclesiastica potestatem terrenam benedicit, sanctificat, et ab ea potestas terrena potestatem accipit. Nam Veritate attestante, id est, canone Bibliae asserente, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet: et supple, si habet eam instituere, habet eam judicare, si bona non fuerit: quia cujus est condere, ejus est destruere. . . . Sic enim secundum hunc modum de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Jeremiae: Ecce constitui te hodie, id est, die qua formata est Ecclesia, super gentes et regna, ut* Glossa.

evellas et destruas et disperdas et dissipes ea destituendo: aedifices et plantes ea instituendo. Notandum autem quod dicit: Veritate testante spiritualis potestas terrenam instituere habet, quia, ut patet ex veteri lege et ex canone Bibliae, primum a Deo sacerdotium institutum est, et post, jubente Domino, per sacerdotium regalis potestas ordinata est.[1]) Caeterum jam diximus, verba Jeremiae consuetum fuisse generali quodam sensu variis in adjunctis afferri, ut praeeminentia potestatis spiritualis prae civili exprimeretur.

Subordinatio igitur potestatis terrenae sub spirituali in Bulla *Unam sanctam* affirmatur ea ratione, qua jam saepius ab aliis Pontificibus, uti in Decretalibus *„Per Venerabilem", „Venerabilem", „Novit"* eadem affirmata fuerat. Sed dominatio quaedam absoluta in temporalia regnorum a Bonifatio VIII nullatenus sibi vindicatur, uti et ipse in Allocutione citata diserte edixerat.

Quid: ad *nutum sacerdotis*.

68. Ut adhuc quorumdam verborum sensum determinemus, advertimus, levem quamdam differentiam apparere quoad rationem, qua intellexerunt varii auctores illa verba: „Uterque ergo (gladius) in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis, is manu regum et militum, *sed ad nutum et patientiam sacerdotis.*" — Aliqui auctores qui in voce *gladii* praesentim ad potestatem coactivam et materialem principum attendunt, et advertunt, hanc in protectionem Ecclesiae adhibendam esse, ac propter motiva gravia etiam usum hujus gladii ad bella injusta ab Ecclesia inhiberi posse, sacerdotis *nutu* intelligunt petitionem aut sollicitationem Ecclesiae vel Pontificis; ad *patientiam* sacerdotis ita exponunt, ut gladius in vaginam mittendus sit, quando ob gravia motiva Ecclesia ejus usum interdicit.

---

[1]) Ap. Molitor l. c. p. 104. nota 3.

[2]) Ita Scheeben l. c. p. 154: „Für die Kirche auf die Aufforderung des Priesters (ad nutum); . . . soll in die Scheide gesteckt werden, wenn die Kirche den Gebrauch untersage (ad patientiam sacerdotis). — Cf. Moulart, L'Eglise et l'Etat, pag. 212

Atque opportune ad rem affertur textus s. Bernardi ex quo verba desumpta sunt: *Quid tu denuo,* scribit, *usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: „Converte gladium tuum in vaginam." Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apostolis: „Ecce duo gladii hic," non respondisset Dominus: „Satis est", sed: „Nimis est". Uterque ergo Ecclesiae et spiritualis scilicet gladius et materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exerendus est: ille sacerdotis, is militis manu, sed ad nutum sacerdotis et jussum imperatoris.*[1]) Ad expeditionem cruciatam s. Bernardus hic maxime respicere videtur, uti et alio loco scribit ad Eugenium III: *Exerendus nunc uterque gladius in passione Domini, Christo denuo patiente, ubi et altera vice passus est. . . . Tempus et opus esse existimo, ambos educi in defensionem orientalis Ecclesiae.*[2])

69. Continetur quidem is quem commemoravimus sensus in verbis istis; attamen censemus, haud esse illum sententiae sensum plenum et integrum: neque ex eo quod verba desumpta sunt ex textu in quo s. Bernardus agit de gladio temporali exerendo in defensionem Ecclesiae, incisum Constitutionis ad illum sensum coarctandum videtur. Agitur enim generatim in Constitutione de subordinatione potestatis temporalis (gladii unius) sub potestate spirituali (gladio altero). Hinc sensum esse censemus, gladium temporalem exerendum secundum *directionem* (ad nutum), vel *tacitum consensum* (ad patientiam) Ecclesiae. Ita universim subordinatio potestatis temporalis sub spirituali exprimitur.[3]) **Sensus plenus.**

---

[1]) De consid. L. IV. c. 3.

[2]) Ep. 256 ad Dom. Pap. Eugenium.

[3]) Ea ratione vertit Molitor: Nach der Weisung des Priesters, oder mit dessen stillschweigender Zulassung. L. c. p. 87. — Périn: Sous la direction et la dépendance du prêtre. Lois chr. L. II. ch. 4. ed. 2. — Hergenröther: Nach dem Willen (voluntas) des Priesters, und so lange er es duldet. Kirche und Staat. S. 301. — Tosti: Secondo l'ordine e

Variae Constitutiones collatae.

70. Quodsi modo comparatur Constitutio *Unam san-ctam* cum Decretalibus Innocentii III *Novit* et *Per Vene-rabilem,* haec opportune animadverti possunt: 1⁰ In Con-stitutione *Unam sanctam* maxime adstruitur et evolvitu *principium fundamentale* subordinationis potestatis tempo-ralis sub potestate spirituali. — 2⁰ In eadem urgetur spe-cialis applicatio hujus principii ad eum casum, quand potestas temporalis deviat, et infertur: „ergo, *si deviat ter-rena potestas, judicabitur* a potestate spirituali.“ Eo san spectabat universim negotium quod cum Philippo Pulchr Bonifatius VIII habebat. — 3⁰ In Decretali *Novit* parite praecipue tractatur eadem specialis applicatio, quod *d peccato* terrena potestas a spirituali judicari possit. Prin-cipium fundamentale de subordinatione potestatis terrena sub spirituali paucis in ea Decretali asseritur. — 4⁰ I Decretali *Per Venerabilem* applicatio generalior princip fundamentalis ab Innocentio III indicatur et vindicatu dum statuit, *quod non solum in Ecclesiae patrimonio, supe quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etia in aliis regionibus „certis causis inspectis“ temporalem juri-dictionem „casualiter“ exercemus.* Ad illos casus videlic pertinet tum *deviatio* illa terrenae potestatis, qua posit *ratione peccati* haec a spirituali auctoritate judicabitu tum *alii casus,* in quibus bonum Ecclesiae, communis fid lium necessitas, vel alia ratio ardua urget, et casualite extraordinario modo, Pontifex suam potestatem in temp ralia exercet. — 5⁰ Generalis tamen haec applicatio in plicite continetur etiam illo principio in Bulla *Unam san-ctam* asserto: *Oportet autem gladium sub gladio esse, temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati.* Quu enim non agatur de mera honoris praeeminentia, sed praeeminentia in ordine juris, indicatur universim, auct

---

la permissione del Papa. Bonif. VIII. P. II. p 153. Hefele vertit Em. Hergenröther, C. G. B. VI. p. 316. Sed Em. Manning videt potius alterum sensum sequi, dum exponit: By the hand of kings soldiers, but at the bidding and sufferance of de Priest. The Vatic Decrees, p. 65.

ritatem spiritualem tribunal seu *instantiam* superiorem constituere. Competentia hujus instantiae in eadem Bulla praecipue consideratur pro speciali casu *deviationis;* in Decretali *Per Venerabilem* amplior et generalior competentia in tota sua extensione, quamvis verbis indeterminatis, *certis ex causis, casualiter,* exhibetur.[1])

71. Eodem die 18° Novembris a. 1302, quo Bullam *Unam sanctam,* Bonifatius aliam quoque edidit Constitutionem, qua excommunicabantur, qui iter ad Apostolicam Sedem impedirent et ad eam accedentes injuriis afficerent. Nihilominus tamen Pontifex Philippum regem ad saniorem mentem, et ad satisfaciendum pro malis Ecclesiae illatis reducere conatus est. Misit videlicet ut legatum Cardinalem Monachi (Lemoine) e Gallia oriundum et Philippo gratum, qui regi modum reconciliationis proponeret. Quum vero Philippus in perversitate sua perseveraret, Cardinali mandavit, ut regem denuntiaret excommunicatum, omnibus autem episcopis Galliae indiceret, ut intra tres menses Romam venirent. Sed nuntius pontificius, Benefractus archidiaconus Constantiensis (Coutances), jussu Philippi Trecis interceptus et documentis privatus est, Cardinalis legatus vero ita habitus, ut ex Gallia aufugeret. Rex interim cum ministris suis de deponendo Bonifatio contulit, ac primum quidem consilium solemne habuit in regio palatio die 12° Martii a 1303, in quo Gulielmus Nogaretus cancellarius[2]), oratione habita, postulavit a rege, ut contra Bonifatium, latronem, haereticum, simoniacum, Concilium generale convocaretur. Dein die 13° Junii rex Parisiis conventum partialem Ordinum[3]) celebravit, in quo Gulielmus de Plessiaco (Plasian) nomine plurium procerum acerbissime in Pontificem in- Luctae continuatio.

[1]) Hac ratione trium Decretalium inter se relationem egregie et usius evolvit Molitor l. c. p. 109 sqq.

[2]) Petrus Flotta et comes Artesius a. 1302 die 11. Junii in praelio apud Cortriacum misere perierant.

[3]) Ex tribus Ordinibus convocavit eos, qui ipsi maxime addicti erant, ut dein reliquos singillatim adduceret ad decreta condita admittenda. Boutaric, La France sous Philippe-le-Bel, p. 26.

vectus, eum 29 capitibus haereseos, simoniae, sortilegii, impudicitiae aliorumque criminum accusavit.[1])

Accusatio in Bonifatium.

Vel ex ipsa indole harum accusationum colligitur, impias eas fuisse calumnias in Bonifatium VIII. Plasian tamen non ex suo penu eas omnino deprompserat, sed ejusmodi horrendi rumores ab adversariis Bonifatii sparsi erant, atque etiam quosdam Cardinales culpa sua vel imprudentia ad id contribuisse inferius videbimus.

72. Hisce propositis contestatus est Plessiacus, se non accusare Bonifatium ex odio, sed zelo fidei et ex devotione erga Ecclesiam et Sedem Romanam. Propterea adhaerendo appellationi et processui super his jam antea per

---

[1]) Ea de re scribit Boutaric, l. c. p. 108: „Guillaume de Plasian lut un écrit où étaient accumulés les chefs d'accusation contre Boniface: Il est hérétique; il ne croit pas à l'immortalité de l'âme ni à la vie éternelle; il a dit qu'il aimait mieux être chien que Français; il ne croit pas à la présence réelle dans l'eucharistie; il prétend que la fornication n'est pas un péché. Il a approuvé un livre d'Arnaud de Villeneuve. lequel livre a été censuré et brûlé; il s'est fait élever des statues dans les églises pour se faire adorer; il a un démon familier qui le conseille; il consulte les devins; il a prêché publiquement qu'un pape ne peut commettre de simonie; il fait trafic de bénéfices; il veut mettre la guerre partout; il a dit que les Français sont des Patarins. Il est sodomite; il a commandé des meurtres; il a forcé des prêtres à révéler les confessions; il a nourri une haine cruelle lontre le roi de France; on l'a entendu dire, avant d'être pape, que s'il le devenait, il ruinerait la chrétienté, ou il detruirait la fierté française; il a empêché la paix entre la France et l'Angleterre; il a pressé le roi de Sicile de faire mourir tous les Français; il a confirmé le roi d'Allemagne à condition de réduire la superbe des Français (superbiam Gallicanam). qui, prétendait-il. se vantaient de ne pas connaître de supérieur au temporel, en quoi ils mentaient par la gorge, que si un ange lui disait que la France ne lui est pas soumise, à lui et à l'empereur, il lui crierait anathême; il a causé la ruine de la Terre sainte, ayant pris tout l'argent qui y était destiné, pour le donner à ses parents dont il a fait des marquis, des comtes et des barons, et auxquels il a fait bâtir des châteaux; il a expulsé la noblesse de Rome; il a rompu des mariages; il a créé cardinal un de ses neveux, qui n'est qu'un ignorant et qui était marié, et a forcé sa femme de prendre le voile dans un couvent; il a fait périr en prison Célestin son prédécésseur.“ Documenta accusationum contra Bonifatium et processûs contra eum post instituti latine habentur maxima ex parte ap. Dupuy in opere jam passim citato. Cfr. etiam Baillet, Hist. des démêlez etc. Additions

nobilem virum Guillelmum de Nogareto factis, appellat *ad sacrum convocandum generale Concilium, et ad s. Sedem Apostolicam, et ad illam et ad illos ad quem et ad quos de jure melius potest et debet, jure, honore et statu s. Sedis Apostolicae in omnibus semper salvis:* rogans regem, *ad quem spectat s. Matris Ecclesiae fideique catholicae defensio*, et praelatos *qui in Concilio generali debent esse judices*, ut illius convocationem et celebrationem totis viribus procurent. — Rex pariter *fidei negotio et Ecclesiae statui* consuli cupiens, *pro vitando dispendio scandali generalis, salvis in omnibus S. R. Ecclesia honore et reverentia debitis*, assentitur convocationi et congregationi dicti Concilii, opemque et operam ad id pollicetur efficacem: archiepiscopos, episcopos et caeteros praelatos rogat, ut hujusmodi Concilii convocationem et congregationem urgeant, *cui personaliter intendit interesse.* Utque majestatem suam, regnum, ecclesias, praelatos, barones, aliosque subditos contra Bonifatii molitiones tueatur, ad praedictum generale Concilium, et ad verum legitimum futurum summum Pontificem, vel alios, ad quem vel ad quos fuerit appellandum, provocat et appellat in scriptis.

73. Demum praelati in comitiis praesentes, quinque scilicet archiepiscopi, viginti et unus episcopi, abbates insignes undecim, *convocationem et congregationem Concilii generalis ex praemissis et aliis causis utilem et omnino necessarium reputantes, ut ipsius domini Bonifatii innocentia clareat, sicut exoptant, aut de impositis sibi per Concilium discutiatur, statuatur et fiat quod decernunt canonicae sanctiones*, regis et comitum postulatis super ipsius convocatione Concilii assensum praebent, *salvis in omnibus s. Romanae Ecclesiae honore et reverentia debitis.* Seque paratos profitentur convocationi et congregationi dicti Concilii *juxta ss. Patrum instituta, et canonicas et legitimas sanctiones opem dare et operam efficaces. Non intendentes quoquo modo partem in hoc negotio facere, seu quibuscumque partem facientibus adhaerere.* — Nihilominus ut se suasque ecclesias, parochos et subditos contra Bonifatii molitiones muniant, pro se ac illis, sibique adhaerentibus et adhaerere

Praelati Galliae.

volentibus, *ad praedictum Concilium congregandum, et ad futurum verum et legitimum summum Pontificem, et ad illum vel illos, ad quem vel ad quos de jure fuerit appellandum,* provocant et appellant in scripto.[1])

Ultima Bonifatii gesta.

74. Ubi ista cognovit Bonifatius Papa, die 15° Augusti in Cardinalium consistorio Anagniae habito, solemni sacramento se ab affictis sibi criminibus purgavit, appellationem conventus Parisiensis nullius esse valoris declaravit, variasque edidit Constitutiones, ut contra impium regem dignitatem et jura Sedis Apostolicae vindicaret. Calumniam haeresis praecipue in edicto *Nuper ad audientiam*, magna cum indignatione repellit. *Sed ubi,* inquit, *auditum a saeculo, quod haeretica fuerimus labe respersi? Quis nedum de cognatione nostra, imo de tota Campania unde originem ducimus, notatur hoc nomine?*[2]) Praeparata dein est, ut publicaretur die 8° Septembris, Bulla *Super Petri solio,* qua rex communione Ecclesiae et regno privabatur et subditi a fidelitatis juramento solvebantur.[3]) Sed antequam Bulla promulgaretur, Bonifatius in manus hostium incidit.

75. Rex enim jam mense Aprili Gulielmum Nogaretum cum Sciarra Columna in Italiam miserat, ut Bonifatii consilia irrita redderent. Illi collecta conductitiorum militum manu, die 7° Septembris Anagniam ingressi, in palatium Pontificis irruperunt et Bonifatium in eo captivum tenuerunt multisque affecere conviciis. Insigni ratione ac fortissimo animo Pontifex in istis angustiis suam dignitatem et auctoritatem tuitus est. — Triduo post tamen Bonifatius VIII a civibus Anagniae ex illorum manibus liberatus ac Romam deductus, cum gaudio a civibus receptus fuit. Sed etiam in Urbe Pontificis auctoritas ac libertas ab Ursinorum factione modo indigno coarctabatur.[4]) Unde senectute atque animi moerore confectus, vehementi febre mox correptus fuit, ac sacramentis rite susceptis, die 11° Octobris obiit, senex

---

[1]) V. Natal. Alex. Diss. cit. art. 4.
[2]) V. Raynald. ad a. 1303. nn 36 sqq. et ad a. 1311. n. 40.
[3]) Ap. Raynald. ad a. 1311 n. 44.
[4]) Cfr. Balan, Stor. d' Ital. T. IV. L. XXVIII. n. LVIII.

octoginta sex annorum. Adfuerunt ejus morti octo Cardinales aliique nobiles viri, et ex testimonio Jacobi Cardinalis de Stephaniscis praesentis constat, Pontificem emissa professione fidei catholicae spiritum Deo redidisse.[1]) Bonifatii mors.

76. Scripsere indigna admodum de Bonifatii obitu nonnulli auctores, qui ab hostibus jactata inconsulte litteris mandarunt; inter alia autem, ex dolore actum in rabiem proprias carnes Pontificem morientem rosisse. Quorum ridicula et inepta mendacia vel ex ipsa corporis, quod post trecentos annos corruptionis fere expers inventum est, ad nihilum plane redacta sunt. Quum videlicet Bonifatius in s. Petri basilicae sacello, quod eximio cultu condiderat, sepultus fuisset, sacellum illud cum splendidius conderetur basilica s. Petri, tempore Pauli V evertendum fuit. Tunc a. 1605 die 11° Octobris Bonifatii corpus corruptionis fere immune magna adstantium admiratione repertum fuit, et ne minimum quidem laesionis vestigium in ipso inventum.[2])

VI.

De processu juridico contra Bonifatium.

77. Defuncto Bonifatio VIII, cum F. Nicolaus Boccasinus O. F. P., Episcopus Card. Ostiensis, Pontifex electus fuisset sub nomine *Benedicti XI,* et creationis ejus nuntius in Galliam perlatus esset, Philippus rex gratulatoriam scripsit epistolam, quam per tres legatos Pontifici tradi fecit. Erga Pontificem omnimodam obedientiam et devo-

---

[1]) Sic scriptor ille coaevus:

„Pauco nam tempore fluxo
Decursoque die, lecto prostratus anhelus
Procubuit, fassusque fidem, curamque professus
Romanae Ecclesiae, Christo tunc redditur almus
Spiritus, et saevi jam nescit judicis iram,
Sed mitem placidamque patris, ceu credere fas est"

[2]) Cfr. Raynald. ad a. 1303 n. 44. et Il Papato l. c. p. 169 sqq.

Benedictus XI R. P. tionem eâdem epistola professus est, ejusque benevolentiae regnum et ecclesiam Galliae commendavit. Benedictus tunc indulgentia utendum esse censuit, ut pax restitueretur, et Philippum, praelatos, omnesque viros ecclesiasticos et religiosos, atque alios a censuris absolvit, privilegia et jura, quibus rex a Bonifatio fuerat privatus ei reddidit, et sic regem et regnum in pristinum restituit statum. Constitutionem autem *Clericis laicis* temperavit secundum canonem 46um Concilii Later. IV, nimirum ut soli exigentes ab ecclesiis vel ecclesiasticis viris decimas aut pecunias incurrerent censuras. Petrum etiam et Jacobum Columnenses veniam postulantes in gratiam recepit, sed in pristinos honores non restituit. Haec tamen ita praestitit, ut dignitatem Sedis Apostolicae et memoriam Bonifatii VIII nullo modo laederet. Injuriam et vim sacrilegam a Nogareto et Sciarra Columna Bonifatio VIII illatam non reliquit inultam, sed per Bullam *Flagitiosum scelus* d. d. 7° Junii eos eorumque complices in excommunicationem e canonum praescripto incidisse declaravit, ad Apostolicum tribunal evocavit, et venire spernentes anathemati subdidit. — Interea vero Nogaretus et Plasianus Philippum incitaverant, ut iterum posceret Concilium generale convocandum, quod de Bonifatio, quem tanquam haereticum accusabant, sententiam diceret. Rex negotium hoc legatis suis demandavit; sed Benedictus, quum postulationem de convocando Concilio proponerent, eam declinare studuit. In Gallia autem eodem tempore editus est libellus nomine totius nationis ad regem directus, quo postulabatur, ut ipse regnum contra mortui Pontificis insultus vindicaret ac damnationem ejus ut haeretici procuraret. — Sed difficultatibus omnibus matura morte ereptus est Benedictus XI: obiit enim Perusii die 7° Julii a. 1304, multique eum veneno interemptum esse suspicati sunt.[1])

78. B. Benedicto XI successit *Clemens V*, de cujus electione et rebus gestis altera Dissertatione agemus. Hunc

[1]) Cfr. Balan Storia d'Italia T. IV. L. XXIX. n. III.

Pontificem iterum Philippus inde ab anno 1307 maxime arctavit postulatione sua, ut in Bonifatium, haeresis et aliorum criminum accusatum, judicium inquisitorium institueretur. Clemens V demum quadamtenus cessit. Excusari autem possit Pontifex eo, quod confidebat, innocentiam Bonifatii, quem se habere insontem Clemens profitebatur, facillime probatum iri; sua concessione vero sperabat, regem adigi posse, ut etiam inquisitio contra Templarios non arbitraria dispositione Philippi, sed legitimo et regulari modo institueretur. Per plures dein annos causa Bonifatii coram delegatâ per Pontificem Commissione tractata fuit, ejusque accusatores et defensores auditi. Singula quae hoc in negotio acciderunt haud referemus, sed pauca sufficient. Processus in Bonifatium.

79. Duodecim sese praesentarunt defensores Bonifatii, qui eum ab accusationibus plane falsis vindicabant; accusatores autem erant filii illi iniquitatis, Nogaretus et Plasianus ac tres alii eorum socii. Ubique conquisiverant testes, qui contra Bonifatium quid edicerent, et usque ad medium annum 1310 in Gallia et Italia testimonia audita fuerunt, ut tali modo processus instrueretur. Exstant depositiones triginta septem testium, inter quos fuerunt circiter duodecim clerici, qui contra Bonifatium immania deposuerunt, ita ut incredulitatis, magiae, simoniae, impudicitiae maximae, haeresis argueretur. Sed si consideratur, quales fuerint homines illi qui Pontificem accusarunt, si ipsae accusationes, quarum plures sunt ineptissimae, inspiciuntur, si tota vita Bonifatii et coaevorum optima testimonia perpenduntur, certo colligitur, illud negotium nihil aliud fuisse, nisi mysterium quoddam iniquitatis. Perversi illi viri et consiliarii regis hunc seduxerunt, et auro dein testes iniqui conducti sunt. — Postremo, anno 1311, Philippus eatenus Clementi obsecutus est, quatenus totum negotium de Bonifatio ipsi relinqueret, atque tunc tristissimus ille processus mox sopitus est.

80. Sed petiit Philippus, ut Pontifex declararet, ipsum regem bona fide in causa ista egisse, et zelo quodam

Cardinalium depositiones.

laudabili. Hinc jubente Clemente depositiones a pluribus praelatis et Cardinalibus factae sunt, ut aperirent, quid hac de re ipsis notum esset. Hac ratione Pontifex ex solemni assertione regis et depositione illorum sufficiens fundamentum pro tali declaratione habere poterat; ipsius enim non erat, regis conscientiam ulterius perscrutari. Ac revera assertionibus illis et depositionibus nisus, Clemens die 27° Aprilis 1311 declaravit, Philippum accusatoresque Bonifatii bona fide egisse. — Ex iisdem porro depositionibus colligitur, etiam aliquos Cardinales malos rumores de Bonifatio ad Philippum detulisse, eumque excitasse, ut de Ecclesia juvanda cogitaret. Sic Cardinalis Nicolaus de s. Eusebio, antea Philippi regis confessarius, et a Clemente V ad dignitatem Cardinalis evectus, declarat, venisse a. 1297 duos PP. Dominicanos missos a Cardinalibus Columnensibus, afferentes litteras, quibus Bonifatius VIII ut intrusus et haereticus accusabatur. Etiam per alios illas accusationes et rumores ad Philippum pervenisse; hisque eum fuisse commotum. Napoleo Cardinalis Orsini declarat, a Cardinale Simone Praenestense, et a Cardinali Monachi auxilium a Philippo contra Bonifatium esse petitum; seipsum vero de Ecclesiae periculo et de necessitate auxilii regis cum Carolo Valesio esse locutum. — Idem dixit Cardinalis Joannes Monachi (Lemoine), addens, seipsum, nisi fallatur memoria, regi Philippo et aliis iteratim dixisse, Bonifatium esse haereticum.[1]) — Petrus et Jacobus Car-

---

[1]) „Interrogatus, si ipse nunquam locutus fuit regi, quod dictus Dominus Bonifatius esset haereticus, dixit, se credere dixisse regi, Dominum Bonifatium esse haereticum et recordatur, quod ipse dixit pluries Domino Petro de Monacho quondam episcopo Ancissano et pluribus aliis de gentibus regis et etiam aliis qui fovebant partem Columnensium, quod ipse credebat dictum Dominum Bonifatium esse haereticum. Interrogatus quod ipse super hoc credit, respondit, quod credit. . . Et audivit dici, quod plures Fratres Minores gerentes officium Inquisitionis contra haereticos informarunt regem de haeresi dicti Domini Bonifatii" Processus factus jussu D. Clementis Papae V etc. pp. 52. 53., Abhandl. der K. Baierischen Akademie der Wissensch. histor. Classe, 1843, III.

dinales Columnenses declaraverunt, se nuntiasse regi Philippo facinora Bonifatii; et varia contra Pontificem in sua depositione adjecerunt. Ita etiam Petrus abbas s. Medardi, saepe a rege Romam missus, multa se ibidem a Cardinalibus variis aliisque personis contra Bonifatium audiisse et regi retulisse, deponit.[1])

Vindicatur Bonifatius.

81. Attamen haec non sunt ejusmodi argumenta, quibus inducimur, ut de probitate et honestate Bonifatii dubitemus. Cardinales Columnenses infensissimi fuerant Bonifatio; Cardinalis vero Ursini partes factionis Gallorum antea tenuerat, ipseque fama mala eousque laborabat, ut de morte Benedicti XI per venenum procurata suspectus haberetur.[2]) — Haud negamus, contra Bonifatium a permultis adversariis, partim mala et partim bona fide, pessimos rumores sparsos et propagatos fuisse. Mirum igitur non est, si hos rumores etiam Cardinales varii acceperunt. Petrus abbas s. Medardi et Cardinales Simon Praenestinus, Joannes Monachi, et Nicolaus de s. Eusebio ex Gallia oriundi, nimium partes regis secuti sunt, nimisque cito de Bonifatio suspiciones habuerunt. Habuit Joannes Monachi praeterea aliquando simultatem cum Bonifatio; huic enim improperavit, quod Cardinales non satis consuleret, idque Pontifex aegerrime tulit.[3]) Hinc ejus accusatio, quae prae caeteris gravior videtur, quod Bonifatius haereticus esset, revera vim non habet. Praeterea vero speciatim quoad hanc accusationem, Bonifatium ut plane orthodoxum a Concilio Viennensi declaratum esse, plures scriptores referunt.[4]) Quod si igitur haec accusatio nullam fidem meretur, jure etiam reliquas ut putidas rejicimus calumnias.[5]) Valeat igitur de Bonifatio VIII elogium illud s. Antonini: *Nobilis*

---

[1]) Cfr. Processus factus etc. pp. 54 sqq.
[2]) Cfr. Balan, Storia d'Italia L. XXIX. n. III
[3]) Dupuy, l. c. p. 399.
[4]) V. Hefele, C. G. B. VI. § 700.
[5]) Cardinalium declarationes publicatae fuerunt ex Codice Biblioth. Barberini a. 1843 per C. Höfler. V. Abhandl. d. hist. Kl. der K. Bayer. Akad. d. Wissenschaften, Bd. III. 3.

secundum saeculum, vir utique prudens et litteralis et magni animi, zelator magnus et conservator jurium Ecclesiae.[1])

82. Quemadmodum jam animadvertimus, inde a fine Pontificatus Bonifatii VIII paulatim multum imminutus fuit influxus permagnus et salutaris Pontificum in principes et in societatem civilem, ac vehementius impugnata auctoritas illa, quam certis ex causis modo extraordinario etiam in temporalia regnorum Sedes Apostolica exercebat. Paulatim etiam ipsa subordinatio potestatis temporalis ac terrenae sub auctoritate spirituali multum a variis scriptoribus attenuata, limitata vel denegata est. Attamen eminentissimi auctores catholici, tum medii aevi tum subsequentium saeculorum, intrepide eam auctoritatem vindicaverunt et apte explanarunt. Disponente autem providentia Dei factum est, ut, quum tempora periculosa ingruerent, Bonifatius VIII Constitutione illa *Unam sanctam* hanc Ecclesiae auctoritatem solemnius proclamaret, principia vera exponeret, et saeculis subsequentibus insigne illud relinqueret doctrinae documentum.

Indoles potestatis indirectae.

83. Qua vero ratione illa auctoritas concipienda sit, et quomodo etiam usque ad depositionem principum quibusdam in casibus ea sese extendat, satis colligitur ex iis quae variis in locis exposuimus. Illud maxime advertendum est, ultimam *originem* talis auctoritatis non ex jure sociali, sed ex *indole Primatus* divinitus constituti repetendam esse; jure sociali auctoritatem illam *agnitam* esse et *secundario quodam modo confirmatam; exercitium* autem ejusmodi auctoritatis multum dependere ex temporum adjunctis et ex ipso societatis civilis statu, qui variis temporibus varius esse potest. Ratio vero, cur *exercitium* illius juris medio aevo rationabile et utile esset, repetenda est ex statu societatis et ex jure sociali illius temporis, atque ex consensu nationum. Dominatio videlicet arbitraria et tyrannica principum praecipue exercitio illius juris impediebatur. Nostro autem tempore adjuncta societatis plane

[1]) Summa hist. P. III. tit. 20. c. 8. § 1.

mutata sunt. Haeresis enim Lutheri disrupit illam unitatem societatis christianae; et ex una parte principes se subtraxerunt arbitrio paterno Romani Pontificis, ex altera vero parte ipsorum principum vera auctoritas fere elisa est, quum multitudinum jugo et arbitrio mutabili ipsi subsint. Hinc non est, cur politici hac aetate de exercitio illius juris Romanorum Pontificum inani cum pavore solliciti sint.[1])

---

[1]) Cfr. Civiltà catt. Sept. 1871. Stolta guerra dei Politici contra il domma del infallibilità pontificia. (Ser. VIII. Vol. IV. p. 11 sqq.)

Dissertatio trigesima prima.

De abolitione Ordinis Templariorum.

Dissertationis indoles.

1. Eventus praecipuus pontificatus Clementis V fuit abolitio Ordinis Templariorum, quae cum approbatione Concilii oecumenici Viennensis facta est ab eo, per Constitutionem *Vox in excelso* d.d. 2° Martii a. 1312. Processus contra Templarios institutus et abolitio hujus celeberrimi Ordinis monastico-militaris intentos habuit animos omnium coaevorum; sed etiam subsequentibus temporibus quaestio de Templariis, de eorum innocentia vel reatu, ac de suppressione ipsorum, inter eruditos multoties agitata est. Plerique quidem scriptores ecclesiastici antiquiores, quamvis in causa Templariorum plura male a Philippo Pulchro acta esse admittant, tamen reos fuisse illos meritoque Ordinem suppressum, conveniunt. Sed inter recentiores scriptores major est dissensio. Sunt enim tum inter ecclesiasticos tum inter profanos auctores alii, qui innocentem fuisse Ordinem existimant, alii vero, iique plures, qui contendunt, crimina Templariorum negari non posse, Ordinemque a Clemente V juste et prudenter esse abolitum.[1]

---

[1]) Immerito scribit in opusculo recenter edito Loiseleur: „La cause des Templiers est à cette heure presque généralement abandonnée, même

Etiam de modo agendi quo Pontifex usus est in toto isto negotio, varium est judicium. Alii enim, uti certe in pluribus negotiis, ita etiam hac in re nimium eum existimant cessisse Philippo, qui bonis Templariorum acquirendis inhiabat; alii vero censent, hoc in negotio Pontificem potius constantia quadam et firmitate conveniente regi obstitisse, atque ita omnia quantum poterat, disposuisse, uti justitiae et aequitati consonum erat. — Animadvertendum porro est, recentiori tempore plura reperta vel primum publicata esse documenta magni momenti ad causam Templariorum dijudicandam, indeque factum esse, ut eruditi nostri temporis quaestionem hanc denuo multis discutiant. Ut vero eam plenius et accuratius tractare possimus, necessarium erit, etiam alios quosdam eventus temporum Clementis V considerare.

2. *Scriptores praecipui* qui hac in quaestione possunt consuli sunt: Raynaldus, *Annales a. 1305—1314.* — Natalis Alexander, *Hist. eccl. saec. XIV. Dissert. 10. cum annot. Mansi.* — Palma, *Praelect. H. E. T. III. p. II. c. 12.* — Dupuy, *Histoire de la condamnation des Templiers.* Paris 1650. Bruxelles 1751. — Wilcke, *Geschichte des Ordens der Tempelherren. Nebst Bericht über seine Beziehungen zu den Freimaurern und den neuern Pariser Templern.* Ed. 2. Halle 1860 (cum Catalogo auctorum qui de Templariis egerunt). — Gürtler, *Historia Templariorum.* Amstelodami 1692. — De Hammer, *Mysterium Baphometi detectum.* Viennae 1818 (Mines de l'Orient, T. VI). — Michelet, **Auctores consulendi.**

par les écrivains ecclésiastiques. Ces écrivains ont fini par comprendre qu'il fallait choisir entre la culpabilité des accusés et celle de l'Eglise qui les a condamnés: les premiers ne peuvent être déclarés innocents, sans que leurs juges soient reconnus coupables" La doctrine secrète des Templiers, par M. Loiseleur. Paris Durand, 1872. — Nescivit videlicet hic auctor, scriptores ecclesiasticos generatim usque ad tempora recentiora Templarios judicasse reos et merito suppressos. Eorum causam potius inde a saeculo elapso mediante susceperunt Protestantes et Rationalistae, dein etiam varii Catholici. Sed immerito verbis illis veluti innuitur, ecclesiasticos praecipue cordi habuisse Templariorum defensionem

Procès des Templiers, T. I. 1841. T. II. 1851 Paris. — Boutaric, *Clément V, Philippe-le-Bel et les Templiers,* Revue des questions historiques, (1871—72). X. 301. XI. 5. — Loiseleur, *La doctrine secrète des Templiers,* Paris 1872. — Hefele, *Concilien-Gesch.,* B. VI. — Damberger, B. XII. XIII. — Civiltà cattolica, *Clemente V e Filippo il Bello,* (a. 1859. III.), *Clemente V e i Templari* (1866. III. IV.). — B. Jungmann, *Clemens V u. die Aufhebung des Templerordens,* Innsbrucker Zeitschrift (1881) V. 1. — Alios auctores vide ap. Chevalier, Bio-Bibliographie sub voce Clemens V.

I.

De electione Clementis V, deque initiis ejus Pontificatus.

Electio Clementis V.

3. Post mortem b. Benedicti XI Apostolica Sedes vacavit prope undecim mensibus propter Cardinalium, qui Perusiae congregati erant, dissensionem; alii enim Italum et Bonifatii amicum, alii vero Gallum et Philippo regi deditum eligi optabant. Huic parti Cardinalium praeerant Napoleo Ursini et Nicolaus de Prato, illi vero parti Matthaeus Ursini et Franciscus Gaëtani. Quum jam per novem menses Cardinales congregati essent, venerunt tres legati Philippi, qui de scopo adventus sui a gubernio Perusiae bis interpellati, nil mali ipsis propositum esse asseruerunt, sed id solum se in votis habere, ut electio novi Pontificis accelemaretur.[1]) Dein post duos menses, die 5⁰ Junii a. 1305, extra collegium electus fuit Bertrandus de Goth, natione Gallus et archiepiscopus Burdigalensis, qui, accitis in Galliam Cardinalibus die 14⁰ Nov. Lugduni in ecclesia s. Justi inauguratus fuit sub nomine *Clementis V.*

[1]) Dupuy, Hist. du différend etc. Actes et preuves, p. 277.

Magni sane momenti est inquirere, utrum in hanc electionem talem exercuerit influxum Philippus, ut inde in *servilem* quamdam dependentiam redactus fuerit Pontifex. Ita enim multi existimant auctores usque in hunc diem, iis maxime permoti, quae hac de re Villani narrat, quaeque s. Antoninus latine versa in suam Ecclesiae historiam recepit.

4. Ille videlicet scribit, post longam Cardinalium dissensionem decimo mense inter eos convenisse, ut pars Italorum designaret tres Gallos quos ad pontificatum idoneos judicaret, ex his vero pars altera, nempe Gallorum, intra quadraginta dies unum eligeret, qui ab omnibus tanquam canonice electus haberetur. Itali hanc propositionem acceperunt, *intendentes tales assumere, qui fuissent amici olim Bonifatii et regi Franciae parum affecti.* Designaverunt igitur tres episcopos, inter quos erat Bertrandus Burdigalensis, *qui creatus fuerat archiepiscopus a Bonifatio Papa, nec regis amicus propter offensas factas suis consanguineis in Vasconia per dominum Carolum Valesianum.* Altera pars velocissime regi Philippo intimavit negotium, et *quia illum Burdigalensem, quem procuraret reconciliare sibi et amicum fieri, si sibi placeret Papam facerent: quem cum nossent avidum honoris et gloriae, ut Vasconem, et ad omnia flexibilem, ut illa consequeretur sperabant facile inducendum ad omnem partem et amicitiam contrahendam cum rege Franciae, et illum adoptata exauditurum, sicut rei postmodum probavit eventus.* Rex igitur litteris acceptis invitavit archiepiscopum ad colloquium in Abbatia s. Joannis d'Angely in Santonia (Saintonge). Ibi Philippus verbis placabilibus eum induxit reconciliatum habere Carolum Valesianum, et dein dixit: *Domine archiepiscope, scias in manibus meis esse positum, te facere posse Pontificem summum; ostendens ei litteras super hoc destinatas. Si igitur vis, ut faciam te summum Antistitem, volo promittas mihi concedere certas gratias, quas postulabo. Quibus* (litteris) *perlectis archiepiscopus ait stupefactus ex re ipsa: Domine, mi rex, video, quod magis me diligis, quam alium quemcumque in mundo, et bona mihi tribuis pro malis: demum no-*

Narratio Villanii.

veris tuum esse praecipere et meum obedire, sum enim ad omnia exequenda paratus. Tunc rex osculatus est eum. Istae sunt, ait, gratiae quas a te requiro. Prima est, ut me perfecte reconcilies Ecclesiae sacrosanctae, relaxando et veniam dando de adjutorio dato in captura Bonifatii Papae. Secunda est, ut censuras excommunicationis amoveas contra me et sequaces meos prolatas. Tertia est, quod mihi concedas omnes decimas regni per quinquennium, in reparationem expensarum multarum in bello inito contra Flandrenses. Quarta, quod promittas mihi cassare et ad nihilum reducere memoriam Bonifatii Papae. Quinta, quod restituas honorem et dignitatem cardinalatus domino Jacobo et domino Petro Columnensibus ablatam eis per Bonifatium, et reponas eos in statum pristinum cum eis etiam creando aliquos Cardinales amicos meos. Sextam mihi reservo exprimendam loco et tempore suo, arduam et magnam.[1]) Hanc sextam conditionem alii existimant fuisse abolitionem Ordinis Templariorum, alii elevationem Caroli Valesii in Imperatorem Romanum.

Falsa probatur.

5. Sed totam hanc narrationem, etsi plerique auctores eam secuti sint, ex antiquioribus jam Illmus Mansi non fundatam censebat, nostro vero tempore eam falsam esse solidis argumentis demonstratum est.[2]) Argumenta praecipua sunt ista: 1° Nullatenus, ut Villani refert, verum est, inter Bertrandum Burdigalensem et Philippum discordias fuisse, sed constat ex documentis, regem ab illo eo tempore non fuisse alienum. 2° Cardinalis Ostiensis Nicolaus de Prato O. P., Italus, cui Villani praecipue auctoris dolosi partes tribuit, vir erat spectatae virtutis cujus characteri talis agendi modus nullatenus consonat

---

[1]) Cf. S. Antonin. Summa histor. P. III. Tit. XXI. C. I, ap Raynaldum ad a. 1305. n. 2 sqq. — Villani, Hist. Fior. L. VIII c. 8. ap Muratori, Script rer. Ital. T XIII. p. 417.

[2]) Rabanis, Clément V et Philippe-le-Bel. Paris 1858 — Boutaric La France sous Philippe-le-Bel. Paris 1861. — Idem Clément V, Philippe-le-Bel et les Templiers. Revue des Questions hist. 1871—1872. — Hefele, Conc. Gesch. B. VI. § 695.

Napoleo vero Card. Ursini in epistola post Clementis mortem ad Philippum data, qua deplorat calamitates Ecclesiae, ea ratione de electione Clementis loquitur, qua loqui haud potuisset, si ipse (ut caput factionis Gallicae) in prava quadam hac de re negotiatione implicatus fuisset.[1]) Simile argumentum petitur ex epistola Clementis, d. d. III. Id. Oct. a 1305, ad Philippum regem, qua eum monet, ut non aegre ferat, quod solemnem acceptionem electionis ei non significaverit. In ea: „Consensum, scribit, electioni praefatae solemniter et publice, licet *inviti ac multis devicti instantiis*, praestitimus IX Kal. Aug.“ Quomodo Philippo haec scribere potuisset, si ea quae referuntur a Villani inter regem et ipsum intervenissent? — 3⁰ Electio nullatenus, uti Villani refert, facta transactione unanimiter effecta est. Sed, uti documenta ostendunt, ex votis quindecim Cardinalium in Conclavi praesentium, facto ultimo scrutinio Clemens obtinuit decem, adeoque numerum votorum stricte necessarium. Tunc reliqui quinque Cardinales dissentientes, inter quos fuit v. g. Jacobus Stephaneschi, accesserunt, pariterque quatuor Cardinales absentes. — 4⁰ Argumentum postremo peremptorium contra illam narrationem eo continetur, quod evidenter demonstrari potest, Bertrandum Burdigalensem episcopum et regem Philippum tempore illo, cui negotiatio necessario adscribenda foret, non potuisse ad abbatiam s. Joannis in

Qualis electio.

[1]) „Meminimus nos, scribit, sex mensibus fuisse in carcere Perusii, in quo solus Deus novit cum quantis periculis corporis et sollicitudinibus cordis exstitit laboratum, et reliqui domum meam solito ut possem habere Pontificem de regno, cupiens regi et regno esse provisum, et sperans, quod quicumque regis sequeretur consilium, urbem et orbem bene regeret et Ecclesiam reformaret. Et quoniam cum multis cautelis quibus potuimus hunc qui decessit elegimus, per quem credebamus regnum et regem magnifice exaltasse. Sed, proh dolor, versa est in luctum cithara nostra. . . . Hoc solum consolationis habui inter doloris aculeos, mortis mentis et corporis, quod ejus electione non nisi Dei et regis et regni (honorem?), quem unum credidi, intendebam.“ — Napoleonis de Ursinis Cardinalis epistola ad Philippum regem Francorum de statu Ecclesiae post obitum Clementis V. — Ap. Balut. Vitae Pont. Avenion. T. II. p. 289.

Sanctonia convenire. Si computantur videlicet, secundum ea quae per Villani referuntur, tempora, colligitur, conventum illum regis et archiepiscopi adscribendum fore alteri parti mensis Maji.[1]) Jam vero exstat Itinerarium Philippi regis authenticum,[2]) quo inspecto ex regestis originalibus Cancellariae colligitur, Philippum mense Aprili et Majo nec in abbatia s. Joannis in Sanctonibus nec in Pictaviensi territorio fuisse aut esse potuisse, quum continuo Parisiis degerit. Praeterea Bertrandus mense Majo faciebat visitationem provinciae ecclesiasticae suae, et exstat diarii ejus compendium, in quo consignatum est, ubi variis diebus mensis Maji archiepiscopus fuerit. Ex his autem regestis apparet, illo tempore, cui ex chronista Florentino conventus ad abbatiam s. Joannis adscribendus esset, archiepiscopum semper degisse in oppidis et civitatibus quae inde viginti trigintave leucis distabant.[3])

An adfuerit influxus Philippi P.

6. Ex dictis igitur colligitur, conventum illum a Villani relatum fabulis esse adscribendum. Restat tamen quaestio, qualem influxum Philippus in electionem Clementis habuerit. Raynaldus satis acerbe scribit: *Certe turpis alicujus foederis inter Clementem et regem initi suspicionem injicit effusum illud postea in Philippum studium.*[4]) Et Mansi: *Non nego tamen,* ait, *Philippi opera, et forte etiam donariis, Clemente inscio, inductos Cardinales quosdam, ut virum hunc in Pontificem maximum deligerent. Id enim uno fere assensu aequales omnes scriptores affirmant.*[5]) Sed Clementis acta optime explicari possunt, quin turpe aliquod pactum inter ipsum et regem supponatur, pariterque Cardinales aliquos pecunia corruptos fuisse, probari nequit.

---

[1]) Narrat Villani, convenisse Cardinales ut infra 40 diebus ex tribus propositis electio fieret. Electio facta est die 5° Junii, unde qua ratione ordinanda essent nuntiorum iter in Galliam, conventus regis et archiepiscopi, reditus nuntiorum, facile colligitur.

[2]) Recueil des historiens de France, t. XXI.

[3]) V. Hefele, B. VI. § 695. — Boutaric, Clément V etc. Revue des Quest. histor. X. 301 sqq.

[4]) Ad a. 1305. n. 5.

[5]) Observatt. in Annales Raynaldi ad a. 1305 n. 1.

Philippum studuisse Cardinales excitare, ut personam ipsi gratam eligerent, haud est cur inficiemur; caeterum vero ad electionem Clementis pars illorum variis rationibus moveri poterat.

7. Quemadmodum videlicet in magnis Ecclesiae difficultatibus cum potestatibus saeculi evenire solet, non una erat sententia Cardinalium de modo agendi, qui sequendus esset. Una pars jura Ecclesiae, sicuti Bonifatius fecerat, cum vigore contra regem vindicanda esse existimabat, altera vero pars Cardinalium conciliationi studendum esse eo magis censebant, quod magna schismatis pericula ipsi considerabant et splendorem regum Galliae eorumque continuam usque ad recentissima tempora pietatem ac in Ecclesiam animum devotum. Bertrandus archiepiscopus Burdigalensis apta ipsis persona videri poterat. Etenim regi quidem acceptus erat, sed etiam Bonifatio addictus habebatur. Ab ipso enim a. 1295 episcopus Convenarum (Cominges) ac dein a. 1299 archiepiscopus Burdigalensis creatus erat, et a. 1302, invito rege, ad concilium Romanum venerat. Frater ipsius, Berardus, fuerat Cardinalis episcopus Ostiensis; et Pipinus Bononiensis O. P. refert, Bertrandum, dum a. 1302 Romae degeret, favorem et amicitiam Bonifatii et Cardinalium sibi conciliasse. Quum praeterea ex familia Vasconiae nobilissima oriundus esset, et eousque in illis degisset Galliae regionibus, quae Philippi quidem dominio summo, sed Angliae regis gubernio et dominio immediato ut feuda subjiciebantur, sperabant fore, ut Philippi influxui haud nimium Pontifex electus subesset, eo vel magis, quod supponebant, eum Romam esse venturum.

Ratio electionis.

8. Sed Clemens turbas et potentium nobilium factionumque discordias in Italia reformidans, Romam proficisci distulit et in Gallia ad tempus remanere constituit. Sic per se subditus erat influxui potentis Galliae regis, et cum eo concordiam et pacem conservare quantum posset, coactus est. Status hic rerum profecto periculo plenus erat, eo magis quod Philippus, callidis circumdatus consiliariis, violentiam dolo

Clementis indoles.

temperabat, et dum Ecclesiae dominari studebat, zelum et protectionem simulabat religionis. Clemens vero non satis perspiciebat omnia discrimina. Generatim jam tendentia quaedam conciliationis, moderationis ac transactionis praevaluerat; adeoque Bonifatii gesta ut minus prudentia et inopportuna forte Pontifex considerabat. Regi nationis Gallorum, ex qua ipse oriundus erat, ut saepe praelati Galliae, animo addictus erat; hinc quae salvis tantum principiis concedi poterant concedebat. Mox etiam influxus Cardinalium Italiae adhuc eo diminutus est, quod plures novos Cardinales Gallos Clemens creavit; dum vero in familiam propriam admodum sese ostenderet propensum multisque eam augeret gratiis, etiam inde vinculis quibusdam constrictus fuit, quominus omnimoda cum libertate ac vigore ageret. Virtutibus quidem variis Clemens ornatus erat, et quod injustum vel iniquum videbatur regi concedere recusabat; sed passim quoad negotia publica et Ecclesiae gubernium timida quadam prudentia Pontifex usus est, et transactionibus potius difficultates effugere, quam firma constantia eas vincere studuit.

9. Ex his igitur ratio agendi Clementis satis explicari potest, neque turpibus pactis adscribi debet, quod in multis regi Philippo obsecutus est. Cavendum est, ne chronistarum narratiunculis nimiam fidem habeamus, vel sine necessitate suppositiones fingamus, quae honorem Romanorum Pontificum laedunt. Ipsi enim in administranda Ecclesia universim eo modo, qui eorum summae dignitati conveniebat, agere studuerunt, quamvis in rebus difficilibus disponendis varias interdum varii Pontifices elegerint vias.

10. Gesta Clementis post electionem suam jam breviter referamus. Privatam quidem notitiam de electione Bertrandus in ipsa qua occupatus erat provinciae suae perlustratione accepit, ac dein post quindenam Burdigalam reversus magna cum laetitia nec minore honore receptus est. Ibidem die 23° Julii solemnis deputatio Collegii Cardinalium ei electionis decretum transmisit, illudque Bertrandus die sequenti in metropoli sua publicavit, sumpto

sibi nomine Clemens V, in memoriam Clementis IV, qui pariter ex Gallia oriundus et regi s. Ludovico valde amicus fuerat. Cardinales litteris datis suam Sanctitatem etiam atque etiam rogabant, ut ad Sedem Romanam accederet. *Succurrite,* scribunt, *inquimus, succurrite, Pater, et sauciatorum vulnera praesentialiter purgate vino, et purgata oleo fovete. Non dubium quippe, quod in Sede Petri residebitis fortior, lucebitis clarior, in terra ejus vivetis quietior, et remotis regibus, principibus atque populis admirabilior eritis, et ipsorum devotionem et obedientiam plenius acquiretis, in sua namque domo est unusquisque planeta potentior. In ecclesia propria quiescit quis dulcius: ensis juxta capulum minus, ejusque pars quae magis distat a capulo plus incidit: visa frequenter plus spernuntur persaepius, ac facilius adita vel quaesita vilescunt. Venite ergo atque nostris in hac parte votis assentiat vestra benignitas, quam bene diuque valere cupimus, iterum supplicamus.*[1]) Sed Clemens votis Cardinalium haud obsecutus, in Galliam eos accersivit, ut solemnis ejus coronatio ibidem perageretur. — Attamen, ei tunc nondum propositum erat, uti multorum fert opinio, ut propter turbas quibus Italia agitabatur in Gallia remaneret. Sed in consiliis habebat, ut negotia quaedam magni momenti, praesertim pacem inter Franciae et Angliae reges et expeditionem cruciatam, ante tractaret et ad faustum perduceret finem; ut porro versus festum omnium Sanctorum Viennae ejus coronatio perageretur, et inde Alpes transiens Romam ipse proficisceretur. Id clare colligitur ex epistola quam Pontifex d. VIII. Kal. Septembris illius anni 1305 ad Eduardum I Angliae regem direxit. „Magnitudinem itaque regiam, scribit, tum propter intimae dilectionis affectum, quem ad ipsum semper habuimus et habemus, tum etiam propter nonnulla inter te et regem Franciae illustrem pacis et quietis procuranda et ordinanda salubria, et insuper de terrae sanctae passagio intimis desideriis alloqui cupientes, eamdem rogamus et hortamur

Gesta Clementis.

---

[1]) Ap. Raynald. ad a. 1308 n. 6.

attente, quatenus, *antequam montes transeamus, quos post coronationis nostrae solemnia apud Viennam, circa instantis festi Omnium Sanctorum, auctore Domino celebranda, transire proponimus, ad sanctam Romanam ecclesiam sponsam nostram Deo propitio accessuri*, nobiscum si modo fieri valeat, tuam a nobis, plus quam exprimere possemus, oblatam praesentiam habeamus." [1])

Coronatio Pontificis.

11. Sed paulo post a proposito, statim post coronationem proficiscendi in Italiam, Clemens V destitit, iter ad Urbem distulit morasque in Gallia traxit, et quamvis non videatur in animo habuisse, ut ibi ratione definitiva sedem figeret, eo res tamen devenit, ut toto pontificatus tempore in Galliis remaneret. Variis ex causis id accidit. Subsistebant negotia magni momenti quae commodius in Gallia tractari posse videbantur; valde turbatus erat status rerum in Italia, ita ut incommodum videretur et discrimine plenum Romae commorari; haud defuerunt sane Philippi regis et Gallorum tum Cardinalium tum procerum suasiones, et Clementis genio, patriae amori, sanitati vacillanti, facile opportuniorem visam dixeris illam in Gallia moram.

Selegit porro Clemens loco Viennae, consilio mutato, Lugdunum, quo mense Novembri coronationis solemnia peragerentur. Eo mense Octobri ipse profectus est, Cardinalesque, quamvis invite, ibi convenerunt. — Pontifex in ecclesia s. Justi die 14° Novembris, Philippo rege Galliae, Carolo Valesio et Ludovico Ebroicensi ejus fratribus, variis ducibus et nobilibus multis ac legatis regis Angliae praesentibus, maxima cum solemnitate coronatus est. Infaustis tamen ominibus celebritas fuit peracta. Joannes enim Britanniae dux, Gailardus de Gotho frater Pontificis, aliique nobiles cum plebe

---

[1]) Ap. Prynne, history of king John, Henry III, and Eduard I London 1670. Ejusmodi, uti diximus, fuisse Clementis propositum, accuratius primum advertit cl. C. Wenck in suo libro: Clemens V und Heinrich VII. Die Anfaenge des französischen Papstthums, p. 40 sq., Halle 1882. Auctor epistolam quoque citatam Clementis, parum notam et in vetusto opere latentem, publicavit in Appendice, n. I. p. 169.

promiscua, ruina cadentis muri, dum solemni pompa per urbem Pontifex procederet, oppressi et collisi sunt. Clemens equo delapsus, excussa tiara, carbunculum amisit ingentis pretii. — His auspiciis pontificia Sedes in Galliam translata est, cum magno reipublicae christianae et publicae pacis in Italia detrimento, ibique amplius septuaginta annis permansit, quam moram propterea captivitatem Babylonicam Itali nuncuparunt.

12. Peracta solemnitate novus Pontifex Columnenses pristinae restituit dignitati, novem alios Cardinales Gallos et unum Anglum creavit, et decimas in quinquennium regi attribuit.[1] — Constitutionem dein Bonifatii *Clericis laicos* abrogavit, vel potius eo modo, quo Benedictus XI jam fecerat, temperavit, ita ut antiqua Conciliorum decreta quoad tributorum impositionem servanda declararet, nova autem quae Bonifatius addiderat supprimerentur. Philippus rex omnimodo a Clemente etiam postulavit, ut Constitutionem Bonifatii VIII *Unam sanctam* abrogaret, sed nihil ab eo impetravit, nisi benevolam quoad hanc Bullam declarationem, quam Pontifex die 1° Februarii anni 1306 emisit, quaeque inter Decretales relata est. Est autem haec declaratio ejusmodi: *Meruit charissimi filii nostri Philippi, regis Francorum illustris, sincerae affectionis ad nos et Ecclesiam Romanam integritas, et progenitorum suorum praeclara merita meruerunt; meruit insuper regnicolarum puritas ac devotionis sinceritas, ut tam regem quam regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est, quod nos regi et regno per definitionem et declarationem bonae memoriae Bonifatii praedecessoris nostri Unam sanctam, nullum volumus vel intendimus praejudicium generari, nec quod per illam rex, regnum, et regnicolae praelibuti amplius Ecclesiae sint subjecti Romanae, quam antea existebant; sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem praefatam,*

Decretalis *Meruit.*

[1] Philippus Pulcher tempore regni sui 21 vicibus decimas a Clero accepit, et summa integra quam ex his collegit valore hodierno argenti excedit 400 milliones francorum. Cfr. Boutaric, La France sous Philippe-le-Bel, L. X. Ch. III. p. 297.

tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad regem, regnum et regnicolas superius nominatos.[1]) Hisce vero Clemens illam Constitutionem nec, uti scribit Natalis Alexander,[2]) abrogavit, nec eam modificavit, ut dicit Tosti.[3]) Sed quum Constitutio illa *Unam sanctam* exponat *principia* certissima, quidam autem odiosa et falsa interpretatione contenderent, Bonifatium voluisse regnum Francicum esse feudum Ecclesiae Romanae: Clemens ejusmodi falsas applicationes rejecit, et declaravit, statum rerum qui sub regibus antecedentibus obtinuerat, per istam Constitutionem non esse mutatum. Id quidem per se constabat, et in Decretali *Novit* eadem principia jam exposita erant. Attamen opportunum censuit Pontifex, hoc modo aliquod regi praestare obsequium et malevolorum calumniis obviare.[4]) — Clemens etiam, nimia indulgentia, in eo morem gessit Philippo, quod in pluribus epistolis Bonifatii, ac praesertim in illa *Ausculta fili,* radi fecit in exemplaribus authenticis regestorum Archivii ea, quae regem superbum magis pungebant.[5]) Restitisse autem Pontificem regi, quum postularet Bonifatii condemnationem, superius vidimus.

Indoles Decretalis.

---

[1]) C. 2 Meruit L. V. tit. 7 de privil. in Extravagg. com.

[2]) Hist. Eccl. t. XV. cap. II. a II.

[3]) Stor. di Bonif. VIII. Vol. II. p. 235.

[4]) Minus accurate etiam Cristophe l. c. T. I p. 190: „Clément V donna du sens de cette décrétale une explication tellement large, que vis à vis de la France, cette explication équivalait à une véritable révocation.“ — Imo, Clementis declaratio principia in Bulla *Unam sanctam* enunciata nec quoad Galliam mutabat, sed tantum statuebat, novam rerum conditionem inde non dimanasse. Ad rem apprime cl Balan: „Clemente non aboli, non tolse, come ignorantemente o maliziosamente si scrisse da alcuno la Bolla *Unam Sanctam* di Bonifazio, bolla dogmatica che contiene dottrina perfettamente confermata dalla Chiesa; ma a pacificare il Bello, decretò che le relazioni fra Chiesa e Stato in Francia resterebbero quali erano prima di quella cioè ai tempi di Innocenzo III, *il che era come un ripetere quanto voleva la bolla odiata dal Bello.*“ Storia d'Italia L. XXIX. n. IV.

[5]) Vide documentum notarii Oddonis de Sermieto hac de re apud Tosti Vol. II. Documentum ultimum.

II.

De processu contra Templarios instituto.

13. Jam veniamus ad maximum illud negotium sub Clementis pontificatu peractum, videlicet ad causam equitum Templariorum. Ut vero hac in re ex ordine progrediamur, referemus primum historice, qua ratione inquisitio contra Templarios instituta et facta, atque in Concilio Viennensi ordo iste abolitus sit; dein vero examinabimus quaestionem de reitate vel innocentia Templariorum.

Ordo Templariorum.

14. Ordo Templariorum a. 1118 ad defensionem Terrae Sanctae institutus erat, atque ex equitibus, fratribus servientibus et sacerdotibus capellanis constabat; equites et sacerdotes ex nobilibus erant familiis orti. Versus initium saeculi XIV hic Ordo ad fastigium pervenerat prosperitatis, quatenus tum permagna erat ejus potentia, tum summae ipsius divitiae et latifundiorum possessiones. Membra Ordinis eo tempore circiter quindecim millia fuisse videntur, pluresque erant provinciae, in quas eadem distribuebantur; prae caeteris provinciis autem Gallica tum numero equitum tum possessionibus excellebat. Occasionem vero inquisitionis instituendae contra Templarios, secundum scriptores illius aetatis, Philippo dederunt denuntiationes ab aliquot equitibus versus annum 1305 factae, quibus Ordinem ipsum de magnis accusaverunt criminibus. In Vita Clementis (sexta apud Balutium), cujus auctor est Amalricus de Augeriis Biterrensis, res ita refertur: „Tempore hujus Clementis Papae contigit, ut fertur, quod in quodam castro regio diocesis Tolosanae per officiales dicti regis Franciae quidam nomine Squinus de Floriano civis Biterrensis cum quodam fratre militiae templi apostata pro suis maleficiis capti fuerunt et in forti carcere ambo in simul positi extiterunt. Cumque dictus Squinus et ejus socius Templarius propter maleficia quae

perpetraverant de die in diem de sua vita more navigantium se desperarent, ad invicem peccata sua confessi fuerunt. Accusationum initia. Qui quidem Templarius sibi extitit confessus multos errores contra Deum et periculum animae suae atque unitatem fidei catholicae, quod in ingressu sui ordinis et postea pluribus vicibus se communicasset, quorum maleficiorum speciem per ordinem enarravit.“ His auditis porro Squinus denuntiatione Templariorum speravit se vitam suam salvaturum et libertatem obtenturum esse. Unde magistratibus „obtulit unum magnum factum regi Franciae revelare de quo plures utilitates ipse rex habere poterat quam si de novo acquireret unum regnum.“ Cum vero nulli praeter regem rem istam communicare vellet, jussu Philippi Parisios missus est. „Cum postea ipse Squinus juxta mandatum regis eidem regi Parisiis fuisset praesentatus, ipsum traxit ad partem ob scire veritatem de praemissis, promittens sibi securitatem corporis et commodum si ille quae dicebat veritatem continerent. Cumque Squinus confessionem dicti Templarii apostatae per ordinem sibi explicasset, confestim ipse rex aliquos Templarios capi fecit, et super hoc cum eis informationem fieri fecit. Qua facta et super praemissis veritate reperta,“ Philippus jam ulterius processum contra Templarios instruere et Ordinis exstinctionem obtinere conatus est.[1])

Philippum tamen non puro zelo religionis, sed maxime aliis motivis motum fuisse ad insectandos Templarios, plerique scriptores conveniunt. Permagna potentia illius Ordinis militaris multis privilegiis insigniti regi, absolutae dominationi inhianti, certe periculosa videbatur et valde infensa erat; nec minus eum forte alliciebant divitiae Templariorum, quibus ipse rex propter pecuniam mutuo

---

[1]) Ap. Balutium Vitae Paparum Avenionensium, in Vita sexta Clementis V, Tom. I. p. 99 Simili fere ratione res narratur ap Villani L. VIII. c. 92 Secundum ipsum Templarius ille nominabatur Squinus, et Prior erat Montis Falconis in regione Tolosana, alter captivus Italus erat nomine Noffo, Florentia oriundus. Sed praeferenda videtur relatio altera. Cfr. Christophe l. c. T. I. p. 250. nota 1.

datam debitor fuisse dicitur. — Quum a. 1306 propter mutationem monetae Parisiis seditio orta esset in Philippum, rex in arcem munitam Ordinis, quam Templum vocabant, se recipere coactus est; atque ipsa haec protectio quam apud Templarios quaerere debuit, ac forte quaedam improperationes ibidem ei factae, adhuc magis eum in Templarios exacerbasse dicuntur.

15. Jam a. 1305 Philippus occasione coronationis Clementis V Lugduni celebratae Pontifici de negotio Templariorum locutus est, uti ex Clementis epistolis constat; dein saepius secreto de ista re cum Pontifice egit. Anno vero 1307 circa Pentecosten Pontifex cum rege Pictavis convenit, atque de gravibus ibidem negotiis tractaverunt; sed etiam tunc accusationibus contra Templarios latis Clemens nondum fidem habuit. — Accersitus erat eo tempore Magister Ordinis Templariorum ex Cypro in Galliam, ut de nova expeditione cruciata ageretur. Cumque rumores infamantes Ordinem percrebrescerent, ipse aliique Ordinis Praeceptores a Pontifice audacter postulaverunt, ut examen institueretur, ac Pontifex tum demum mense Augusto a. 1307 consilium cepit, inquisitionem aliquam ista de re modo juridico habere. Haec omnia clare eruuntur ex epistola a Clemente ad Philippum d. d. 24° Augusti a. 1307 scripta. *Sane,* scribit, *a memoria tua non credimus excidisse, quod Lugduni et Pictavis de facto Templariorum zelo fidei devotionis accensus nobis tam per te, quam per tuos pluries locutus fuisti, et per Priorem monasterii novi de Pictavi aliqua intimare curasti. Et licet ad credendum quae tunc dicebantur, cum quasi incredibilia et impossibilia viderentur, nostrum animum vix potuerimus applicare, quia tamen plura et incredibilia et inaudita ex tunc audivimus de praedictis, cogimur haesitare, et, licet non sine magna cordis amaritudine, anxietate et turbatione, quidquid ordo postulaverit rationis, de consilio fratrum nostrorum facere in praemissis. Quia vero Magister militiae Templi, ac multi Praeceptores, tam de regno tuo quam aliis ejusdem Ordinis, cum eodem, audito, ut dixerunt, quod tam erga nos quam erga aliquos alios dominos temporales super praedicto facto multipliciter*

Philippi instantia.

eorum opinio gravabatur, a nobis nedum semel sed pluries cum magna instantia petierunt, quod nos super illis eis falso impositis, ut dicebant, vellemus inquirere veritatem, ac eos, si reperirentur, ut asserebant, inculpabiles, absolvere, vel ipsos, si reperirentur culpabiles, quod nullatenus credebant, condemnare vellemus, nos, ne circa negotium fidei aliquid negligamus, et quia verbum tuum nobis super iis pluries factum non modici ponderis arbitramur, ad dictorum Magistri et Templariorum instantiam diligentis inquisitionis indaginem infra paucos dies de consilio fratrum nostrorum, propter hoc instanti die Veneris civitatem Pictavensem intraturi, proponimus inchoare, vel alias in negotio procedere, prout de fratrum ipsorum consilio videbitur utilius faciendum.[1]) Ex hac epistola, scripta die 24° Augusti a. 1307, patet, nullatenus, uti plerique auctores opinati sunt secundum ea quae scripsit Continuator Guillelmi Nangii, in conventu mense Aprili inter Clementem et Philippum Pictavis habito jam convenisse de processu contra Templarios instituendo, ac multo minus de eorum incarceratione. Tantum postea, instantibus Magistro Ordinis aliisque, Clemens consilium cepit indagationem de accusationibus prolatis prudenter instituendi.

Templarii capti.

15. Sed Philippus pro charactere suo violento et callido citius progrediendum censuit. Die igitur 13° Octobris Magister Templariorum Parisiis et omnes Templarii in regno Franciae subito capti et in carcerem missi sunt. *Anno Domini MCCCVII,* ait Bernardus chronista, *res magna nostris accidit, temporibusque futuris scribitur memoranda. In festo siquidem s. Eduardi Confessoris, III Idus Octobris feria VI*[a], *fuerunt capti primo Templarii ubique in regno Franciae et ex ordinatione regis et consilii inopinate sane,*

---

[1]) Vide Balut. t. II. p. 70. Haec epistola data est: In prioratu Lugudiaco Pictavensis dioecesis IX Kal Sept Pont. nost. a II. A Balutio et aliis adscribitur a. 1306, indeque magna confusio in rebus distribuendis orta est. Pertinet enim ad a. 1307; nam Clemens V. uti auctores modo jam conveniunt, designabat annos Pontificatus sui a die coronationis 14 Nov. 1305.

mirantibus cunctis audientibus, antiquam Templi militiam ab Ecclesia Romana nimis privilegiatam una die subito captivari, causamque ignorantibus captionis tam repentinae, exceptis paucis secretariis et juratis.[1] Litteris datis die 14° Septembris Philippus omnia ita ordinaverat, ut eodem die ubique per commissarios haec incarceratio subito fieret, bonaque Ordinis occuparentur; atque secreto bene servato, res magna cum dexteritate executioni data est. Alios principes, uti Eduardum II Angliae et Carolum II Apuliae reges, Philippus litteris hortatus est, ut ipsi pariter Templarios custodiae mandarent. Advertendum autem est, Philippum jam in litteris d. d. 14° Septembris edicere, ab Inquisitore generali Franciae Gulielmo (alias Imberto) Parisiensi, regis confessario, brachium saeculare ipsius contra Templarios evocatum fuisse, et se ipsi annuere adeoque mandare, ut quamvis inter Templarios innocentes esse possint, tamen quum contra omnes sit suspicio vehemens orta, *singulares personae illius Ordinis sine exceptione aliqua capiantur, capti teneantur, et Ecclesiae judicio praesententur.* Gulielmus autem litteris ad Inquisitores, Priores aliosque fratres Ordinis Praedicatorum datis d. 22° Septembris scribit: *Ipsum regem duximus pro causa fidei requirendum, ut contra singulares personas dicti Ordinis de praemissis vehementer suspectas hujus regni nobis dare favorem, opem et auxilium dignaretur, ut eas habere valeamus examinandas ut decet, super his non intendentes negotium hoc contra dictum Ordinem seu contra fratres ipsius Ordinis universaliter, sed solum contra singulares.*[2] Caute rex ita

Interventus Inquisitoris.

---

[1]) V. Raynald. ad a. 1307. n. 12.

[2]) Vide haec documenta apud Boutaric, Clément V, Philippe etc. Revue des Quest. hist. X. 329 sqq. (Oct. 1871.) — Operae pretium videtur, hic notare quinam fuerint Philippi Pulchri confessarii; varios enim habuit, qui omnes erant ex Ordine Praedicatorum. Pater ipsius Philippus Audax adolescenti principi confessarium dedit *Nicolaum Gorran*, virum doctrina insignem, quem primis annis regni sui Philippus conservavit. Dein influxu Ingeraldi de Marigny factum est, ut ei hujus propinquus *Nicolaus de Fréauville* substitueretur, qui regi adfuit in

rem disposuerat, obsequente ipsi Gulielmo Inquisitore, ut specietenus jura Pontificis non laedere videretur. Ad Pontificem, non vero ad regem, certe examen causae pertinebat; sed Inquisitores procedere poterant secundum ordinarias suas facultates contra singulares suspectas personas, et brachium saeculare contra eas evocare. Artificio igitur quodam usi rex et Inquisitor non totum Ordinem in judicium vocant, sed singulares ejus personas in Gallia existentes omnes sine ulla exceptione. Sic, salvis littera legis et jure Pontificis per fictionem quamdam profecto haud probandam, omnes Templarii capti sunt. Post paucos deinde dies, videlicet die 19° Octobris, jam examen juridicum a Gulielmo Parisiis contra Templarios inceptum est, et inde a 19° Octobris usque ad 24um Novembris centum et quadraginta Templarii ab ipso sunt examinati.

Clementis V indignatio. 16. Quando notitia captionis subitaneae omnium Templariorum ad Clementem pervenit, magna tristitia commotus est et indignatione, quod rex jura Sedis Apostolicae contemnere videretur. Dedit igitur ad regem die 27° Octobris epistolam, qua vehementer de ipsius ratione agendi conqueritur. Haec epistola antiquioribus scriptoribus videtur fuisse ignota, a Balutio fuit consulto omissa, et nuper primum ex integro edita est.[1]) Ex eadem iterum colligitur luce clarius, captionem Templariorum nullatenus consentiente Pontifice factam esse, nec Clementem in omnibus caeco modo cessisse Philippo. *Ad praeclaras,* scribit ipse regi, *sapientiae et mansuetudinis progenitorum tuorum laudes, fili carissime, pertinere cognoscimus, quod iidem puriore luce, amore fidei et caritatis zelo, quasi quaedam sidera rutilantia, ecclesiasticis disciplinis edocti, hactenus Romanae Sedi reverentiam conservantes, cuncta ad religionem fidei pertinentia ejus agnoverunt examini subjacere.*

---

suo cum Bonifatio VIII dissidio, quique a Clemente V ad dignitatem Cardinalis die 15° Dec. a. 1305 evectus est. Huic successit *Gulielmus Parisiensis,* qui obiit a. 1312. Dein confessarii munus accepit *Reginaldus d'Aubigny,* qui regi morienti adstitit.

[1]) Revue des Quest. hist. X. p. 333.

ad cujus pastorem, id est Apostolorum primum, Domino loquente, praeceptum est: Pasce oves meas . . . Tu vero, fili carissime, quod dolentes referimus, non tam praepostero quam nullo ordine, nobis quasi in hortis existentibus, manum tuam in personas Templariorum et bona, et non qualitercumque, sed usque ad inclusionem carceris extendisti, quodque ad cumulum doloris accedit, extentam nedum non remisisti, sed eam, ut fertur, ad fortiora impingens, ipsis non mediocriter ex ipsa captione afflictis afflictionem addidisti, sed qualem, ob pudorem Ecclesiae, nec minus tuum si bene perspexeris, ad praesens subticendum potius arbitramur. . . . In quo quidem tuo sic repentino processu nostrum et Ecclesiae Romanae vituperosum contemptum communiter omnes et non absque rationabili causa notant, ut ad scripturae prolixitatem vitandam alias causas doloris et admirationis obmittamus ad praesens, quas per dilectos filios nostros Berengarium et Stephanum Presbyteros Cardinales tibi explicare mandamus, quam nolentes circumspectionem aliquatenus ignorare, quod nos desideramus totis viribus sic purgare radicitus hunc hortum Ecclesiae, prout res ipsa expostulaverit, quod in praesentibus et posteris non remaneat hujusmodi, si est, quod Deus averterit, infectionis scintilla, quae possit procurare materiam recidivii.

Dein postulat Pontifex, ut personae et bona Ordinis a rege in manus Cardinalium tradantur. — Aliam etiam scripsit Clemens epistolam ad regem d. d. 1° Decembris a. 1307, ut omnino dissiparentur omnes rumores qui sparsi erant, ac si Pontifex regi negotium Templariorum et eorum captionem commisisset. Significat porro, se gaudere, quod rex ipse talia falsa esse testetur, quodque asserat, se nullo modo voluisse Ecclesiae jura violare, sed fidei zelo motum esse. Iterum commendat, ut rem cum Cardinalibus apte ordinet.[1]) Suspenderat Clemens praeterea mox omnes facultates inquisitorum et episcoporum, ne ulterius in causa Templariorum progredi possent, et sibi negotium hoc reservavit. **Pontificis postulata.**

[1]) Apud Balut. T. II. p. 112.

17. Interim tamen Pontifex certior factus est, multos Templarios crimina confiteri, ipsique nobilis Templarius similem confessionem fecit. Id patet ex epistola *Pastoralis praeeminentiae,* quam Clemens d. d. 22° Novembris a. 1307 ad Eduardum Anglum aliosque principes misit, petens, ut in eorum regnis ab ipsis Templarii nomine Sedis Apostolicae detinerentur, et horum bona mobilia et immobilia fidelibus personis nomine sacrae Sedis custodienda traderentur. Ad haec motus est Clemens, ut provideret auctoritati suae. Jam enim videbat, examen in illum Ordinem esse instituendum; cavendum vero erat, ne alii principes, uti Philippus fecerat, praeter mandatum Ecclesiae hac in re procederent et bona Ordinis occuparent. Advertit in hac epistola, Magistrum Ordinis et quam plurimos fratres ex diversis partibus regni Franciae scelera esse confessos, *veram et non simulatam agentes poenitentiam de commissis, prout haec dictus rex* (Philippus) *nobis per suas litteras intimavit, et ad nos etiam postmodum pervenerunt, fama publica deferente. Nos quoque unum militem dicti Ordinis, magnae generositatis et auctoritatis virum super pravitate jam dicta personaliter examinavimus, qui dictum facinus abnegationis Jesu Christi in ingressu dicti Ordinis a se commissum sponte confessus fuit plenarie coram nobis. Et adjecit, se vidisse, quod quidam nobilis in praesentia ducentorum fratrum vel plurium dicti Ordinis, inter quos erant centum milites vel circa, ultra mare videlicet in regno Cypri per praefatum Magistrum dicti Ordinis in capitulo suo in fratrem Templi receptus fuit; et ibi in dictorum Magistri et fratrum praesentia, idem nobilis ad mandatum ipsius Magistri, dictum facinus in sua receptione commisit.*[1]) Talibus

Epistola Pastoralis praeeminentiae.

---

[1]) Epist. *Pastoralis praeeminentiae* ap. Benavides, memorias de D. Fernando IV, Madrid 1860; T. II. p. 619. Exstat etiam ap. Wilcke l. c. T. II. p. 434 Beilage 7. Miles ille, quem Clemens dicit a se personaliter esse examinatum, probabiliter fuit Olivarius de Penna, qui erat eo tempore cubicularius ipsius Pontificis (Procès I. 390.). Quum Ordo supprimeretur, Clemens sibi reservavit sententiam ferendam de hoc Olivario, uti de summis Ordinis dignitariis.

igitur motivis Pontifex excitatus est, ut severius jam contra Templarios procedere decerneret.

18. Quod spectat ad crimina quae Templariis objiciebantur, praecipuae accusationes sunt istae: **Crimina Templariis objecta.**

1° Eos in receptione sua abnegare Deum vel Jesum Christum.

2° Eos in receptione sua spuere super crucem, vel etiam pedibus eam conculcare.

3° Ipsis in receptione permitti, ut dum abstinerent a mulieribus, impudicitiam inter fratres Ordinis exercerent; atque ejusmodi crimen infame vigere in illo Ordine.

4° In ipsa receptione eum ritum observari, ut oscula indecentia et impudica locum habeant.

5° Adorari in Templariorum Ordine idolum quoddam.

6° Sacerdotibus Ordinis in receptione commendari, ut in Missa celebranda consecrationis verba omittant, illudque revera ab iis fieri.

De his igitur aliisque criminibus, uti diximus, per inquisitores, episcopos vel judices regios in Templarios multos ut singulares personss inquisitio facta est, secundum illius temporis ordinariam jurisprudentiam. Etiam tortura variis in casibus adhibita est. Permulti plura confessi sunt crimina. Versus finem vero mensis Novembris, uti videtur, quum suspensio facultatis episcoporum et inquisitorum facta per Clementem omnibus intimata esset, mora quaedam in processu facta est, usque ad mensem Septembrem a. 1308.

19. Rex suspensionem illam facultatis inquisitorum et episcoporum aegerrime tulit, zelumque permagnum prae se ferens religionis et fidei, verbis acribus a Pontifice petiit, ut ab inquisitione in personas Templariorum judices eorum ordinarios non impediret. Libelli etiam quidam in Gallia sparsi sunt, quibus vehementer arguebatur Pontifex de defectu sollicitudinis pro fide catholica, simul vero ei objiciebatur, nepotismo effraenato eum inquinari. Tales libellos eo tempore conficere solebat advocatus aulicus

Dubois nominatus.[1]) Convocavit vero rex comitias trium Ordinum Turones mense Majo a. 1308, ibique congregatis negotium Ordinis Templariorum exposuit; omnes autem congregati ex Clero, Nobilibus et populo eos esse reos mortemque mereri conclamarunt. Clemens tamen importunis postulationibus regis restitit, donec postremo versus finem mensis Julii Pictavis conventio quaedam inter Pontificem et regem confecta est. Praecipua hujus conventionis capita erant ista: 1° Ut Templarii omnes traderentur in manus Romani Pontificis, dein vero, quum Ecclesia eos custodire non posset, iidem redderentur regi nomine Pontificis custodiendi. 2° Ut ad bona Templariorum administranda commissio constitueretur, ita ut membrorum unam partem rex, alteram deligeret Pontifex. Reditus, desumptis expensis pro Templariis faciendis, pro bello sacro reservandi erant, neque rex sibi bona appropriare poterat. Concedebatur tamen, ut ipse pecuniam et bona interim custodiret. — Hoc modo remanebat quidem *de facto* ex concessione Ecclesiae regi in negotio Templariorum magna potestas; principia juris tamen et auctoritas Ecclesiae sarta et tecta erant. Atque haec videtur generatim in gerendo pontificatu fuisse Clementis intentio, ut principia tueretur, caeterum vero conciliationi multa concedebat. Anno 1310 vero Pontifex acerbe de Philippo conquerebatur cum legatis ipsius, quoad administrationem bonorum Ordinis Templariorum. Scribunt videlicet legati regis in secreta sua relatione d. d. 24 Dec. 1310: *In articulo de administratione bonorum Templi regni vestri, addidit, quod sciebat, quod omnia perdebantur et dissipabantur, et quod bene praedixerat hoc Pictavis.*[2])

Conventio inter Pontificem et regem.

---

[1]) Cfr. Boutaric, Clement V, Philippe le Bel etc. Revue des Quest. hist. X. Oct. 1871; et Notices et extraits des Manuscrits de la Bibliothèque nationale T. XX. P. II. p. 175. Pamphlet (de Pierre Dubois) dirigé contra Clément V pour le forcer à supprimer l'Ordre du Temple (1308).

[2]) Boutaric, l. c. T. XI. Jan. 1872, p. 26.

20. Conventione praedicta inter Pontificem et regem facta, Clemens episcopis et inquisitoribus epistola d. d. 5° Julii a. 1308 concessit, ut indagationem contra Templarios resumerent; sibi vero reservavit examen et sententiam ferendam de toto Ordine ac de Ordinis Magistro aliisque summis praepositis.[1]) Variis in dioecesibus Galliae tunc ab episcopis, qui sibi adjunxerunt duos canonicos, duos Fratres Praedicatores duosque Fratres Minores, inquisitio in Templarios habita, idemque negotium in synodis provincialibus tractatum est. Ipse Pontifex Pictavis jam septuaginta duos Templarios a Philippo rege eo missos audiverat, et per tres Cardinales etiam in civitate Chinon examinari fecerat Magistrum Ordinis et plures Praeceptores majores. Hi omnes confessi sunt culpas suas. Sed praestat citare relationem ipsius Clementis, uti habetur in Constitutione *Faciens misericordiam,* qua d. d. Idibus Augusti a. 1308 ulteriorem inquisitionem in negotio Templariorum disposuit.

„Nos, ait Pontifex, illius cujus vices licet immeriti in terris gerimus vestigiis inhaerentes, ad inquirendum de praedictis ratione praevia duximus procedendum, multosque de praeceptoribus, presbyteris, militibus et aliis fratribus dicti Ordinis reputationis non modicae in nostra praesentia constitutos, praestito ab iis juramento, quod super praemissis meram et plenam nobis dicerent veritatem, super praedictis interrogavimus et examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus, diligenterque eorum confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illico in nostra et dictorum fratrum praesentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio legi fecimus coram ipsis, et illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perseverantes in illis, eas expresse et sponte prout recitatae fuerant Constitutio *Faciens misericordiam.*

[1]) Epistola Clementis ad Gulielmum Inquisitorem quo suspensio levatur, invenitur ap. D'Achery Spicileg. in *Gesta Guilelmi Majoris sive le Maire Episcopi Andegavensis ab ipsomet relata.* Spicil. edit. 2a T. II. p. 199.

Const. Faciens misericordiam.

approbarunt. Post illaque cum Magistro et Praeceptoribu praefati Ordinis intendentes super praemissis inquirere pe nos ipsos, ipsum Magistrum et N. Franciae, N. Terra ultramarinae, N. Normanniae, N. Aquitaniae et N. Picta viae praeceptores majores, nobis Pictavis existentibus man davimus praesentari. Sed quoniam quidam ex iis sic in firmabantur, ut equitare non possent, nec ad nostran praesentiam quoquo modo adduci, Nos cum eis, scir volentes de praemissis omnibus veritatem, et an vera es sent, quae continebantur in eorum confessionibus et depo sitionibus, quas coram Inquisitore pravitatis haereticae in regno Franciae, praesentibus quibusdam Notariis publici et multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, Nobis et fra tribus nostris per ipsum Inquisitorem sub manibus publici exhibitis et ostensis, dilectis filiis nostris Berengario . . et Stephano . . . presbyteris ac Landulfo diacono Cardi nalibus, de quorum prudentia, experientia et fidelitate in dubitatam fiduciam obtinemus, commisimus et mandavi mus, ut ipsi cum praefato Magistro et Praeceptoribus in quirerent, tam contra ipsos et alias singulares persona dicti Ordinis generaliter, quam contra ipsum Ordinem super praemissis cum diligentia veritatem, et quidqui super his invenirent, Nobis referre, ac eorum confessione et depositiones per manum publicam in scriptis redactas Nostro Apostolatui referre ac praesentare curarent, eisden Magistro et Praeceptoribus absolutionis beneficium a sen tentia excommunicationis quam pro praemissis si vera essent incurrerent, si absolutionem humiliter peterent u debebant, juxta formam Ecclesiae impensuri. Qui Cardi nales ad ipsos Magistrum et Praeceptores personaliter ac cedentes, eis sui adventus causam exposuerunt, et quoniam personae ipsorum et aliorum Templariorum in regno Fran ciae consistentium Nobis traditae fuerant, quod libere abs que metu cujusque plene ac pure super praemissis omni bus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica injunxerunt. Qui Magister et Praeceptores Fran ciae, Terrae ultramarinae, Normanniae, Aquitaniae ac Pictaviae coram ipsis tribus Cardinalibus, praesentibus

Const. *Faciens misericordiam.*

quatuor tabellionibus publicis et multis aliis bonis viris, ad sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta, praestito juramento, quod super praedictis omnibus meram et plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter libere et sponte absque coactione qualibet et terrore deposuerunt et confessi fuerunt inter caetera, Christi abnegationem et spuitionem super crucem, quum in Ordinem Templi recepti fuerunt, et quidam ex eis, se sub eadem forma scilicet cum abnegatione Christi et spuitione super crucem Fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quaedam alia horribilia et inhonesta confessi, quae ut eorum ad praesens parcamus verecundiae, subticemus. Dixerunt praeterea et confessi fuerunt, esse vera, quae in eorum confessionibus et depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquisitore haereticae pravitatis. Quae confessiones et depositiones dictorum Magistri et Praeceptorum in scripturam publicam per quatuor tabelliones publicos redactae in ipsorum Magistri et Praeceptorum et quorumdam aliorum bonorum virorum praesentia, et deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectae fuerunt de mandato et in praesentia Cardinalium praedictorum et in suo vulgari expositae cuilibet eorumdem. Qui perseverantes in illis, eas expresse et sponte, prout recitatae fuerant, approbarunt. Et post confessiones et depositiones hujusmodi ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro praemissis incurrerant, absolutionem flexis genibus manibusque complosis humiliter et devote et cum lacrimarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem Magistro et Praeceptoribus haeresi expresse abjurata, ipsis secundum formam Ecclesiae auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt. Ac deinde ad nostram praesentiam redeuntes confessiones et depositiones praelibatorum Magistri et Praeceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas, Nobis praesentaverunt, et quae cum dictis Magistro et Praeceptoribus fecerunt, retulerunt. Ex quibus confessionibus et depositionibus et re[illegible] invenimus, saepe fatos Magistrum

et Fratres in praemissis et circa praemissa, licet quosdam ex iis in pluribus, et alios in paucioribus, graviter deliquisse."[1]

Commissiones pontificiae.

21. Constitutione hac *Faciens misericordiam* Clemens commissionem instituit specialem, ex pluribus episcopis aliisque viris ecclesiasticis compositam, quae primum in provincia Senonensi, dein in aliis provinciis examen de *Ordine* Templariorum susciperet, ita ut Templarii citarentur tanquam *testes* audiendi. Facultas etiam ipsis facta est, ut defensores ex Ordine sibi eligerent. Similes commissiones pro Italia, Germania, Anglia, Castilia et aliis regnis pariter Pontifex constituit, principibusque mandavit, ut omnes Templarii in custodia detinerentur. Poterant tamen praeter commissionem pontificiam inquisitores et episcopi, ut judices ordinarii, processus contra Templarios singulos eodem tempore prosequi. Praeterea per Bullam *Regnans in coelis* d. d. 12° Augusti, Clemens universale indixit Concilium Viennae die 1° Octobris anni 1310 celebrandum, ut ibidem de negotio Templariorum, de suscipienda expeditione cruciata, et de reformatione Ecclesiae ageretur. Postea vero initium Concilii usque ad diem 1um Octobris a. 1311 prorogatum fuit.

22. Annis sequentibus usque ad celebrationem Concilii Viennensis processus contra Ordinem Templi variis in regionibus continuatus fuit, atque tum commissiones pontificiae, tum alii judices permultos Templarios examinaverunt. Varia documenta hoc de negotio exstant, inter quae praecipuum tenet locum examen commissionis pontificiae in Gallia institutae, cujus membra erant Aegidius d'Aiscelin archiepiscopus Narbonnensis, Durandus episcopus Mimatensis (Mende), episcopi Bajocensis et Lemovicensis (Limoges), aliique quatuor dignitarii minores ecclesiastici cum adjunctis notariis.[2]) Habuerunt hi Parisiis

---

[1]) V. Wilcke, l. c. T. II. Beil. 9. p. 439.

[2]) Acta haec exstant ap. Michelet, Procès des Templiers, Paris 1841—1851. Continent duo volumina: 1° Procès des Templiers, coram dicta Commissione. — 2° Interrogatoire subi au Temple de Paris par 140 Templiers devant le frère Guillaume de Paris du 19 Octobre jus-

sessiones suas, intervallo quodam interposito, inde a die 7 Augusti a. 1309 usque ad 26um Maji a. 1311. Haec Commissio negotium suum magna cum prudentia adimplevit; non solum nulla adhibita fuit coactio per tormenta, sed saepe etiam qui examinabantur admoniti sunt, ut sine metu vera testentur, quum ex depositionibus suis ad Pontificem mittendis nullum malum ipsis evenire possit. — Interea vero archiepiscopus Senonensis Concilium provinciale habuit Parisiis, ut sententia ferretur de multis Templariis ab aliis judicibus ordinariis examinatis. Ex his quinquaginta circiter ut obstinati vel relapsi brachio saeculari traditi, et die 12° Maji a. 1310 Parisiis combusti sunt. Quum inde magnus terror injectus esset captivis, commissio pontificia aegre ferens ea quae acciderant, sessiones suas suspendit, easque recepit die 10° Decembris ejusdem anni. Operae pretium est notare, quid relate ad capita praecipua accusationum interrogati ab hac commissione confessi sint. — Itaque, ex *370* examinatis, quoad caput 1um, *negationem Dei vel Christi,* confessi sunt *303* — Quoad caput 2um, *spuere super crucem,* confessi sunt *318.* — Quoad caput 3um, *impudicitiam,* confessi sunt *189,* indicatam ipsis fuisse illam permissionem; *4* tantum aliquid plus confessi sunt, videlicet Hugo de Narsac, Johannes de Tourteville, Gulielmus de Giac et Petrus de Safet. — Quoad 4um caput, *oscula indecentia,* confessi sunt *223.* — Quoad 5um caput, *cultum idoli,* tantum *11* tale quid confessi sunt. — Quoad 6um caput, *omissionem verborum consecrationis, 8* sacerdotes hac de re *affirmative, 10 negative* responderunt.[1]) Examen Parisiis factum.

---

ju'au 24 Nov. 1307. — 3° Interrogatoire des Templiers du diocèse l'Elne.

[1]) Ex 140 Templariis examinatis inde a 19 Oct. usque ad 24 Nov. a. 1307 Parisiis, per Guillelmum Inquisitorem, confessi sunt: 1) Negat. Dei 108 accusati. — 2) Spution. super cruc. 123 accusati. — 3) Impudicitiam permissam, 100 accusati. — 4) Oscula, 97 accusati. — 5) Cultum idoli, 9 accusati. — Quae si addideris supra relatis habes ex 510 examinatis fatentes caput I: 411. — Caput II: 441. — Caput III: 289. — Caput IV: 320. — Caput V: 20 qui idolum viderunt. — Haec depromsimus ex tabellis, quas accurate quoad hosce processus confecit

In variis dioecesibus Galliae, uti jam diximus, eodem tempore examina Templariorum facta sunt, adhibita etiam tortura secundum normam procedendi illius temporis. Et ubique fere accusati reos se esse fassi sunt; non defuerunt tamen qui culpam omnino negarunt. Sic coram episcopo Claramontano ex 69 negaverunt 29 se reos esse, addentes confessiones praecedentes coactas fuisse ob torturam.[1]) Elenae vero 25 accusati omnes ad unum, innocentes se esse contestati sunt.[2])

Aliae regiones. 23. In Anglia: „Templarii, scribit Walsingham, capti et accusati fatebantur famam, sed non factum, nisi unus vel duo ribaldi in omni statu; omnes tamen fatebantur finaliter non posse de sibi impositis se purgare, et ideo adjudicati fuerunt per Concilium perpetuae poenitentiae.“ Concilia hac in re habita sunt Eboraci a. 1310 et Londini a. 1311. — In Italia quoque contra Templarios inquisitum est, ac plures reos se esse confessi sunt. Mense Septembri a. 1310 Joannes archiepiscopus Pisanus et Antonius episcopus Florentinus, adjuncto Petro Judicis canonico Veronensi, Florentiae tredecim Templarios, videlicet sex milites

---

cl. P. C. De Smedt S. J. Habentur in ejus Dissertatione *De abolitione Templariorum*, quae autographice quidem, non vero prelo impressa exstat. — Ill. Hefele agens de indagatione Commissionis pontificiae a. 1310, dicit: „Pars multo major eorum qui auditi sunt, imo multa centena membrorum Ordinis quae interrogata fuerunt, contenderunt Ordinem esse innocentem.“ C. G. T. VI. § 698. Sed si haec forte valeant, quatenus de *culpa totius Ordinis* agitur, certe haud ita accipi possunt, ac si propriam culpam plurimi non confessi sint.

[1]) V. Hefele, l. c.

[2]) In civitate Elena eo tempore sedes episcopalis erat comitatus Ruscinensis (Roussillon). Comitatus is quidem ad regnum Arragoniae pertinebat, sed episcopus suberat metropolitano Narbonnensi, a quo examen Templariorum, militum et fratrum 25 qui Elenae in ipsorum aedibus (Mansum Dei) detinebantur, Raymundo episcopo Elenensi commissa est. Tortura non fuit adhibita, omnes autem contenderunt, se reos non esse. Advertendum est, hos Templarios fuisse Arragonenses, qui cum Templariis Franciae commercium non habebant. Haud videntur extra regnum Arragoniae fuisse, imo plures semper Elenae morati fuerant. Unde fieri potuit, ut a corruptione essent immunes; res dubia videtur.

et septem fratres servientes examinarunt. Milites illi, inter quos erant duo Praeceptores, nulla adhibita tortura, varia crimina confessi sunt. Quoad fratres servientes advertunt commissarii in sua ad Pontificem relatione, eos nihil confessos esse, etsi torturae subjecti fuerint. Sed alios ex istis fratribus nunquam aliquam conditionem eminentiorem in Ordine habuisse, alios in laboribus durioribus peragendis occupatos vel brevi tantum tempore Ordini adscriptos fuisse. Hinc forte fratribus illis secreta illa crimina haud nota fuisse.[1]) Raynaldus archiepiscopus Ravennatensis eos Templarios quos examinavit reos non esse judicavit. — In Hispania quoque a commissione pontificia Templarii haud rei esse inventi sunt. In Arragonia vi restiterunt suasque possessiones retinuerunt. Templarii Lusitaniae fuga se examini subduxerunt. — In Germania benigne tractati et generatim innocentes judicati sunt. Quum Moguntii in synodo a. 1310 habita de negotio Templariorum ageretur, apparuit in ea Hugo comes Commendator Templi cum viginti fratribus. *Induti habitu sui Ordinis, hoc est albis palliis cum cruce rubea assuta, erant omnes sub palliis probe armati.*[2]) Inde perterritus est Petrus archiepiscopus cum reliquis praelatis, comitemque amice excepit. Is cum magna indignatione protestatus est de innocentia Ordinis, appellationemque porrexit ad Papam futurum. Protestationem synodus accepit, et Templarii verbis lenibus dimissi sunt. Re ad Clementem delata, Pontifex monuit, ut indagatio prudenter institueretur, qua facta a. 1311 Templarii citati 38 declarati sunt innocentes. — Acta inquisitionum porro ad Pontificem transmissa sunt, et ab ipso variisque deputatis examinata fuerunt. *Illae inquisitiones,* dicitur in Bulla „Vox in excelso", *quae factae contra Ordinem praedictum fuerant, ad nostrum examen remissae, quaedam per*

Templarii in Germania.

---

[1]) Acta haec Florentina ex bibliotheca Vaticana deprompta publicavit primum Loiseleur, La doctrine secrète des Templiers p. 172—212. Gravia praejudicia ex hisce actis contra Templarios exoriri, jam antea adverterat Theiner in epistola ad citatum auctorem data.

[2]) Mutius Chron. ap. Pistor. II. p. 211.

Nos et fratres nostros sanctae Romanae ecclesiae Cardinales, aliae vero per multos viros valde litteratos, prudentes, fideles, Deum timentes et fidei catholicae zelatores et exercitatos tam praelatos quam alios, apud Malausanam Vacionensis dioecesis fuerunt valde diligenter lectae et examinatae solerter. Conclusio vero totius negotio reservata fuit Concilio oecumenico Viennae mox congregando.

III.

De abolitione Ordinis Templariorum in Concilio Viennensi.

Concilium Viennense.

24. *Anno Domini MCCCXI congregato Concilio generali Viennae per sanctissimum Dominum Clementem Papam V mense Octobri, in prima sessione sua, quae fuit decima sexta die ipsius mensis, primo proposito verbo Domini assumpto themate: „In concilio justorum et congregatione magna opera Domini,“ in omni verbo ejus exposuit dictus Papa tres causas propter quas ipse duxerat Concilium congregandum. Prima fuit pro negotio Templariorum et Ordine eorum, qui super variis haeresibus et nefandis erroribus fuerunt graviter et multipliciter infamati, et multi processus et inquisitiones contra eos facti. Secunda propter succursum et subsidium Terrae sanctae. Tertia pro reformatione morum et reformatione status ecclesiastici.*[1]) Quod ad Patrum numerum, qui ad hoc Concilium ex variis orbis partibus confluxere, attinet, s. Antoninus, sequens ea quae habet Villani, scribit: „Praesentes fuerunt plus quam trecenti episcopi, ultra alios praelatos, de diversis partibus orbis.“[2]) Continuator tamen Nangii multo arctius hunc Patrum numerum cogit. „Concilium generale, scribit, quod Papa Clemens fecerat convocari, prima die mensis Octobris apud Viennam urbem Provinciae centum quatuordecim Praelatorum cum mitris,

---

[1]) Ms. Bibl. Vat sign. n. 4177 apud Rayn. ad a. 1311. n. 54.
[2]) Hist. eccl. P. III. tit. XXI. c. 3.

absque caeteris non mitratis et absentium procuratoribus congregatur."[1]) Adsertum hoc coaevi auctoris potius ut verum habendum est. Non solum tamen ex Gallia, sed ex multis regionibus praesules convenerunt; nam ex Hispania, Theutonia, Dacia, (Dania nempe), Anglia, Scotia, Hibernia, Italia praesules Ptolomaeus Lucensis commemorat. Ut generale totius orbis Concilium haec Synodus merito universim agnoscitur.[2])

25. Quae vero in negotio Templariorum facta fuerint in ipso Concilio, perspicue exponitur a Clemente V in Bulla *Vox in excelso*, qua demum Ordo abolitus fuit. Haec Bulla, quamvis etiam typis expressa in aliquot operibus exstaret,[3]) tamen a plurimis ignorabatur, ita ut Constitutiones quaedam secundariae potius Bullae principalis loco afferrentur, et aliqua in hoc negotio obscuriora manerent. Publicata autem fuit illa Constitutio recenti tempore opera Illmi Hefele,[4]) eademque praecipue consideranda est, ut accurate seriem eorum quae gesta sunt advertamus. **Bulla *Vox in excelso*.**

26. Exordium hujus Bullae dolorosam continet Pontificis lamentationem de fama corruptionis Ordinis Templi. *Vox in excelso audita est lamentationis, fletus et luctus, quia venit tempus, quo per prophetam conqueritur Dominus: „In furorem et indignationem mihi facta est domus haec: auferetur de conspectu meo propter malitiam filiorum suorum, quia me ad iracundiam provocabant, vertentes ad me terga et non facies, ponentes idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent ipsam" (Jerem. 23). . . . Ad tam horrendum auditum tantumque horrorem vulgatae infamiae (quod quis unquam audivit tale? quis vidit huic simile?), corrui cum audirem, contristatus sum, cum viderem, amaruit cor meum, tenebrae exstupefecerunt me.* . . . Post

---

[1]) Ad a. 1311. V. D'Achery Spicileg. T. III. p. 65.

[2]) Cfr. ap. Raynald. ad a. 1311 n. 54 Ill. Mansii notam.

[3]) Apud Lorenzo Villanueva, Viage litterario a las iglesias de España, Madrid 1806, T. V. Documenti; et Anton. Benavides, Memorias de Don Fernando IV de Castilla, Madrid 1860, T. II. p. 835—841.

[4]) Tübinger Theol. Quartalschrift 1866.

exordium sequitur expositio factorum, uti ex Bulla *Misericordiam faciens* eam jam retulimus, et additur, juxta mandatum Pontificis in variis regnis examen contra Templarios institutum, documenta processus ad ipsum transmissa, et ab eo, Cardinalibus, aliisque idoneis praelatis examinata fuisse. Dein referuntur ea, quae Viennae facta sunt; quorum ista est series.

Examen processus. 27. Pontifex, quum difficile imo impossibile videretur, negotium et processum Templariorum coram universo Concilio tractare, eligi fecit a Concilio commissionem praelatorum ex omnibus nationibus. Commissio haec examinavit confessiones Templariorum scriptas, et varia alia documenta processus; dein vero consultatio secreta facta est, qualiter esset procedendum, eo vel magis, quod aliqui Templarii ad defensionem Ordinis se offerrent. Et multo major pars commissionis censuit, defensionem Ordini esse concedendam, eumque per ea quae hactenus probata erant de haeresibus et criminibus de quibus inquisitum erat, condemnari non posse; alii vero illius commissionis negarunt defensionem Ordini concedendam esse, tum quia inde negotii maxima dilatio sequeretur, et detrimentum pro bello sacro, tum ob alias causas. En verba ipsius Bullae: *Nos post primam sessionem, quam inibi* (Viennae) *cum dictis Cardinalibus et cum praefatis praelatis et procuratoribus tenuimus, in qua causas convocationis Concilii iisdem duximus exponendas, quia erat difficile, imo fere impossibile, praefatos Cardinales et universos praelatos et procuratores in praesenti Concilio congregatos ad tractandum de modo procedendi super et in facto seu negotio fratrum Ordinis praedictorum in nostra praesentia convenire, de mandato nostro ab universis praelatis et procuratoribus in hoc Concilio existentibus, certi patriarchae, archiepiscopi, episcopi, abbates exempti et alii ecclesiarum praelati et procuratores de universis christianitatis partibus quarumcumque linguarum, nationum et regionum, qui de peritioribus, discretioribus et idoneioribus ad consulendum in tali et tanto negotio et ad tractandum una Nobiscum et cum Cardinalibus praedictis tam solemne factum et negotium videbantur, electi concorditer*

et assumpti fuerunt. — Exponit dein, huic commissioni electae, in Cathedrali ecclesia, quantum voluerunt illi praelati, documenta processus praelecta fuisse, et per multos deputatos etiam sollicite examinata. Porro *praefatis igitur Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ... ab aliis ut praemittitur electis propter praemissum negotium in nostra praesentia constitutis, facta per Nos positione et consultatione secreta, qualiter esset in eodem negotio procedendum, praesertim quum quidam Templarii ad defensionem ejusdem Ordinis se offerrent, majori parti Cardinalium et toti fere Concilio, illis videlicet, qui a toto Concilio, ut praemittitur, sunt electi et quoad hoc vices totius Concilii repraesentant, vel parti multo majori, quinimo quatuor vel quinque partibus eorumdem cujuscumque nationis in Concilio existentium indubitatum videbatur, et ita dicti praelati et procuratores sua consilia dederunt, quod ipsi Ordini defensio dari deberet, et quod ipse Ordo de haeresibus de quibus inquisitum est contra ipsum per ea quae hactenus sunt probata absque offensa Dei et juris injuria condemnari nequeat: aliis quibusdam e contra dicentibus, dictos fratres non esse* (ad) *defensionem dicti Ordinis admittendos, nec Nos dare debere defensionem eidem. Si enim, ut dicebant praemissi, ejusdem defensio Ordinis admittatur vel detur, ex hoc ipsius negotii periculum et non modicum Terrae sanctae subsidii detrimentum sequeretur, et altercatio et retardatio ac decisionis ipsius negotii dilatio, ad haec multas rationes et varias allegantes.* **Sententiae variae.**

28. Hisce igitur consideratis, Clemens mediam quamdam iniit viam, videlicet ut Ordinem supprimeret non quidem per definitivam de ejus reitate sententiam, sed *per modum provisionis seu ordinationis Apostolicae.* Rationes quae eum ad hoc moverunt multis exponit. Istam viam etiam episcopus quidam jam antea insinuaverat. Exstant ejus vota et consilia de negotiis Concilii, iisque urget Pontificem, ut Ordinem Templi diffamatissimum tollat sine tarditate sive de rigore juris sive de *plenitudine potestatis.* „Quantum, ait, ad negotium Templariorum et ordinis Templi attinet, Ecclesiae Dei et toti fidei christianae

mirabiliter expediret, quod idem dominus noster, sive de vigore juris, sive de plenitudine potestatis, istum Ordinem diffamatissimum, qui ut ita dicamus odorem nominis christiani, quantum in se fuit, apud incredulos et infideles foetere jam fecit, et nonnullos fideles in stabilitate fidei titubare, sine tarditate aliqua, rejectis frivolis et calumniosis allegationibus super defensione tollenda, ex officio suo omnino tolleret, bonis ejus Ordinis dispositioni Sedis Apostolicae reservatis." [1]) Sed etiam Cardinales et praelatos, qui existimabant, Ordinem ad defensionem admittendum esse, antequam definitiva de ejus culpa ferretur sententia Pontifex consentientes habuit pro hac via ineunda, ut ex verbis Bullae colligitur. Ex eâdem jam facta referamus. *Verum,* ait Pontifex, *licet ex processibus habitis contra Ordinem memoratum ipse ut haereticalis per definitivam sententiam canonice condemnari non possit; quia tamen idem Ordo de illis haeresibus quae imponuntur eidem est plurimum diffamatus, et quia quasi infinitae personae illius Ordinis, inter quas sunt generalis Magister, Visitator Franciae*

Via electa.

---

[1]) V. Raynald ad a. 1311 n. 55. — Gravissimi scriptores, ut Mansi, Hefele, Hergenröther existimant, auctorem hujus voti fuisse Gulielmum Durandum episcopum Mimatensem (a. 1297—1328), qui etiam membrum commissionis pontificiae ad Templarios examinandos institutus fuerat. Auctor enim dum in suo voto de reformatione Ecclesiae agit mentionem facit alicujus tractatus ista de re ab ipso scripti, inquiens „Circa quae aliqua scripsi, quae videri et legi poterunt locis et temporibus opportunis" Jam vero Gulielmus Mimatensis scripserat tractatum qui adhuc exstat *De modo generalis Concilii habendi,* in quo ista de re plura habet similia iis, quae in hoc *voto* continentur. Unde videtur etiam hoc votum ei attribuendum. — Advertit tamen auctor recens cl. Wenck (Clemens V und Heinrich VII etc. p. 80 n. 2), votum de quo agitur tribuendum esse Gulielmo Majori episcopo Andegavensi (a. 1271—1314), quum insertum inveniatur *Libro* Gulielmi Majoris. (Mélanges historiques II. 471 in Collection des Documents inédits sur l'histoire de France.) Quaestionem in ancipite relinquo. In scriptis Gulielmi Majoris, uti edita sunt a D'Achery in suo Spicilegio Tom. I p. 159 sqq., votum hoc non habetur insertum; editio autem a scriptore indicata ad manus non est, ut accuratius rem possim examinare. Videndum sane, an jure Libro Gulielmi Majoris votum istud editores inseruerint.

et majores Praeceptores ipsius, per eorum confessiones spontaneas de praedictis haeresibus, erroribus et sceleribus sunt convictae, quia etiam ipsae confessiones dictum Ordinem reddunt suspectum, et quia infamia et suspicio praelibatae dictum Ordinem reddunt Ecclesiae sanctae Dei et praelatis ejusdem aliisque principibus et caeteris Catholicis nimis abominabilem et exosum, quia etiam verisimile creditur, quod amodo bona non reperiretur persona, quae dictum Ordinem vellet intrare, propter quae ipse Ordo Ecclesiae Dei ac negotio Terrae sanctae ad cujus servitium fuerant deputati, inutilis redderetur, quoniam insuper ex dilatione decisionis seu ordinationis dicti negotii, ad quam faciendam vel sententiam promulgandam terminus peremptorius fuerat in praesenti Concilio praefatis Ordini et fratribus assignatus a nobis, bonorum Templi . . . totalis amissio sequeretur, . . . longa et matura deliberatione praehabita, solum Deum habentes prae oculis et ad utilitatem negotii Terrae sanctae respectum habentes, non declinantes ad dexteram vel sinistram, viam provisionis et ordinationis duximus eligendam, per quam tollentur scandala, vitabuntur pericula, et bona conservabuntur subsidio Terrae sanctae. Bulla *Vox in excelso.*

Considerantes itaque infamiam, suspicionem, clamosam insinuationem et alia supradicta, quae contra Ordinem faciunt supradictum, nec non et occultam et clandestinam receptionem fratrum ipsius Ordinis, differentiamque multorum fratrum ejusdem a communi conversatione, vita et moribus aliorum Christi fidelium, in eo maxime quod recipientes aliquos in fratres sui Ordinis receptos in ipsa sua receptione professionem emittere faciebant et jurare, modum receptionis nemini revelare, nec religionem illam exire, ex quibus contra eos praesumitur evidenter; attendentes insuper grave scandalum ex praedictis contra Ordinem praelibatum subortum fuisse, quod non videretur posse sedari eodem Ordine remanente, nec non et fidei et animarum pericula, et quam plurimorum fratrum dicti Ordinis horribilia multa facta, et multas alias rationes justas et causas, quae nostrum ad infra scripta movere animum rationabiliter et debite potuerunt; quia et majori parti dictorum Cardinalium et praedictorum

a toto Concilio electorum, plus quam quatuor vel quinque partibus eorumdem, visum est decentius et expedientius et utilius pro Dei honore et pro conservatione fidei christianae ac subsidio Terrae sanctae, multisque aliis rationibus validis, sequendam fore potius viam ordinationis et provisionis Sedis Apostolicae, Ordinem saepe fatum tollendo et bona ad usum ad quem deputata fuerant applicando, de personis etiam ipsius Ordinis quae vivunt salubriter providendo, quam defensionis juris observationes et negotii prorogationes, animadvertentes quoque, quod alias etiam sine culpa fratrum, Ecclesia Romana fecit interdum alios Ordines solemnes ex causis incomparabiliter minoribus, quam sint praemissae, cessare: non sine cordis amaritudine et dolore, non per modum definitivae sententiae, sed per modum provisionis seu ordinationis Apostolicae, praefatum Templi Ordinem et ejus statum, habitum atque nomen, irrefragabili et perpetua valitura tollimus sanctione, ac perpetuae prohibitioni subjicimus, sacro Concilio approbante, districtius inhibentes, ne quis dictum Ordinem de caetero intrare, vel ejus habitum suscipere vel portare, aut pro Templario gerere se praesumat. . . . Datum Viennae, XI Kal. April. Pont. nostr. VII.

Publicatio Bullae. 29. Hac Bulla igitur Clemens in Consistorio imprimis secreto Cardinalium aliorumque praelatorum, die 22° Martii habito, Ordinem Templi *per viam provisionis* aboluit. Eamdem Constitutionem dein die 3^tio^ Aprilis in 2da Concilii sessione, praesentibus etiam Philippo ejusque tribus filiis, solemniter publicavit. Ex eadem ordo negotii, uti Viennae peractum est, clare elucet. Quia haec Constitutio praecipua eruditis haud erat nota, multum indulserunt conjecturis et suppositionibus falsis, existimantes, nonnisi aegerrime Concilii Patres adductos fuisse, ut Ordinis abolitioni consentirent, ac propterea tantum in ultima sessione Concilii, die 6° Maji, abolitionem dici factam *approbante Concilio.* Tota haec conjectura jam concidit. In Bulla ipsa fideliter refertur, plurimos existimasse, Ordinem aboleri non posse per definitivam sententiam juridicam, antequam concessa defensione negotium ulterius discussum fuerit; simul vero patet, consensum adfuisse, ut

per viam provisionis Ordo tolleretur, idque inde ab initio *sacro approbante Concilio* factum esse. — Refertur quidem, mense Februario Philippum cum copiis Viennam venisse, dataque epistola d. d. 2° Martii instanter petiisse suppressionem Ordinis, quum reitas ejus sit manifesta. Inde deducitur a quibusdam, timore Clementis animum in hoc negotio vehementer motum fuisse.[1]) Sed jam frequenter id rex postulaverat, nec per copias revera timorem injecisse videtur, quum dicatur tantum venisse *multorum Praelatorum, Nobilium ac Magnatum decens pariter ac potens comitiva.*[2]) Metus alicujus nullum vestigium invenitur; rationes vero gravissimas abolitionis in Bulla clare Pontifex exponit.

30. Secuta est d. d. 2° Maji alia Bulla *Ad providam*, qua bona Ordinis Templi in utilitatem Terrae sanctae Equitibus s. Joannis attribuuntur. Hac de re Raynaldus: „Non parum laboris et studii in ea pontificia sententia mandanda operi, ac praeda amplissima ex potentiorum, qui avaritiae stimulis incitati Templariorum spolia invaserant, faucibus eripienda collocatum est, eaque munerum lenociniis extorqueri oportuit, in quibus offerendis exhaustas Hospitalariorum opes refert subjectis verbis s. Antoninus: Quia jam fuerant occupata a diversis dominis laicis, oportuit quod illi de Hospitali magnum thesaurum exponerent in dando regi et aliis, qui occupaverant dicta bona: unde depauperata est mansio Hospitalis quae se existimabat inde opulentam fieri.“[3]) Ultima haec tamen ita accipienda sunt, quod eo tempore Hospitalariorum in redimendis bonis Templariorum exhausta sit pecunia adeoque illius inopia ipsi laboraverint; caeterum vero bona immobilia obtinuerunt multa, ita ut postea in Gallia duae ex tribus partibus Bulla *Ad providam.*

---

[1]) Cfr. Damberger XIII 168 sqq.

[2]) Continuat. Chron. Guil. Nangii, apud d'Achery, Spicilegium, T. III. p. 65.

[3]) Hist. eccl. III. p. tit. 21. § 1. — V. Raynald. ad a. 1312. n. 7.

possessionum Equitum s. Joannis ex haereditate provenirent Templariorum.[1])

Bulla *Ad certitudinem.*

31. Alia Bulla, *Ad certitudinem*, edita fuit die 6° Maji, qua de personis Templariorum agebatur. „De personis videlicet sic exstitit ordinatum, ut quibusdam nominatim expressis dispositioni Sedis Apostolicae reservatis, caeteri omnes dispositioni Conciliorum provincialium in singulis provinciis sint relicti, quatenus juxta diversitatem conditionum ipsorum cum eis per eadem Concilia procedatur."[2]) Provisum est, ut rigor justitiae misericordia mitigaretur et sustentationis Templariorum cura haberetur. Sibi reservavit Clemens judicium de Magistro generali Ordinis Jacobo Molaeo ac de aliis dignitariis. Instituto judicio agendae poenitentiae addicti sunt, dataque a Clemente imperia, ut ad vitam sustentandam nonnulla Ordinis vectigalia attribuerentur. Sed quum Jacobus Magister ac Guido Praeceptor Normanniae quae confessi erant revocassent, anno 1314 die 18° Martii flammis traditi sunt. Qua de re ita Continuator Chronici Gulielmi Nangii ad a. 1313: „Totius quondam Ordinis Templi Generalis sive transmarinus Magister cum aliis tribus, scilicet Visitatore eorum in Francia, nec non Aquitaniae et Normanniae Magistris, de quibus ordinare finaliter reservaverat sibi Papa, de mandato ipsius per dominum Albanensem (Arnaldum Cardinalem) aliosque duos Cardinales legatos,[3]) Senonensi archiepiscopo aliisque quibusdam praelatis, necnon in jure divino et canonico pariter ob hoc specialiter Parisiis convocatis, et eorum communicato consilio, cum praedicti quatuor nullo excepto crimina sibi imposita palam et

---

[1]) V. Boutaric, La France sous Philippe le Bel pp. 145. 146. B. Jungmann Clemens V und die Aufhebung des Templerordens, Innsbrucker theol. Zeitschrift, V. 449. 450.

[2]) Balut Vita PP. Avenion., Quarta Vita Clementis auctore Bern. Guidonis, l. c. I. 76.

[3]) Mandatum Pontificis datum est die 22° Decembris 1312. Duo illi Cardinales legati erant Nicolaus de Fréauville Cardinalis s. Eusebii Ord. Praedic., et Arnaldus Novelli, Cardinalis s. Priscae Ord. Cistert.

publice confessi fuissent, et in hujus confessione persisterent, finaliter quod velle persistere viderentur, de praefato consilio multa cum maturitate digesto, in platea communi parvisii Parisiensis ecclesiae, (scil. ecelesiae B. Mariae Virginis) die lunae post festum beati Gregorii (d. 18° Martii) adjudicati sunt muro et carceri perpetuo retrudendi. Sed ecce dum Cardinales finem negotio imposuisse credidissent, confestim et ex insperato duo ex ipsis, videlicet transmarinus Magister et Praeceptor Normanniae contra Cardinalem, qui tunc sermonem fecerat, et Senonensem archiepiscopum se pertinaciter defendentes, ad abnegationem confessionis tam etiam eorum omnium quae confessi sunt revertuntur, nec reverentiae parcentes, non absque multorum admiratione. Et dum a Cardinalibus in manu Praepositi Parisiensis, qui praesens tunc aderat, ad custodiendum dumtaxat traduntur, quousque die sequenti deliberationem super his haberent pleniorem, confestim ut ad aures regis, qui tunc erat in regali palatio, hoc verbum insonuit, communicato cum suis, quamvis proinde clericis non vocatis, prudenti consilio, circa vespertinam horam ipsius diei in parva quadam insula Secanae inter hortum regalem et ecclesiam fratrum Eremitarum posita, ambos pari incendio concremari mandavit. Qui sic paratum incendium prompto animo et volenti sustinuisse sunt visi, ut pro suae mortis constantia et abnegatione finali cunctis videntibus admirationem multam intulerint et stuporem."[1]) Referunt etiam auctores aliqui, Magistrum solemniter protestatum esse, ea quae Ordini objiciebantur crimina, falsa esse, seque commississe maximum scelus, quod talia ad vitam salvandam sit ementitus.[2]) Rumorque, ut videtur, postea sparsus est, ab ipso Pontificem et regem intra annum et diem ad Tribunal Dei esse citatos; quod inde forsan evenit, quia anno 1314 tum Clemens V tum Philippus Pulcher supremum diem obierunt. Supplicium Magistri Templi.

---

[1]) Contin. G. Nangii ad a. 1313, ap. D'Achery Spicileg. T. III. col. 67. (edit. Paris. a. 1723) Simili fere ratione alii chronistae hunc eventum enarrant

[2]) V. Raynald. ad a. 1313. n. 39.

IV.

De justitia abolitionis Ordinis Templariorum.

32. Jam diximus, non deesse auctores etiam inter viros catholicos Ecclesiae addictos, qui abolitionem Ordinis Templi acriter reprehendunt. Clementem accusant, quod hac in re turpi obsequio cesserit postulationi Philippi Pulchri; suppressionem vero Ordinis in se spectatam habent ut injustam, quum Templarios nullatenus reos fuisse censeant.[1]) Restat igitur, ut examinemus, quid de duplici hac accusatione dicendum sit.

Clementis V character.

33. Quod ad Clementem Pontificem attinet, existimamus, revera eum in quibusdam negotiis obsequio nimio cessisse Philippo, praesertim in eo quod Bonifatii memoriam non vindicaverit inde ab initio majori auctoritate contra regem, quodque plura quae Philippum pungebant in Constitutionibus et epistolis Praedecessoris sui radi jusserit. Fecisse tamen haec nobis videtur, quod opinaretur, honori Ecclesiae expedire, ut juridice Bonifatii innocentia contra accusationes probetur, quodque concordiae cum rege Galliae quaedam, salvis principiis, concedi posse aestimaret. Etiam elevatio tot praelatorum Galliae ad dignitatem Cardinalium Ecclesiae saluti haud proficua erat; sed hac in re potius minus felici judicii criterio, animoque in Gallos nimis propenso, Pontificem egisse censemus.

34. Caeterum judicia severiora in Clementem apud multos auctores inde provenisse videntur, quod vera haberent quae Villani de ejus electione ac de pactis cum Philippo initis narravit. Haec sane abjecti characteris suspicionem ultro excitabant, ac de Clemente merito suggerebant opinionem, eum, servili quadam dependentia ligatum, regis fuisse in plurimis docile instrumentum. At

---

[1]) Cfr. e. g. Cantù hist. univ. L. XIII. c. 6.; Damberger, Geschichte. T. XII. XIII.

istam narrationem fabulis accensendam esse non tantum probabile, sed plane certum est; unde etiam praejudicia sunt abjicienda, et Clementis gesta aequa lance pensanda. Jam vero multa fecit hic Pontifex, quae nec socordem nec de Ecclesia minus sollicitum eum ostendunt. Conveniunt dein auctores, in promotione Henrici VII ad dignitatem imperialem eum Philippi partes nullatenus esse secutum, ac documenta etiam nuper edita, quibus continetur secreta relatio legatorum Philippi ad Clementem (anno 1310,) ostendunt, virilem animum Pontifici non defuisse, eumque, quum ageretur de honore Sedis Apostolicae vel de petitionibus iniquis, regi non cessisse.[1] — Quae fecerit Clemens in negotio Templariorum enarravimus. Atque ex documentis prolatis colligitur, Pontificem convenieute firmitate Philippi violento agendi modo restitisse, et quantum poterat providisse, ut ordinata ratione indagatio in accusationes contra Ordinem Templi propositas institueretur. Quod spectat ad detentionem Templariorum et custodiam bonorum, regi quidem varia concessit, ita tamen, ut principia salva essent. Manifestum autem est, mox etiam Pontificem vehementem suspicionem de reatu hujus Ordinis concepisse. Unde dum ulterius in inquisitione instituenda progressus est, haud inde id repetendum, quod Philippo cederet, sed quod sui muneris esse judicaret negotium tam grave prosequi. Potuisset profecto regem severius tractare, et censuris ac poenis ejus arbitrarium agendi modum castigare; sed jam diximus, eum potius conciliationi et paci conservandae studuisse.

Gesta quoad Templarios.

35. Veniamus ad quaestionem de *justitia* suppressionis Ordinis Templariorum. Non dubitamus asserere, justam et prudentem fuisse hujus Ordinis abolitionem, eo praesertim modo, quo a Pontifice, approbante Concilio oecumenico Viennensi, ea peracta est. Ut vero imprimis argumento quodam *extrinseco* utamur, hic non agitur de

---

[1]) Vide hanc relationem quam publicavit Boutaric, Revue des Quest. histor. T. XI. (1872); ap. Wenck, Clemens V und Heinrich VII, p. 172.

Sententia Tribunalis summi.

aliquo simplici Pontificis decreto, sed de solemni Constitutione, qua, approbante Concilio oecumenico, sententia illa suppressionis lata est. Jam vero ejusmodi solemnis sententia supremi tribunalis, ex indole sua nonnisi ob gravissimas et evidentes rationes argui posset ut fallax vel injusta. Hinc non convenit, ut catholici etiam auctores leviter, adhibitis meris suppositionibus et conjecturis, invehant in illud Ecclesiae judicium. — Quemadmodum vero approbante Concilio sententia ista lata est, sic etiam generatim a viris cordatis fuit approbata, et auctores historici illorum temporum maxima ex parte abolitionem Ordinis merito factam esse censuerunt. Sic eam approbant Continuator Gulielmi Nangii, Chronista s. Dionysii, Johannes a s. Victore, Ptolomaeus Lucensis, Bernardus Guidonis, Amalricus Augerius, Nicolaus Rosellus Cardinalis Arragonus, Albertinus Mussatus, Franciscus Pippinus, Ferretus Vicentinus, Thomas Walsingham et Albertus Krantius. Villani [1]) quidem et ex ipso s. Antoninus, Templariorum interitum potius avaritiae Philippi regis adscribunt; sed Villani rumores populares hac in re (ut saepius) secutus est, ejusque relatio auctoritate caret, quum valida documenta et plurimi historici eidem opponantur.

36. Etiam a probis familiis nobilibus, quarum membra ad Ordinem pertinebant, suppressionem Templariorum cum dolore quidem receptam, sed justam fuisse habitam, inter alia colliges ex documento nuperrime in lucem edito. In testamento videlicet Bertrandi de Pelliseris, quod Auraici (ap. Auray) die 15⁰ Aprilis a. 1329 confectum est, et manuscriptum atque a notario firmatum in nobili familia de Pellisier conservatur, haec leguntur quoad suppressionem Ordinis Templariorum, in quo duo fratres Bertrandi et multi propinqui degerant: *Vehementissime commotus stupenda, miserabili et nunquam satis deploranda sorte inclyti et celeberrimi hujus Templariorum militum Ordinis, quem jamdiu in sublime elatum ictu oculi paucis abhinc annis in profundum vidi demersum, destructum et e conspectu orbis universi*

¹) Istorie Florentine, L. VIII. c. 92 et L. IX. c. 22.

penitus ablatum, quomodo in tanto miserando casu temperare a lacrymis? . . . Heu! Ordo ille tam illustris et potens, quem non dedignabantur principes saeculi, qui tantos eduxerat viros, strenuos milites, generosae nobilitatis refugium et auxilium, cui majores et authores mei tantum debitores erant et devincti, cui tot avunculi, consobrini et parentes mei Pelliserii seu Pellicarii seu Pelliparii servierant, apud quem adoleverant et virtutis bellicae et gloriae viam amplexati fuerant et secuti, cui ideo tam strictis vinculis adstrictus eram, heu! horribili et hucusque inaudito fato jam fuit, et evanuit. Praesens mihi adhuc est et erit semper fatalis ille dies, immane portentum illud manet alta mente repositum. Terribile coelestis irae monumentum et salutare identidem posteris monitum, quod filios meos semper ante oculos habere vellem, et quod in supremis tabulis pro eorum utilitate ipsis subjicere juvat, ut divitias non ambiant, mollitiem, delicias, maxime in vino intemperantiam, necnon muliebres illecebras, aliaque vitia et praesertim eorum matrem otium fugiant et abhorreant, sed solae virtuti, pietati, religioni toto corde studeant, liberalibus disciplinis animum imbuant, et praecipue arti bellicae quae ipsos decet, sedulo, strenue, et acriter incumbant. Quamobrem pro incitamento monitos tantum volo de hoc et futuro etiam et tremendo Dei judicio.[1]) Habita ut justa.

37. *Intrinseca* dein argumenta, confessiones videlicet, depositiones et testificationes multiplices, quae ex ipso processu Templariorum colliguntur, ostendunt, gravissimas revera rationes fuisse, ut ille Ordo supprimeretur; omniaque illa motiva quae ab ipso Clemente in Bulla *Vox in excelso* afferuntur pro abolitione Ordinis, maximam revera vim habent. Multiplicibus ex criminibus Templarios diffamatos fuisse, et multos etiam reos fuisse, negari nequit. Per multa centena Templariorum, (plus quam duo millia dicitur in voto episcopi jam citato[2]), ritus impii et vitia affirmata fuerunt. Atque depositiones istae factae sunt non tantum per Fratres Ordinis servientes, sed etiam per Confessiones Templariorum.

[1]) Zeitschrift für Theologie (Innsbruck) 1879. p. 621.
[2]) Apud Raynald. ad a. 1311. n. 55.

Equites ac Praeceptores ipsumque Magistrum. Eaedem factae sunt coram Inquisitoribus, Episcopis, Cardinalibus ipsoque Pontifice, ac saepe cum sinceris poenitentiae signis. Haec omnia ex documentis et ex Bullis Clementis luculenter colliguntur.

An vi extortae.

38. Qui Templarios innocentes fuisse existimant, contendunt, omnes istas confessiones vi vel metu torturae ac durissimorum suppliciorum factas fuisse, nullumque iis adscribi posse valorem. Qua occasione graphice describunt immania tormenta carcerumque squalores, quibus Templarii afflicti fuerint. Hac tamen in re multa haud accurate, sed cum exaggeratione dicuntur. Universim animadvertendum est, ex moribus et jure illorum temporum, quum ex gravibus indiciis semiplena aderat probatio criminum, usum torturae habitum fuisse ut licitum. Et quamvis merito aetate nostra medium illud indagandae veritatis fragile et periculosum abolitum sit, conveniebant tamen per multa saecula gravissimi viri, adhibitis cautelis torturam jure adhiberi posse, ut a reo culpae confessio obtineatur.[1]) Praescriptae autem erant, praecipue jure eccle-

---

[1]) Operae pretium est hoc loco ea citare quae de torturae usu inter alia Lessius scribit. „Notandum inquit, torturam esse introductam non in poenam criminis commissi, (hoc enim cum nondum sit plene probatum non potest puniri); sed in subsidium probationis, ut qui sufficiens et plena probatio deest, ipse reus confitendo veritatem suppleat quod ad plenam probationem requiritur: ut docet Covarruvias practic. quaest. q. 23 ex communi sententia DD. et Clarus qu. 64. n. 6. Unde sequitur, torturam adhiberi non posse, nisi quando crimen est semiprobatum, vel quando vehementia indicia urgent, ita ut fere moraliter certum sit, ipsum auctorem esse. In hoc autem casu eam adhiberi posse ad confessionem, est consentaneum rationi naturali. Si enim non posset, improbi audacter et impune peccarent, damna et injurias aliis inferrent, quando putarent, se testibus vel externis indiciis non convincendos. Cum vero vident ex indiciis vel uno teste tormentis subjiciendos, se continent. Accedit, quod pleraque maleficia gravissima non possent puniri quia paucis vel nullis consciis committuntur, cum tamen id ad bonum reipublicae sit necessarium: alioquin omnia sceleribus et sceleratis essent plena. Nec obstat, interdum fieri ut innocens torqueatur, quia in rebus humanis non omnia incommoda vitari possunt

siastico et pro inquisitoribus, accurate cautiones ejusmodi, ne tortura nimis inhumana esset, ac merito praesumendum est, ab inquisitoribus ecclesiasticis, si tortura adhibebatur, regulas illas observatas fuisse. Jam vidimus, Florentiae in examine ab episcopis instituto, sex fratres servientes etiam tortura adhibita nihil confessos fuisse ac habitos ut non reos, quum equites ultro crimina commissa confessi essent. Etiamsi igitur aliqui Templariorum propter tormenta vel terrore commoti falso se reos esse confessi sint, tam ingentem tamen multitudinem eorum, inter quos fuere viri nobilissimi, hac ratione motos fuisse ad crimina illa sibi impingenda, admitti non posse existimo.

39. Sed rei cardo in eo vertitur, quod certum est, multos ultro et sponte sine vi et terrore depositiones suas fecisse. Nemo illorum septuaginta duorum equitum, qui a Pontifice et Cardinalibus Pictavis examinati fuerunt, nullus Praepositorum qui a Cardinalibus in civitate Chinon interrogati sunt, tormentis ad confessiones adactus est, sed uti habetur in Bulla „Vox in excelso“: *Praestito juramento quod super praemissis omnibus meram et plenam dicerent veritatem, libere ac sponte, absque coactione qualibet et terrore, deposuerunt et confessi fuerunt,* etc. Etiam Commissarii illi pontificii, qui Parisiis plus quam trecentos Templarios audierunt, nunquam vim et tormenta adhibuerunt. A Guilielmo Inquisitore in primo examine anni 1307, quo infra mensem fere interrogavit 140 Templarios, in uno alterove casu tortura adhibita esse videtur.[1]) **Depositiones spontaneae.**

---

tiam interdum fit, ut innocens damnetur: non ideo omne judicium ...lendum. Satis est ea media easque cautiones adhiberi, quibus majora ...tentur, etsi iisdem interdum minora praeter intentionem eveniant.“ De ...re et just. L. II. C. XXIX. Dubit. 17.

[1]) Plures auctores, uti Jager Hist de l'Eglise cath. en France, ... X. p. 406, Hergenröther, K. G. B. III. p. 340, censent, torturam ...n adhibitam fuisse in examine horum 140 Templariorum. Occurrunt ...men saltem aliqua vestigia. Ita collato examine fratris Egidii de ...ci coram Gulielmo Inquisitore (Michelet Procès II, 373), et fratris ...i dicitur Gilletus de Ecreio coram Commissione pontificia (Procès I. ...), invenitur de eadem agi persona. Jam vero coram Commissione

Certe in pluribus examinibus a judicibus regiis v
ecclesiasticis secundum temporis jurisprudentiam, atqu
interdum etiam immoderate, tortura adhibita fuit, se
ex dictis sequitur, omnes depositiones vi ac terro
nullatenus posse adscribi. Si a quibusdam auctorib
sine solido fundamento suppositiones fiunt et conjectur
de tormentis immanibus adhibitis, atque ea quae solemnit
in epistolis Clementis asseruntur pro nihilo reputant
ejusmodi methodo veritatem detegi posse, negamus.

Commissio pontificia.

40. Sed quia hac in quaestione maximi momen
sunt Acta processus Parisiis a Commissione pontificia h
biti, nostris primum diebus publicata, convenit haec pau
accuratius considerare. Inspectis igitur et perlustratis il
depositionibus, negari non posse existimamus, Templari
reos fuisse. Quemadmodum videlicet ipsi Commissarii pon
ficii prudenter et sine vi in examine instituendo proces
runt, ita etiam depositiones characteres quosdam ha
fallaces prae se ferunt sinceritatis. Ita imprimis hac
re notare juvat quod scribit editor processus, Michel
„Quelque opinion qu'on adopte sur la règle des Templi
et l'innocence primitive de l'Ordre, il n'est pas diffic
d'arrêter un jugement sur les désordres de son dernier â
désordres analogues à ceux d'autres ordres religieux.
suffit de remarquer dans les interrogatoires que nous p
lions, *que les dénégations sont presque toutes identiqu*
comme si elles étaient dictées d'après un formulaire c
venu; *qu'au contraire les aveux sont tous différents*, var
de circonstances spéciales souvent très naïves, qui l
donnent un caractère particulier de véracité. Le contra
devrait avoir lieu, si les aveux avaient été dictés ou

Gilletus dicit, „quod fuerat suppositus questionibus in Templo paulo
capcionem" Erat hic Gilletus frater serviens „laborator agrorum
custos animalium." Templarius immediate ante eum auditus, Matth
de Arras, sicut Gilletus in Templo de Serincourt receptus, spont
videtur varia confessus erat. Unde negatio Gilleti habita est ut a
dax, et tortura adhibita. Cfr. Jungmann, Clemens V und die Aufheb
d. Templerordens, Innsbrucker Zeitschrift, V. 588.

rachés par les tortures, ils seraient à peu près semblables et la diversité se trouverait plutôt dans les négations."[1])

41. Ipsa porro quae referuntur factorum adjuncta saepius ejusmodi sunt, ut indole sua se prodant nullatenus conficta sed vera. Id praecipue observari potest, dum testes deponunt de variis circumstantiis receptionis suae, quoad impios ritus adhibitos et sensa ac dicta ipsorum vel aliorum, dumque narrant, quomodo postea, quum confiterentur peccatum suum, se gesserit confessarius qualemque imposuerit poenitentiam. Characteres enim hominum variorum, eorumque varia sensa, in his ita ad vivum se repraesentant, ut fictio nulla adesse videatur. Unam alteramve depositionem afferimus, ut simul etiam modus rituum impiorum noscatur. „Galterus de Buris presbyter Ligonensis dioecesis aetatis ut dicebat 40 annorum vel circa, qui dicebat se fuisse in dicto Ordine Templariorum per octo annos ante captionem eorum, . . . respondit ut sequitur. Et primo ad primos quatuor articulos de abnegatione dixit, se nescire quod servabatur in toto Ordine de contentis in ipsis articulis, sed credebat super hoc servari quod servatum in receptione sua facta in capella domus Templi de Buris Lingonensis dioecesis per fratrem P. de Scivreys praeceptorem tunc dictae domus." Factis consuetis quaestionibus et caeremoniis „dictus receptor tradidit sibi mantellum. Quo tradito juravit idem testis super missale, posita manu in loco ubi erat canon missae, mandante dicto receptore, quod esset obediens praeceptis superiorum suorum ordinis, sed nihil aliud juravit, ut dixit. Post dictum autem juramentum dixit praedictus praeceptor idem testi, quod secundum puncta Ordinis eorum debebat abnegare Christum. De quo idem testis fuit valde stupefactus, ut dixit, sed mandante eodem receptore, abnegavit ore tantum, non corde ut dixit. Quo facto, idem receptor dixit, quod adhuc etiam secundum puncta ordinis debebat spuere super crucem, et ablata per dictum presbyterum Joannem Templarium praesentem) de altare quadam magna

Gualterus de Buris.

---

[1]) Procès II; Avertissement.

solum fratribus Johanne de Langivilla presbytero et Petro de Cormeles servientibus Ordinis defunctis. Facto voto et juramento „dicti duo fratres traxerunt se ad partem, remanserunt tamen in capella et testis iste de mandato dicti receptoris traxit se cum ipso receptore prope altare, et dictus receptor dixit ei, ostendendo sibi crucem existentem super altare in qua erat imago Crucifixi depicta: Abnega illum, qui repraesentatur per effigiem illam existentem in cruce. Et ipse respondit: Quomodo possem abnegare Creatorem meum? et receptor respondit ei, quod abnegaret eum ore et non corde, quia hoc erat de punctis Ordinis et tunc abnegavit ore et non corde, ut dixit; postmodum de mandato ipsius receptoris osculatus fuit ipsum receptorem retro circa zonam super carnem nudam. Praecepit ei insuper dictus receptor, ut dixit, quod spueret contra dictam crucem, et ipse spuit juxta eam. Et dixit ei dictus receptor, quod omnia ista oportebat eum facere. . . . Item dixit, quod de praedictis iniquitatibus fuit confessus frat Johanni praedicto (presbytero Templi), et dictus frat Johannes dixit sibi, quod male factum erat, verumtame hoc erat de punctis Ordinis, et absolvit eum injuncta si poenitentia, quod jejunaret sex diebus in pane et aqua.[1]

Albertus de Canellis.

44. „Frater Albertus de Canellis miles, qui fuer magister ostiarius domini Benedicti Papae XI, aetatis annorum vel circa, receptus per Gulielmum de Canel militem in festo Apostolorum Petri et Pauli proximo pr terito fuerunt circiter novem anni.“ Post ritum eccles sticum peractum, „receptor recessit cum eo (teste) et pr cepit eidem testi, quod faceret illud, quod fratres Garin et Georgius dicerent ei. Post quae dictus frater Garin dixit eidem testi, ostendendo crucem mantelli, quod i qui fuerat crucifixus in cruce erat falsus propheta, et qu non crederet in eum, nec haberet spem nec fidem in et quod in despectum ejus spueret super crucem mant ipsius testis, et cum ipse testis responderet, quod n modo hoc faceret et incepisset flere, dictus frater Garin

[1]) Procès etc. I. p. 324.

posuit unam manum ad cultellum armorum, quem portabat, et aliam manum posuit super spatulis dicti testis, et fuit comminatus, quod jugularet et projiceret eum in latrinam, quae erat juxta dictam cameram, nisi faceret, quod sibi injungebat, et tunc dictus testis timore mortis, ut dixit, dixit: Consentio iis quae vultis, et ita dixit ut satisfaceret et non corde, et spuit non super crucem mantelli, sed ad terram juxta. Postmodum dixit ei, quod oportebat, quod oscularetur eum retro in spina dorsi et in umbilico, dicens quod hoc non fiebat pro malo, sed ita servabatur in ordine. Et quum ipse testis fleret, et diceret, quod hoc non faceret, dictus frater Georgius dixit praedicto fratri Garino: Dimittatis eum, quia bene facit quod ego volo, et tunc traxit ipsum testem ad angulum camerae praedictae, et levavit idem frater Georgius aliquantulum mantellum et tunicam, et dixit eidem testi, quod fingeret se osculari, et diceret, se osculatum fuisse eum. . . . Praedictos errores confessus fuerat Romae, in ecclesia s. Joannis de Laterano cuidam fratri Ordinis s. Augustini cujus nomen ignorat, generali poenitentiario domini Papae, et absolvit eum, et dixit ei quod praedicta revelaret dicto domino Benedicto Papae, et ipse respondit, quod non auderet, nec revelavit, et injunxit ei poenitentiam, quod diceret VII psalmos, Pater noster et multa alia talia."[1])

45. Frater Johannes de Buffavent, serviens 35 annorum fuit receptus ante 12 annos per fratrem Anricum Dornar cum ritibus ecclesiasticis. „Cum autem recederent et essent quasi in medio ecclesiae dictus receptor dixit ei, quod adhuc habebat ei aliquid dicere, et ipso teste respondente quae, dixit receptor, quod oportebat eum abnegare Deum et spuere super crucem; et cum ipse testis diceret quod hoc nullo modo faceret, frater Raynaudus dixit eidem ridendo: Non cures, quia hoc non est nisi quaedam truffa. Post quae ad praeceptum dicti receptoris, quum aliquantulum repugnasset, finaliter abnegavit Deum ore non corde. Postea praecepit ei, quod spueret supra quamdam Joann. de Buffavent.

[1]) Procès etc. I. p. 424 sqq.

crucem ligneam, in qua nulla erat pictura nec imago, existentem in quadam fenestra dictae capellae, et ipse testis noluit spuere super sed juxta. Cum autem exivisset dictam capellam idem testis, petiit a fratre Raynaudo, si praedictae abnegatio et spuitio debebant fieri secundum religionem eorum, et dictus Raynaudus dixit, quod non, sed quod receptor dixerat eidem pro truffa; et si dixisset ei, quod secundum religionem eorum debebant praedicta fieri, habebat ipse testis tunc propositum ut dixit ab eo recedendi et statim habitum abjiciendi; nihilominus tamen petiit a fratre Laurentio eadem die ac nocte, qui respondit ei, quod truffatorie erant sibi dicta, et quod non curaret, quia dictus receptor erat quidam truffator, qui sic truffabatur de gentibus.“ [1])

Alii Templarii.

46. Frater Thomas de Jamvalle presbyter, „requisitus si confessus fuerat de abnegatione et spuitione (quas commiserat) respondit, quod non, quia non faciebat sibi conscientiam pro eo, quia ore non corde fecerat praedicta“.[2] Frater Johannes de s. Justo serviens, post receptionem suam, „in crastinum hora matutinali, faciens transitum per villam de Abbatisvilla, confessus fuit de dictis erroribus cuidam fratri Minori dicti loci, qui fuit valde stupefactus de praedictis“ (ille stupor tamen non semper advertitur), „et absolvit eum, imposita ei poenitentia, quod ter in aliquo loco secreto verberaret se fortiter cum virgis dicendo psalmum: Miserere mei Deus, et quod nunquam esset in loco in quo talia perpetrassent: et dictam poenitentiam egit cum corrigia sua, non tamen cum virgis.“ [3]) Frater Fulco de Nulliaco serviens „infra octo dies a receptione sua fuit confessus de praedictis erroribus in ecclesia fratrum Praedicatorum de Belvaco cuidam fratri Praedicatori cujus nomen et cognomen ignorat, qui fuit multum stupefactus de praedictis et reprehendit eum quia fecerat praedicta, et ipse testis respondit, quod quia receptus erat antequam ei

---

[1]) Procès etc. I. p. 509. Cfr. I. p. 535 et II. p. 109.
[2]) Ibid I. p. 446.
[3]) Ibid. I. p. 470.

praeciperentur praedicta illicita, oportuit quod ea faceret; et absolvit eum, imposita poenitentia, quod non biberet vinum de uno anno in sextis feriis; et cum ipse testis responderet, quod hoc facere non auderet, forte scientibus superioribus suis, dictus frater dixit, quod faceret quando posset, et ipse testis complevit poenam praedictam."[1]) Frater Helias de Jolhro fuit confessus de illis peccatis „infra triduum domino Johanni de Grangia quondam tunc archidiacono Meldensi, qui venerat ad dictam domum (de Feritate Gaucherii) et absolvit eum stupefactus multum cum audivisset praedicta, et imposuit sibi in poenitentia, quod praedicta revelaret, et cum ipse testis respondisset, quod hoc nullo modo posset facere sine periculo corporis sui, dixit, quod nolebat se ponere in periculo, et injunxit sibi, quod jejunaret 40 diebus in pane et aqua infra 20 septimanas, et quod non portaret camisiam de duobus annis, quam poenitentiam complevit, ut dixit".[2]) Frater Humbertus de Germilla serviens, de illis „illicitis confessus fuerat infra mensem tunc sequentem saeculari curato de Baro super Secanam Lingonensis dioecesis, tum poenitentiario domini episcopi Cathalanensis qui nunc est, de cujus vita vel morte non habet certitudinem, qui fuit valde stupefactus audita confessione praedicta et absolvit eum dando ei disciplinam, imposita ei poenitentia quod jejunaret diebus sabbatinis in pane et aqua et non portaret camisiam per dimidium annum et quod ultra mare, ubi tunc de proximo profecturus erat, investigaret diligenter, si praedicti errores servabantur in Ordine, et si hoc comperiret revelaret in confessione eidem; et de praedictis nihil potuit scire, nec audivit dici aliud ante captionem eorum".[3]) Frater Radulphus de Salicibus serviens „confessus fuit eadem die ante prandium de illis illicitis Martino presbytero saeculari commoranti in dicta domo (Templi de Cheruto), cujus cognomen ignorat, qui dixit ei, quod

Alii Templarii.

[1]) Ibid. I. p. 478.
[2]) Ibid. I. p. 532.
[3]) Ibid. I. p. 561.

forsan pro truffa facta fuerant supradicta. Nihilominus tamen absolvit eum, imposita poenitentia, quod deinceps non esset in loco in quo fierent talia, et si fierent, quod revelaret ea."[1])

47. In multis igitur depositionibus similes enarrantur circumstantiae, e quibus validum argumentum pro earum sinceritate deducitur. — Quod spectat ad impudicitiam receptis permissam, aliis quidem verbis apertis permissio ista indicabatur, aliis vero minus diserte. E. g. Balduinus de s. Justo praeceptor testatur: „Post quae praecepit idem frater Petrus ipsi testi, quod si aliquis frater dicti ordinis vellet jacere secum, non deberet recusare. Ipse tamen testis, ut dixit, non intellexit, quod hoc diceret ut jacentes insimul aliquod peccatum committeretur, sed si deficeret lectus alteri, quod reciperet eum in lecto suo honeste."[2]) — Inveniuntur in depositionibus etiam quaedam in capitibus accusationis non contenta, ex quibus tamen corruptio illorum virorum colligitur. Sic narrat Petrus de s. Mamerto serviens: „Item dixit (receptor Guilermus de Lotharingia) ei, inter alias instructiones quas faciebat de punctis ordinis, quod non accederet ad mulieres suspectas, quia si committeretur per fratres, perderet habitum; sed si contingeret eum ire, iret ita caute quod nescirent, quia in religiosis erat turpius quod irent palam ad dictas mulieres quam in aliis."[3]) — Frater Raynaudus Bergeron, serviens 45 annorum, receptus erat ante 7 annos per fratrem Laurentium de Belna praeceptorem, qui fuit combustus Parisiis. „Cum ipse testis esset *uxoratus* et frater Hugo de Cabilone miles, tunc praeceptor domus de Val Tors suasisset ei, quod una cum uxore sua intraret, dictus testis dixit quod non intraret, nisi remaneret sibi uxor sua; et cum dictus miles hoc sibi permitteret, dictus testis venit in capella. . . . Et cum dictus frater Laurentius tangeret ei, quod oportebat eum vovere castitatem, idem testis dixit, quod nunquam hoc faceret

F. Bergeron uxoratus.

1) Ibid. I. p. 583.
2) Ibid. I. p. 242.
3) Ibid. I. p. 587.

nec intraret ordinem, nisi remaneret sibi uxor sua et ita erat sibi permissum; et recedens ab ejus praesentia exivit capellam. Dictus vero frater Laurentius et quidam alius, de cujus nomine non recolit, secuti fuerunt eumdem et reprehenderunt eum, dicentes quod erat fatuus quia recusabat talem et tantum honorem, suadentes eidem quod rediret, quia bene esset sibi, et *ipse et uxor sua ponerentur et essent simul in una domo* Ipse vero sic inductus per eos, reversus est cum eis ad dictam cappellam. Tunc autem dictus frater Laurentius fecit eum jurare *castitatem*, obedientiam, . . . quod *non habitarent cum muliere* nec *oscularentur eam.*" Secuti dein sunt ritus illiciti soliti. „Dicit etiam dictus testis quod ipse confessus fuit de dictis erroribus, in festo Paschae tunc sequenti (receptus erat circa festum s. Martini) fratri Guilielmo dicto Menavel ejusdem Ordinis, qui absolvit eum, injuncta sibi poenitentia, quod jejunaret septem diebus Veneris, dicens sibi quod, ex quo illa erant de punctis ordinis et ipse fecerat hoc (abnegationem) non corde sed ore tantum, non multum peccaverat, ideoque non imponebat ei poenitentiam graviorem. Dixit etiam, quod ipse fuit de praedictis erroribus confessus cuidam fratri Minori conventuali Lingonensi, qui audita confessione noluit eum absolvere, sed dixit, quod de tali facto adiret Papam. Dixit etiam dictus testis, quod praeceptor dictae domus de Val de Tors habuit bona sua mobilia et immobilia usque ad valorem quingentarum librarum Turonensium, et propter hoc induxerunt eum, ut intraret religionem eorum."[1]) Omnino improbabile est, ejusmodi depositionem esse confictam. Caeterum vero omnia in eadem optime cohaerent, et ostendunt, quot abusus in Ordine Templi viguerint. Adverte etiam, fratrem illum Laurentium *Parisiis combustum* non fuisse innocentem. Hic est (quantum recordor) unicus casus, in quo frater ex Ordine Minorum denegat absolutionem, et remittit ad Papam, atque etiam haec circumstantia cum tota rerum serie apprime cohaeret. Agebatur de religioso uxorato, qui fecit F. Bergeron.

[1]) Procès etc. I. p. 591.

votum solemne castitatis ac non habitandi cum muliere, ea cum intentione ut retineret uxorem suam, uti receptor ei permiserat. Erat profecto casus valde perplexus.

Templarii jam dudum suspecti.

48. Ex his omnibus igitur colligitur, revera gravissima fuisse motiva ad Ordinem Templi supprimendum. Caeterum animadvertendum est, jam praecedentibus temporibus huic ordini non pauca objecta fuisse. Jam Joannes presbyter Herbipolensis, qui a. 1164 terram sanctam visitavit, laudat quidem Templariorum fortitudinem et liberalitatem in pauperes, addit vero: „Sed hi, nescio quo infortunio, sive ex falso, sive ex vero quoad famae relationem aspersi sunt perfidiae dolo; quod tamen manifeste probatum est per factum illud apud Damascum cum rege Conrado."[1]) Templariorum scilicet dolis tribuebatur, quod a. 1149 Damasci obsidio felicem exitum non habuerit. — Praesertim Gulielmus Tyrius saepius Templarios acriter reprehendit. Inter alia refert, Nasireddinum sultanum a. 1155 a Templariis captum voluisse christianam suscipere fidem, sed istos illum pretio sexaginta millium aureorum Aegyptiis, eum ad mortem postulantibus, vendidisse, qui eum mordicitus decerpentes in frusta minutissima conciderunt.[2]) Ab anno 1170 ad a. 1179 Ordini praefuit Odo de s. Amando. Quo tempore a Templario Gualtero invidiose interceptus et occisus fuit nuntius principis Assassinorum, qui dicebatur tractasse cum rege Hierosolymarum Almarico, ut princeps ille christianam profiteretur religionem. In suspicionem autem venerunt Templarii, ab ipsis ejusmodi crimen patratum fuisse ut id impedirent, ne fraudarentur tributo annuo bis mille aureorum ab Assassinis soluto.[3]) Anno 1179 infelicissimo praelio a Christianis cum Saladino commisso, *„captus est Odo de s Amando, homo nequam, superbus et arrogans, spiritum furoris habens in naribus suis, nec Deum timens, nec ad homines habens reverentiam. Hic juxta multorum assertionem*

---

[1]) Tobler, Descriptiones Terrae sanctae, p. 130; ap. Prutz, Geheimlehre des Tempelherren-Ordens, p. 15. n. 2.

[2]) G. Tyr. L. XVIII. c. 9.

[3]) Ibid. XX. 31.

damni praedicti et perennis probri occasionem dicitur dedisse; qui eodem anno quo captus est in vinculis et squalore carceris nulli lugendus dicitur obiisse.“[1]) Erat Gulielmus Tyrius scriptor coaevus; finivit enim a. 1184 historiam suam. Institutionem Ordinis Templariorum narrans ita de iis judicat: „*Qui cum diu in honesto se conservassent proposito professioni suae satis prudenter satisfacientes, neglecta humilitate, quae omnium virtutum custos esse dignoscitur et in imo sponte sedens non habet unde casum mereatur, domino Patriarchae Hierosolymitano, a quo et Ordinis institutionem et prima beneficia susceperunt, se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum praedecessores eidem exhibuerant denegantes; sed et ecclesiis Dei eis decimas et primitias subtrahentes, et eorum indebite perturbantes possessiones, facti sunt valde molesti.*[2]) Haec tamen duriora forte sunt, quia Gulielmus aegre ferebat exemptionem Ordinis Templi. Generatim enim Templarii ea aetate religionis christianae defensores fortes se ostenderunt. — Auctores saeculi XIII varii de Templariorum superbia et avaritia, ac de dissidiis cum equitibus s. Joannis frequenter conqueruntur, inter quos maxime Matthaeus Paris; difficile tamen est vera a falsis distinguere. Sed etiam Romani Pontifices, qui merito Ordinem protegebant, saepius eos severe redarguunt. Id fecit Innocentius III insigni cum vigore, ex cujus epistola[3]) liquet, magnos in Ordine abusus jam viguisse; et a. 1265 Clemens IV stylo severo Ordinem reprehendit, minas justas intendit, et obsequentes jubet esse, subjungens: *Ne nostra et ipsius Ecclesiae patientia, quae multa in vobis et Ordine praedicto per dissimulationis conniventiam tolerat, vestris, quod absit, insolentiis provocata illa deducat in discussionis examen, in quibus cum nullam subsistentiam juris inveniret, ea nec velit nec valeat amplius cum gravi remorsu conscientiae tolerare.*[4]) — Dicterium etiam illud commemoratur:

Gul. Tyrius.

[1]) Ibid. XXI. 29.
[2]) Ibid. l XII c. 7.
[3]) Epp. Innoc. III. ed. Balutii. T. II. p. 68. ep 121.
[4]) Ap. Raynald. ad a. 1265. n. 75. 76.

„Bibere ut Templarius"; et in Anglia pueri narrantur clamasse: „Cavete ab osculis Templariorum." [1])

Suppressio per modum provisionis.

49. Suppressio Templariorum facta postremo est forma quadam peculiari, videlicet non per definitivam sententiam de reitate totius Ordinis qua talis, sed per modum provisionis seu ordinationis Apostolicae. Id prae oculis habendum est, ut pateat, nihil Clementi hac in re vitio verti posse, sed eum juste et prudenter egisse. — Atque imprimis observandum est, toti Concilio id magis visum expedire, quam negotium adhuc protrahere per defensiones juridicas Ordinis. Ex processibus videlicet majori parti nondum satis constare videbatur, totum Ordinem esse haeresi infectum ac reum. Hinc quum quaestio proponeretur, utrum per definitivam sententiam Ordo damnari posset, an vero adhuc ulterior defensio concedenda esset, censuerunt, Ordinem totum per definitivam sententiam non posse damnari ut reum, et huic judicio etiam ipse Pontifex adhaesit. Sed quum prorogationi negotii multa obstarent, ipsi utilius esse magisque saluti Ecclesiae expedire visum est, Ordinem sine definitiva damnatione tollere per modum provisionis. Neque censendum, hac in re oppositos eum habuisse Concilii praesules. Imo etiam major illa pars pariter decentius esse et magis expedire judicavit, negotium hoc modo finire, quam ulterius illud per juridicum processum protrahere. Id expressis verbis dicitur in Bulla „Vox in excelso": *Quia et majori parti dictorum Cardinalium et praedictorum a toto Concilio electorum . . . visum est decentius et expedientius et utilius pro Dei honore et pro conservatione fidei christianae, . . . sequendam fore potius viam ordinationis et provisionis Sedis Apostolicae, Ordinem saepe fatum tollendo, . . . quam defensionis juris*

[1]) In Anglia testes multi, Fratres Minores, Dominicani, Carmelitae, Augustiniani, laici, variis accusationibus Templarios onerarunt. Cfr. Conc. Magn. Brit. (ed. Wilkins) II. p. 329 sqq. Quoad Templarium Adamum de Heton dicitur in ejus examine: „Dum erat juvenis saecularis, omnes pueri clamabant publice et vulgariter unus ad alterum: Custodiatis vobis ab osculo Templariorum."

observationes et negotii prorogationes. Facile autem vides, inter hoc judicium et votum antecedens nullam esse oppositionem.[1]) Quum vero reliqui pauci, qui judicaverant, Ordinem definitive damnari posse, merito supponantur acquievisse etiam huic modo abolitionis, patet, concordi voto totius Concilii a Clemente V suppressionem per modum provisionis factam esse.

50. Justam porro et sapientem fuisse hanc agendi rationem, etiam facile ex enarratis colligitur. Damnatio quidem totius Ordinis ut talis non videbatur justa, quia culpa Ordinis non erat satis probata, et in pluribus regionibus revera non videntur abominabiles illi adfuisse abusus. Multa tamen obstabant negotii protractioni incommoda, ac pro suppressione Ordinis gravissima aderant motiva. Ingens enim numerus Templariorum crimina erat confessus, ita ut tum de jure tum de facto diffamatio Ordinis adesset magna; nemo probus certe talem religionem jam ingressus esset, et Ordo videbatur Ecclesiae inutilis ac nocivus. Hinc parti Ordinis innocenti quantum fieri potuit eo provisum est, quod totus Ordo qua talis non damnaretur ut reus, bono vero Ecclesiae et totius societatis eo. quod per modum provisionis hic Ordo supprimeretur. Atque omnibus perpensis hanc suppressionem plane necessariam fuisse existimamus. Justa et prudens.

51. Varia quidem in negotio Templariorum non sunt omnino clara; sed argumenta quibus ostendimus, merito Ordinem fuisse suppressum, prompsimus ex iis quae validis probationibus nituntur, neque ob ea quae obscuriora manent, omnia sunt neganda vel in dubium revocanda. — Expositione nostra praeoccupavimus ea quae afferuntur ab auctoribus qui censent, Templarios reos non fuisse eorumque suppressionem ignaviae Clementis et iniquitati Philippi

---

[1]) Id tamen haud advertisse videtur Ill. Hefele, qui hunc consensum non commemorat. In versione enim Germanica Bullae *Vox in excelso* Tübing. Quartalschr. 1866. I.) verba superius relata omissa sunt, forte quod haberentur ut repetitio quaedam textus anterioris.

attribuendam esse. Vidimus, Clementem hac in re vigorem necessarium ostendisse, Ordinemque ab eo non fuisse suppressum ut cederet Philippo, sed quia gravissimae aderant rationes. — Confessiones Templariorum unice propter tormenta et metum factas esse, iisque nihil probari, dici nequit, uti ex dictis colligitur. Multi confessi sunt sine tormentis. Caeterum admittendum est, non omnes Templarios fuisse reos, et qui negaverunt crimina vel sub tormentis factam confessionem revocarunt, potuerunt esse innocentes vel obstinati. Ex testimonio auctoris coaevi, Joannis Canonici s. Victoris Parisiensis, Magister magnus nullis tormentis affectus fuit; tamen pluries confessus est abusus, et postea omnia negavit. Scribit Joannes loquens de depositionibus Templariorum. „*Tertii primo confessi sunt, sed dixerunt postea, se mentitos propter vehementiam tormentorum. De quibus non fuit Magister generalis, quia sine omni tormento errores plenarie recognovit. Nec est verisimile, quod viri tam nobiles, sicut multi inter eos erant, unquam tantam vilitatem cognoscerent, nisi veraciter ita esset.*[1]) Denegationes Templariorum qui Parisiis combusti sunt, valorem sufficientem contra alia multa argumenta non habent. Videntur fuisse partim perversitate obstinati, partim forte innocentes.

An depositiones coactae.

52. Difficulter censent aliqui admitti posse, in Ordinem illum equestrem tam horrendos abusus, ut sodomiae et abnegationis fidei, irrepsisse, nec concipi posse, quomodo statim in ingressu permoti fuerint Ordinem ingredientes, ut ritus illos abominabiles observarent. Inde magnum praejudicium esse concludunt, Templarios haud fuisse reos. — Sed animadvertendum est, dum agitur de facto historico, fidendum non esse praejudiciis et hypothesibus sed argumenta esse examinanda. Haec vero culpam Tem-

---

[1]) Prima Vita Clementis V. Ap. Balut. t. I. p. 22. — Quoad Jacobum de Molay vide quae habet Christophe l. c. T. I. Notes et Pièces justificatives n. XIII. Ce qu'on doit penser du grand maitre Jacques de Molay.

plariorum probant. Caeterum etiam coaevi mirabantur quidem, ejusmodi corruptionem Ordinem Templi foedasse, attamen Templarios reos esse censuerunt. Dein observandum est, etiam in alios Ordines magnos interdum abusus irrepsisse, imo aliquos, ut Ordo Humiliatorum et Fratrum B. M. V. (vulgo Fratrum gaudentium), ob corruptionem ab Ecclesia esse suppressos. Talis autem Ordo militaris, qualis erat Ordo Templariorum, permagnis sane periculis expositus erat, faciliusque perverti poterat. Multi eum ingrediebantur, qui antea vitam duxerant nullatenus commendandam. Quod initio quidem Ordinis s. Bernardo propter morum mutationem causa fuit sancti gaudii; sed postea, uti supponere fas est, magnum erat perversionis periculum. Opportunum erit audire verba s. Bernardi. Loquens de multitudine permagna militum, qui ad novum Ordinem confluebant: *Quodque cernitur jucundius,* scribit, *et agitur commodius, paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere videas, nisi utique sceleratos et impios, raptores et sacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros: de quorum profecto perfectione sicut duplex constat provenire bonum, ita duplicatur et gaudium: quando quidem tam suos de suo discessu laetificant, quam illos de adventu quibus subvenire festinant. ... Itaque laetatur Aegyptus in profectione eorum, cum tamen de protectione eorum nihilominus laetetur mons Sion et exsultent filiae Judae.*[1]) Quando Templarii erant pauperes et humiles, tales viri scelerati et impii facilius quidem in conversione sincera perseverabant; sed quando facti sunt divites, potentes et superbi, fortasse multi nobiles, praesertim secundogeniti filii, Ordinem ingrediebantur sine conversione sincera, et vita illa militari vitiis se inquinare et alios corrumpere poterant. — Advertendum etiam est, depositiones adesse quorumdam testium, qui non erant Templarii, atque ex eorum quoque depositionibus gravia colligi motiva, ut rei censeantur Templarii variorum abusuum; rumores et malam famam de ipsis adfuisse, ex iis patet. Eo pertinet, v. g. depositio Fratris Stephani de

An crimina improbabilia.

[1]) Exhortatio ad milites Templi, c. 5.

Nereaco Lugdunensis dioecesis, de Ordine Fratrum minorum.[1] „Lectis sibi omnibus et singulis articulis, respondit, quod sunt elapsi viginti anni vel circa, cum frater Ancelinus Gara, miles Ordinis Templi, de parentela ipsius testis, esset dictum Ordinem ingressurus, et ipse testis et frater Poncius prior de Mantula dioecesis Viennensis, Ordinis Cluniacensis, frater ejusdem, et Stephanus frater dicti Ancelini, ac alii nobiles de eorum parentela, trufando et ridendo dicerent eidem Ancelino die praecedenti receptionem suam, Lugduni existenti, quod in crastino (inhoneste) oscularetur illum qui reciperet eum, et dictus Ancelinus responderet quod hoc non faceret, et si diceretur ei, quod cum gladio perforaret . . ., fecerunt ei jurare, quod post receptionem suam revelaret eis modum dictae suae receptionis et professionis." Enarrat, quomodo altera die Ancelinus, praesente nobili parentela sua ab Anrico de Villariis Archiepiscopo Lugdunensi primum in sacello Templariorum miles factus sit, ac dein induerint eum in aliqua camera vestibus Ordinis. Post haec duo milites Ordinis, quorum nomina ignorat (testis), „duxerunt ipsum Ancelinum, praesente ipso teste, ad quemdam alium locum dictae domus secretum, et nullus de amicis ipsius secutus est eum nec intrare potuit, quia firmaverunt portas. Cum autem fecissent permagnum spatium, et ipse testis et alii exterius existentes admirarentur de tanta mora, dicti duo milites apertis januis redierunt cum bono vultu ad locum unde receperunt dictum fratrem Ancelinum, et ipse frater Ancelinus, nunc habens mantellum, subsequebatur eos adeo alteratus et immutatus in vultu et turbatus et intristissimus corde, ut videbatur, habens oculos tumidos et lacrimosos, quod ejus aspectus fuit ipsi testi et aliis amicis eorum assistentibus quasi horribilis et terribilis." — Ancelinus postea interpellatus a teste „quod revelaret ei modum receptionis suae praedictae, dictus Ancelinus torvo oculo respiciens ipsum testem dixit ei quod nec ipse nec

Depositio testis Ord. Fr. Min.

[1]) Procès, I. p. 454.

alius loquerentur sibi deinceps de hoc, quia non habebat aliquos amicum vel parentem, si loqueretur sibi de hoc, quem nollet esse exoculatum; et tunc ipse testis dixit sibi quod non loqueretur ei ulterius de praedictis." — Inter alia dein refert, Pontium Ancelini fratrem, F. Jacobum Priorem S. Petri in Alaverido, et Stephanum fratrem Ancelini sibi dixisse, „quod dictus frater Ancelinus aliquando ei dixerat, quod Templarii erant pejores homines de mundo, quare non curabat redire ad societatem eorum." — Postmodum tempore captionis Templariorum Artaudus miles, consanguineus Ancelini, monuit hunc, ut diceret veritatem de accusationibus contra Templarios. Tunc vocato notario publico Ancelinus confessus fuit, „quod Templarii in ejus receptione fecerunt abnegare eum Christum, et dixerant ei quod Christus erat falsus propheta, et praeter hoc fecerant eum spuere super crucem et pedibus conculcare. Item etiam confessus fuit quod illa horrenda oscula intervenerant in sua receptione, et hanc confessionem ipsius Ancelini retulerunt eidem testi dicti dominus Artaudus et frater Jacobus se audivisse ab eodem Ancelino. Quibus auditis idem testis consuluit fratri Jacobo praedicto, quod faceret eum capi et duci ad dominum archiepiscopum Viennensem, cum istud negotium tangeret fidem nisi fieret coram Praelatis Ecclesiae habentibus auctoritatem super istis; quo facto dictus Prior fecit eum capi et reddi domino archiepiscopo Viennensi." — Similia quaedam dein refert ex narratione Hugonis Achoti, domicelli Lugdunensis, de adolescente nobili Berlione, filio domini de Illino.

Sodomiae crimen.

53. Foedissimum certe est illud cujus Templarii accusabantur sodomiae crimen, sed advertendum est, apud paganos antiquos illud vitium valde commune fuisse, ita ut vix illicitum haberetur; et nostro tempore ingentem multitudinem Sinensium gentilium eidem crimini deditam esse, a missionariis traditur. Imo etiam de effraeni ejusmodi luxuria, cui in magnis civitatibus viri nobiles quoque dediti fuerint, passim turpissima recentiori aetate relata fuere. Medio vero aevo vitio illo non paucos inquinatos fuisse, variis ex do-

cumentis colligitur.[1]) Ex processu tamen eruitur quidem, permissionem impudicitiae saepius datam fuisse, sed non apparet, vitium illud valde frequens in illo Ordine exstitisse. — Quoad reliquos ritus impios et inverecundos recolendum est, Templarios in Oriente multum cum infidelibus et impiis sectis haereticis conversatos esse, et etiam in Occidente, praesertim in Gallia meridionali unde quam plurimi Templarii oriundi erant, sectas turpes Manichaeorum valde propagatas fuisse. His solemne erat Jesum negare, quibus aliqui Satanielem alium Dei filium substituebant. Hinc impios errores ac ritus a Templariis susceptos esse, nullo modo repugnat.

An Ordo haereticus

54. Auctores varii nostra aetate eam propugnaverunt sententiam, totum Ordinem Templi haeresi infectum fuisse, ita ut constitueret societatem sectariam cum organisatione, doctrinis, et statutis secretis. Variis dissertationibus Jos. de Hammer probare conatus est, haeresim gnosticam Ophitarum in illo Ordine regnasse, ipseque existimat, jam brevi tempore post Ordinis institutionem in eum penetrasse hanc haeresim.[2]) J. Prutz ostendere nisus est, Templarios constituisse peculiarem ecclesiam cum specialibus dogmatibus cultu ac sacerdotibus,[3]) ex haeresi Catharorum se evolvisse specialem Templariorum haeresim[4]), quae in variis capitibus similis fuerit turpissimae haeresi Luciferianorum.[5])

---

[1]) Cfr. e. g. s. Petri Damiani *Gomorrhaeum*; Dante *Inferno* c. *XV*. — Fratres Praedicatores deliberarunt, utrum conveniret praedicare contra ejusmodi vitia, quum inter Christianos adeo se propagassent, an vero propter scandalum eorum quibus eadem vitia ignota essent abstinendum sit a praedicatione. Judicarunt porro, invehendum esse publice in illa crimina. V. Bayle, Diction. Ed. Amsterdam 1730. T. IV p. 652 nota H.

[2]) De Ophitis erudite scripsit cl. Fr. Giraud in opere: Ophitae Dissertatio historico-theologica; Paris ap. Lethellieux 1884. Sententiam Josephi de Haller ibidem pp. 280 sqq. examinat et solidis argumentis refellit.

[3]) Geheimlehre und Geheimstatuten des Templerordens, Berlin 1879 p. 49.

[4]) Ibidem p. 58.

[5]) P. 70.

Etiam Loyseleur ejusmodi opiniones emittit,[1] atque N. Deschamps in opere posthumo de societatibus secretis eidem sententiae suffragatur.[2] Absolute quidem non repugnat. Templarios integram societatem haereticam cum doctrinis ritibusque secretis constituisse, atque hac sententia admissa ritus impii aliaque facinora commode explicantur. Censemus tamen, argumenta quae afferuntur id non evincere, neque satis probatum esse, exstitisse statuta secreta ejusmodi societatis. Confessiones aliquot Templariorum de scriptis libellisve secretis, non videntur fundamentum sufficiens ad hanc opinionem tuendam. — Sententia vero, Francomuratorum societates continuationem esse Ordinis Templariorum, merito jam saepius explosa est, nec talibus fictionibus censemus esse inhaerendum. — Sed etiam si non admittitur, totum Ordinem Templariorum in sectam haereticam degenerasse, fieri potuit, ut multi afficerentur incredulitate variisque vitiis turpibus in ejusmodi Ordine militari, cujus membra decursu temporis dominationi, divitiis, voluptatibus magis magisque inhiabant.

55. Notum est, aetate Friderici II incredulitatem morumque in voluptates dissolutionem, ipsius Imperatoris exemplo valde se propagasse, ac forte eo tempore Templariorum Ordo corruptione vehementius infectus est. In Gallia meridionali, uti jam innuimus, Templarii sane frequenter consuetudinem habuerunt cum Catharis, quorum erroribus multae familiae nobiles addictae erant; in Oriente vero exempla Muhamedanorum, Syrorum Palaestinae vita mollis et voluptatibus dedita, Christianorumque Orientis lugenda in sectas divisio, occasioni esse potuere, ut fides ac mores militum illorum corrumperentur. Quando vero complures Ordinis dignitarii aliique Templarii non pauci *Explicatio corruptionis.*

---

[1] La doctrine secrète des Templiers, Paris 1872.

[2] N. Deschamps, Les sociétés secrètes et la société, ou philosophie de l'histoire contemporaine. Deuxième édition, Tome I. L. II. Ch. I: Les origines de la Francmaçonnerie; 5. Les templiers, quatrième source de la maçonnerie (Paris, Oudin Frères 1880).

incredulitati et turpibus voluptatibus se dedidere, fieri potuisse existimamus, ut ritus illi impii et turpes introducerentur, etiamsi integrum quoddam systema haereticum in toto Ordine non se formaret. Ejusmodi ritibus ut symbolis quibusdam exprimebatur tendentia incredula, qua Christianismus jam habebatur ut superstitio vana, simulque tendentia antinomistica, quae turpitudini ac voluptati habenas laxabat. Qui Ordinem ingrediebantur his ritibus, quin eorum significationem et perversitatem penitus perspicerent, addicebantur hisce tendentiis, simulque actibus illis inverecundis ad caecam quandam obedientiam Ordini mancipabantur. Nam tali re perpetrata videbantur necessitate quadam Ordini adstricti, terroribusque adjectis silentium ac submissio absoluta illis inculcabatur.

Explicatio rituum

56. Advertendum porro est, medio aevo maxime in usu fuisse, ut doctrinae et mores symbolis variis ritibusque exprimerentur. In Ecclesia invenimus summo cum splendore ritus et usus sanctos ac venerandos adhibitos; sed jam affines hisce reperimus ritus quosdam incongruos et ludicros, quos auctoritas ecclesiastica non nisi magna cum difficultate postea supprimere potuit.[1]) Quum ex una parte ardentis fidei manifestationes frequentes essent et disciplina rigida variis in familiis religiosis vigeret, ex altera parte haud raro occurrimus malesanae cuidam tendentiae, ut naturae corruptae nisus inverecundi ac turpes quoque valerent et exprimerentur. Ita e. g. in Gallia repraesentationes dramaticae populares (diableries) passim degenerabant in ludos turpes, in quibus similes ritus inverecundi sicut apud Templarios occurrunt.[2]) Usus vero, ritibus inverecundis ad silentium obligandi apud varias societates medii

---

[1]) Huc pertinent ea, quae in festis asini et stultorum ludicre peragi solebant.

[2]) V. M. Clément, Histoire des fêtes civiles et religieuses, usages anciens et modernes de la Flandre et d'un grand nombre de villes en France. Avesnes 1845. Tom. II. Ch. 15.

aevi invenitur.[1]) Fieri sane potuit apud Templarios, ut multi qui recipiebantur timore perculsi ritus impios et turpes peragerent, quin tamen fidem plane abjicerent. Certe plurimi *ore,* non *corde,* se Christum negasse dixerunt. Quod attinet ad idololatriam et adorationem idoli, vel capitis cujusdam burbati, vel colubri, etiam obscurior res est, ac rumores, uti fieri solet, videntur turpibus turpiora addidisse. Potuit tamen existere apud plures superstitio aliqua Gnosticorum, Manichaeorum et Albigensium erroribus affinis, ita ut principium malum ad obtinenda bona terrena, sub aliqua effigie colerent, quod idolum dicuntur *Baphometum* appellasse. Edidit ea de re Hammer dissertationem inscriptam: *Mysterium Baphometi detectum,* seu Templarii eorum monumentis convicti,[2]) atque ostendere nititur, uti diximus, Templarios fuisse Gnosticos et Ophitas, et veluti tales apostasiae, idololatriae et impuritatis reos fuisse. Putat nomen Baphometi efformatum esse ex vocibus βαφὴ μήτεος, quae spiritus, sapientiae seu ignis baptismum significarent, id quod erat veterum Gnosticorum proprium.[3]) Sed longius ista petita sunt nec satis probata. Baphometi nomen censerem potius, cum aliis auctoribus, ex *Mahometi* corrupta voce formatum. Quum vulgus nomina tali ratione pro faciliori pronuntiatione corrumpere soleat,[4]) rudiores Templarii servientes Muhamedanorum pseudo-prophetam, quem in summa veneratione apud ipsos inveniebant, eorum

An idololatria.

---

[1]) Ita Wilcke l. c. II. 139. „Eine ähnliche Art zum Stillschweigen zu verbinden, fand sich seit dem Mittelalter bei allen Gilden, am meisten bei den Steinmetzen. (Holberg, Beschreibung der Handelsstadt Bergen in Norwegen II. S. 59.) Dass man noch unanständiger, gefühlloser und schrecklicher hierbei verfahren könne, lehren die sinnlosen Gebräuche, welche die französische Freimaurerei in ihrer Entartung vormals in Anwendung gebracht hat, wogegen jene Küsse der Templer noch zulässige Gebräuche genannt werden können."

[2]) Mines de l'Orient, tom. VI.

[3]) V. Palma, Praelect. T. III. P. II. c. XII.

[4]) Ita apud Italos audies nomen „Rafaello" corruptum a vulgu in „Waffabello". — Litterae autem *M* in *B*, et litterae *H* in *F* persaepe fit apud rudes mutatio. Cfr. Giraud, Ophitae pp. 281 sqq.

Baphometum probabiliter appellavere. Dein vero potuit illud nomen generatim objecto cultus superstitiosi applicari, ita ut idolum, amuletum vel symbolum, quod Templarii aliqui venerarentur, eorum Baphometus diceretur.

57. Quomodo autem ingredientes ad impios ritus dolo, vi persuasione adducerentur, ex processu satis clarescit, ac depositiones hac in re characterem prae se ferunt sinceritatis. Si praevidebatur, aliquem adduci ad ejusmodi ritum non posse, probabiliter eum omittebant. Jam maximus erat abusus apud Templarios, quod sine ullo novitiatu statim pro professis habebantur. Caeterum non debent comparari illi, qui nostro tempore ex vocatione et pietate religionem ingrediuntur, cum iis, qui illo tempore Ordinem Templi intrabant. Maxima ex parte erant illiterati et rudes moribus; quumque in ipso Ordine tantum bis vel ter per annum poenitentiae et eucharistiae sacramenta susciperentur, haud frequenter antea eos Sacramenta adiisse, merito conjicimus. Tales autem facilius ad ritus impios peragendos adduci poterant.

J. Molaei mors.

58. Superest, ut pauca dicamus de narratione satis vulgata, qua refertur, Jacobum Molaeum Ordinis Templariorum Magistrum, quum ultimo rogi supplicio afficeretur, allocutione ad populum habita contestatum esse, se antea non nisi tormentis coactum variis criminibus Ordinem infamasse, modo vero testari ejus innocentiam et integritatem. Dein ipsum citasse Clementem V Pontificem et Philippum regem ad tribunal divinum Christi, illum quidem intra dies quadraginta, hunc vero intra annum. Quum vero Pontifex et rex revera brevi post morte abriperentur, vindictam divinam in testimonium innocentiae Templariorum ex eventibus agnitam fuisse. — Ejusmodi relatio apud auctores coaevos non invenitur. Supplicio Magistri Templariorum multitudinem adfuisse, eumque tunc allocutionem ad eam habuisse, plane improbabile est. Vidimus enim, supplicium ejus et Praeceptoris Normanniae vespere in insula Sequanae jubente Philippo cito peractum fuisse: regis intererat, ut sine animorum commotione ejus sententia sat arbitraria executioni mandaretur. Ac merito

advertit Wilcke, suppositae allocutionis fictionem vel inde patere, quod de tormentis antea toleratis conqueratur Magister, quem constat nunquam tormentis affectum fuisse.[1])

59. Potuit sane ejusmodi fabula de citatione Clementis et Philippi ob mortem eorum brevi post secutam oriri, quum prona sit multitudo stupore perculsa in ejusmodi eventibus mira quaedam confingere. Caeterum facta quaedam in aliis regionibus etiam fictionis ansam potuerunt praebere. Refert videlicet Joannes Mariana (1537—1624) in sua Hispaniae historia, a. 1312 duos fratres nobiles ex familia Carvajal, a rege Ferdinando injuste ad mortem condemnatos fuisse. Hosce morientes regem intra dies triginta ad tribunal divinum citasse, regem vero, quum nondum vigintiquinque esset annorum, revera die trigesimo (d. 7° Septembris a. 1312) mortem obiisse. Advertit Mariana, qui eventum hunc habet verum, inde cognomen *In jus vocatus* Ferdinando factum fuisse.[2]) Ejusmodi eventus occasionem praebere potuit simili narrationi de morte Clementis V vel Philippi Pulchri, quum ipsi brevi post supplicium Magistri Templariorum obirent. — Recolere porro juvabit, passim scriptores quosdam medii aevi quoad mortes praematuras Romanorum Pontificum, conjecturis indulsisse non minus ineptis quam falsis, ut punitionis divinae in iis invenirent signa. Ita egregii Pontificis Innocentii IV obitum aliqui tribuerunt vindictae divinae, quod Fratrum Minorum et Praedicatorum ipse diminuisset privilegia.[3]) De morte Joannis XXI, qui camerae ruina

Citatio fabulis adscribenda.

---

[1]) Wilcke l. c. II. 318.

[2]) L. XV. c. 11. — Apud Ferretum Vicentinum quidem, scriptorem lum saeculi XIV, citatio aliqua refertur Clementis et Philippi ad bunal Dei, sed ejus relatio fictionem omnino redolet. Jam non adibitur citatio Jacobo Molaeo Magistro, sed Templario cuidam Neaponо audacis animi viro, quem diu in carcere detentum Pontifex ad rtem damnaverit. V. Muratori Scr. It. Tom. IX. p. 1017 sqq. — us accurate Wilcke l. c. II. 319 textum ex Ferreto citat, ac si hic tor loquatur de Magistro magno Templariorum. De Molaeo enim d Ferretum l. c. non agitur.

[3]) V. Dissert. XXVIII. n. 115; Raynald. ad a. 1254 n. 70.

oppressus obiit, similes factae sunt conjecturae.[1]) Vitam vero ipsius Clementis V Ptolomeus Lucensis concludit verbis, quibus haud quidem suppressionem Ordinis Templariorum, sed aliud factum, quod ipsi utpote Dominicano displicebat, insinuat fuisse causam mortis Pontificis. „Nec unquam, scribit, fuit postea sanus, postquam constitutiones contra religiosos mendicantes renovavit, sicut audivi a confessore suo fide digno."[2]) Ejusmodi autem conjecturis inanibus, rumoribus vel fabellis nihil tribuendum esse, facile vides.

Conclusio. 59. Ut jam finem imponamus huic Dissertationi, iterum advertere liceat, gravissimum argumentum, quod nostris diebus post publicatam Bullam *Vox in excelso* evidentius claruit, constitui pro sententia quam exposuimus, *ex unanimi consensu, hac in re, Clementis V Pontificis cum Patribus universis Concilii oecumenici Viennensis.* Hujus argumenti vim jam auctor praeclarus (P. Brunengo S. J.) hisce evolvit. Ex historia modo jam certo constat, ita quidem ut id negari omnino non possit, abolitionem Ordinis Templariorum a Pontifice simul atque episcopis, matura deliberatione praehabita, peractam fuisse. Hinc ea suppressio non potest condemnari ut injusta, quin quis incidat in sententias temerarias et inanes. Si quis admittere renuit, Ordinem Templariorum corruptione illa quae in Clementis V Bullis describitur, infectam fuisse, sed contendit Templarios ut victimas innocentes succubuisse odio Philippi Pulchri: is supponere adigitur, Clementem V et cum ipso Pontifice totum Concilium Viennense, omnesque alios praelatos, inquisitores et judices, qui non solum in Gallia, sed in variis orbis christiani regionibus partem habuerunt in ferenda de Templariorum suppressione sententia, omnes ad unum homines fuisse imbecilles mente ac sensu judicioque destitutos, vel viros plane indignos sordidae ignaviae, impios atque scelestos. Ita igitur ut absolvatur societas illa bellatorum in habitu religioso

[1]) V. Dissert. XXVIII. n. 126; Raynald. ad a. 1277 n. 19.
[2]) Balutius Vitae I. 56.

necesse foret maxima infamia adspergere universam hierarchiam Ecclesiae. Hoc in bivio vir cordatus et bene consultus non haerebit anceps, quo se vertat. — Caeterum solutio quaestionis de justitia abolitionis Templariorum non ex iis petenda est, quae gesta sunt a tribunalibus regis et ab iis, qui suppressionem hujus Ordinis appetebant; sed ex iis quae continentur in actis judicum et praesulum ecclesiasticorum, a quibus abolitio Templariorum demum decreta est. Quo diligentius vero illa acta, Constitutionesque Clementis V examinantur, eo clarius jam liquet, juste et prudenter egisse Pontificem, qui Bulla *Vox in coelo* Ordinem diffamatum sustulit.[1])

[1]) V. Civiltà cattol. 1866. Ser. VI. Vol. VIII. p. 278. — Quaestiones quas tetigimus fusius evolvuntur in disquisitione nostra jam citata: Clemens V und die Aufhebung des Templerordens, V. Einwürfe und abweichende Ansichten, l. c. pp. 581 sqq.

Dissertatio trigesima secunda.

De Pontificibus Avenione commoratis.

Epist. Cardinalium.

1. In epistola illa, qua Cardinales Clementem V post electionem ejus ut Romam veniret supplicibus verbis invitabant, inter alias, uti vidimus, has afferunt rationes. *Non dubium quippe*, scribunt, *quod in sede Petri sedebitis fortior, lucebitis clarior, in terra ejus vivetis quietior, et remotis regibus, principibus atque populis admirabilior eritis, et ipsorum devotionem et obedientiam plenius acquiretis. In sua namque domo est unusquisque planeta potentior. In ecclesia propria quiescit quis dulcius; ensis juxta capulum minus, ejusque pars quae magis distat a capulo plus incidit; visa frequenter plus spernuntur per saepius, ac facilius adita vel quaesita vilescunt.*[1]) Quemadmodum his verbis scite indicantur commoda et utilitates, quae tum pro Pontificibus tum pro Ecclesia universa commorationi eorum in Urbe connexae erant, ita etiam implicite praevidentur incommoda et damna, quae ex commoratione illorum in alia regione dimanaverunt. Resederunt videlicet Pontifices inde a Clemente V usque ad Gregorium XI in Gallia ultra septuaginta annos, eorumque independentia atque auctoritas

---

[1]) Ap. Raynald. ad a. 1305. n. 6.

inde paulatim est diminuta, imo etiam via praeparata schismati ac variis malis, quae postea subsecuta sunt. Haec tamen discrimina sane non illico se manifestarunt; sed tardius, quum malis magnis societas christiana jam obrueretur, causae illorum fuerunt plenius perspectae.

2. Non defuerunt inter auctores praesertim Italos, qui stylum suum in Pontifices Avenionenses vehementius acuerunt, et variis prolatis accusationibus de eorum personis acerbius conquesti sunt. Attamen plurima hac in re sunt omnino exaggerata. Imo inter Pontifices Avenionenses plures exstiterunt eximiis virtutibus insignes, ex quibus Urbanus V inter Beatos colitur; omnes autem fuerunt viri moribus integri, dignique Principis Apostolorum successores. — Ad causam vero quod spectat commorationis Pontificum in Gallia, haud existimandum est, beneplacitum et exemplum Clementis V, affectionemve ad solium patrium fuisse illis motivum praecipuum, cur Avenione subsisterent. Sed variae eos moverunt rationes, ob quas opportunius id esse censuerunt; imo plures necessitate quadam fere adstricti videbantur. Qua de re hic pauca dicere sufficiat. **Commoratio in Gallia.**

3. Itaque tum Clemens V tum subsequentes Pontifices ut in Gallia manerent maxime eo permoti sunt, quod Romae ipsis sedes non videretur secura ob factiones, quibus Italia et ipsa ditio ecclesiastica perturbabatur. Ac si ex una parte, dum periculum vitabant majori expositi fuerunt discrimini juxta illud poetae: „Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim"; ex altera parte non potest negari, revera commorationem in Urbe eo tempore difficultatibus plenam, imo saepe impossibilem fuisse. Recolendum est, jam praecedente tempore frequenter Pontifices etiam eximios, propter factiones nobilium et turbulentiam populi Romani, Roma debuisse cedere, et in aliis civitatibus territorii ecclesiastici vel Italiae sedem suam figere. Quindecim praecedentes Pontifices inde ab Innocentio IV, qui, diu exsul, post mortem Friderici II a. 1253, *licet tristitiam sereno vultu palliaret, urbem sollicitus et pavidus*

intravit,[1]) omnes frequentissime Roma aufugere et alibi commorari coacti sunt. Propter Guelforum et Gibelinorum partes Pontifices perpetuo cuidam discrimini expositi erant, eo vel magis, quod simul familiae nobiles Romanae iis propter ambitionem et dominandi cupidinem maximas difficultates creabant. Ursinorum et Columnarum familiae primum locum Romae occupabant, illi Guelforum, hi vero Gibellinorum partibus addicti erant; istis autem familiis reliquae familiae nobiles (Savelli, Stephaneschi, Annibaldeschi, Conti, Gaetani, Papareschi,) et barones Romani, vel ex una vel ex altera parte, se jungebant. Simultates igitur erant perpetuae, potestas civilis Pontificis ab illis factionibus usurpabatur, ac turbarum et luctae non erat finis. Dicitur jam Benedictus XI consilium cepisse, ut in aliquam Longobardiae civitatem curiae pontificalis sedem transferret;[2]) quae vero tum ipsi tum Bonifacio VIII acciderant, multum forte Clementem moverunt. Quumque pro sua in patriam ac familiam regiam Galliae affectione benignius de Philippi animo et gestis judicaret, atque haud satis perspiceret pericula independentiae R. Pontifici imminentia, in Gallia ad tempus remanere constituit. Subsequentes dein Pontifices similibus ducti sunt motivis, imo quidam etiam quum vellent, variis causis plane impediti erant, quominus sedem iterum Romam transferrent.

Turbae in Italia.

Modo dissertationem de Pontificibus Avenionensibus ita instituemus, ut primum seriem eorum singulorumque vitam et praecipuas res gestas compendio oculis objiciamus, dein vero capita quaedam examinemus majoris momenti, quae conferunt, ut illorum temporum notio accuratior acquiratur, ab injustis quidem accusationibus Pontifices illi vindicentur, at simul etiam discrimina perspiciantur, quae ex commoratione ista in Gallia pro Ecclesia et Sede Apostolica exorta sunt.

4. De statu Ecclesiae hoc tempore et initio saeculi XV opportune consuli possunt. Balutius, *Vitae Paparum Av-*

---

[1]) Matthaeus Paris, ad a. 1253.

[2]) Ferreti Vicentini historia; ap. Muratori Rer. ital. script. T. IX. p. 1012.

nionensium, Paris. 1693, 2 vol. in 4°. — Muratori, *Scriptores, Ital. T. III. P. I. et II.* — Theodoricus de Niem, *Vita Pontificum Romanorum* (1228—1418) additis Imperatorum gestis ap. Eccard, Corpus historicorum medii aevi T. I. Basilaeae 1566 in fol. — Raynaldi *Annales Saec. XIV.* — André, *Histoire politique de la monarchie pontificale au XIV siècle, ou la papauté à Avignon.* Paris 1854. — Christophe, *Histoire de la papanté pendant le XIV siècle.* Paris, 1853. — Hefele, Conc. Gesch. VI. — Damberger, Gesch. T. XIII. XIV. — Reumont, *Gesch. der Stadt Rom, Tom. II.* — Balan, *Storia d'Italia, LL. XXIX. sqq.* — Hergenröther, *K.-G. Tom. II. Per. VI. Cap. I.* et *K.-G. Tom. III. p. 337 sqq.* (ed. 1.), ubi auctores qui de hac aetate scripserunt citatos invenies. Cfr. etiam quoad scriptores Chevalier *Bio-Bibliographie* sub nomine singulorum Pontificum Avenionensium. Plures dein auctores decursu Dissertationis citabimus.

I.

Series Pontificum Avenionensium.

5. Clemens V (a. 1305—1314). — Praecipua quae hunc Pontificem spectant, jam enarravimus; hinc pauca addere sufficiet. Hoc tempore praesertim per Fratres Minores fides christiana in imperio Tartarorum propagata fuit. Clemens vero Fr. Joannem a Corvino, qui Evangelium ab annis pluribus in illis Orientis regionibus magno cum fructu praedicabat, Cambalichensem (Peking) archiepiscopum et totius legatum Orientis creavit, septemque ex eodem Ordine selectos viros pietate et eruditione praestantes, episcopali adauctos dignitate, ad eum misit, qui ipsi in Evangelio et recentis ecclesiae regimine velut suffraganei collaborarent. — Multum adlaboravit, ut expeditionem sacram, quam continuo mente volvebat, praepararet. Dulcinum impurissimum haeresiarcham damvavit, ejusque Clemens V.

Gesta Clementis V.

sectatores a. 1308 sacra indicta militia exterminavit. In Concilio vero Viennensi Beguardorum et Beguinarum doctrinae pseudo-mysticismum foedissimum continentes fuerunt damnatae, et variae fidei veritates contra errores Joannis Olivae solemniter assertae.[1]) Clemens etiam ad obsolescentem sensim fidelium pietatem excitandam Urbani IV diplomata de solemnitate Corporis Christi celebranda renovavit: propagandae vero fidei causa orientalium linguarum studium in praecipuis orbis christiani Academiis, maxime in Parisiensi omnium nobilissima, institui jussit. Henrici Luxemburgensis electionem in regem Romanorum Pontifex a. 1308 confirmavit, non absque Philippi Francorum regis invidia. Is enim maxime cupiebat ut Carolus Valesius frater Imperium obtineret. Postquam dein Henricus VII fidem suam et obsequium sedi Apostolicae jurejurando obligasset, Imperii coronam Romae per tres Cardinales die 29° Junii a. 1312 accepit. Quum vero Imperator dissidio exorto cum Roberto Apuliae rege auctoritatem Sedis Apostolicae minus observare videretur, Clemens V magno cum vigore jura sua asseruit. Sed brevi Henricus VII subitaneo morbo e vivis sublatus est; obiit videlicet a. 1213 in festo s. Bartholomaei apud Bonumconventum in Tuscia. — Ex Constitutionibus in Concilio Viennensi vel extra illud a Clemente editis ipse novum confecit Decretalium librum, quem morte praeventus non publicavit; sed eum edidit sub nomine *Clementinarum* successor ipsius Joannes XXII. — *Ipse Clemens post multos labores, anxietates et tribulationes apud castrum de Rupemaura supra Rhodanum, quod est regis Franciae, die Veneris de nocte quae intitulabatur* XII *Kal. Maji* (20 April.) *ad Christum migravit, anno a nativitate Domini MCCCXIV, et apud civitatem Carpentoratensem ultra Rhodanum, ubi tenebat curiam suam et ubi tunc erant Cardinales, suum corpus fuit deportatum, et ibi honorifice extitit traditum ecclesiasticae sepulturae; sed postea apud Vasconiam juxta ordinationem suam in quadam villa*

[1]) Cf. Labbe Coll. Conc. T. XII. 1566 sqq, Denzinger Enchirid. n. LXI.

modici valoris ipsum corpus fuit portatum, et ibi in ecclesia collegiata canonicorum saecularium, quae vocatur ecclesia B. Mariae de Uzesta, Vasatensis dioecesis, cum magno honore extitit sepultum.[1])

6. Quod ad characterem Clementis V attinet, non assentimur judicio multorum auctorum, qui eum fere ut instrumentum Philippi Pulchri omni vigore destitutum exhibent. Erat Clemens valetudine infirmus, virtutibus variis excellens, litteras amans iisque excultus, de Ecclesiae bono sollicitus, negotiorum gerendorum valde peritus. Deerat ipsi illud animi robur ac fortitudo ejusmodi, ut, quemadmodum Gregorius VII, Innocentius III, Bonifacius VIII, auctoritatem Sedis Apostolicae ejusque jura cum vigore decertans vindicaret, et obstacula pugna inita disrumperet; quumque judicia intellectus sequi soleant naturae indolem, etiam opportunius censuit esse, conciliationi studere, difficultates declinare vel prudenter diluere, et, principiis salvatis, patientia ac concessionibus quibusdam simul pacem conservare et tamen fines propositos attingere. Atque hac in re successus satis felix ejus conatibus revera respondit; sed minore splendore pontificatus ejus refulsit. Futurorum minus providus fuit minusque prudens, dum Pontifex creatus in Gallia remansit et multos Vascones et Gallos in sacrum adoptavit Cardinalium Collegium; attamen ex rerum circumstantiis facilius haec excusationem merentur. **Character Clementis V.**

7. Exstat quidem epistola Napoleonis Card. Orsini post mortem Clementis, vacante Sede, ad Philippum regem scripta, in qua vehementer conqueritur, quod remissius Ecclesiam defunctus Pontifex administraverit, et ejus culpa praesertim Romae et in Italia magna exorta sit rerum perturbatio. *Urbs tota,* scribit, *sub eo et per eum extremae ruinae subjacuit, et sedes B. Petri, imo Domini nostri Jesu Christi, disrupta est, et patrimonialis non per praedones potius quam rectores spoliata est et confusa, et adhuc subjacet*

---

[1]) Sexta Vita Clementis auctore Amalrico Augerio, Balut. T. I, 110.

Epist. Napol. Ursini. *vastitati. Italia tota, ac si non esset de corpore, sic quoad omnia est neglecta, imo dolosis anfractibus et comminatis seditionibus dissipata, quod posset fides Christi in threnis Hieremiae renovare lamenta. Nam quasi nulla remansit cathedralis ecclesia, vel alicujus ponderis praebendula quae non sit potius perditioni quam provisioni exposita. Nam omnes quasi per emptionem et venditionem vel carnem vel sanguinem possidentibus imo usurpantibus advenerunt. Dimittimus quod de XXIV Cardinalibus quos in Ecclesia posuit, nullus in Ecclesia est repertus, quae cum aliquando credita fuit sufficiens habere personas, sed per eum fuit ho... Quinimo nos Italici, qui ipsum bonum credentes posuimus sicut vasa testea rejecti fuimus. . . . Saepe etiam cassati concordiis electionis, absque juris ordine, de volentibus personis, quando publicare volebat, in nostrum crepicordium vocabamur. Plus tamen volo, quod sine nostri commercio ista processerunt, quam participes fuerimus fructus mortis. O quot dolores mortis sustinuimus ista videntes, et maxime ego, qui amicorum vivorum et defunctorum cordis punctiones quasi juges recepi quod eis fecerim istud malum. Hoc solum consolationis habui inter doloris aculeos, mortis mentis et corporis, quod ejus electione nonnisi Dei et regis et regni quem unum credidi, intendebam.* Hinc Deo miserante cens... obitum Clementis accidisse. *Nam nunc volens Ecclesiam reducere ad angulum Vasconiae, talia quae scimus pro cer... conceperat et jam ordinaverat, quod vere se ipsum, si complesset, et Ecclesiam destruxisset.*[1]) Haec exulcerati ani... prae se ferunt indicia, ita ut exaggerata merito judicentu... Quae dicit quoad tristem Italiae statum, certe saltem n... *directe* Clementi V imputari possunt. Nec censerem, qu... relas de episcoporum creatione arbitraria omnino verit... conformes esse; valde dubia enim est auctoritas Napoleon... Cardinalis Ursini. — Ostendunt tamen haec, magna i... commoda ex commoratione Clementis in Gallia jam pr... venisse. Id pariter in electione novi Pontificis manifestatu... est. Viginti tres videlicet erant eo tempore Cardinal...

[1]) Apud Balutium, T. II. p. 289.

quorum octo Itali, reliqui Vascones et Galli. Itali Pontificem eligi volebant, qui Romam reverteretur, quamvis parati essent ad eligendum Gulielmum Praenestinensem Cardinalem, origine Gallum. Sed Cardinales Galli et Vascones nec Italis consentiebant, nec inter se erant concordes, ita ut propter istas dissensiones Sedes Apostolica diu vacaret.

8. Joannes XXII (a. 1316—1334). — Demum Cardinales a Philippo Comite Pictaviensi, fratre Ludovici regis Galliae, specie negotiorum regni Lugdunum acciti, in Conclavi apud FF. Praedicatores parato inviti reclusi sunt, minis intentatis, inde eos non dimissum iri, donec de Pontifice convenissent. Die igitur 7° Augusti ejusdem anni 1316 unanimiter crearunt Pontificem Jacobum Dueza vel de Ossa Cardinalem Portuensem, qui Joannes XXII appellatus est. „Eodem anno, scribit Joannes a s. Victore, Cardinales ad concordiam pervenerunt, et in sabbato festum s. Laurentii praecedente Dominum Jacobum de Portu Cardinalem, quondam Avenionensem episcopum, in summum Pontificem elegerunt, virum non multum magnum in statura, sed in scientia magnum, et habentem testimonium bonae vitae.“[1]) Erat Jacobus Cadurci natus versus a. 1244, atque oriundus ex conspicua illius civitatis familia.[2]) Studia Cadurci et Parisiis perfecit et dein quum jam esset provectioris aetatis in Italiam profectus, Neapoli jus civile professus est, et mox a Carolo II accitus, ut filios in litteris erudiret. A rege in consilium familiare adlectus fuit, et a. 1299, eo petente, renuntiatus est episcopus Forojuliensis (Fréjus) in Gallia. A. 1310 translatus fuit ad episcopatum Avenionensem, post Concilium vero Viennense

Joannes XXII.

---

1) Vita prima Joannis XXII. ap. Balutium I. 116.

2) Ex infima eum familia natum, patremque sutorem fuisse, plures quidem retulere antiquioris aetatis scriptores, ac vulgata haec fuit usque ad tempora nostra opinio. Sed critica recentiorum disquisitione satis probatum est. narratiunculam hanc uti alia quaedam de vita Jacobi relata veritate non niti. — Cfr. Bertrandy, Recherches historiques sur l'origine, l'élection et le couronnement du pape Jean XXII, Paris 1854; Martin, L'origine de Jean XXII, Revue des Quest. hist. (1876) XIX. 563.

a. 1312 a Clemente V Cardinalis et Episcopus Portuensis creatus est. Jam ultra septuaginta annos habebat, quando in Pontificem electus est, sed magno vigore Ecclesiam gubernavit, et amplissima ac vastissima negotia tractavit, donec nonagenarius migravit ad Christum. Tres praesertim graviores causae exercuere hunc Pontificem, nimirum controversia cum Franciscanis de paupertate Christi et Apostolorum, dissidium cum Ludovico Bavaro, et quaestio de visione beatifica. De his quaestionibus inferius agemus. — Remansit Joannes XXII per totum Pontificatum suum Avenione, imo nec palatium suum unquam dicitur reliquisse, nisi ut ad contiguam iret ecclesiam cathedralem. Fabula sparsa fuit, eum ante electionem jurasse, se non ascensurum equum vel mulum, antequam Romam reverteretur, ac propterea quum navi Avenionem pervenisset, talem elegisse vivendi modum, ne frangeret juramentum suum. Sed merito haec rejiciuntur. Joanni quominus Romam rediret perturbationes Italiae maximam difficultatem creabant; quum vero tranquillitas versus finem pontificatus sui magna parte restaurata esset, jam senex fere nonagenarius erat. Nihilominus plura egit, ut rediret in Italiam ac Bononiae commoraretur, sed felici successu ejus conatus caruerunt. Caeterum erat certe Joannes Gallis valde addictus, unde tum regum Galliae multum promovebat utilitatem, tum in sacrum Collegium praecipue Gallos assumpsit; haec quidem minus in salutem universalis Ecclesiae vigebant.

Gesta Joannis XXII.

9. Multum etiam hic Pontifex expeditionem sacram suscipiendam mente volvebat, sed varia obstacula eam impedierunt. Collegit autem Joannes, Ecclesiae ac praesertim belli sacri necessitatibus prospiciens, magnum auri atque argenti thesaurum, qui quum Pontifex moreretur plus quam viginti millionum florenorum fuisse dicitur.[1]) Quum

[1]) Florenum aureum valebat circiter 10 francos. — Generatim relatio Villanii, reliquisse Joannem thesaurum Ecclesiae 25 millionum florenorum habetur ut exaggeratio. Attamen si Philippus Pulcher ex decimis ultra 400 milliones francorum habuit, certe haud difficulter et

Pontifex ipse vitam duceret valde severam ac fere monachalem, per se vitio verti non potuit, quod pro Ecclesiae necessitatibus magnam vim pecuniae colligeret; attamen quum id faceret impositis annatis, multiplicatisque reservationibus, multae exortae sunt querelae, atque non defuerunt, qui ejus agendi rationem acrius carperent. Sed hac de re inferius loquemur.

10. Opportunum autem erit hic breviter referre adversa, quae Joannes in controversia *de visione beatifica* ultimis annis vitae suae expertus est. Eo tempore igitur quaestio, utrum animae justorum corporis vinculis solutae et ab omni labe purae statim visione Dei beatifica fruantur, an vero receptae quidem in coelum a beatifica Dei visione tamen detineantur usque ad corporum resurrectionem, vehementius inter doctos agitata fuit. Quaestione nondum per definitionem aliquam eliquata, varii theologi, praesertim ex Ordine Fratrum Minorum, visionem iis differri existimarunt, eoque sensu Patrum testimonia exposuerunt. Plerique tamen alii theologi, ac praecipue Fratres Praedicatores et doctores Parisienses, oppositam sententiam defenderunt. Joannes XXII, qui pro ingenii sui praestantia theologicis discussionibus delectabatur, anno 1331 ad indagandam veritatem sacras Scripturas et Patres in utramque partem scrutatus est, et in sermonibus coram Cardinalibus et Praelatis Avenione habitis, utriusque opinionis argumenta protulit. Quum vero Thomas Valesius O. P. e sacro pulpito vehementius praedicaret contra eos, qui existimabant animis sanctorum visionem beatificam differri, ita ut eos anathemate et haeresis nota defigeret, Pontifex eum custodiae mancipari fecit. Propter haec visus est quibusdam propendere in sententiam de dilatione visionis beatificae, pluresque adversarios tum e praelatis tum e doctoribus in se concitavit.

Quaestio de vis. beatif.

11. Contentio valde aucta est a. 1333. Venerunt eo anno Parisios, ut de negotiis publicis tractarent, duo nuntii

---

omnino juste paulatim ex bonis et proventibus ecclesiarum Joannes XXII illam pecuniae summam obtinere potuit.

Motus Parisiis orti.

Joannis, Magistri in theologia, quorum unus erat Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum, alter erat ex Ordine FF. Praedicatorum, sed uterque sententiae de dilatione visionis beatificae adhaerebat. *Cum idem Generalis Minister*, scribit Continuator Nangii, *eamdem quaestionem in praesentia scholarium quasi infinitorum determinaret, et teneret pro conclusione affirmando, quod animae decedentium seu animae sanctorum non vident nec videbunt Deum visione beatifica et gloriosa usque ad assumptionem in die extremi judicii: hoc audito, magnum murmur inter scholares auditum est, dicentes, talem errorem sine punitione transire non debere. Audiens autem scandalum quod erat Parisiis, pro hac determinatione Frater Praedicator, qui cum illo venerat, quid de his pro quibus missus fuerat in Franciam faceret vel diceret, nisi statim ad Papam rediret?* Notandum vero est maxime quod addit scriptor: *Sed in quodam sermone ipsum Pontificem super errore praedicto excusavit dicens: Quod nequaquam tenebat, nec unquam istam tenuerat doctrinam, quae ponit, quod animae sanctorum non videbunt Deum usque ad diem judicii.* — Venerunt porro illi duo nuntii in suspicionem plane falsam, eos videlicet a Pontifice nonnisi ad hoc missos esse, ut illam opinionem Parisiis propagarent. Rex Philippus autem, convocatis doctoribus Universitatis Parisiensis, petiit sententiam eorum; qui omnes affirmarunt, visionem Dei beatis non differri. Dein rex superba arrogantia litteras scripsit ad Pontificem, quibus ipsi mandavit, *quatenus sententiam Magistrorum Parisiis, qui melius sciunt quid debet teneri vel credi de Fide, quam Juristae et alii clerici, qui parum vel nihil sciunt de theologia, approbaret, et quod sustinentes contrarium corrigeret.*[1]) Imo rex ineptus

---

[1]) Contin. Nangii; vid. Nat. Alex. In saec. XIV Diss. XI. a. II. — Valde arroganter Gerson in sermone de Festo Paschatis: „Propter quod insuper apparet falsitas doctrinae Papae Joannis XXII, quae damnata fuit cum sono buccinarum coram rege Philippo avunculo tuo per theologos Parisienses de Visione beata; et credidit potius theologis Parisiensibus quam Curiae." V. Natal. Alex. l. c.

sua audacia dicitur minatus fuisse Pontifici poenas haereticorum, nisi revocaret errorem, quem ipsum pertinaciter tueri fama mendax vulgaverat.

12. Joannes XXII die 18° Nov. 1333 litteras dedit Quaestio de visione beat. ad Philippum Valesium regem Francorum, in quibus contestabatur, se de praesenti quaestione nihil definivisse vel asseruisse, sed solum Scripturarum et Patrum dicta protulisse, ut discussa veritas in apertam lucem prodiret. Dein vero ad tollendos sinistros rumores etiam anno 1334, die 3° Januarii, in Consistorio Apostolico coram Cardinalibus, testante ejus successore Benedicto XII, protestationem hac de re emisit sub hac forma: *Dicimus et protestamur ex-presse, quod quidquid in quaestione seu materia visionis nimarum, videlicet an animae a peccatis et poenis peccato-um purgatae videant divinam essentiam illa visione, quam Apostolus vocat facialem, seu quacumque alia materia in ermonibus et collationibus nostris diximus: alligavimus seu roposuimus non intendentes aliquid determinare vel decidere eu credere, quod esset quovis modo Scripturae sacrae ob-ium, vel contrarium fidei orthodoxae, sed illud solum tenere t credere, quod et Scripturae sacrae potest et poterat, et atholicae fidei convenire; et si forsan in praedictis sermo-ibus vel collationibus aliqua, quae vel Scripturae sacrae seu dei orthodoxae quovis modo essent vel viderentur obvia, ipsa raeter intentionem a nobis fuisse prolata dicimus et asse-imus, eaque revocamus expresse, non intendentes illis adhae-re nec ea in praesenti defendere, nec etiam in futurum.* ethali demum aegritudine correptus, convocatis Cardina-bus et Praelatis die 3° Decembris ejusdem anni, tabel-onibus publicis etiam praesentibus, fidei declarationem lidit, ut praecaveret, ne quae per ipsum dicta erant falso itelligerentur, in qua ait: „Ecce quod nostram intentionem, iam cum sancta Ecclesia catholica circa haec habemus habuimus, serie praesentium ut sequitur declaramus: *atemur siquidem et credimus, quod animae purgatae, sepa-atae a corporibus, sunt in coelo, coelorum regno ac para-iso, et cum Christo in consortio Angelorum congregatae, et dent Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clare,*

et in quantum status et conditio patitur animae separatae" etc.

Joannis XXII sententia.

13. Ex his manifestum est, Joannem hac in quaestione nec aliquid erroneum definivisse vel ut fidem Ecclesiae praedicasse, nec ipsum privatim sententiam falsam tenuisse. Imo colligimus ex citatis, eum neque ut opinioni probabili adhaesisse sententiae, qua statuebatur differri visionem beatificam. Dicit enim in sua declaratione *exponens intentionem quam circa ista habet et habuit,* se fateri et credere animas sanctas videre Deum facie ad faciem. Pariter in diplomate Canonisationis s. Ludovici Tolosani Pontifex ait: *Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic virus ambulavit in innocentia, ad contemplandum in gaudio facie revelata est ingressus.* Et Parisiis Frater ille O. P., qui ipse existimabat, differri visionem beatificam, declarat, *Pontificem haud tenere illam doctrinam.* Nihilominus plures ei hanc doctrinam adscripserunt; alii saltem existimarunt, eum propendere in istam sententiam. Nec tamen censendum est, minus sinceram fuisse declarationem Pontificis et illam assertionem, sed res apte explicari potest his observationibus. Praeter quaestionem, utrum beatis animabus statim visio Dei concedatur, an vero differatur usque ad diem judicii, alia est quaestio de majore perfectione hujus visionis et augmento beatitudinis post resurrectionem corporum. Atque inter antiquos fuerunt qui existimaverunt cum s. Augustino, s. Bonaventura et Richardo a s. Victore *intensive* illam visionem perfectiorem fore, ac majorem beatitudinem resumpto corpore, eo quod status animae separatae praepediat aliquatenus a perfecta beatitudine. Alii cum s. Thoma tenebant, intensive illam visionem ac beatitudinem haud fore majorem.[1]) Priori sententiae fa vebant plures quoque Doctorum Parisiensium, quos re Philippus consuluit. *Verum est,* scribit Continuator Nangii *quod aliqui dixerunt, quod ista visio in die judicii perfectior erit, et cum istis praedictus Minister non sponte sed quasi*

---

[1]) Vide Tract. nostrum de Novissimis, n. 170.

coactus concordatus est. Eidem opinioni favisse Joannem XXII conjici potest ex eo, quod in sua fidei declaratione dicit: *Vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem, in quantum status et conditio patitur animae separatae.* — Praeterea Pontifex, quum quaestio de visione beatifica nondum per solemnem aliquam Ecclesiae declarationem definita esset, permittebat theologis, qui differri hanc visionem censebant, suam opinionem proponere et argumenta proferre. Imo et ipse varia argumenta, ut res magis magisque claresceret, in utramque partem collegit; in sermonibus vero recitando ea attulit, ac praecipue sententias Patrum de statu animarum. Inter has sententias variae sunt, quae dilationi visionis beatificae primo aspectu favere videntur, quamvis merito alio sensu exponantur; praecipue apud s. Bernardum aliqua obscuriora inveniuntur. Ex his igitur explicatur, quomodo factum sit, ut Joannes, qui existimabat ipse visionem essentiae Dei non differri, sed opinabatur forte eam intensiorem fore post resurrectionem, pluribus visus sit tenere sententiam de dilatione visionis, vel saltem in eam propendere.[1]

Joannis XXII sententia.

---

[1]) Balutius Vitae Pontif. t. I. p. 788. citat quidem ex sermonibus Joannis plura, ex quibus sequi diceres, Pontificem revera asseruisse, beatis visionem Dei differri. Refert Balutius ex Nicolao Minorita (fol. 255) haec verba: „In quibus sermonibus publice et pertinaciter contra fidem catholicam, quam sancta Romana tenet Ecclesia, dicit. asserit et dogmatizat in haec verba: Merces Sanctorum ante Christi adventum erat sinus Abrahae. Post adventum vero Christi et ejus passionem et ascensionem in coelo merces Sanctorum est et erit usque ad diem judicii esse sub altari Dei, quia animae justorum usque ad diem judicii erunt sub altari, id est sub protectione et consolatione humanitatis Christi. Sed postquam Christus venerit ad judicium erunt sub (super) altare, id est super Christi humanitate, quia post diem judicii videbunt sancti et contemplabuntur non solum humanitatem Christi, sed etiam ejus divinitatem ut in se est. Videbunt enim Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Animae ergo sanctorum ante diem judicii sunt sub altari id est consolatione et protectione humanitatis Christi, sed post diem judicii ipse elevabit eos, ut videant ipsam divinitatem. Et secundum hoc dicuntur ascendere super altare.“ Sed examine instituto invenietur, verba Pontificis esse sententias s. Bernardi propositas

Benedictus XII.

14. Benedictus XII (a. 1334—1342). — Post mortem Joannis XXII Cardinales in Conclavi positi primum cogitarunt de eligendo Cardinali Portuensi in Pontificem; sed petierunt, ut promitteret, se Curiam haud translaturum esse in Italiam. Quod quum promittere nollet, ab ejus electione destiterunt, et suffragia verterunt in Petrum Furnerium Cardinalem Ordinis Cistertiensis. Is igitur die 20° Decembris 1334 electus, nomen sumpsit *Benedictus XII.* Hic Pontifex doctissimus erat theologus et pietate insignis, ac multum sollicitus in variis reformandis abusibus et in disciplina ecclesiastica severe custodienda. Hinc varias edidit Constitutiones, quarum aliae ad religiosorum Benedictinorum, Cistertiensium, Mendicantium et Canonicorum regularium reformationem, aliae ad episcoporum aliorumque praelatorum officium, residentiam, visitationem, atque ad beneficiorum provisionem pertinent. Quaestionem sub Joanne XXII agitatam de visione beatifica diremit a. 1336 per Bullam *Benedictus Deus,* qua definitur, visionem beatificam justorum animabus ab omni labe purificatis et in coelum assumptis haud differri. Paci inter principes constituendae, ut bellum sacrum suscipi posset maxime adlaboravit, erga Ludovicum Bavarum mitius egit, quam ejus praedecessor, saepiusque de reconciliatione cum ipso tractavit; in Italia etiam turbas sedare studuit, proceribus ac nobilibus multa concedens. — Tradunt tamen auctores, huic Pontifici defuisse negotiorum saecularium experientiam, nec eum praeditum fuissė illa ingenii vi, characterisque fortitudine, ut quae optabat ad felicem perduceret exitum, Ecclesiaeque saluti stabili modo provideret. Romam quidem redire desiderabat, sed primum a. 1335 oppositione Cardinalium detentus fuit. Dein quum in morbum incidisset, sanitati restitutus iterum negotium hoc suscepit, ac

---

in sermonibus suis *in festo Omnium Storum;* unde merito infertur, tantum recitando a Joanne haec allata fuisse, eum vero haud voluisse, uti quidam existimaverunt, tamquam suam opinionem proponere doctrinam de dilatione visionis Dei. — Cfr. de hac quaestione Tractatum de Novissimis nn. 172 sqq.

Bononiam Curiam transferre statuit; sed ipsorum Bononiensium turbulentia ac rebellionibus, ac forte etiam influxu Philippi regis Galliae, Pontifex impeditus fuit. Tunc Benedictus Avenione palatium magnum papale construere coepit, et Cardinales pariter palatia sibi aedificavere. Reconciliatio Ludovici Bavari influxu Philippi regis difficillima reddita est; is enim obsistebat quominus princeps ille tot criminum reus ad Imperium admitteretur, utque Pontificem terreret, ipsius et Cardinalium ex Gallia proventus retinere minatus est. In Italia, quum benigniorem erga proceres se ostenderet Benedictus, influxus Pontificis quoad regimen temporale vehementer diminutus fuit. — Benedictus XII inter optimos Pontifices ob pietatem, humilitatem et doctrinam recensendus, obiit die 25° Aprilis a. 1342.

15. Clemens VI (a. 1342—1352). — Tredecim diebus Clemens VI.
post mortem Benedicti, secunda die Conclavis electus fuit in Pontificem Petrus Rogerius Lemovicensis O. S. B., qui ex ordine fuerat episcopus Atrebatensis, Senonensis ac Rothomagensis, postremo vero per Benedictum assumptus in Cardinalem tituli S. Nerei et Achillei. Erat hic Pontifex magnificentiae amans, ita ut a Praedecessore hac in re discedens magno splendore externo se curiamque Avenionensem ornaret. *Caesarianum illud verbum coram semper habebat, quempiam non decere videlicet de praesentia principis non contentum abire. Habebat insuper doctrinams illam, ... quod videlicet dum tempus habemus, ad omnes et maxime ad domesticos fidei bonum operari tenemur.*[1] *Pauperum etiam et egenorum, praesertim illorum qui alias abundabant et mendicare erubescebant, necessitatibus largissime subvenit, considerans in iis omnibus, quod beati mites et beati misericordes, quoniam misericordiam consequuntur.*[2] Unde et clementia ejus, misericordia et largitas multorum laudes meruerunt; alii tamen aliquantisper Clementem hac in re excessisse putant, quum varia Praedecessoris

---

[1]) Balut., Vita Clementis tertia. p. 311.
[2]) Balut., Vita Clementis prima, p. 264.

decreta et reformationes mitigaret, largaque manu beneficia ecclesiastica distribueret. — Severitate usus est in Ludovicum Bavarum, quum perseverantem eum in malis propositis inveniret. Excommunicationem videlicet in contumacem principem renovavit, eum omni imperio, regno et ducatu privatum declaravit, monuitque electores, ut justum Imperatorem eligerent ab Apostolica Sede confirmandum. Principes electores e consilio Pontificis a. 1346 elegerunt Carolum IV marchionem Moraviae, filium regis Bohemiae, quam electionem Clemens confirmavit. Ludovicus vero quum bellum pararet, a. 1347 in venatione apoplexia correptus obiit, moxque pax restituta est.

Clementis VI gesta. 16. Romani petierunt a Clemente missis legatis, inter quos eminebat Petrarcha poëta, ut Romam cum Curia rediret; sed respondit Pontifex, se id quidem habere in votis, at moram suam in transalpinis regionibus necessariam esse conciliandis Galliae et Angliae regibus. Concordiam tamen inter ipsos restituere haud potuit. — Nicolaum Rienzum, qui infimo loco natus sed ingenio et eloquentia praeditus, a populo Romano tribunus creatus fuerat, primum quidem confirmavit; sed mox hominem superbissimum, tyrannice dignitate qua fungebatur abutentem, opera Cardinalis Bertrandi legati sui dejecit atque fugavit. A Joanna Neapolis regina et Provinciae comitissa urbem Avenionensem emit, magnificumque palatium, quod Benedictus XII aedificare inceperat, complevit, simulque varii Cardinales splendidis habitationibus civitatem exornarunt. Tempore immanis pestis, quae per plures annos varias orbis regiones depopulata est, praeclara pietatis dedit specimina; Judaeos, qui a plebe ignara accusabantur, quod fontium et puteorum aquam veneno infectam reddidissent, contra multitudinum furorem protexit, flagellantium superstitiosam sectam repressit atque damnavit. Jubilaeum petentibus Romanis ob vitae humanae brevitatem ad annum quemque quinquagesimum extendit per Bullam *Unigenitus;* unde etiam anno 1350 ingenti fidelium affluentium frequentia Romae illud Jubilaeum peractum est.

17. Sollicite Clemens VI Ecclesiam gubernavit, faustusque fuit in plurimis negotiis. Quae vero propter humanam fragilitatem in eo minus laude digna fuerint, Auctor vitae primae Clementis apud Balutium hisce notat: *Suos fratres, nepotes, consanguineos, propinquos, compatriotas et servitores valde dilexit. Plurimos namque ex eis, qui tempore suae promotionis erant in statu ecclesiastico, aut demum esse voluerunt, in altis et magnis praelaturis et dignitatibus sublimavit, multos vero inferioribus beneficiis fere ubique terrarum existentibus collocavit. Et quamquam inter eos multi fuerint idonei et sufficientes, quia tamen quandoque ipsos praetulit caeteris magis aut aeque sufficientibus, alios vero sic passim et indistincte et quasi ubique collocavit, fortassis aliquid ultra debitum ei caro et sanguis sibi revelasse censentur. De laicis et praesertim de domo sua paterna prodeuntibus quid dicendum? Suo enim tempore suoque favore ac propter eum multas divitias, magnos reditus, plurima dominia, honores et status sublimes sunt multimode consecuti: fueruntque per affinitates confoederati multis et magnis. Sicque generaliter actum est, quod in utroque statu post eum altero ex modis praedictis ipsum contingentium remanserunt paucissimi, qui suam magnificentiam non senserint sibi et suis et in posteris etiam fuisse et esse utilem et fructuosam. — Ipse tamen finaliter infirmitate gravatus, humilis, poenitens de commissis, devoteque acceptis ecclesiasticis Sacramentis in veritate et sinceritate fidei ac unitate sanctae matris Ecclesiae, spiritum Domino commendavit anno Domini 1352 die sexta mensis Decembris, pontificatus sui anno undecimo, fuitque sepultus in ecclesia majori Avenionensi, demum transferendus ad monasterium Casae Dei, in quo vivens suam perpetuam elegerat sepulturam.*[1])

18. Innocentius VI (a. 1352—1362). — Brevi post mortem Clementis VI, videlicet die 18° mensis Decembris a. 1352 electus fuit *Innocentius VI,* antea Stephanus Albertus (Aubert) Cardinalis episcopus Ostiensis. Hic iterum severiora sequens principia, ab initio restituendae disciplinae **Innocentius VI.**

[1]) Balut., Prima Vita Clementis VI. p. 265.

et reformandae Curiae animum applicuit, beneficiorum commendas sustulit, quod earum occasione divini cultus majestas, animarum cura et ecclesiarum jura negligebantur; praelatis aliisque beneficiariis in curia agentibus sub poena excommunicationis reditum ad suas ecclesias et residentiam secundum canones imperavit, volens, ut oves a pastoribus non vero a mercenariis pascerentur. Impensas et familiam minuit, idemque Cardinalibus faciendum suasit, ut omnibus severitatis, modestiae et misericordiae exemplum essent. Sacri Palatii seu Rotae auditoribus, qui hactenus officii sui fructibus sustentabantur, stipendia constituit, ne in decernendis et componendis causis muneribus corrumperentur. — Aegidium Albernotium Hispanum Cardinalem in Italiam ad coërcendas turbas et restituendam concordiam legavit, isque sua fortitudine, constantia et prudentia factiosos in urbe Roma et territorio Romanae ecclesiae repressit et auctoritatem Pontificis restituit. Plura quoque fecit Innocentius ad procurandam unionem Graecorum, legesque Ecclesiae ac sanctitatem matrimonii etiam contra reges et principes, praesertim contra Petrum Crudelem Arragoniae regem, intrepide vindicavit. Mortuus est Innocentius VI, postquam per decem fere annos Ecclesiam gubernavit, die 22° Septembris a. 1362, dignissimi Pontificis nomen relinquens.

Urbanus V. 19. Urbanus V (a. 1362—1370). — Post mortem Innocentii VI Cardinales in eligendo successore aliquanto tempore discordes fuerunt. Quum vero ad aures eorum pervenisset, Joannem Galliae regem jam Avenionem proficisci, ut in electionem Pontificis exerceret influxum, mox Pontificem crearunt extra Collegium, Guilelmum Grimoaldum Gallum, Ordinis Cluniacensis, apud Massiliam Abbatam et Innocentii VI in Italia legatum, virum doctrina, pietate et rerum gerendarum peritia clarum, qui nomen *Urbani V* suscepit. Hic Pontifex Praedecessoris vestigiis insistens magna cum vigilantia firmandae disciplinae et reformandis moribus incubuit, beneficiorum pluralitatem iterum proscripsit, aliaque fecit varia ad re-

ligionem ubique promovendam. Viros doctos etiam peculiariter fovit, et varias studiorum universitates vel instituit, vel honoribus et privilegiis auxit. Quum eo tempore opera Albernotii auctoritas temporalis Pontificis in Italia magna parte instaurata videretur, et ex mora in Gallia incommoda varia provenire jam pateret, consilium cepit Urbanus Romam Curiam transferendi. Quo in consilio, ut videtur, confirmatus est a Carolo IV Imperatore; sed Galliae rex Carolus V quantum poterat eum dimovere studebat ab hac intentione, Cardinalibusque Gallis pariter negotium hoc nullatenus arridebat. Sed constans in proposito, Urbanus V a. 1366 publice annuntiavit, Romam se reversurum Paschate anni subsequentis; ac revera die 30° Aprilis a. 1367 Avenionem reliquit, et cum Cardinalibus, qui eum quamvis inviti secuti sunt, feliciter in Italiam pervenit. Viterbii, Romae et Monteflascono per tres fere annos versatus est. Minus prospere tamen res successerunt, quum turbulentia Italorum ac Romanorum variisque calamitatibas Pontifex non parum affligeretur. Adveniente tempore aestivo anni 1370 Urbanus recedens de Urbe vadensque ad Montemflasconem declinavit Viterbium; *ubi primum palam et publice manifestavit, se velle redire de proximo ad civitatem Avenionensem, et ut omnes curiales ad hoc se disponerent ferias indixit a principiis mensis Junii tunc instantis usque ad principium mensis Octobris postea sequentis. Et ad hoc faciendum dixit se esse motum inclinatum praecipue et inductum, pro eo quod videbat ab una parte regionem illam pro tunc esse satis in pacifico et tranquillo statu, et si quid fortassis esset dissensionis, illud sperabat breviter et ante discessum suum per tractatum aut alias debite terminari; ab alia vero audiebat mala, quae continuo fiebant et majora fieri sperabantur occasione guerrae noviter suscitatae et exortae inter reges Franciae et Angliae, quibus ut obviare posset, multum inerat menti suae, eratque intentionis suae, Domino favente, circa hujusmodi guerrae sedationem totis viribus laborare et intendere, etiam in propria ad dictos reges accedendo hoc de causa, ubi alias super hoc se non posse proficere re-*

Urbani V gesta.

periret.[1]) Studuerunt quidem non pauci Itali removere Urbanum a reditu, ac minata est ipsi S. Brigitta Romae tunc commorans proximam in Gallia mortem. Sed Urbannus V motus illis quas exposuit rationibus sane gravissimis, (jam enim lucta infaustissima centum annorum Gallos inter et Anglos ardebat), ac probabiliter etiam multis incommodis et difficultatibus, quae in Italia obviam habuit, statuto tempore in Galliam est reversus, ac die 24° Septembris pervenit Avenionem, ubi cum gaudio et exultatione receptus est. *Postquam rediit de partibus Italiae totaliter mente disposuit in propria laborare circa pacificationem dictorum regum Franciae et Angliae, ad quod etiam certa praeparativa ordinavit. Sed satis cito magna infirmitas ipsum arripuit, ex qua sentiens se gravari, mortemque sibi propinquam existimans, ad ea vacare destitit, sed ad illa quae animae suae salutem concernere poterant totaliter se convertit. . . . Tandem vero post multa bona et virtuosa opera in Domino requievit die 19° Decembris anno Domini MCCCLXXI pontificatus sui anno nono, fuitque sepultus in ecclesia majori Avenionensi, demum transferendus ad monasterium s. Victoris Massiliensis, ubi vivens suam perpetuam elegerat sepulturam, magnis et stupendis miraculis coruscando.*[2]) Inter Beatos hic Pontifex colitur.

Gregorius XI.

20. Gregorius XI (a. 1371—1378), natione Aquitanicus, de loco de Malomonte dioecesis Lemovicensis oriundus, post Urbanum V fuit Avenione electus in Papam die penultima mensis Decembris anno Domini 1371, et die 4a mensis Januarii subsequentis presbyter ordinatus, in crastinum vero consecratus et coronatus. Prius vocabatur Petrus Rogerii, ac nepos ex fratre erat Clementis VI, qui ipsum a. 1348, vix octodecim annorum, Cardinalem diaconum creaverat. Doctrina tamen et pietate postea valde excelluit, *et quum esset humilis, modestus, circumspectus, et liberalis, ac aliis multis virtutibus dotatus, omnes tam saeculares principes quam praelati et alii quicumque ad ipsum*

---

[1]) Balut. Prima Vita Urbani V. p. 390.
[2]) Ibid. p. 398.

recursum habentes eum piissime dilexerunt.[1]) A Cardinalibus in Pontificem electus difficillime ad consensum potuit inclinari, sed tandem cum omni humilitate divinae et ipsorum se supposuit voluntati. Hic Pontifex inde ab initio haud infelici successu concordiae ac paci inter principes christianos restaurandae et conservandae adlaboravit, ac sollicite etiam plura fecit, ad dogmata catholica tuenda, abusus exstirpandos et tuendam disciplinam. Novis turbis eo tempore Italia concussa est, maxime eo quod Florentini contra s. Sedem rebellarent aliasque etiam civitates ad rebellandum inducerent. Gregorius tum censuris tum armis fortiter Ecclesiae jura et territoria defendit, ac postremo statuit ipse in Italiam proficisci et Romam reverti. Quum ejusmodi reditus Gregorii, eventus fuerit maximi momenti, paulo fusius de eodem agere opportunum erit.

21. Variae causae reditus Gregorii in Italiam a variis auctoribus recensentur, sed pluribus simul rationibus eum motum fuisse, merito conjicimus. 1° Ratio praecipua ea fuisse videtur, quod schisma timendum esset, quum Romani plures absentiae Pontificum pertaesi impie minarentur, se alium Papam Romae mansurum electuros esse. Sic Petrus Rostagni, in epistola scripta ad Joannem regem Castellae a. 1380 die 10ª Septembris, testatur, quod cum ipse esset Romae in castro sancti Angeli, cujus gubernator erat nepos ejusdem Petri, *tractatum fuit per nonnullos Romanos etiam inductione illorum de Italia, qui temporalis dominii ipsius Ecclesiae subversionem procuraverant, quod fieret per Romanum populum ex iis unus Antipapa Gregorio vivente et in Avenione existente. Et istud adeo processit in antea, quod Rms. Dominus et Pater Dominus Cardinalis s. Petri, qui tunc legatus existebat in Urbe, fuit coactus scribere praefato s memoriae Gregorio, quod nisi cito per adventum succurreret, spirituale scandalum Ecclesiae indubie sentiebat paratum. Et ego et alii multi servitores Ecclesiae* **Causae reditus in Italiam.**

---

[1]) Balut. Vita prima Gregorii XI. p. 426.

idem sentientes a certo praefato s. memoriae Gregorio transmisimus exponendo, quod omnino ad Urbem veniret, si volebat praefato scandalo indubie obviare. Haec autem concepta malitia non latuit, quoniam et per eorum ambaxiatores abbati Cassinensi eorum concivi fuit intimatum, si papatum in casu quod per clerum et populum Romanum sibi daretur vellet acceptare. Qui ultro se offerens respondit, se civem Romanum esse, et illud velle quod ipsi vellent.[1]) 2° Nuntiatum etiam erat Gregorio, per suum adventum perturbationes Italiae compesci posse, et territoria Ecclesiae deperdita recuperari. *Praedicta autem durante tempestate fuit per litteras et nuntios intimatum dicto Gregorio Papae, quod si ipse personaliter veniret ad partes Italiae, confestim praedicta omnia recuperaret, et alia quaecumque praemissa ad statum debitum reducerentur, cessarentque machinata et procurata et tractata ultra tam contra statum suum quam ecclesiae memoratae, quae secundum relationes et considerationes plurium majora ac pejora prioribus existebant.*[2]) 3° S. Catharina Senensis, quae ex parte Florentinorum legatione functa est ad Gregorium XI, tum verbis tum epistolis Pontificem ut Romam rediret incitavit; nec dubium est, Gregorium magni habuisse s. virginis monita. 4° Bonifatius Ferrerius, frater s. Vincentii, et Prior magnae Carthusiae Caesareae Augustae (Sarragossae) contendit, Gregorium pluribus dixisse, se motum fuisse ad reditum in Italiam insatiabili avaritia et injustis expostulationibus Gallorum.[3]) Hoc tamen minus certum esse videtur.

Reditus in Italiam.

22. Gregorius igitur *deliberavit se transferre ad partes Italiae memoratas, suosque gressus dirigere versus Romam, cum etiam Romani sui optantes praesentiam, causa ipsum ad hoc alliciendi multa et magnalia promitterent se facturos in sui favorem et honorem, quam primum ad ipsos declinaret*

---

[1]) Apud Balut. t. I. Notae p. 1194, ubi etiam alia hujus rei testimonia inveniuntur.

[2]) Balut. Prima Vita Gregorii XI p. 437. — Illa *machinata et procurata* etc. videntur intelligenda esse de periculo electionis antipapae.

[3]) Martene, Thesaurus T. II. p. 1450. c. 26.

Qui sic disposuit facere et ordinavit, quamvis contra consilium et deliberationem quasi totius Collegii omniumque amicorum suorum, et die 13ª mensis Septembris anni Domini 1376 de Avenione recessit, . . . et die 17ª Januarii anni Domini 1377 ingressus est Romam equitando de Sancto Paulo, ubi ad terram de navigio descenderat usque ad Sanctum Petrum, fuitque ibidem receptus cum magna solemnitate et honore. Sciendum tamen, quod Romani de illis quae sibi per prius promiserant paucissima attenderunt, praesertim circa illa quae concernebant regimen Urbis.[1]) — Quum vero Roma urbs ob longam Pontificum absentiam plane dilapsa esset, plurimaque antiqui splendoris monumenta diruta jacerent, caeterum Gregorius multas offenderet in Italia difficultates ac sese veluti derelictum ibidem sentiret, jam brevi cogitabat de reditu in Galliam. Sed morte praeventus fuit. *Gregorius videlicet, a juventute satis debilis et valetudinarius, a gravi infirmitate detentus, devote receptis* **Mors Gregorii XI.** *Sacramentis cum magna cordis contritione prout Domino placuit die 27ª mensis Martii anni 1378 in pace quievit. . . . Quamdiu Ecclesiae praefuit quasi continue mentales anxietates habuit propter turbationes, quae eidem Ecclesiae suo tempore contigerunt, quibus quantum potuit cum omni diligentia obviavit. Sed plene non valens occurrere, etiam non minus afflictus est in persona; quam gravela adeo gravavit, quod dies suos in magna parte minoravit. Nondum enim annum quadragesimum septimum aetatis suae attigerat, quando ejus spiritus, ut pie creditur, ad superos evolavit.*[2]) Post ejus obitum orta est in Ecclesia divisio teterrima, quae multis annis duravit, duobus simul, aliquando tribus Pontificibus, aliis Romae, aliis Avenione et alibi sedentibus. Quo de schismate alia in Dissertatione agemus.

---

[1]) Balut. Prima Vita Greg. XI. p. 438.
[2]) Balut. Prima Vita Greg. XI. p. 441.

II.

De Minoritarum turbis.

23. Magnum negotium Pontificibus Avenionensibus, ac praecipue Joanni XXII, excitarunt dissidia, quae in Ordine Fratrum Minorum exorta sunt. Eo vel magis autem hac de re nobis agendum est, quod mox Pseudominoritae ab Ecclesia deficientes causam Ludovici Bavari vehementer promoverunt, et non exigua mala suis doctrinis et factis in Ecclesia excitarent. Ut vero causa ista plene intelligatur, inde ab initio ejus originis enarrabimus et ulteriorem dein evolutionem prosequemur.

Dissidiorum origo. In Ordine celeberrimo et amplissimo s. Francisci, jam ipso fundatore vivente, et dein maxime post ejus mortem uti superius exposuimus,[1]) duplex orta est tendentia, aliorum quidem, qui largiori ratione regulam interpretabantur et severitatem moderandam esse censebant, aliorum vero, qui arctius regulam exponendam esse magnumque rigorem sequendum esse statuebant. Inde quidem dissensiones quaedam inter membra Ordinis proveniebant; attamen sanctorum virorum, e. g. s. Bonaventurae, opera factum est, ut minora ex istis incommoda sequerentur. Extra ipsum Ordinem etiam fuerunt, qui regulam impetebant ut illicitam et inobservabilem.

24. Jam Innocentius IV a. 1245 articulum regulae *de paupertate*[2]) interpretatus, declaravit, Fratres Minores ad usum habere posse fundos, aedes, suppellectilia, libros: eorum vero omnium jus, dominium et proprietatem pertinere ad Apostolicam Sedem, sine cujus consensu illi nihil eorum vendere, permutare aut alienare possent. Huic

---

[1]) V. Dissert. XXVIII., III. *De interno statu Ecclesiae*, n. 103

[2]) Regulae s. Francisci c. VI: „Fratres nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Deo famulantes vadant pro eleemosyna confidenter.“

Pontificis declarationi plerique assenserunt; alii vero rigidiores contenderunt, declarationem istam nondum sufficere evangelicae quam voverant paupertati. Nicolaus III igitur, Pontifex Franciscanis valde addictus, ut quae tenenda et observanda essent auctoritate Apostolica clarius statuerentur, et difficultatibus obveniretur, a. 1278 celeberrimam edidit Constitutionem *Exiit qui seminat,*[1] in qua plurima quae regulam Minoritarum spectant exposuit, et rationem qua agere deberent Fratres Minores determinavit. Scopum suum ipse enuntiat illis verbis: *Nec sic contra Fratres ipsos Minores et regulam hostis antiqui cessavit astutia, quin potius contra eos nitens superseminare zizaniam, interdum aemulatores agitatos invidia, iracundia, et indiscreta inscitia concitavit, mordentes Fratres, et eorum regulam quasi illicitam, inobservabilem et discriminosam caninis latratibus lacerantes. . . . Visum est nobis, (ut mordacibus hujuscemodi mordendi iras praecluderemus), aliqua quae in ipsa regula videri poterant dubia declarare, nonnulla per Praedecessores etiam nostros declarata pleniori claritate disserere, in aliquibus etiam regulam ipsam contingentibus puritati eorumdem* (Fratrum) *conscientiae providere.* Constitutio Exiit.

25. Inter alia Pontifex declarat, arctam eorum quam regula praescribebat paupertatem ac proprietatis abdicationem in eo positam esse, ut Franciscani nihil sibi *sive in communi sive in particulari* proprium vindicarent, et nihil superflui in supellectili haberent; ejusmodi autem abdicationem proprietatis, tum in communi tum in particulari, quam et Christus verbo docuit et exemplo firmavit, propter Deum factam esse meritoriam. *Porro cum ipsa regula expresse contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sitque declaratum per Praedecessorem nostrum Gregorium IX et nonnullos alios, hoc servare debere tam in speciali quam etiam in communi, . . . dicimus, quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi, propter Deum,*

---

[1]) V. Sexti Decretal. L. V. Tit. XII. C. III.

Constitutio Exiit. *meritoria est et sancta: quam et Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit et exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Ecclesiae prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte vivere per doctrinae et vitae exempla in eos derivarunt. Nec his quisquam putet obsistere quod interdum dicitur loculos habuisse: nam sic Jesus Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum imperfectorum imperfectionibus condescendens, et viam perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic infirmorum personas Christus suscepit in loculis: sic et in nonnullis aliis infirma humanae carnis assumens (prout evangelica testatur historia non tantum carne, sed et mente condescendit infirmis.* Franciscanos porro declarat Pontifex rerum ad vitae sustentationem necessariarum habere usum; laborem manuum ab ipsis esse peragendum, exceptis iis qui litterarum studiis, sacro ministerio, orationi et contemplationi vacarent, ecclesiarum, domuum, ac reliquarum rerum, quarum simplicem usum habebant, proprietatem et dominium esse apud Sedem Apostolicam. *Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, cum patri filius suo modo servus domino et monachus monasterio res sibi oblatas, concessas vel donatas acquirant, omnium ustensilium et librorum ac eorum mobilium praesentium et futurorum, quae et quorum usumfructum scilicet Ordinibus vel Fratribus ipsis licet habere, proprietatem et dominium, (quod et fere Innocentius Papa IV praedecessor noster fecisse dignoscitur), in nos et Romanam Ecclesiam plane et libere pertinere hac praesenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus.* Multis dein etiam disponit, quomodo per procuratores Minoritae res suas administrare possint; prohibuit vero privatas hujus Constitutionis expositiones et interpretationes, dubiaque ad Sedem Apostolicam referenda esse constituit.

26. Quamvis Nicolaus III hac bulla regulae et disciplinae in Ordine s. Francisci observandae praeclare providisset, dissidia tamen non cessarunt ob zelatorum exaggerationes. Aliqui ex illa Constitutione inferebant, vitam ac paupertatem Minoritarum esse proprie Evangelii prae-

scriptum, ita ut per se omnes Christiani ad talem vitam tenerentur,[1]) alii constituta a Nicolao exaggerabant, et rigidius ad litteram, quam plerisque superioribus videbatur, regulam observandam esse volebant. In hac parte Franciscanorum, qui *Spirituales* appellari solebant, dum reliqui moderati *Conventuales* dicerentur, excelluit Joannes Petrus Olivi, vir magni rigoris, et ingenio excellens, sed doctrinae valde suspectae. Mortuus tamen est a. 1294 catholicam fidei edens professionem. — A s. Coelestino V duo Fratres ex istis zelantibus, Liberatus et Angelus, obtinuerunt permissionem constituendi distinctam a reliquis Franciscanis Congregationem, quae *Pauperum Eremitarum* appellata est. Bonifacius VIII, ut alia sui Praedecessoris acta irritavit, ita etiam hujus Congregationis membra iterum reliquis Minoritis se jungere mandavit, eosque ex Graecia et Archipelagi insulis et ex Oriente, ubi sedes suas fixerant, in suas provincias redire voluit. Sed quamvis plures in Italiam et Galliam redirent, tamen separatio eorum a reliquis Minoritis perduravit, ita quidem, ut habitum peculiarem portarent, et etiam suum Ministrum generalem haberent, qui erat Ubertinus a Casali.

Constitutio Exivi de Paradiso.

27. Clemens V in Concilio Viennensi scissionem istam penitus tollere statuit, ac propterea Constitutionem edidit *Exivi de Paradiso,*[2]) qua diremit quaestiones propter quas Spirituales illi reliquis se opponebant, ita ut strictae observationis regulae omnino rationem haberet. Quo facto coëgit Spirituales, ut cum reliquis Minoritis se unirent, ita quidem ut qui renuerent excommunicarentur. Multi quidem obedierunt, sed factio quaedam remansit schismatica, quae inde jam sub nomine *Fraticellorum* designari solet. Hi aliis sectariis pseudomysticis Beghardis, Bizochis, Lolhardis similes fuere, ita ut eadem etiam nomina frequenter illis sectis tribuantur. Isti Fraticelli in Gallia meridionali subsequentibus annis, praesertim vacante Sede Apostolica, quum plurimi ibidem essent, magnas turbas

[1]) V. Hefele, Conc. Gesch. B. V. S. 475.
[2]) Clementin. L. V. T. XI. C. I.

in reliquos Minoritas excitaverunt, in varias regiones se dilatarunt et schismati doctrinas haereticas addiderunt. Inter alia docebant, duas existere ecclesias, alteram carnalem, divitiis abundantem et vitiis maculatam, alteram spiritualem, pauperem et virtutibus decoram. Hanc ecclesiam ipsos constituere, ipsisque solis esse jus administrandi sacramenta, nec alibi verum evangelium inveniri.

Constitutiones Joannis XXII. 28. Joannes XXII primum a. 1317 in causa ista Franciscanorum, petente Michaële Caesenate ministro generali, edidit Bullam *Quorumdam exigit,*[1]) in qua, ut renitentibus omnem tolleret oppositionis praetextum, varia statuit de vestibus Minoritarum et mandat, ut in quaestione de *longitudine et latitudine, grossitie et subtilitate, forma et figura vestimentorum* judicium Superiorum sequendum sit, illisque obediri sub poena excommunicationis praecipit. Dein vero contra Fraticellos processum instituit et a. 1318 per Bullam *Gloriosam Ecclesiam*[2]) eorum errores damnavit. Plures ex Fraticellis poenitentiam egerunt, alii variis poenis affecti sunt, alii aufugerunt in Siciliam, ubi Fr. Henricus de Ceva factioni praeerat. — Quum spes magna adesse videretur, fore ut factiosorum secta brevi tempore exstingueretur, tristissimo casu accidit, ut schisma multo majus in illo Ordine Minoritarum per ipsum Michaëlem Caesenatem ministrum generalem oriretur, ita ut quae eousque evenerant, perturbationis tantum praeludia quaedam dicenda sint. Hujus rei occasionem narrat accuratissime Nicolaus Minorita, ejusdem Michaëlis schismate et haeresi contaminatus. Is igitur scribit, anno 1321 quemdam Beguinum (sive Fraticellum) Narbonnensis episcopi et Joannis Belvae Ord. Praed. fidei Censoris mandato captum, et judicio haeresis postulatum fuisse. Illum vero inter alia affirmasse: *Quod Christus et Apostoli viam perfectionis sequentes nihil habuerunt jure proprietatis et dominii in speciali, nec etiam in communi.* Quum vero in ipsum

---

[1]) Extravag. Joannis XXII. Tit. XIV. C. I. De verborum significatione.

[2]) Bullar. ed. Luxemburg. a. 1727. Tom. I. p. 193.

judiciariam actionem exerceret fidei Censor, atque ad concilium religiosarum familiarum praepositos et plures alios doctores congregasset, ex iis Berengarius Talon Minorita theologus negavit, superiorem articulum de paupertate Christi haereticum esse, sed orthodoxum et in Decretali Nicolai, *Exiit*, contineri contendit; dictum vero revocare jussus ad Sedem Apostolicam provocavit. Ex hac scintilla ingens incendium ortum est.[1])

Quaestio de paupertate Christi.

29. Cum enim Berengarius in sacro Cardinalium senatu proposuisset sententiam, pontificio jussu custodiae traditus est, ac theologorum celeberrimi dein coetus congregati, ut controversia dirimeretur. Ac primum, ut accurate quaestio versaretur, excommunicationis poena a Nicolao Papa constituta in eos qui de Bulla *Exiit* disceptationes et interpretationes instituerent, per Joannem, edita Constitutione *Quia nonnunquam,*[2]) suspensa est. Tum vero indigna suspicio nonnullorum susurronum vitio magnam Franciscanorum multitudinem pervasit, Joannem XXII in adversariorum suorum partes inclinare. In Ordinis comitiis porro Perusiae congregatis primas schismatis faces accenderunt, quippe in eam temeritatem se projecerunt, ut dum Apostolica Sedes in agitanda definiendaque controversia occupata esset, ipsi sententiam suam universis fidelibus encyclicis litteris proposuerint, quasi jam a Nicolao in decretali *Exiit* promulgatam. Sed Nicolaus de ista quaestione, in qua plurima distinguenda Joannes XXII in suis Constitutionibus illustrat, *decretorie* non erat locutus, simulque constituerat, ut si quid ambiguitatis in ejus dictis emersisset, explicatio a Romano Pontifice petenda esset. — Litteris igitur encyclicis Minoritae declarabant, propositionem superius citatam esse sanam et orthodoxam, idque a Nicolao et Concilio Viennensi esse definitum; illisque litteris subscripserunt Michaël Caesenas Minister generalis, Gulielmus Ockam Minister Angliae, Henricus Minister Alemanniae, Arnaldus Minister Aquitaniae et octo

[1]) Cfr. Raynaldum, ad a. 1322. n. 53.
[2]) Extravag. Joannis XXII. Tit. XIV. C. II.

Fratres theologi Perusiae praesentes. Manifeste haud exiguum erat eo tempore pro toto inclyto Minoritarum Ordine scissionis periculum. — Joannes XXII Michaëlis et Capituli Perusini audaciam acriter reprehendit, et examen quaestionis agitatae per Cardinales et theologos doctissimos continuavit.

Decretalis *Ad Conditorem.*

30. Edidit dein Pontifex sequenti tempore duas Constitutiones celebres quae ad controversias de paupertate Franciscanorum pertinent, quumque ex illis adversarii Sedis Apostolicae occasionem sumpserint, ut errorum de fide Romanos Pontifices accusarent,[1]) jam de harum Constitutionum indole aliquanto accuratius agendum esse videtur.

Mense Decembri a. 1322 publicavit Joannes XXII Decretalem, quae incipit *Ad Conditorem,*[2]) cujus occasio et scopus fuerunt ejusmodi. Multae de Minoritis querelae ad Sedem Apostolicam perferebantur, ipsos specie paupertatis apostolicae, qua caeteris religiosis Ordinibus antecellere jactabant, consectari opes, et lites iniquas Sedis Apostolicae nomine, ad quam verbale et aenigmaticum, ut ait Joannes, rerum quas possidebant dominium ex Nicolai Constitutione spectabat, intendere. Simul vero Pontifex jam adverterat periculum, quominus falsae de paupertate opiniones in Ordine radices agerent. Hinc dominium rerum noluit Ecclesiae reservare; sed illud per istam Constitutionem restituit Ordini ipsi, praeter ea, quae ad sacra spectant, simulque vetuit Minoritas pontificio nomine quemquam in litem adducere. Initio hujus Bullae Joannes dicit: *Ad Conditorem canonum non est dubium pertinere, cum statuta a se vel a Praedecessoribus suis edita obesse percipit potius quam prodesse, ne ulterius obesse valeant providere.* Dein multis prosequitur, ob modum agendi Minoritarum practice utilitatem pro vita perfectiore ex illa abdicatione dominii

---

[1]) Cf. Bossuet, Defensio declarationis; Oeuvres XVIII. p. 339 sqq. Liége 1768. — Janus, III, Die päpstliche Unfehlbarkeit.

[2]) Extravag Joannis XXII. Tit. XIV. C. III.

non provenisse; simul argumentis juridicis ostendere nititur, nec ipsum Nicolaum intendisse, ut etiam quoad res usu consumptibiles, ut esculenta, Minoritas meros usuarios constitueret, et dominium ad Romanam Ecclesiam transferret. In rebus enim quae usu consumuntur, censet, simplicem usum facti sine dominio aliquo non haberi. *Quis,* inquit, *sanae mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti Patris, unius ovi seu casei aut frusti panis et aliorum usu consumptibilium, quae fratribus ad consumendum e vestigio conferuntur, dominium Romanae Ecclesiae et usum Fratribus retinere?* — Demum Joannes: *De Fratrum nostrorum,* scribit, *consilio hoc edicto in perpetuum valituro sancimus, quod in bonis quae in posterum conferuntur aut alias quomodolibet obvenire contingat Fratribus seu Ordini supradictis, (exceptis ecclesiis, oratoriis, officinis et habitationibus, ac vasis, libris et vestimentis divinis Officiis dedicatis vel dedicandis, quae ad ipsos obvenient in futurum, ad quae se non extendunt adeo inconvenientia supradicta, propter quod Constitutionem istam ad illa extendi nolumus,) nullum jus seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae, seu cujusvis alterius a quocumque Praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae Rom. Ecclesiae acquiratur, sed quoad hoc habeantur prorsus ordinationes hujusmodi pro non factis.*

31. Edidit dein Joannes XXII altero anno, scil. die 12° Novembris a. 1323 Constitutionem *Quum inter nonnullos,*[1]) qua definivit controversiam de paupertate Christi, *utrum pertinaciter affirmare, Redemptorem ac Dominum nostrum Jesum Christum ejusque Apostolos in specie non habuisse aliqua nec in communi etiam, haereticum sit censendum.* Ac declarat, quum ea propositio sit contraria sacrae Scripturae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, deinceps eam propositionem *erroneam fore censendam et haereticam.* Pariter definit, *in posterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro praedicto ejusque Apostolis iis, quae ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequa-*

Constitutio *Quum inter nonnullos.*

[1]) Extravag. Joannis XXII. Tit. XIV. C. IV.

quam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, fore erroneum et haereticum.

Accusatio in R. Pontifices.

32. Adversarii Romanorum Pontificum vel infallibilitatis ipsorum ex duabus his Constitutionibus arguunt, Joannem omnino contradicere iis quae definiverit Nicolaus III in Decretali *Exiit.* Hic enim, inquiunt, definivit, sanctam et meritoriam esse paupertatem, qua nihil in communi vel speciali possidetur, et Christum ac Apostolos talem paupertatem verbo et exemplo docuisse. — Joannes XXII autem plane contrarium declaravit. — Ad haec imprimis adverti posset, scopum Constitutionis *Exiit* a Nicolao III editae in eo maxime esse, ut plura quoad regulam Fratrum Minorum authentico modo explicarentur, definitionem vero fidei in eadem haud videri contineri. Sed, ut praescindamus ab hac quaestione, nullus revera in aliqua re dogmatica dissensus est inter Constitutiones Nicolai III et Joannis XXII, sed ad summum diversitas quaedam opinionum in applicationibus practicis et quaestionibus mere philosophicis. Quod ut appareat paucis rem accuratius exponere juvabit.

34. Ordo Fratrum Minorum a reliquis Ordinibus inde distinguebatur, quod quum alii religiosi abdicarent proprietatem personalem, ita tamen ut communitas possidere posset, Franciscani nec in particulari nec *in communi* aliquid possidere vellent, ut hac ratione adhuc perfectius animus omni terreno affectu exueretur. Talem igitur paupertatem, qua etiam pro communitate proprietas abdicaretur, Nicolaus III declaravit laudabilem et meritoriam, utque Minores eam exercere possent, bona eorum in dominium ac proprietatem Sedis Apostolicae accepit. Joannes XXII nullatenus illam abdicationem proprietatis in communi rejecit; imo pariter Minorum ecclesias et aedificia, bona quae ab aliis *communitatibus* possidebantur, in dominio S. Sedis retinuit. Sed quum appareret, ex aliarum rerum mobilium abdicatione multas molestias Sedi Apostolicae oriri, nec *practice* pro tempore utilitatem spiritualem et profectum Franciscanorum inde promoveri, noluit harum rerum dominium re-

tinere, sed earum proprietatem Fratribus restituit. Ex his certe nullus dissensus in dogmatibus fidei inter duos illos Pontifices inferri potest. — Fratres Minores praeterea, quum paupertatem strictissimam magno zelo sectarentur, etiam rerum usu consumptibilium, e. g. ciborum quos accipiebant, dominium et proprietatem apud Sedem Apostolicam esse, ipsisque solum usum in consumptione convenire acrius asserebant. Ineptum vero videbatur Joanni, Sedi Apostolicae ejusmodi rerum, e. g. ovi vel frusti casei, proprietatem vindicare, indeque factum est, ut de proprietate talium rerum quoad religiosos varia disserat. Atque nullatenus definiens, sed ex argumentis philosophicis et juridicis disputans existimat, talibus in rebus usum a dominio separari non posse, ac religiosis singulis earum proprietatem dum iis utuntur convenire. In hunc quoque modum Constitutionem *Exiit* interpretatur, ita ut censeat, minutarum rerum illarum dominium Nicolaum haud voluisse Sedi Apostolicae reservare. — Animadvertendum autem est, hanc quaestionem de proprietate rerum usu consumptibilium, uti escarum, talem esse, quae non solos Minores sed generatim religiosos spectabat. Quaerebatur videlicet, utrum proprietas illarum rerum, dum usu consumuntur, particularibus religiosis utentibus conveniret, an vero S. Sedi quoad Franciscanos), vel communitati (quoad alios Religiosos). Joannes putabat, ex rei natura et ob argumenta philosophica et juridica, *usum* et *proprietatem* in his rebus separari non posse, adeoque dum religiosi dicuntur vivere sine proprio et nihil possidere, id sane verissimum esse, sed non posse extendi ad illa objecta minuta. Vides, hic agi simpliciter de quaestione ad philosophiam moralem et jus naturale pertinente; nihil porro in eadem Joannes XXII definivit. Contraria autem sententia, videlicet etiam quoad talia religiosis particularibus proprietatem non convenire, apud plures theologos praevaluit.[1]) Caeterum vero, uti constat,

Expenduntur Constitutiones.

[1]) V. Bellarmin. De Rom. Pont. L. IV. c. 14. „Esse dominum, non est posse rem destruere quocumque modo, sed posse libere destruere, quando, ubi, quomodo quis voluerit, et etiam donare, vendere, commutare etc. Constat autem, omnes veros religiosos habere usum panis

Joannem propter circumstantias rerum prudenter per Constitutionem *Ad conditorem* dominium plurium rerum Minoritis restituisse, ita postquam exstincta jam esset praeteritorum invidia temporum, et calumniae impiorum in Sedem Apostolicam sepultae oblivione essent, Romani Pontifices pristinae in Minores benevolentiae officia explicuere. Inter quos Martinus V, Constitutione Joannis *Ad conditorem canonum* abrogata, dominium rerum ad Minoritas spectantium iterum suscepit; quem plures alii Pontifices secuti sunt, ut ea singulari clientela tecti Minoritae ad divinum cultum liberius intenderent.

De paupertate Christi.

34. Quod spectat ad alteram quaestionem de paupertate Christi Domini et Apostolorum, Joannis XXII sententia, qua damnavit ut haereticam assertionem, *Christum ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam,* cum Nicolai III assertione, Christum et Apostolos abdicationem omnium rerum verbis et exemplis docuisse, haud difficulter conciliari potest. Imprimis dum dicuntur Christus et Apostoli non habuisse, vel habuisse, aliquid proprium, seu alicujus rei dominium aut jus, id non de tota vitae illorum serie, sed de diversis temporibus intelligi potest. Sane ipse Nicolaus III Christum loculos habuisse et pecuniae illius dominium possedisse, agnoscit et explicat. Caeterum vero, uti jam tempore Joannis XXII observavit Bertrandus Cardinalis, Decretalis illa *Exiit,* ubi dicitur Christum et Apostolos abdicasse proprietatem omnium rerum non tam in speciali, quam etiam in communi, optime intelligi potest, *ut fert moralis loquendi modus,* et quatenus *maximo vitae fluxu et frequentissime omnium rerum egeni et inopes fuerunt.* Inde a Nicolao paupertas merito commendata est; haud vero docet, etiam vestis, cibi et potus proprietatem a Christo et Apostolis fuisse abdicatam. Cum illa Christi paupertate non pugnat, quod aliquando loculos legatur habuisse, id tamen, quum videatur signum

---

quem comedunt, et vini quod bibunt, nec tamen posse illa donare, vendere, mutare, projicere. Haec quaestio ad fidem non pertinet, ut ipse Joannes dicit in Extravaganti *Quia quorumdam;* imo adhuc sunt de hac re varia Doctorum sententiae."

locupletioris possessionis, etiam a Nicolao III concinno modo explicatur.

35. Postquam Joannes XXII Constitutione sua quaestionem de paupertate Christi et Apostolorum diremit, episcopi omnes ac theologi universim definitioni acquieverunt, at Michaël Caesenas, Occam et aliquot alii Minores contradixerunt. Eos Avenionem Pontifex accersivit, sed post aliquot menses, a. 1328 mense Majo, Michaël, Occam et F. Bonagratia a Bergamo, auxiliante Ludovico Bavaro aufugerunt, et se ipsis adjunxit Ubertinus a Casalis quondam Spiritualium caput. Dein Monachium ad Ludovici Bavari aulam abierunt. Atque quod antea jam coeptum erat, id ex illo tempore maxime factum est, videlicet ut istorum Pseudominoritarum opera magis fere quam armis Ludovici lucta ipsius contra Pontificem protraheretur, et societas christiana haud parum perturbaretur. Ducibus Pseudominoritarum alii quidam theologi, inter quos Marsilius Patavinus et Joannes de Janduno doctores Parisienses, se conjunxerunt, atque hi omnes cum asseclis suis numero plurimis verbis et scriptis Romani Pontificis auctoritatem convellere studuerunt. Auctoritatem videlicet Pontificis doctrinalem impudenter aggressi sunt, simul vero subordinationem Ecclesiae sub Imperio adstruere studuerunt.

Oppositio contra Joannem XXII.

36. Michaël Caesenas contra Constitutionem *Cum inter nonnullos* scriptum elucubravit, quo a sententia Pontificis de paupertate Christi ad judicium Ecclesiae appellavit,[1]) moxque etiam cum Occamo expresse contendit, Romanum Pontificem in rebus fidei errare posse, Joannemque XXII revera errasse, atque sic doctrinam eo tempore ubique valentem de infallibilitate Romani Pontificis impugnavit. Cum aliis erroribus Michaëlis etiam hunc solemniter reprobavit a. 1331 generale Minorum Capitulum illis verbis: *Quod seminant haereses patenter apparet ex diversis schedulis et litteris, quas examinari per quamplures sacrae theologiae doctores et alios in theologia peritos fecimus; ex quibus evidentius colliguntur errores plurimi, qui nostro et*

---

[1]) Raynald. a 1328. n. 65.

dictorum doctorum, seu verius universalis Ecclesiae judicio haereticales merito sunt censendi. . . . Quartus error haereticalis est, quod Constitutiones per Romanum Pontificem canonice intrantem editae de consilio sacri ac fidelis collegii dominorum Cardinalium sunt haereticae.[1]) Commemoratur consilium Cardinalium, quia inde agnoscitur, Pontificem edere ex officio sententiam definitivam, ac non simpliciter suam opinionem manifestare. A. 1349 quum plures Fraticelli, inter quos Occam fuisse videtur, ad obedientiam Ecclesiae reverterentur, professi sunt, *se credere et tenere quod credit, tenet et docet sancta mater ecclesia Romana.*[2]) Sic isti Fraticelli primi fuere in Occidente, qui Romani Pontificis infallibilitatem negarunt. Atque tum hac in re, tum in aliis opinionibus auctoritatem Romanorum Pontificum laedentibus, hos postea quidam inter Catholicos secuti sunt. Merito videlicet Joannes de Turrecremata, qui in synodo Basileensi praerogativas S. Sedis defendit, miratus est, eousque adversarios obcaecatos esse, *ut maluerint sequi homines ab Ecclesia Dei in doctrina sua condemnatos, sicut fuit Marsilius de Padua, Occam cum complicibus suis, ex quorum doctrina extracta sunt pro magna parte decreta illa praefata Basileensia, et quosdam alios novellos doctorellos, praefati Occam et aliquorum Fraticellorum opiniones erroneas renovantes, quam doctores sanctos ab Ecclesia approbatos et alios praestantissimos doctores antiquos.*[3])

Liber Defensor pacis. 37. Quod vero attinet ad relationes Ecclesiam inter et societatem civilem, seu Imperium inter et Sacerdotium, apostatae illi *subordinationem* Ecclesiae sub Imperio adstruxerunt. Inter alia opera, quae hac in re ab ipsis conscripta sunt, illud praecipuum fuit quod *Defensor pacis* inscribitur et a Marsilio Patavino ac Joanne de Janduno communi labore confectum est.[4]) Hoc in opere, quod

---

[1]) Raynald. a. 1331. n. 51.
[2]) Ibid. a. 1349. n. 16.
[3]) Summa de Ecclesia, l. II. c. 100.
[4]) De iis qui hoc tempore contra Pontifices scripserunt cfr. S. Riezler, Die literarischen Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwig des Baiers. Leipzig 1874.

Ludovico Bavaro dedicarunt, de potestate Ecclesiae perversissima illa principia statuunt, quae saeculo XVI a quibusdam instaurata fuerunt. Praetendebant videlicet, potestatem ecclesiasticam originaliter residere in fidelium communitate; hanc vero praecipue ab Imperatore repraesentari. A communitate fidelium potestatem et auctoritatem transferri in clerum, hujus autem diversos episcoporum et presbyterorum gradus haud in institutione divina, sed in Imperatoris concessione suum habere fundamentum. Propterea Imperatori jus esse instituendi Papam eumque deponendi, neminemque sine Imperatoris permissione ab Ecclesia posse puniri. Quum porro Christus non ex liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus solverit tributum, inde sequi, omnia temporalia Ecclesiae subesse Imperatori, eum posse ea accipere ut sua, ipsiusque dispositioni eadem esse commissa.[1]) — Joannes XXII impii hujus libri doctrinas a. 1328 per Constitutionem *Licet juxta doctrinam* damnavit, ejusque auctores excommunicavit; sed protectionem eorum suscepit Ludovicus, qui et Marsilium vicarium creavit Romanae Ecclesiae. — De natura Imperii Romani pariter Occam variis scriptis[2]) pessime sensit, dum antiquo Imperio gentili illud coaequat; dignitatem regis Germaniae et Imperatoris ut eamdem considerat, omnemque Romani Pontificis influxum in utramque potestatem rejicit.

38. Ex Pseudominoritis istis Michaël Caesenas a. 1344 morti proximus,[3]) Occamus vero a. 1349, aliique pauci[4]) resipuisse et Ecclesiae reconciliati traduntur. Caeterum Fraticellorum pestifera secta toto saeculo XIV catholicam societatem turbavit, eoque dementiae sectarii illi progressi sunt, ut jactarent, ecclesiasticam hierarchiam inter suos tantum contineri, Pontifici autem, Cardinalibus et Episcopis propter luxum vel delicias abrogatam esse auctoritatem. Errores Fraticellorum.

[1]) Cfr. Riezler l. c. p. 193 sqq.
[2]) De ejus scriptis cfr. Riezler l. c. p. 241 sqq.
[3]) V. Raynald. a. 1344. n. 13.
[4]) Id. a. 1349. n. 17.

Atque hanc haeresim postea Wiclefus ab ipsis mutuavit. Permagna damna societati christianae saeculi XIV ex Pseudominoritarum turbis provenerunt. Erant enim ipsi numero plurimi ac prae se ferebant habitum Ordinis religiosi, qui eo saeculo populis erat valde acceptus magnumque influxum exercebat; morum conficta severitate multitudines alliciebant, nec destituti erant viris ingenio haud mediocri praeditis. Concutiebant autem ipsa viscera societatis christianae. Etenim tum theoretice doctrinis suis *principium auctoritatis* subruebant, tum practice schismate constituto multitudinem a capite Ecclesiae avertere studebant, contemptumque in Ecclesiae principes conjicere. Atque eo majora ex his oriebantur pericula, quod Italiae et Germaniae populi Pontificibus Avenione residentibus minus addicti et devoti erant, et diffidentia quadam in Pontifices natione Gallos praeoccupati, facilius male de iis sentiebant et in schisma trahebantur. Accessit his diuturna inter Pontifices et Ludovicum Bavarum lucta, quae Pseudominoritis occasionem dedit, ut suam causam principis illius causae conjungerent. Sed de ista lucta inter Ludovicum atque Pontifices jam nobis agendum est.

III.

De dissidio inter Pontifices Avenionenses et Ludovicum Bavarum.

Dissidium infaustum. 39. Infausta per triginta fere annos perduravit inter Pontifices Avenionenses et Ludovicum Bavarum lucta, qua non minus sacri Romani Imperii vigor et splendor vehementer imminutus, quam Ecclesiae status tristissima est perturbatione afflictus. Dissidium vero istud diuturnum in Pontifices Avenionenses multorum tum coaevorum tum posterorum concitavit invidiam, nec pauci fuerunt inter auctores usque ad dies nostros, qui amaris Pontifices illos persequuntur querelis, ipsosque contendunt maxime i

culpa fuisse, quod tanta calamitate Germania praesertim afflicta sit.[1]) Sed qui tranquillo mentis judicio rerum eventus prosequitur, et personas ac facta studet aequa lance librare, Pontifices illos justitiae tramitem haud deseruisse reperiet. Et quamvis forte, si Avenione non resedissent regumque Galliae influxui non fuissent obnoxii, facilius finem dissidio isti imposuissent; tamen spectatis omnibus personarum et rerum adjunctis, vix inveniri potest, quid iis serio culpae verti possit. Ex ordine igitur percurremus seriem eventuum, eosque ubi opus fuerit discutiemus, ut judicium de ratione agendi Pontificum inde formare possimus.

Electio dubia Imperatoris.

40. Eo temporis intervallo quo s. Sedes a morte Clementis V (20. April. 1314) usque ad electionem Joannis XXII (7. Aug. 1316) vacabat, discors facta est in Germania regis electio. Die videlicet 19° Octobris a. 1314 tres electores suffragiis suis *Fridericum Austriacum*, die vero sequenti quatuor reliqui votis suis *Ludovicum Bavarum* illius consobrinum elegerunt in regem ad Imperium promovendum. Advertendum autem est, tantum quatuor principum electorum jura ad suffragia ferenda indubia fuisse, trium aliorum jus ab aliis principibus fuisse oppugnatum, ita ut uterque ex electis duo quidem haberet suffragia certe valida, dubia autem praeterea vota unum Fridericus, duo Ludovicus.[2]) Nulla eo tempore lex erat qua statuebatur,

---

[1]) Etiam cl. J. Damberger hac in re, patrio commotus amore, acriter Pontifices Avenionenses exagitat, et Ludovicum Bavarum ingrato labore non tantum excusare studet, sed passim evehit laudibus. V. Gesch. Tom. XIII. XIV. — Recenti tempore auctores quidam protestantes erudite de quaestionibus quas tractamus scripserunt. Jam citavimus S. Riezler, Die literar. Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwig des Baiern. Leipzig 1874. — C. Müller, Der Kampf Ludwig des Baiern mit der römischen Curie; Tübingen, B. I. 1879, B. II. 1880. — W. Preger, Die Politik des Papstes Johann XXII in Bezug auf Italien und Deutschland; München (Franz) 1885. (Abhandl. der k. bayer. Akademie der Wiss. III. Cl. XVII. Bd. III. Abth.) Minus aequi et ipsi sunt in Pontifices illius aetatis.

[2]) Quatuor electores, de quorum jure non controvertebatur, erant tres Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, et Palatinus.

ut qui a majori parte electus esset rex haberetur; unde electoribus maxime cordi esse debuisset, ut ad unanimia suffragia pervenirent. Sed principes electores id non curarunt atque in suo perstiterunt sensu, neuterque ex electis alteri cessit. Ita factum est, ut eodem die uterque princeps in regem sacraretur et coronaretur. Ac Fridericus quidem coronatus est ab archiepiscopo Coloniensi, cui coronatio competebat, sed Bonnae, quod oppidum haud erat tali ritui conveniens. Aquisgrani, in civitate coronationi ex jure et consuetudine destinata, sacratus est Ludovicus, sed ab archiepiscopo Moguntino, cui coronationis jus non conveniebat. Ex hisce vides, jura utriusque principis ad regnum valde dubia fuisse, difficultatesque maximas veluti per se ex illis eventibus scaturivisse. Atque mox bellum acerrimum inter utrumque principem geri coeptum est.

Quid egerit Pontifex. 41. Jam videndum est nobis, qua ratione in hoc rerum discrimine Pontifex egerit. Quum tempore electionis S. Sedes vacaret, electores, qui Ludovicum creaverant, litteras direxerunt ad Papam futurum. *Ea propter*, scribunt, *Sanctitati vestrae tam humiliter quam devote voto unanimi supplicamus, ut ipsum electum nostrum in regem Romanorum paternis ulnis amplectentes, munus inunctionis et consecrationis ei conferendo de sacrosanctis manibus vestris sacri Imperii diadema dignemini loco et tempore favorabiliter impertiri.* Postquam igitur Joannes XXII thronum Apostolicum ascendit, mox causae isti sollicitudinem suam devovit. Facile autem vides, eum fere fuisse hoc tempore rerum statum, qualis fuit dum sub Innocentio III Philippus Suevus et Otto Guelfus de Imperio contendebant. Atque ea occasione in Decretali celebri *Venerabilem* Innocentius perspicue determinaverat principia, quibus Romani Pontificis

A Petro Moguntino ac Balduino Trevirensi Ludovicus, ab Henrico Coloniensi et Friderico comite Palatino Fridericus Austr. electus est. Jus reliquorum trium electorum Boëmi, Saxonis et Brandenburgici in controversiam vocabatur; Saxonum dux Friderico, Boëmus et Brandeburgicus Ludovico sua suffragia dederunt. Cfr. Raynald. a. 1314 n. 17 sqq.

jura quoad Imperatoris electionem statuebantur. Quum haec principia prae oculis habere multum juvet, breviter ea hoc loco recolimus.

Principia de Imperio.

1° Principibus Germaniae jus competit plane liberum electionis *regis*, atque etiam post annexam regno Germaniae dignitatem Imperii, libere rex promovendus in Imperatorem eligitur.

2° Romanus Pontifex jus habet examinandi et probandi regem electum, utrum videlicet habeat qualitates necessarias, ut sit dignus advocatus et defensor Ecclesiae. Quodsi non inveniretur dignus, vel principes deberent alium eligere in regem, vel imperialis dignitas ad alium regem deferretur, quum Ecclesia indigeat advocato et defensore.

3° In electione de qua controvertitur, Pontifici competit a) ut principes moveat ad restituendam unitatem. b) Aut voluntarie eligetur Pontifex in arbitrum, aut jure proprio et insito uni assentit; nam Ecclesia non potest diu carere advocato et defensore. Pontifex non juridice inquirit et decernit quoad factum electionis, sed de qualitatibus inquirit electorum, et praefert eum qui aptior est ad defensionem Ecclesiae. [1]) Sequitur ex his principiis etiam, a Pontifice utrumque competitorem, si indignus inveniatur, rejici posse. — Pontificem vero in examine de duobus competitoribus instituto, etiam prae oculis habere posse jura ad regnum ab utroque allata, per se dubium esse nequit.

Joannem XXII ista juris principia haud deseruisse, ex factis facile colligetur. Sed illud advertere convenit, minorem Joanni quam quondam Innocentio III fuisse auctoritatem eo ipso, quod non Romae sed Avenione residebat. Dum influxum regum Galliae Pontificis actibus subesse, principes et populi continuo suspicarentur, minori cum reverentia ea quae a S. Sede fiebant accipiebantur.

---

[1]) Cfr. Dissert. Tom. V. Dissert. XXVI. I. nn. 16 sqq.; et Hefele, C. G. B. V. §. 640.

42. Acceptis igitur Ecclesiae gubernaculis, Pontifex primas apostolicas curas componendo Romano Imperio addixit, ac postridie post coronationem suam (die 6° Sept.) ad competitores regni et principes electores dedit litteras, quibus ad pacis et concordiae foedera eos enixe monet. Quodsi principes Germaniae litem ipsi diremissent, sine dubio is, quem unanimiter agnovissent ut regem, a Joanne XXII confirmatus et in Imperatorem coronatus fuisset. Sed principes ad concordiam non pervenerunt; alii Ludovico, alii Friderico adhaeserunt, *plurimi exspectabant* (Pontificis) *confirmationem, interea neutri adhaerere volebant.*[1]) Ludovicus vero mox actibus suis jura Sedis Apostolicae laesit.

Vicariatus Roberti regis.

43. Post mortem enim Henrici VII instituerat Clemens V pro tempore *Imperii vacantis* Robertum regem Apuliae ut Vicarium Imperii in Italia. Vacare autem censebatur Imperium juxta jus publicum illorum temporum, quamdiu non existebat novus Imperator *rite ac legitime coronatus;* a fortiori igitur Imperium vacabat, duobus competitoribus de throno litigantibus. In regno quidem Germaniae vicariatus Imperii tempore vacationis a principibus gerebatur; sed quum regnum Italiae aliud esset a regno Germaniae, aliter sese res ibidem habebat. Ex jure videlicet consuetudine firmato, Romano Pontifici incumbebat, ut jurium imperialium tempore vacationis curam haberet et Vicarium Imperii constitueret. Atque ita res sapientissime ordinata erat; nemo enim melius quam Romanus Pontifex contra dynastas in Italia continuo insurgentes jura imperialia conservare poterat. Vicarius autem ab ipso constitutus, statim ac novus Imperator coronatus erat, suam deponebat dignitatem et potestatem.

Robertum a Clemente V constitutum etiam Joannes XXII confirmavit, et contra quosdam dynastas qui se ipsos Im-

[1]) Mutii Chron. Germ. L. XXIV. p. 866. — Utrum electionis decreta a duobus competitoribus Ludovico et Friderico Pontifici ad electionem confirmandam praesentata fuerint, controvertitur.* Negativam sententiam tenet Müller l. c. T. I. p. 26 sqq., affirmativam Preger l. c. p. 26 sqq., atque haec affirmativa probabilior nobis videtur.

perii Vicarios appellabant, ejus auctoritatem tuitus est. Ludovicus autem Pontificis jura inde ab initio violavit; etenim jam a. 1315 alium constituit Vicarium imperialem Italiae, videlicet Joannem de Bellomonte. Simul titulum regis Romanorum sibi vindicavit, quamvis ante diremptam litem tantum *electus rex* dici posset. Ejusmodi sane agendi ratio, qua Ludovicus illegitime Imperii jura usurpabat, Joannem merito offendit; et injuste plane hic Pontifex accusatur, ac si ipse dissidii cum Ludovico causam dedisset primam.

44. In Germania interea Ludovicus et Fridericus, cum Romano Pontifici controversiam dirimendam aequitate, ut par erat, committere detractarent, de Imperio certantes incredibili animorum ardore adversas acies commiserunt. Facta est demum a. 1322 die 28° Septembris pugna cruenta apud oppidum Mühldorf ad Oenum, ac parta a Ludovico victoria, cujus gloria Friderico et Henrico fratribus multisque aliis nobilibus captis aucta est. Fridericus mancipatus fuit arctissimae custodiae in arce cui nomen Trausnitz, ibidemque triennio detentus. Ludovicus Bavarus victor, parto de aemulo triumpho, Pontificem mox certiorem fecit. Joannes, cui Fridericus Austriacus pariter parum obsequiosum sese ostenderat, Bavaro amica et prudenti epistola respondit,[1]) qua ipsum ad clementiam in Fridericum adhibendam hortatus est, atque operam Apostolicam ad concordiam inter ipsos conciliandam obtulit. *Nos autem,* scribit, *ad tractandum et procurandum quod ad pacem et concordiam inter te et ipsum pertinent, offerimus nos paratos, super quo si nobis tua prudentia suae innotuerit beneplacitum voluntatis, ad exequendum quae ad illa opportuna viderimus absque cunctatione aliqua procedemus.* Sed Ludovicus jam sese plane ut Imperatorem gerebat, quamvis eo tempore omnibus probis persuasum esset, ante Pontificis

Lucta in Germania.

[1]) Immerito asserit Damberger V. 13. p. 590, eousque a Ludovico nihil factum esse, quod Joannes aegre ferre potuerit, atque Pontificem nihilominus *frigidissime* principi respondisse. Epistola Joannis exstat ap. Raynald. a. 1323. n. 15.

confirmationem et coronationem, dignitatem et potestatem imperialem haud possideri,[1]) atque ipse examen per Pontificem instituendum recusabat postulans, ut statim jam ut Imperator agnosceretur. Simul vero hostilem se Joanni manifeste ostendit. Quum enim Bertrandus legatus Pontificis exercitu Galeatium Vicecomitem Mediolanensem ad ditionem urbis adigeret, Ludovicus huic copias misit auxiliares, quibus conatus legati impedivit. Erant autem Vicecomites isti tum Matthaeus pater a. 1322 defunctus. tum Galeatius et Marcus Ecclesiae hostes, qui dominationem politicam titulo vicariorum imperialium usurpabant, clerum vexabant, multis criminibus se foedabant ac propterea Ecclesiae censuris constricti tenebantur.[2]) — Jam si advertis, Innocentium III olim Ottonem IV non agnovisse et coronasse, nisi quum protectionis Ecclesiae solemnia dedisset promissa, Bonifatium VIII pariter Albertum Austriacum post caesum Adolphum Nassoviensem nonnisi re mature examinata confirmasse, per se patet, Joannem XXII antiquae institisse traditioni, dum Ludovicum tantum ut *electum* regem Romanorum agnovit, et examen causae et personae instituere postulavit. Id eo magis aequum erat, quod Ludovicus arrogantia sua jura Sedis Apostolicae imprudenter pluribus laeserat. Quando vero Galeatio auxilia praestitit, vehementius Joannes offensus est. Ludovicus quidem Imperii jura se tueri velle praetendebat, sed reapse adimere satagebat Pontifici Imperii vicariatum, quem per Robertum regem is in Italia

Eventus in Italia.

1) „Tanta Romanae Sedis auctoritas et religio erat apud plerosque, ut non judicarent nec appellandum censerent Imperatorem, nisi prius unctus, coronatus et confirmatus esset." Mutii Chron. Germ. L. XXIV. p. 866.

2) V. Raynald. a. 1322. n. 5. „Concitaverant Joannem adversus Matthaeum non accepta modo, invito ipso, Insubriae praefectura, oppugnatio Genuae, Guelforum et clientum Ecclesiae depressio, verum etiam intolerabilis censurarum ecclesiasticarum contemptus. cleri oppressio, infanda populorum servitus, dira immanitas, obscuratus religionis splendor, propagatio haeresis qua etiam Matthaeum contaminatum esse non levibus argumentis ferebatur." Cfr. a. 1323. n. 25 sqq.

gerere non destitit. Hinc immerito Joannes accusatur, quod propter Galliae regis influxum, vel ex aversione quadam Ludovico favorem suum non praebuerit; quamvis certe commoratio Pontificis Avenione et Gallorum in regimine Ecclesiae praeponderantia etiam hisce in rebus difficultates augeret.

45. Quum igitur Ludovicus actibus suis Joannem multipliciter laesisset, a. 1223 lis in ipsum, qui pontificium et Roberti regis exercitum Mediolano propulsasset, suscepta, ac legibus in eum agi coeptum est. Praecipua accusationis capita haec erant, Ludovicum discordibus electum suffragiis, antequam ea controversia dirimeretur a Sede Apostolica, Imperii administrationem corripuisse: alterum vero quod maxime animum Pontificis exasperarat, tum Galeatii, quem hostem et haeresi contaminatum pronuntiarat Sedes Apostolica, tum perduellium Ferrariensium patrocinium suscepisse. Joannes promulgavit VII Id. Octob. a. 1323 sententiam, qua Ludovico sub excommunicationis poena injungit, *ut infra trium mensium spatium ab administratione, fautoria et defensione praedictis prorsus abstineat ac desistat, administrationem ipsam per se vel alium seu alios non recepturus ulterius, nisi tunc demum, cum et si electionem hujusmodi, quae de ipso dicitur celebrata, et personam ejusdem per Sedem Apostolicam approbari contigerit et admitti.*[1]) Ludovicus quum ad ipsum nuntius pervenisset de lata Pontificis sententia, legatos misit Avenionem, qui spatium ulterius duorum mensium ipsi obtinerent. Sed quum isti profecti essent, ut Avenione Ludovici causam promoverent, mox princeps hic bellum in Friderici asseclas indixit, ac Norimbergi protestationem edidit contra acta Joannis XXII. In hac protestatione negavit, Imperium vacare, et Romano Pontifici jus esse, (quod tamen Albertus Austriacus sub Bonifatio VIII admiserat), examinare electionem regis

Ludovicus in jus vocatus.

---

[1]) Rayn. a. 1323. n. 30. – Animadvertendum est, Joannem etiam *electionis* examen vindicasse sibi, „ad quem suae electionis hujusmodi... in discordia celebratae, ac personae ipsius examinatio, approbatio ac admissio, repulsio quoque ac reprobatio noscitur pertinere."

Romani ad dignitatem imperialem ei conferendam. Regnum et Imperium sibi convenire immerito contendit eo, quod a majori parte electorum creatus et Aquisgrani coronatus sit. Imo foedas movit in Pontificem accusationes, quod abusus in Ecclesia foveat, et convocationem postulat Concilii generalis. — Joannes XXII quum frustra conciliationis tentamina a Ludovico exspectasset, demum die 23° Martii a. 1324 excommunicationis sententia eum confixit. Ludovicus vero, jam circumventus a Pseudominoritis spiritualibus apud Francofurtum libellum vehementissimum edidit contra Pontificem, quo ipsum refellere studet atque etiam haeresis accusat, praecipue propter negatam Christi et Apostolorum paupertatem. Ex ipsa hujus accusationis et querelae ampla expositione manifestum est, Pseudominoritis auctoribus istum libellum confectum fuisse. Ad Concilium quoque generale ibidem Ludovicus contra Joannem appellat, et jura Imperii omnino a Pontifice violari, acerbe conqueritur.[1]) Ad principes in Joannem concitandos sparsit etiam rumorem, nil aliud Pontificem Gallum moliri, quam ut Germanis augustales eriperet apices, et Imperatoris creandi auctoritate ad se revocata, electores principes ferendi suffragii jure deturbaret. His rumoribus ne principes moverentur, Joannes litteris ad electores datis calumnias istas rejecit, ac solemniter testatus est, se per processus contra Ludovicum institutos nullatenus electorum juribus velle derogare. E re quidem vera id manifestum est, Joannem dum sibi examen dubiae electionis et electi vindicaverat, et indignos se a dignitate imperiali removere posse asserebat, principiis traditis ac jure receptis institisse. Examen a Pontifice instituendum eo magis necessarium erat, quod non raro principes electores minus secundum dignitatem personae, quam secundum munerum ac nummorum elargitionem uni prae altero suffragia sua dabant. Rerum perturbatio inde originem habebat, quod electores officio suo procurandi unanimitatem defuerant, quodque Ludovicus jura Ecclesiae aperte violarat.[2])

Ludovicus excommunicatus.

[1]) V. Balut. Vitae Pont. T. II. p. 478.
[2]) V. Raynald. a. 1324. n. 17.

46. Quum Ludovicus terminos a Pontifice sibi positos ad rem in judicio tractandam sperneret, nec legatos Avenionem mitteret, postremo Joannes die 11° Julii a. 1324 tertiam sententiam in ipsum promulgavit, qua eum omni jure ad regnum privat his verbis: *De fratrum ipsorum* (Cardinalium) *consilio memoratum electum, qui propter excessus notorios, contemptus quoque et superadditas obstinatas contumacias supradictas, tam in non comparendo sibi praefixis terminis, quam in non parendo nostris salutaribus praeceptis et monitis, . . . regno et imperio reddidit multipliciter se indignum, quique propter suam protervam ambitionem et superbam proterviam a Deo ne regnet vel imperet est abjectus, ipsumque Ludovicum ducem Bavariae omni jure, si quod sibi ex electione praedicta competere seu competiisse poterat, ac dominio privatum denuntiamus et ostendimus, nosque ipsum jure praefato sententiando privatum declaramus et privamus.* Prohibet omnibus, quominus Ludovico ut Imperatori obediant. *Et specialiter universis incolis et habitatoribus eorumdem regni et imperii Rom. inhibemus et mandamus expresse, ne eidem Ludovico super iis quae ad administrationem regni et imperii praefatorum pertinent quoquo modo assistant, pareant seu intendant, . . . ne dicto Ludovico de redditibus vel obventionibus sive juribus regalibus respondeant, vel aliam impendere sub quocumque velamine satisfactionem attentent.* Ab obligatione omni, etiam juramento firmata, quoad haec illos subditos solvit, et excommunicationis atque interdicti poenam iis qui Ludovico adhaeserint infligit. Ludovicum vero intra duodecim hebdomadas ad tribunal suum citat, et jura electorum iterum confirmat. Quum Ludovicus in hostilitate perseveraret neque citationi Pontificis deferret, mense Octobri anathematis sententia Joannes eum perculit ac fotae haereseos crimine postulavit, constituto illi ad dicendam causam die peremptorio.

Regno privatur.

47. Eo tempore inter Carolum IV Galliae regem et Leopoldum ducem Austriacum foedus constitutum est, eum in finem, ut dignitas imperialis ad Carolum deferretur. Joannes quidem consensum ejusmodi consilio praestitit,

atque ex electoribus quidam haud alieni fuerunt a tali negotio, sed ab omnibus remissius illa res pertractata est. Ludov. et Frider. reconciliati. Nimias enim adverterunt difficultates, ac brevi post quum Leopoldus praematura morte decederet (28. Febr. a. 1326), et rerum adjuncta mutarentur, ab isto proposito destiterunt. — Ludovicus autem quum interea ab adversariis suis jam vehementius angustiaretur, resque ejus in magno discrimine essent, cum Friderico sese reconciliare studuit, eumque ex captivitate dimisit. Durissimas Fridericus iniit conditiones. Inter alia videlicet Imperio renuntiare coactus est ac promittere, bello se destiturum et omnibus viribus adlaboraturum esse etiam *contra eum qui se Papam appellabat*, ut ab electoribus et fratre suo Leopoldo agnosceretur Imperator. Joannes XXII et Leopoldus conditiones istas rejecerunt, quumque Fridericus promisisset se in captivitatem esse reversurum, si adversarios Ludovico conciliare non posset, id Joannes ipsi prohibuit, pristina vero jura quae ex electione ad regnum habebat ei restituit.[1]) Qua in re certe Pontifex auctoritate sua Apostolica rite usus est, quum judicaret, ejusmodi reditum Ecclesiae et Imperio fore perniciosum. Nihilominus Fridericus Ludovico adhaesit, et exinde sese penitus reconciliarunt.

48. Mense Septembri a. 1325 scilicet paratum se declaravit Ludovicus ad regis nomen ac potestatem cum Friderico communicanda, ita ut simul regnarent. Sed principes electores declararunt, *utrumque omne jus ad Imperium amisisse.* Paulo post die 7° Januarii a. 1326 Ludovicus Ulmae se exhibuit paratum, ut Friderico cederet regnum Germaniae sibique Italiam cum corona imperiali retineret, sed ejusmodi rerum dispositioni nec principes nec Pontifex acquieverunt. Nonnulli etiam ex Germanis diuturnae pertaesi discordiae, missis oratoribus ad Avenionensem aulam, flagitarunt, ut Joannes confirmaret electionem Friderici. Respondit Pontifex se mirari, quod ejusmodi confirmatio postuletur, *decreto electionis non oblato, nec dato*

[1]) Raynald. a. 1325. n. 2.

informatione alia super ea,[1]) atque declaravit, *quod super ipso negotio parati sumus prompte et expedite cum fratrum nostrorum consilio, sicut et requirit negotii qualitas, justitiam exhibere et adhuc gratiose et favorabiliter, quantum sine Dei offensa suaeque sanctae Ecclesiae praejudicio ac injuria principum, ad quos electio regis Romanorum promovendi in Imperatorem pertinere noscitur, poterit fieri, cum hoc opportune postulatum fuerit, nos habere.*[2]) In his nihil invenias quo Joannes juris normam violaverit. Pontificiam autem dignitatem et auctoritatem tam parum utrique electi reveriti erant, ut inde Joannes sollicitus esse deberet, ne jura Sedis Apostolicae plane despicerentur. Nec enim adsunt argumenta, quibus probetur, praedilectionem Joannis erga Gallos obstitisse reconciliationi, quamvis certe haec facilior fuisset, si Pontifex antiquam Romae commorationem servasset.

Ludovici gesta contra Pontificem.

49. Inde ab a. 1327 vehementissimo modo Ludovicus pugnam contra Joannem XXII prosecutus est, ita ut omnis reconciliationis spes evanesceret. Pseudominoritas aliosque adversarios Pontificis, uti jam diximus, intimo sibi nexu conjunxit, eorum opera usus est, ut verbo et scriptis Joannem debellarent, et eorum haereses protexit. A Gibellinis in Italiam vocatus eo profectus est, ac primum Tridenti mense Februario conciliabulum habuit schismaticorum et impiorum, qui in eum proruperunt furorem, ut supremum in terris Christianorum caput anathematis notarent infamia sub nomine *presbyteri Joannis*. Dein Mediolani a duobus praelatis depositis Ludovicus rex Italiae coronatus est. Romae per Sciarram Colonna et plebem

---

[1]) Videntur haec verba ostendere, a Friderico electionis decretum nunquam Joanni XXII oblatum fuisse. Cfr. Müller l. c. I. 29. Advertit tamen haud incongrue cl. Preger, agi hic de praesentatione nova, quae fieri debuisset. Etenim per conventionem quam cum Ludovico inierat Fridericus quum ex custodia dimitteretur, ex jure priora documenta irrita reddebantur, ac nova ad processum prosequendum requirebatur oblatio. Cfr. Preger l. c. p. 28.

[2]) Epist. ad Joan. Episc. Argentin. d. d. Non. Sept. a X apud Raynald. a. 1325. n. 5.

amice receptus, et a. 1328 die 18° Januarii per episcopum apostatam in Imperatorem sacratus fuit. Exinde titulum Imperatoris sibi vindicavit, et regnum Apuliae sibi subjicere studuit. Joannes vero XXII mense Aprili atque iterum mense Octobri a. 1327 exultantem secundis rebus Ludovicum excommunicationis sententia perculit, atque omnibus honoribus, dignitatibus, juribus, feudis ipsoque Bavariae principatu privatum declaravit et privavit. Ludovicus ausus suos nefarios prosequens die 18° Aprilis 1328 solemni spectaculo et imperiali indutus ornatu, ante basilicam s. Petri Joannem declaravit haereticum, multorum criminum accusavit et depositum eum esse denuntiavit. Mox vero festo Ascensionis Domini annuente plebe diffamatum et schismaticum Minoritam, Petrum a Corbaria (Corvaria) constituit antipapam sub nomine Nicolai V. Hunc episcopus quidam schismaticus consecravit, Ludovicus vero coronavit, ac vicissim ab eo iterum Imperator coronatus est. Sic schisma a Ludovico consummatum fuit; at brevi versa est bona ejus fortuna. Jam mense Augusto a. 1328 Roma discedere coactus est, et infelici successu adversarios in Italia debellavit; mox vero Friderico mortuo, a. 1330 in Germaniam remeare constituit.

Petrus de Corbaria antipapa

50. Ibidem initio quidem externe pugnam contra Joannem prosequi visus est, sed interea jam mense Majo per aliquot principes reconciliationem cum Sede Apostolica inire studuit. Sese paratum exhibuit, ut suum derelinqueret pseudopontificem, ab appellatione ad Concilium generale desisteret, quaecumque contra Ecclesiam fecerat revocaret, et agnosceret, juste se esse excommunicatum; postulavit tamen, ut in Imperio confirmaretur. Sed quum antipapa ille seipsum jam poenitens Joanni tradidisset, ac schisma hac ratione per se concidisset, nihil vero quoad Pseudominoritas haereticos quibus junctus erat Ludovicus promisisset, visum non est Pontifici, principi tamdiu hostili, ac viro parum digno, Imperium confirmandum esse. Joannes videlicet, juris consultus peritissimus, principia juris severe sequebatur, ac propterea subjectionem omnimodam Ludovici necessariam esse judicavit. Decla-

ravit igitur, quum Ludovicus haeresim protegeret, nec satisfactionem aliquam praestitisset, conciliationem cum ipso iniri non posse, novamque regis electionem requiri. Cum tanta ac talia crimina ipse in Ecclesiam catholicam et Sedem Apostolicam nefario ausu commisisset, ut poenitentiam suam veram ostenderet, necessarium videbatur renuntiare imperiali dignitati, quam contra omnia pontificia decreta et cuncta juris principia conservabat. Tandem Ludovicus quum Ecclesiae gratiam adipisci ac fidelium communitati restitui desperaret, nisi jactura correpti Imperii praeterita facinora expiaret, jam de Imperii renuntiatione cogitavit, ac Pontificem hac de re certiorem reddidit. Sumptam autem eam concordiae rationem refert cum aliis Ptolomaeus Lucensis, ut Ludovicus cederet Imperio, quod in Henricum alterum Bavariae ducem sanguine illi conjunctissimum transferendum foret, ut imperialis honos in praeclarissima stirpe Bavara retineretur.[1]) Sed displicuit ista rerum dispositio regibus Hungariae et Apuliae ac Germaniae civitatibus, traditque Albertus Argentinus, etiam ipsum Ludovicum iterum mutasse mentem suam, quum audiret, Bohemum et Henricum jactasse, invitum Ludovicum in ordinem se redacturos esse. Negotia igitur protracta sunt, donec Joannes XXII, nonagesimum jam gerens vitae annum, ex hoc saeculo discedens a. 1334 die 4° Decembris in pace quievit. — Quodsi ratio agendi Joannis in lite cum Ludovico Bavaro perpenditur, dici quidem potest, uti jam advertimus, commorationem Pontificis in Gallia difficiliorem reddidisse reconciliationem, ac Pontificem stricta juris principia esse secutum; nihil tamen invenitur unde ipse merito accusari possit, quod pacem cum Ludovico inire noluerit, vel idonea media neglexerit.

Negotiatio de pace.

51. Hoc loco opportunum erit advertere, in diuturna illa lucta inter Ludovicum Bavarum et summos Pontifices, maximum influxum habuisse diversa principia ac theorias de indole Imperii ejusque habitu ad Ecclesiam Sedemque

---

[1]) Rayn. a. 1334. n. 23.

Apostolicam. Quumque apud eos qui Ludovici partes tuebantur et sequebantur principia et doctrinae praevalerent falsa, inde maxime reconciliatio cum Ecclesia impedita fuit. Vidimus quidem, jam passim, uti sub Ottonibus et temporibus Friderici I ac Friderici II, falsa principia de Imperii indole sparsa fuisse, sed minori successu, quum Romani Pontifices non cunctarentur veram notionem Imperii ejusque ad Sedem Apostolicam habitum asserere, quumque praecipue Innocentius III variis Decretalibus solida principia clare proposuisset. Attamen aetate Ludovici Bavari theoriae falsae magis propagatae fuere, variisque operibus ac scriptis expositae ac vindicatae. Unde de ejusmodi theoriis juvabit aliquanto fusius agere.

Dantis *De Monarchia* opus.

52. Atque imprimis mentionem faciamus theoriae de Imperio, quam Dantes Alighierus in suo *de Monarchia* opere evolvit; haec enim in Italia apud Gibellinos valde accepta fuit, multosque etiam in aliis regnis nacta est asseclas. Aegerrime ferebat Dantes miserum statum Italiae, quae factionibus variis multipliciter dilacerata erat, summumque unitatis remedium ipsi visa est Monarchia universalis Imperii. Ea de re suum tractatum *de Monarchia* composuit, quem obtulit Henrico VII Imperatori, quum is a. 1312 in Italiam veniret. Sed principia sua de Imperio non secundum historicam constitutionem Imperii Romani a Leone III suscitati conformavit, at modo quodam ideali, ne dicam imaginario, quo vera et falsa incongrue ipse miscebat. Tribus igitur suae *Monarchiae* libris primum agit de necessitate monarchiae universim; dein ostendere conatur, Romam divinitus destinatam esse, ut sit universalis monarchiae centrum ac sedes; demum vero, imperialem potestatem universalem immediate a Deo esse atque conferri. Imperator porro, seu Monarcha Romanus, secundum auctorem de jure Monarcha mundi est, adeoque universale habet Imperium. Identicum vero ipsi est antiquum Imperium Romanum Augusti et Trajani cum novo Imperio christiano. Romana urbs autem est feudum imperiale, et Pontifex, qui ex donatione Constantini principatum civilem habet, est vasallus Imperatoris, et universim huic in rebus

politicis et temporalibus subordinatur. Sed Imperator subordinatus est Pontifici ut Ecclesiae capiti in rebus spiritualibus, ac generatim maxime revereri debet Pontificem ut filius patrem etiam in sua rerum administratione. *Illa igitur reverentia,* inquit, *Caesar utatur ad Petrum, qua primogenitus filius debet uti ad patrem, ut luce paternae gratiae illustratus virtuosius orbem terrae irradiet.*[1]) Etsi vero Dantes, inculcata ejusmodi reverentia mitiget et emulciat doctrinam suam, cum ea tamen vera potestas indirecta Romani Pontificis in temporalia consistere nequit.[2]) Caeterum theoriis suis, quae ad systema cujusdam coordinationis utriusque potestatis spiritualis et temporalis reduci possint, ipse Aligherius certe nullam oppositionem contra Pontificem intendebat.

53. Doctrinae istae de indole ac dignitate Imperii et de ejus independentia a Romano Pontifice Gibellinis in Italia valde acceptae fuerunt, et tempore litis Ludovici Bavari cum Joanne XXII etiam in aliis regionibus se propagarunt, magisque evolutae sunt. Ludovicus et ejus asseclae, scriptoresque qui ejus causam defenderunt passim statuebant, electione in regem Germaniae electum tum illud regnum tum Imperium acquirere, nec Pontificis confirmationem requiri, ut quis Imperio potiatur. Romae vero plebis multitudo in coronatione Ludovici visa est autumare, voluntate populi Romani constitui Imperatorem. Scriptorum quidem aliqui, uti Lupoldus Babenbergensis, dum Ludovici causam tuebantur, moderatione quadam usi sunt, sed plerique omnes excessere limites, et Pontificum Ecclesiaeque auctoritatem ausu pessimo impugnaverunt. Ita auctores *Defensoris pacis,* Occam pariter aliique Pseudominoritae, **Theoriae falsae.**

---

[1]) L. III. §. 15.

[2]) Advertit ad textum citatum *Monarchiae* Friedberg De finium inter Eccles. et civitatum regendorum judicio §. 4. p. 61: „Minime hac in re discrepans a Bellarmino, qui nisi hanc reverentiam Papae vindicans, tamen omnibus illum imperare praedicat.“ Sed certe Bellarminus talem auctoritatem et talia jura Pontifici vindicat, quae in systemate Dantis non inveniuntur.

uti vidimus (n. 37), eo progressi sunt, ut de Ecclesiae constitutione doctrinas perniciosas proponerent, Romanumque Pontificem penitus subjicerent Imperatori, ita ut ad hunc spectaret creatio ejus et depositio. Simul vero Pseudominoritae Joannem XXII ob ejus Constitutiones de paupertate, haeresis accusarunt.

54. Quum igitur principia falsa ac theoriae erroneae plurimis inhaererent, ac non pauci etiam Joannem XXII audacter impugnarent, Ludovicus vero hisce favorem suum praestaret, mirum non est, summa fuisse pacis obstacula.
Defensores Pontificis. Joannes XXII principiis veris de indole Imperii, quae jam in Jure canonico variis Decretalibus sancita erant, instabat, quumque legum peritissimus esset stricta etiam consequentia jura sua et auctoritatem vindicabat. Eadem principia ejus successores secuti sunt. Varii quoque scriptores ea aetate Romanorum Pontificum auctoritatem eorumque jura quoad Imperium exposuerunt et tuiti sunt, uti Alexander de s. Elpidio O. s. Aug., Petrus de Palude O. s. Dom., Alvarus Pelagius Minorita, Augustinus Triumphus O. s. Aug. Acriter quidem et instantius hi auctores passim jura R. Pontificis in conferendo Imperio vindicant, et subordinationem Imperatoris sub Pontifice urgent; universim tamen recte de habitu Imperii ad Ecclesiam statuunt.[1])

---

[1]) Negabant Ludovici asseclae, Pontifici ab Imperatori praestandum esse juramentum *fidelitatis*, etsi fidelitatem ab hominio vasalli distinguerent. Ejusmodi juramentum fidelitatis Pontifici deberi, scriptores illi qui jura Sedis Apostolici tuebantur merito contendebant. Tantum Pelagius Alvarus aliquando progredi videtur ulterius, dum De planctu Eccl. L. I. c. 57 juramentum fidelitatis et homagii commemorat. Jam passim diximus, juramentum fidelitatis semper praestitum fuisse ab Imperatoribus, nec Rom. Pontifices inde uti vasallos suos Imperatores considerasse. Id satis patuit in controversia Friderici I cum Hadriano IV. — Advertimus, quum Lotharius II in subscriptione picturae *homo* Papae vocetur (post *homo* fit Papae), videri ad homagium respici praestitum ob allodia Mathildis ipsi in feudum concessa. (Cfr. Dissert. XXIII. 82.) Potest tamen etiam optime vox intelligi sensu non proprio vasalli, sed analogia quadam ob juramentum fidelitatis Pontifici

55. Non minimi momenti sane in hoc conflictu etiam fuerunt regum Galliae aliorumque principum nisus. Hi enim propriis commodis inhiantes, jam per se imperiali dignitati et auctoritati Ludovici parum favebant; quum vero Ludovicus Ecclesiae jura imprudenter et proterve laederet schismaticosque protegeret, fieri non potuit, quin Romani Pontifices in sua ratione agendi saepe ad illos principes eorumque vota attendere deberent. Non est, cur **Robertus rex Apuliae.** de tendentiis regum Galliae Ludovico adversantibus hic plura dicamus; sed pauca advertere juvabit de Roberto Apuliae rege, qui in res politicas illius aetatis non modicum influxum exercuit. Robertus, qui in Italia praepotens erat et inter Guelfos eminebat, laudem habebat fortitudinis bellicae ac prudentiae, variis excellebat virtutibus, Ecclesiae erat addictus, et ipse uti conjux ejus Sancia Ordinis s. Francisci fautor et protector insignis. De ipso Petrarcha, etsi nimio forte encomio: *Ego*, scribit, *fidentissime* (aio), *quis in Italia, imo vero quis in Europa clarior Roberto? In quo saepe cogitans soleo non tam diadema quam mores, non tam regnum quam animum admirari. . . . Robertus vere inclytus et vere rex est, qui quam sit imperiosus in se ipsum, exempla inaudita patientiae et moderationis indicant.*[1]) *Plato alter ingenio fuit, et regum nulli aut sapientia secundus aut gloria.*[2]) Joanni XXII Robertus jam ex eo tempore quo ille Neapoli degerat, valde familiaris fuit et amicitia devinctus.

56. Jam Clemens V, uti diximus, quum Imperium vacasset, Robertum vicarium Imperii in Italia creaverat,

---

praestitum. Contextui id revera magis congruit. V. Hergenröther, Kirche und Staat, IV. n. 30.

[1]) Familiar. L. IV. ep. II.

[2]) Ibid. L. V. ep. I. — De ipso etiam cl. Balan, Storia d'Ital. L. XXXI. n. XX. „Grande sventura fù per l'Italia la morte di re Roberto di Napoli chi ottuagenario spirò nel di 19 di Gennajo del 1343; principe reputato il pio savio dei suoi tempi conescentissimo di lettere, pio, religioso, il migliore di sua stirpe, che non fù abbatuto mai dalla avversa fortuna; gran re che maggiore parve per le sventure che seguirono ne' suoi eredi e per i vizi onde bruttaronsi."

et hunc vicariatum, donec ex duobus cempetitoribus in Imperatorem quis confirmatus esset, Joannes XXII Roberto confirmavit. Mirum profecto non est, Pontifices illud munus Roberto contulisse ejusque opera usos esse, ut res in Italia ordinarent, jura sua tuerentur, et Ecclesiae protectioni providerent. Sane vix alius in Italia inveniri poterat, qui efficaci modo ordini provideret, et ausus Gibellinorum, qui Pontificum juribus infesti erant, compesceret. Ac munere suo revera Robertus bene functus est. — Sed simul hic maxime eo tendebat, ut suam in Italia potestatem firmaret et amplificaret, utque, si fieri posset, rex Italiae ipse constitueretur. Connexionem Italiae cum Imperio considerabat uti huic regno nocivam, neque hujus connexionis censebat esse jus quoddam irrefragabile, sed auctoritate Pontificis nexum dissolvi posse; conatusque quosdam adhibuit, ut ad solvendam hanc connexionem Pontifices adduceret. Jam tempore Clementis V et Henrici VII *Instructionem* ea de re misit ad legatos suos in curia pontificia degentes. In hoc documento exponitur, ex Imperii constitutione frequenter magna mala tum Italiae tum Pontificibus et Ecclesiae provenisse, modo totam istam institutionem degenerasse, ac praesertim Italiae esse nocivam, eo vel magis, quod Germanorum indoles barbara parum Italis cultioribus conveniat.[1]) Hinc petit, ut Pontifex electionem regis in Germania impediat, vel saltem coronam Imperii ipsi non concedat, ut Italia ab ejusmodi nexu solvatur. Censet Pontifices, uti constituerant Imperium, ita etiam auctoritate sua statum rerum posse immutare. — Eadem fere in alia *Instructione* continentur, quae versus finem pontificatus Joannis XXII c. a. 1334 a Guelfis Italiae suis nuntiis Avenione degentibus transmissa fuit.[2])

Roberti tendentiae.

---

[1]) Imperatores, ait, „de lingua Germana, quae consuevit producere gentem acerbam et intractabilem quae magis adhaeret barbaricae feritati, quam christianae professioni, . . . cum Italicis non conveniunt"

[2]) Documenta haec publicata fuere hisce annis ap. Bonaini. Acta Henrici VII; I. 232. Florentiae 1877.

57. Hisce documentis valde affinis est Bulla quaedam Joanni XXII adscripta *Ne praetereat,* qua a Pontifice revera Italia a regno et imperio Germaniae separatur. Proponuntur primo in eadem motiva ejusmodi decreti, deprompta ex malis quae variis temporibus ex Imperio provenerint, et recensita ad verbum fere uti in *Instructionibus* jam citatis enumerantur. Dein vero Pontifex decretum suum hisce verbis enuntiat: *Quia igitur ipsa causa institutionis et conservationis Imperii cessavit et desiit, quin potius, ut declarat eventus, in oppositum se convertit, Nos, ad quem speciali praerogativâ pertinet et praeeminentiâ potestatis, evellere atque destruere, plantare et aedificare, dividere ac unire, de omnipotentia summi Patris, et apostolorum ejus Petri et Pauli spe certa confisi, eorumque muniti suffragio, de fratrum nostrorum consilio, assensu perpensa deliberatione firmato, ex praemissis rationabilibus causis et aliis, quas praesentibus inseri mater oblivionis prolixitas non suasit, provinciam Italiae ab eodem imperio et regno Alemanniae totaliter eximentes ipsam ab subjectione, communitate et jurisdictione eorumdem regni et imperii separamus, dividimus, per partes scindimus, ac de potestatis nostrae plenitudine liberamus decernentes, ut nullo unquam tempore conjungantur et uniantur, aut in uno corpore existere censeantur, ex eo praecipue, quod earum provinciarum longa diffusaque protentio sic confundit et impedit unius regnantis jurisdictionis et gubernationis effectum, quod ipsarum cura perplexe negligitur, et dum imperantis animus ad multa dividitur, ad singula per consequens minoratur, de regimine et gubernatione, cum providentia regis aeterni et eorumdem fratrum nostrorum consilio et deliberatione solemni cautius provisuri, ac declarantes regnum praedictum Alemanniae a regno Franciae claris distingui terminis et notis finibus limitari distinctis, per nos de ipsorum fratrum consilio, paterno more, provide distinguendis.*[1])

Decretum Bullae.

---

[1]) V. W. Felten, Die Bulle *Ne pretereat* und die Reconciliations-Verhandlungen Ludwigs des Bayers mit dem Papste Johann XXII. I Theil. p. 63 sqq. Trier, 1885.

An Constitutio genuina.

58. Hujus Bullae, Joanni XXII adscriptae, exemplar aliquod originale hucusque non inventum est. Sententiae verba ex codice chronici Nicolai Minoritae primum publicavit Balutius,[1]) addens, sibi hanc Constitutionem falsam et suppositam videri, uti et aliae Joannis XXII et Clementis VI litterae illa aetate suppositae fuerint. Textum Constitutionis integrum (sed mendosum), sine initio tamen et fine, primum ex aliquo apographo Vaticanae bibliothecae c. a. 1815 publicavit Daunou;[2]) dein etiam Florentiae in Bibliotheca nationali (Magliabecchiana) codex cum apographo simili ejusdem Constitutionis inventus fuit, ex quo cl. Höfler et post ipsum alii eam vulgaverunt. — In paucis documentis illius aetatis ab adversariis Joannis confectis, mentio quaedam fit ejusmodi decreti Pontificis, modo tamen incerto, *(audivimus, dicitur,)* et Albericus de Rosato (c. a. 1350) jurisconsultus, in suo Dictionario juris bis talem Bullam, (sub v. Papa et sub v. Italia), commemorat.[3]) Scriptores plerique Constitutionem hanc habuerunt ut dubiam vel certo supposititiam; aliqui auctores gravissimi, uti Hefele et Hergenröther, ne mentionem quidem ejus fecerunt. Sed nostro tempore plures viri eruditi, qui ex professo de Ludovico Bavaro ejusque lucta cum Pontificibus tractarunt, uti cl. Riezler, Müller, Preger (ll. cc.), authentiam hujus Bullae vindicare conati sunt. Eam porro habent ut documentum insigne ex quo pateat, animo amaro et infenso in Ludovicum Imperiumque et regnum Germaniae Joannem egisse, eamque sibi tribuisse auctoritatem illimitatam, qua vel Imperium ipsum aboleret. Ex hac porro Constitutione et anteriores tendentias politicas Joannis XXII maxime illustrari censent. In iis tamen dijudicandis non conveniunt. Dum enim Riezler et Müller statuunt, Joannem dependentia continua a regibus Galliae et a rege Roberto detentum, sub horum influxu et pr

---

[1]) Vitae Pont. Aven. I. c. 704.

[2]) Essai sur la puissance des Papes et sur l'abus qu'ils ont fait de leur ministère spirituel. Ed. 4. vol. 2. p. 132. Paris 1818.

[3]) V. Felten l. c. p. 4. 5.

eorum commodo egisse, Preger evincere conatur, magna cum independentia Joannem egisse, illis regibus eum non cessisse, sed potius iis usum esse veluti instrumentis ut attingeret scopum sibi propositum.[1])

59. Quodsi Joanni XXII persuasum fuisset, Imperium eo tempore adeo degenerasse, ut ex ipso magna mala societati et Ecclesiae provenirent, ac si ipse propterea ejusmodi Bulla statum rerum voluisset immutare: gravia adduci possent motiva, cur Pontifices, a quibus Imperii Romani christiani suscitatio orta erat, auctoritate eis insita de Imperio ejusque relatione ad alia regna quaedam ordinare possent.[2]) Sed non est, cur ea de quaestione hoc loco agamus. Etenim censemus, Joannem XXII nullatenus in animo habuisse ita rerum conditionem immutare, Constitutionem autem *Ne praetereat* ab ipso nec factam nec editam fuisse, sed documentum esse supposititium. Gravibus argumentis id nuperrime, libello jam citato, probavit Felten; longum autem foret, argumenta haec per singula evolvere. Gesta Joannis per totum pontificatum suum nihil prae se ferunt, ex quo inferatur eum voluisse relationes Italiam inter et Imperium solvere, sed satis ostendunt, eum voluisse servare rerum statum uti jam ex diuturno tempore subsistebat. Nec in Decretalibus nec in aliis documentis pontificatus Joannis de illa Bulla agitur vel quid innuitur; sane nunquam ejusmodi Constitutio publicata fuit, eamque nec reges Galliae, nec Ludovicus principesve Germaniae viderunt vel cognoverunt. Tantum modo vago Minoritae aliqui apostatae ejus mentionem faciunt. **Joannis XXII tendentiae.**

60. Porro maxima istius Constitutionis pars praesertim ex *Instructione* illa Roberti regis jam commemorata manifeste ad verbum fere compilata est, et altera *Instructio Guelforum* est plane ejusdem tenoris. Omnibus igitur perpensis merito

[1]) Cfr. Preger l. c. p. 70.

[2]) Cl. Balan, Istor. d'Ital. L. XXX. n. V innuit, varias Roberti regis querelas de Imperio ac de tristi statu Italiae justas fuisse. Attamen multa in ejus *Instructione* exaggerata et minus fundata esse censemus.

Origo Constitutionis.

conjicitur, Bullam in cancellaria Roberti regis confectam fuisse, ad instar Instructionis illius prioris jam dictae, quantum videtur primis annis pontificatus Joannis XXII. Certe eam valde dissimilem esse stylo et forma ab aliis Joannis XXII Decretalibus, omnes fatentur, nec generatim Pontificibus in usu fuit, ut suas Bullas ex aliorum documentis consarcirent. Scopus compositionis in cancellaria Roberti esse potuit, ut occasione data suggereretur tanquam schema decreti pontificii, quod sane Roberti desideriis convenisset. Quod vero Minoritae in Bavaria aliquid de ejusmodi documento audierint vel noverint, mirum non est. Etenim Robertus rex, uti et Sancia regina, Minoritis erant addicti et valde familiares, ac tertio ordini s. Francisci adscripti. Multum illorum opera et consilio utebantur, atque etiam Michaëlem Caesenatem diu tuiti sunt, donec is in apertam rebellionem prorumperet. Potuerunt igitur Minoritae schismatici facile documenti illius notitiam habere, ac vel mala fide, vel suspicionibus rumoribusve inhaerentes rem exhibere, ac si ejusmodi decretum Joannes XXII tulisset. Inde vero ad alios quoque scriptores quaedam notitia pervenit. — Haec igitur de supposita illa Joannis Constitutione sufficiant.

61. Benedictus XII successor Joannis XXII mitis erat corde, voluntate optimus et ad reconciliationem cum Ludovico pronus, ita ut ipse Bavaro nuntiaret, se ad pacem ineundam paratum esse. Ludovicus pariter sese Ecclesiae reconciliare exoptabat, moxque inter ipsum et Pontificem hac de re missis Avenionem nuntiis tractatum est. Negotium tamen etiam sub hoc Pontifice felicem exitum non habuit, atque ipse Benedictus XII a variis auctoribus acrius reprehenditur, quod non satis animi firmitatem et apostolicum vigorem prae se tulerit, sed metu quodam ac favore regis Galliae Philippi, reconciliationem Ludovici haud perfecerit. Attamen judicio assentimus Raynaldi,[1] potissimam causam, cur negotium illud pacis non successerit, fuisse Bavari inconstantiam; in retardando autem

[1]) Raynald. a. 1335. n. 5.

ejusmodi tractatus Philippum aliosque principes culpa non expertes fuisse. Si vero in Benedicto vigor desideratur aliquando major ad rem illam perficiendam, id partim characteri et indoli hujus Pontificis in negotiis publicis gerendis minus forte versati, partim difficilibus adscribendum est rerum adjunctis, quae certe ex commoratione ejus in Gallia sequebantur. Si videlicet Romae resedisset, majori cum auctoritate procedere, minusque omnibus Philippi expostulationibus deferre potuisset. Caeterum ut admittamus sententiam eorum, qui censent, Benedictum tantopere a rege Galliae dependisse, ut *ex timore* ejus ausus non fuerit pacem cum Ludovico inire, argumenta sufficientia non invenimus.

Conatus reconciliationis.

62. Quum Benedictus primum solus cum Ludovico de pace ineunda tractasset, mox uti rumor percrebuit, varii reges et principes, ut Carolus Hungariae, Casimirus Poloniae, Joannes Bohemiae reges, Henricus Bavariae dux, et praecipue Robertus Apuliae et Philippus Galliae reges difficultates et obstacula moverunt. Rationem autem quamdam sese immiscendi illi negotio inde isti principes depromere poterant, quod Ludovicus tot criminum reus haud videbatur ipsis ut Imperator praeponendus,[1] quodque in reconciliatione ista rebus suis non satis prospici metuerent. Sic praecipue Philippus praeseferebat timorem, ne Bavarus reconciliatus se Anglis jungeret ad bellum Galliae inferendum. Aequum igitur visum est Benedicto, ut in negotio illo tractando quasdam partes Philippo concederet, et ipsius securitati et commodo provideret. Facile autem intelliges, illum regem, uti fieri solet, maxime in ista re suas utilitates spectasse. — Negotium igitur ex hac immixtione principum, primum novas quasdam ac varias difficultates habuit. Quum nuntii Ludovici necessarias facultates ad omnes conditiones ineundas haud haberent,

[1]) „Rex Franciae et rex Siciliae omnes quasi Cardinales a propo- averterant praeconcepto, . . . proponentes, erroneum esse tantum haeresiarcham praeponere dominis eorum Ecclesiae fidelissimis, Papam cavere debere, ne fautor haereticorum diceretur.“ Albert. Argen- ap. Raynald. a. 1335. n. 6.

mense Octobri a. 1335 in Germaniam redierunt, versus Quadragesimam a. 1336 reversuri ad rem componendam. Sed etiam tunc nova obstacula orta sunt, praecipue ex eo, quod rumor percrebuisset, Ludovicum cum Eduardo Anglo tractare de foedere ineundo contra Philippum VI.[1]) Rumores tamen isti non plane fundati fuisse videntur. Altero anno 1337 iterum actum est de reconciliatione Ludovici. Quum Philippus precibus vexaret Pontificem ne Bavarum sibi suspectum in gratiam admitteret, Benedictus epistola data II Non. April. regis postulata repulit, ac regi causas ob quas retardanda res non esset exposuit.[2]) Sed brevi post interruptum fuit negotium, novaque causae prorogatio usque ad Calendas Octobris statuta. Obscurum est, unde difficultates provenerint; auctores generatim referunt, Benedictum cessisse influxui Philippi, ac propterea nuntiasse legatis Ludovici, ipsum absolvi nondum posse, eo quod poenitentiam haud ostendat.[3]) Commemoratur tamen in litteris Benedicti ad Ludovicum d. d. XIII Cal. August. 1337, ex petitione nuntiorum prorogationem factam esse ipsique Pontifici interruptionem displicuisse. *Ad quorum nuntiorum instantiam, non absque displicentia nostra, quum nobis super reconciliatione praedicta coepti negotii interpellatio displiceret, et ipsius continuatio grata esset, prout tibi referre dicti nuntii debuerunt, usque ad proximas Kal. futuri mensis Octobris pro resumenda prosecutione reconciliationis praefatae*

Cessatus reconciliationis.

---

[1]) V. epist. Benedicti ap. Raynald. a. 1336. n. 29. — Quum a 1328 ultimus Philippi Pulchri filius Carolus IV obiisset, nec ex linea directa Capetingorum virilis superesset posteritas, mulieres autem juxta legem Salicam a successione excluderentur, thronum Galliae ascendit Philippus VI, filius Caroli Valesii fratris Philippi Pulchri. Sed Isabella filia Philippi Pulchri, jura ad thronum praetendit esse filio suo Eduardo III regi Angliae. Ex illo tempore inter Gallos et Anglos continua fuit simultas.

[2]) V. Raynald. a. 1337. n. 2.

[3]) Cfr. Hefele T. VI. §. 706. — Damberger T. XIV. p. 409. — Auctor tertiae Vitae Benedicti XII scribit: „III Idus Aprilis respondit praedictis nuntiis, quod dominus eorum non esset poenitens, et idcirco ad praesens ipsum non posse absolvi.“ Ap. Balut. Vit. Pont. T. I. p. 225.

terminum duximus prorogandum, . . . sperantes, quod tu de intentione nostra sincera et mente benevola informatus, . . . super reconciliatione praedicta procederes usque ad consummationem. Ex his litteris inferre licebit, obstacula quaedam occurrisse in negotio circa conditiones reconciliationis, ac nuntios propterea prorogationem postulasse; potuisse autem Ludovicum rem ad felicem finem perducere. Propterea quae passim referuntur, v. g. quod Benedictus cum lacrymis nuntiis dixerit, se propter regem Francorum absolutionem Ludovico impertiri non posse, fabulis adscribenda sunt.

63. Mox autem Ludovicus inconstans animo spem omnem reconciliationis abrupit. Contra promissa enim nomen Imperatoris iterum usurpavit, foedus contra Philippum iniit cum Eduardo, imo tunc Imperii vicarium in Germania inferiori constituit, ac generatim, ut antea, infelici progressus est via. Referunt, id eum fecisse, quoniam taedebat ipsum protracti continuo reconciliationis negotii, sed inde sane nulla excusatio solida peti potest; si vero Benedictus aliquid forte detulit desideriis Philippi, gravis tamen accusatio in eum ferri nequit. — Venerunt quidem etiam a. 1338 nuntii ex Germania ad aulam Avenionensem, ut causam Ludovici tractarent, sed ad speciem potius et fucum faciendum, quam ut serio negotium pacis perficerent. Obstacula vero reconciliationis variis eventibus quam maxime aucta sunt. Mense Julio videlicet septem viri electores, excepto Joanne Bohemo, conventum Rhensis habuerunt, ibique urgente Ludovico, documento edito declaraverunt, eum qui a majore electorum parte fuerit electus, habendum esse ut regem Romanum legitimum. Hac ratione obligationem electionis unanimis sustulerunt, et minorem partem, ut se majori subjiceret, adstrinxerunt; simul etiam, quum *legitimum* regem dicerent ante Pontificis confirmationem, hanc veluti supervacaneam seposuerunt. Jam vero electus, quia postea promovendus erat in Imperatorem ex principiis juris in Decretali *Venerabilem* constitutis, et ex longa consuetudine, rex legitimus non habebatur ante examen et confirmationem Pontificis, qui eo

Effectu frustrantur.

ipso quod agnoscebat electum ut regem, jus ei faciebat ad coronam et potestatem imperialem. Jura Pontificis igitur electores in ista declaratione non satis consideraverunt, statumque rerum vigentem praepropere mutarunt. Multo minus autem poterant ejusmodi suo decreto tribuere, quod nihilominus intendere videbantur, vim retroactivam in favorem Ludovici censuris Pontificis constricti. Id postea agnoverunt, quum Ludovicum ut legitimum regem non considerantes, hortante Pontifice alium elegerunt. Praeterea vero ista omnia a promissionibus et supplicationibus Ludovici multum distabant.

Ludovici protervia. 64. Sed Ludovicus ipse paulo post, die 8° Augusti, in pejora ruens Constitutione edita declaravit, *potestatem imperialem* (qualis tunc erat) *immediate a Deo esse, et Imperatorem a Pontifice judicari non posse*, simulque ad Concilium generale appellavit. Haec sane nec a Romano Pontifice nec a theologis illorum temporum admitti poterant. Inde ex illo tempore praesertim, uti jam innuimus, acerrimae controversiae de natura Imperii ac de juribus Imperatoris atque Pontificis habitae sunt, aliique jura Pontificum, alii vero, praesertim Pseudominoritae et eorum socii, fictiones Ludovici propugnaverunt. De Imperio sacro Romano hi non aliter sentiebant, ac si de antiquo Romanorum Imperatorum, Trajani et Marci Aurelii, Imperio ageretur, historicam vero institutionem et constitutionem Imperii praesentis vel plane negligebant, vel false interpretabantur. — Tristissimus interea factus est status religionis et Ecclesiae in Germania. Magna enim ejus pars interdicto subjacebat, multi vero episcopi, inter quos ipsi electores ecclesiastici, jam illud non observabant et censuris implicabantur. Divisio permagna erat in clero saeculari et in familiis religiosis. Plurimi enim pariter censuras negligebant, magnasque difficultates habebant, qui eas observare studebant.[1]) Quum vero ea opinio propagata

[1]) In observando interdicto ex religiosis severiores videntur fuisse Dominicani et Carmelitae; Franciscani vero, Benedictini. Cistercienses, Praemonstratenses cum Episcopis multis et Clero eorum minori nimium observationem negligebant. V. Damberger t. XIV. p. 495 sqq.

esset, Romanum Pontificem in servitute quadam degere regis Gallorum, eumque ipsius gratia censuras haud solvere, populi aspernari coeperunt interdictum et resistere iis qui illud observabant. Atque sic propter residentiam Pontificum in Gallia eorum auctoritas valde imminuta est.

66. Ultimo anno quo Benedictus XII Ecclesiam gubernavit, videlicet a. 1341, et sequenti a. 1342, Ludovicus Bavarus id addidit anterioribus erratis, ut jura Ecclesiae summa cum arrogantia violaret in re matrimonii. Sua videlicet auctoritate dissolvit matrimonium inter Margaritam Carinthiae et Tyroli comitissam, (a castello ubi nata est ipsa dicitur Maultasch,) et Joannem regis Bohemiae filium, propter impotentiae impedimentum, quod adesse Margarita contendebat. Hanc Margaritam autem matrimonio jungere volebat filio suo Ludovico Brandenburgensi; sed obstabat lex quoque canonica de gradibus consanguinitatis, quum tertio gradu hic Margaritae consanguineus esset. At vero diplomate dato Ludovicus etiam hoc impedimentum in speciem removit. Utrumque profecto pertinebat ad Pontificem, videlicet inquirere de praecedentis matrimonii nullitate,[1]) et dispensare de gradibus consanguinitatis. Ob ejusmodi facinus Clemens VI, Benedicti successor, Ludovicum novo anathemate confixit, affecitque gravioribus poenis. Si talia Ludovicus, dum Ecclesiae gratiam optare praeseferebat, non adepta Imperii confirmatione, patrare ausus est; quid ab ipso rerum potito exspectare potuit Pontifex? — Iis quae egit Bavarus in causa matrimoniali Margaritae, adversarios infestissimos sibi reddidit principes ex familia Luxemburgensi ruinamque suam acceleravit. Caeterum Ecclesiam et Pontificem variis quo-

Matrimon. Margaritae Maultasch.

[1]) Margarita versus a. 1335, quum haberet viginti duos annos, matrimonio juncta erat Joanni secundo filio Joannis regis Bohemiae. A. 1341 matrimonium a Ludovico dissolutum est. Videtur reapse impedimentum impotentiae respectivae adfuisse, nam a. 1349 Clemens VI, petente Joanne, nullitatem matrimonii sui cum Margarita pronuntiavit, eique ut aliam duceret permisit. V. Damberger XIV. 636. Ludovicus videtur illud matrimonium non quidem diplomate aliquo solvisse, sed simpliciter ut nullum habuisse et declarasse. Cfr. Riezler l. c. p. 236; Müller l. c. II. 160. Sed profecto interventus R. Pontificis requirebatur.

que aliis modis vexabat et injuriis afficiebat. Quum Benedictus in Germaniam misisset, qui pecuniam pro expeditione cruciata colligerent, *Ludovicus eos expulit, et quam in quibusdam locis coëgerant pecuniam eripuit illis; sacerdotia, episcopatus, omnesque ecclesiasticas dignitates ex suo arbitrio conferebat*[1]) asseclis suis excommunicatis; per Sedem vero Apostolicam rite promotos a possessione impediebat et affligebat multipliciter. Fama etiam divulgabat, *Ludovicum saepe dictum sensualitati per ipsum ratione subjecta, multa alia prava quae non licet, turpia quae non decet, et varia quae non expediunt ad libitum operari, non brevi stylo faciliter recitanda.*[2])

Electio Caroli IV. 67. „Sed quum tandem vidit Ludovicus Pontificis amicitia et favore esse sibi opus ad Imperium administrandum et retinendum, accidissentque res difficiliores, multo humilior redditus,“[3]) iterum a. 1344 egit cum Clemente de reconciliatione per Philippum Galliae regem. Conditiones ipsi positae sunt, ut facinora sua agnosceret, renuntiaret Imperio, seseque obligaret ut illud non resumeret nisi ex Pontificis permissione, utque se, filios suos ac bona in manus traderet Summi Pontificis. Subscripserunt legati Ludovici illis conditionibus, sed Ludovicus eas submisit consiliis principum Germaniae. Ab his, uti videtur subdole agente Ludovico, conditiones rejectae sunt ut honore regni haud dignae, et sic continuatus est perniciosus rerum status. At mox instante Clemente inter principes actum est de electione novi Imperatoris;[4]) plurimi

---

[1]) Mutius, Germ. Chron. L. XXIV. p. 881, 882. ap. Christophe l. c. V. II. p. 97.

[2]) Processus Clementis VI. ap. Raynald. a. 1343. nn. 55 et 56.

[3]) Mutius l. c.

[4]) Bulla, qua denuo a Clemente anathemata in Ludovicum renovata sunt, male notatur propter execrationes quae in illum congeruntur. Sed ista indoli illorum adscribenda sunt temporum. quibus quae in Veteri Testamento inveniuntur effata, adhibebant, ut impiorum scelera detestarentur poenasque divinas eis nuntiarent. Praecipue id fiebat quando excommunicati absoluta obstinatione (incandescentia) perversitatem suam reddebant manifestam.

a Ludovico defecerunt, et a quinque electoribus rex creatus fuit Carolus IV filius Joannis regis Bohemiae. Altero anno 1347, quum bellum civile jam immineret, die 11° Octobris morte est correptus Ludovicus, et Carolus pacifice regnum et Imperium obtinuit. — Carolus IV regnavit usque ad a. 1378. Regnum suum Bohemiae tanta administravit sollicitudine et ad talem perduxit prosperitatem, ut a Bohemis regum suorum forte summus habeatur. Sed Imperium longe abfuit ab antiquo splendore, influxus ejus in Italia fere nullus erat, atque etiam in Germania ad arbitrium singulorum principum ac civitatum res disponebantur, et multae in variis regionibus turbae exortae sunt. Praeterea magnis calamitatibus haec tempora abundarunt, inter quas praecipue recensetur ingens illa pestilentia, quae ultra decennium totum fere orbem terrarum vastavit. A multis auctoribus, praesertim Germaniae, Carolus IV accusatur, quod ignavia, negligentia, socordia sua dilabi Imperium magis magisque fecerit. Sed alii merito eum excusant; adeo enim sub Ludovico jam diminuta erat Imperatoris potestas, ac res adeo perturbatae, ut difficultates summae ex parte principum et populorum Carolo obstarent. Caeterum vero erat ipse Ecclesiae ac religioni addictus, et saltem magnificentia quadam externa Imperatoris majestatem tueri studebat. Res tamen ecclesiasticae, quum Pontifices Avenione auctoritatem suam et influxum minore possent vigore explicare, malisque et morum corruptioni mederi minus valerent, magis magisque turbatae sunt, ac disciplinae, reverentiae et obedientiae erga s. Sedem vincula resoluta.

Mors Ludovici.

IV.

De Reservationibus, Annatis et Commendis.

68. Inter accusationes, quae in Pontifices Avenionenses feruntur, considerationem peculiarem merentur querelae

variorum auctorum de reservationibus, annatis et commendis. Eas in Ecclesia antiqua incognitas et a Pontificibus Avenionensibus introductas, injustas, Ordinariorum juribus oppositas et ecclesiis molestissimas dixerunt scriptores non pauci erga Apostolicam Sedem male animati. Quaestionem igitur hanc examinare convenit, ita tamen ut quae juris canonici disciplinam spectant tantum breviter innuamus, quae vero ad historiam potius attinent exponamus, et querelas injustas vel exaggeratas repellamus.

Reservationes.

69. Reservationes. — Episcopis jure ordinario in suis respective dioecesibus competunt institutio clericorum et collatio beneficiorum ecclesiasticorum. Jus tamen illud episcoporum non est exclusivum respectu Romani Pontificis, qui est episcopus universalis Ecclesiae, cui in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est.[1]) Qua principales igitur Ecclesiae administratores, rectores et dispensatores, Romani Pontifices provisiones et collationes ecclesiarum ac beneficiorum ecclesiasticorum sibi reservare potuerunt, prout temporum et locorum adjuncta id exigebant vel suadebant.

70. Sed ad constitutionem episcoporum quod attinet, haec opportune advertenda sunt. Solis Apostolis et principaliter s. Petro Christus Dominus potestatem dedit episcopos eligendi et constituendi. Petrum omnium Caput et principem principaliter instituisse episcopos, maxime pro ecclesiis Occidentis, habetur e celebri testimonio Innocentii I ep. 25 ad Decentium Eugubinum. *Cum sit manifestum, in omnem Italiam, Galliam, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque adjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes.* Ampla porro, quam Christus Apostolis universim dederat aut regiminis aut jurisdictionis potestas, utpote extraordinaria cum ipsis expiravit, et ad eorum in episcopatu successores non fuit translata;

[1]) Cfr. Conc. Florent. et Vatic.

solius Petri, cui caeteri suberant, potestas fuit ordinaria, atque ad ejus successores deferri debuit. Post mortem itaque Apostolorum soli Romani Pontifices, qua successores Petri, episcopos constituere potuerunt eodem quo is jure; alii id non potuerunt facere, nisi ex expresso aut tacito Romanorum Pontificum consensu. Lapsu temporis, constitutis episcopatibus et ampliatis eorum regionibus, ut res commodius expediretur, episcoporum electio episcopis provinciae, principaliter metropolitis synodisque provincialibus commissa fuit. Id tamen nihil detrahere potuit de supremo jure, quo semper potiti sunt et potiuntur Romani Pontifices constituendi episcopos, ita quidem, ut quae metropolitae synodique provinciales in hac re fecerunt, ipsi jure e Romanorum Pontificum consensu derivato, vel eorum consensu, saltem tacito, sancito, non vero e jure sibi proprio egerint. Ideo etiam iis ipsis temporibus, quibus episcoporum electio a metropolitis ac provincialibus synodis perficiebatur, Romani Pontifices jura primatus in hac re exercuerunt, sive constituendo leges de electione episcoporum, quas temporum ac locorum ratio postulabat, sive dirimendo lites aut dissensiones in electionibus obortas, sive per se ipsos constituendo ac ordinando episcopos pro certis ecclesiis aut regionibus. Quoad patriarchas Orientis requirebatur, ut litteras et professionem fidei Romano Pontifici transmitterent, a quo si non agnoscebantur, jam jure ad sedem suam cadebant.[1]) — Subsequentibus saeculis ex quo tempore summi imperantes regesque christiani religionem christianam professi sunt, mos sensim obtinuit, ut et ipsi in episcoporum electione partem quamdam haberent. Id tamen non nativo quodam seu proprio

Jus RR. Pontificum.

---

[1]) Non est hujus loci, dogmatice ex Romani Pontificis primatu ejus jura quoad episcoporum creationem probare. — Dictis addere juvabit, applicationem auctoritatis in Occidente magis immediatam fuisse quam in Oriente, quum in Occidente R. Pontifex etiam patriarchae munera exerceret. Quoad Orientem R. Pontifices plerumque cum patriarchis agebant, quibus variarum regionum cura, episcoporumque institutio incumbebat. Cfr. Zaccaria, Antifebronius. Febronius abbreviatus etc. T. II. C. IV. §. IX. (Ed. Bruxelles 1829.)

jure iis conveniebat, sed e consensu aut indulto vel tolerantia Ecclesiae.

71. Ex his igitur sequitur, Romanos Pontifices, dum sedes episcopales sibi reservarunt, jure suo usos esse. Ipsorum etiam erat dijudicare, utrum rerum adjuncta et Ecclesiae utilitas tales reservationes suaderent. Universim autem dici potest, ad reservationes istas faciendas motiva validissima fuisse, quod ii quibus collatio istarum ecclesiarum erat, commissa potestate sua male uterentur, leges praescriptas non servarent, et sacrae electiones partium studiis, simonia aliisque abusibus contaminarentur; vel jure suo R. Pontifices usos esse, quando pro universalis Ecclesiae administratione aut ex aliis rationabilibus causis id expedire judicabant.

Beneficia ecclesiastica.

72. Ad alia beneficia[1]) ecclesiastica quod spectat jam diximus, etiam hac in re Pontifices Romanos summum et principale jus habere, ac proinde provisiones et collationes beneficiorum ecclesiasticorum jure posse sibi reservare. Sunt quidem episcopi genuini ac nativi collatores beneficiorum inferiorum relate ad alios collatores, quatenus hi solum e privilegio vel consuetudine, illi vero proprio jure et ex officio beneficia conferunt; sed id minime excludit jus principale Romani Pontificis, qui jure suo hac in re rectissime utitur sive ad corrigendam Ordinariorum incuriam, sive ad procurandos ecclesiis ministros dignos et idoneos, ad remunerandos clericos bene meritos, ad avertenda mala alias ecclesiis imminentia. Merito Petrus de Alliaco Cardinalis, episcopus Cameracensis, qui floruit ineunte saeculo XV et certe in defendendis Romanis Pontificibus modum non excessit, haec scribit: *Papa jure potuit ordinationes majorum et electivarum dignitatum ac collations*

---

[1]) De origine beneficiorum sufficiat haec citasse ex Baronio ad a. 502 n. 36: „Cum solerent clerici ab ecclesia per episcopum mensibus singulis victus causa meritam stipem accipere, . . . postea vero factum, ut aliquibus ex his ecclesiae possessiones quoad viverent ab ipso episcopo concederentur, quae beneficia dici coeperunt, eo quod, ut habet Symmachus bene meritis tantum ea concedi licet."

aliorum beneficiorum sibi et Apostolicae Sedi reservare, quia haec antiquissimo jure sibi competebant. Haec etiam non solum jure universalis administrationis papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiae subjectae, utpote quia inferiores in suis electionibus et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem saepe jure suo non libere uti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione.[1])

73. Annatae. — *Annatarum* nomine veniunt fructus seu redditus unius anni beneficiorum ecclesiasticorum, quos exigit Apostolica Sedes. Fructus illi computabantur secundum aestimationem probabilem, et ita taxa quaedam statuebatur solvenda, quando episcopatus vel abbatia alicui conferebatur. Pro minoribus beneficiis annatae tantum dimidiam partem fructuum unius anni constituebant. Existimant multi viri eruditi, annatas fuisse inductas exemplo veteris Legis, in qua levitae summo sacerdoti solvere jubebantur decimas decimarum (Num. c. XIII). Cum enim in nova Lege Romanus Pontifex sit summus sacerdos, aequum visum est, ut ex episcoporum et sacerdotum decimis seu redditibus partem aliquam ipse acciperet titulo *subsidii* sibi in multos fines necessarii. Antea vero quam Romani Pontifices ejusmodi annatas postularunt, jam non raro abbates in prioratibus et obedientiis sui juris, et episcopi in parochiis et beneficiis suarum dioecesum annatas exigebant. Consuetudo tamen Romae existebat, ut qui ibidem consecrarentur episcopi vel abbates certam pecuniae summam, non quidem pro munere consecrationis, sed nomine honorarii solverent.[2]) Facile patet, in annatis imponendis et recipiendis nullam haberi simoniam. Solvuntur enim titulo *subsidii;* aequum autem plane et justum est, pro Ecclesiae universalis necessitatibus Romano Pontifici subsidia ab aliis ecclesiis conferri. Nullatenus sane ut pretium collationis beneficiorum ejusmodi pecunia solvitur, sed habentur annatae ut onera beneficiis inhaerentia, quae

Annatae.

[1]) De auctoritate Eccl. et Rom. Pont. P. II. C. I.
[2]) Cfr. Natal. Alex. Hist. Eccl. Diss. IX. in saec. XV—XVI.

occasione collationis in subsidium Ecclesiae Pontifici sunt solvenda.[1])

Commendae. 74. Commendae. — Origo *commendarum* perantiqua est in Ecclesia. Etenim jam a priscis temporibus usus obtinuit, ut ecclesia episcopalis aut alia vel abbatia vacans, commendaretur custodienda et administranda episcopo vel abbati jam ecclesiam abbatiamve habenti, donec novus episcopus vel sacerdos aut abbas esset constitutus. Sic legimus e. g. in epist. s. Ambrosii ad Constantium (ep. 2): *Commendo tibi, fili, ecclesiam quae est ad forum Cornelii* (Imola), *quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimae, tam longe non possum excurrere.* — Praeter ejusmodi commendas ad tempus, variis ex causis etiam concedebantur commendae perpetuae. Quando videlicet eveniebat, ut ecclesiae cathedrales hostium seu barbarorum impetu essent vastatae et episcopi inde discedere cogerentur, Romani Pontifices hos vel praeficiebant aliis ecclesiis cathedralibus tunc vacantibus, vel eis commendabant in perpetuum abbatias, ut ex harum redditibus viverent. Ita s. Gregorius M. (L. III. ep. 13.) Agnellum episcopum Fundorum, vastata ab hostibus civitate Fundana, constituit episcopum ecclesiae Terracinensis, adeo ut uni Agnello duplex esset ecclesia, altera in titulum, altera in commendam. *Sic,* scribit Pontifex, *te Terracinensis ecclesiae cardinalem constituimus esse sacerdotem, ut et Fundensis ecclesiae pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque ejus praetereas.* Idem Pontifex, (L. I. ep. 40.) dum Paulinus episcopus Taurinensis in Sicilia, post vastatam a barbaris civitatem secesserat Messanam, ibi ei commendavit monasterium. *Et tibi gratum confidimus,* scribit ad episcopum Messanensem, *si fratris tui venerabilis episcopi Paulini peregrinationis onera releventur, et sub ejus regimine, communi mercede, B. Theodori monasterium in civitate tua fundatum studiosius omnipotenti Deo deserviat.* — Dum episcopus vel sacerdos aut abbas e sua ecclesia aut abbatia

[1]) Cfr. Antifebronius. Febronius abbreviatus etc. T. IV. p. 120 sqq.

non habebat quantum ad honestam vitae sustentationem erat necessarium, ei quandoque commendabatur altera ecclesia aut abbatia. Interdum etiam Romani Pontifices propter incuriam clericorum qui in certis ecclesiis sacro ministerio fungebantur, eas commendaverunt vicini monasterii abbatibus, qui istarum ecclesiarum proventus haberent, presbyteros pro sacro in eis ministerio alerent, et reparationum sumptus facerent. Ita s. Gregorius M. (L. III. ep. 18.) ecclesiam s. Pancratii commendavit Mauro abbati monasterii vicinioris. *Ecclesiam s. Pancratii,* ait Pontifex, *quae erat commissa presbyteris, frequenter neglectam fuisse cognovimus. ... Te Maurum abbatem providimus praeponendum, statuentes ut terras praefatae ecclesiae et quicquid illuc intraverit antedicto tuo monasterio debeat applicari.... Peregrinum illic debeas adhibere presbyterum, qui sacrarum missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen et in monasterio tuo habitare et exinde vitae subsidia habere necesse est.* Vicissim propter monachorum incuriam abbatiae quandoque commendabantur episcopis.[1])

75. Justis igitur de causis commendae sunt institutae, et quando propter causas justas dantur, minime improbandae sunt. Verum, quemadmodum in rebus humanis contingere solet, in hanc rem quoque abusus irrepserunt. Quando enim saeculo VI et deinceps principes laici et proceres bona ecclesiastica invadere coeperunt, ipsi certarum ecclesiarum et abbatiarum proventus commendarunt non tantum clericis, sed etiam laicis de republica bene meritis, praesertim militibus, vel ad compensanda eorum merita, vel ut opes ad bellum gerendum haberent. Inde origo commendarum laicarum et militarium, quae gravium malorum atque abusuum causae exstiterunt. Nam in ecclesiis et abbatiis istis laicis et militibus commendatis, passim divina officia et sacrum ministerium negligebantur, disciplina monastica et regularis observantia collabebantur. **Abusus.**

[1]) V. Thomassin. Vet. et nov. Eccl. discipl. P. II. L. III. C. X. sqq.

76. Pravum istum morem Romani Pontifices atque Concilia illis temporibus habita prorsus tollere studuerunt, operamque dederunt sedulo, ut ecclesiis et monasteriis bona restituerentur; quod paulatim effectum est. Sublato tandem commendarum laicarum et militarium abusu, et bonis quae laici occupaverant ad ecclesias et abbatias translatis, frequentior quam olim fuit commendarum ecclesiasticarum usus. Ad hoc variae causae contulerunt. 1° Cum terras quas crucigeri in Oriente occupaverant rursus expugnassent infideles, ejecti inde episcopi ac sacerdotes in Europam reversi sunt, et tum in Italia tum alibi sive episcopatus sive abbatias sive alia beneficia in commendas acceperunt, ut istis redditibus vitam ducerent. 2° Ne bona ecclesiastica rursus a laicis occuparentur ac diriperentur, utile visum est, illa in commendas distribuere inter clericos, quibus eo magis pro personarum, locorum et temporum ratione concedenda videbantur. 3° Abbatiae, prioratus ac monasteria frequenter commendata sunt episcopis et clericis, ut disciplina monastica in multis coenobiis collapsa restauraretur, vel ut coenobia hac ratione magis protegerentur et defenderentur. 4° Vicissim ecclesiarum praebendae et parochiales ecclesiae monachis et canonicis regularibus commendatae fuerunt. 5° Denique ad multiplicandas commendas contulerunt avarorum cupiditas, ac principum et magnatum voluntas precesque importunae.

Frequentia.

77. Expositis his generalibus observationibus quoad reservationes, annatas et commendas, jam paucis enarrare convenit, quae tempore Pontificum Avenionensium in his contigerint. Ad *reservationes episcopatuum* quod spectat, jam antea non raro jure *devolutionis* Pontifices Romani episcopos dioecesibus constituerant, cum videlicet defixo a canonibus tempore non expediebatur electio vel indignum electores eligebant. Sic Innocentius IV a. 1245 episcopum Cabilonensem ad archiepiscopatum transtulit Bisuntinum: *Cum ecclesiae Bisuntinae, quae diutius pastore vacasset, fuisset ad nos provisio devoluta*. Eadem de causa idem Pontifex metropolim Bituricensem Guidoni de Siliaco O. P.

contulit. *Bituricensis ecclesia per multos annos permansit destituta pastore, et sic vacando gravia dispendia pertulit.*[1]) Initio autem saeculi XIV multos abusus praebuisse legitimas Pontificibus reservationum causas, facile inferes ex iis quae Durandus Mimatensis episcopus scribit in voto suo ad quaesita Clementis V tempore Concilii Viennensis (a. 1311). *Proh dolor,* inquit, *hodie in tali statu sunt ecclesiae constitutae, quod in eis vacantibus vix reperiuntur personae eligibiles: et si quandoque, quod raro nunc accidit, bona persona et idonea in eisdem reperiatur, latens sicut lilium inter spinas, tantum excedit numerus malarum et inutilium personarum, quod non permitterent, personam talem ad praelationem assumi: sed similes similibus applaudentes eligunt sibi virum juxta cor suum ad destructionem ecclesiae et plebium subjectarum. Olim enim, quando plures erant boni quam mali in Ecclesia, tunc electio quae est quasi secundum pluralitatem punctorum, bona erat et canonica: plures enim erant qui eligebant Deo illis qui eligebant diabolo. Sed modo fit e contrario quia plures sunt boni quam mali regulariter: et sic frequentius electio est diabolica, quam canonica, non celebrata per Spiritus S. inspirationem, sed per dolum et machinosam conspirationem. Multi enim hodie introducuntur in ecclesiis insidiose et dolose, alii per impressionem et importunitatem potentiae saecularis, alii per ambitionem et fictionem hypocritae simulationis, alii affectione sanguinis et cognationis. . . . Qui taliter intrusi, vix aut unquam in praelatione bonum faciunt: non aedificant, sed destruunt; non proficiunt sed corrumpunt; difficile est enim ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio.*[2]) Quis neget, ad vigilantiam et officium pastoris universalis pertinere, tales electiones impedire, atque ecclesiis melius providere. Neque meliorem de capitulorum electionibus descriptionem nobis reliquit Aeneas Sylvius in epistola ad Martinum Meierum.[3]) Equidem per collationes et provisiones

Causae reservationum.

[1]) Thomassin. Vet. et nova Ecclesiae discipl. P. II. L. II. c. XXXII.

[2]) Raynald. ad a. 1311. n. 63.

[3]) Epist. dedicatoria libri de ritu et situ Germ.

pontificias ecclesiis etiam non semper optime consultum fuit, quod pariter supra citatus Durandus ad Clementem V rescripsit. Nihilominus Aeneas Sylvius l. c. ad haec ausus est dicere: *Si promotiones hinc Sedis Apostolicae, illinc Capitulorum electiones conferas, fateberis profecto, tantum praestare Romanae Sedis ordinationem, quantum est primae Sedis collegium singularium capitulis praestantius ac sublimius. Quod etsi unum Rom. Pontifex minus dignum presbyterio donavit, supra mille invenias rudes, ignavos, hebetes, et prorsus ineptos ab ordinariis esse promotos.*

Pontificum decreta.

78. Reservaverat sibi Bonifatius VIII ecclesias et beneficia omnia, quae suo tempore per obitum possessorum in curia pontificali vacarent.[1]) Clemens V pontificatus anno primo ecclesiam Burdigalensem, de qua assumptus erat, et monasterium s. Crucis Burdigalensis, sibi reservavit, renovans etiam reservationem supradictam Bonifatii VIII.[2]) Benedictus XII autem a. 1335 Decretali *Ad regimen*[3]) Apostolicae Sedi multos episcopatus et quam plurima alia beneficia reservavit; id vero ex ambitione vel avaritia factum, nemo sincerae mentis contendet. Erat enim ille Pontifex severae virtutis, et beneficia conferebat tam religiose, tam accommodate ad regulas pietatis ab omni cupiditatum contagio defoecatissimae, ut ne optari quidem vel fingi quidquam possit religiosius. Alii deinceps Pontifices alias fecere reservationes, et post editas regulas Cancellariae, generatim collatio omnium ecclesiarum cathedralium Apostolicae Sedi reservata est; Concordata tamen multas induxerunt exceptiones. — Quoad beneficiorum minorum reservationem Pontificibus Avenionensibus jam justa causa fuit, quod quum redditus ex Italia deficerent, hac ratione virorum dignorum, qui in ecclesiasticis desudabant negotiis, sustentationi et meritis provideri debebant. Generatim igitur ac per se reservationes Pontificibus illis vitio verti non possunt.

[1]) Extravag. commun. l. III. De praeb. et dign. c I.
[2]) Ibid. c. III.
[3]) Ibid. c. XIII.

79. Sed non est, cur negemus, interdum in collationibus beneficiorum minus provide actum fuisse. Sic Clemens VI insitae sibi ad magnificentiam et liberalitatem propensioni nimium in collatione quoque beneficiorum cessisse videtur, ita ut permagnus numerus clericorum supplicantium Avenionem conflueret. At ejusmodi excessus, rebus humanis semper mixti, dein a successoribus reformati sunt. — Efficiebat etiam ipse status rerum et commoratio in Gallia, ut Gallis plura in aliis regionibus conferrentur beneficia, sublata residentiae obligatione, unde aliarum nationum excitata est simultas.[1]) Quumque jam nimium fere auctae essent provisiones, eo quod patrimonio ecclesiae Romanae orbati interdum Pontifices beneficiis distributis uterentur ad clericorum remunerationem, demum duro plurium Pontificum schismate exorto illae, titulo necessariae sustentationis et adhaesionis ad certum Papam, nimium increverunt. Exstincto schismate, Concilium Constantiense remedium aliquod tulit, et dein per Concordata provisiones ac reservationes temperatae fuerunt.[2])

Excessus quidam.

80. Neque negamus, in provisionibus unum alterumve ex Pontificibus Avenionensibus interdum aliquid carni et sanguini indulsisse, ita ut propinqui (quamvis digni) frequentius ad episcopatus promoverentur. Qua in re, uti

[1]) Quam facile tamen in ejusmodi accusationibus maxima exaggeratio obveniat, patet ex querelis Gallorum contra Bonifatium VIII, quod extraneis episcopatus et beneficia multa contulerit. Magna cum indignatione illas accusationes Bonifatius rejecit, advertens, nonnisi duos episcopatus collatos fuisse extraneis, qui jam diu in Gallia versabantur, in regis Philippi obsequium. Ipso videlicet rege petente archiepiscopum Bituricensem nominaverat Aegidium Columnam Romanum, qui fuerat diu Parisiis theologiae professor et praeceptor ipsius regis. Etiam Gerardus Pigalotti, Atrebatensis episcopus, Parisiis fuerat institutus, ibique factus erat professor legum et doctor utriusque juris. Quoad alia beneficia advertit Bonifatius, vix unum extraneum esse nominatum pro centum Gallis. — Sicuti ipsae Gallorum querelae exaggerationibus injustis scatebant, ita et postea multa exaggerata sunt in querelis aliarum nationum contra Pontifices Avenionenses, uti Anglis Clemens VI ostendit V. Raynald. a. 1343. n. 90 et a. 1344. n. 50.

[2]) Cfr. Zaccaria, Antifebron. Febronius abbreviatus etc. P. III. c. 6.

jam vidimus, Clemens VI necnon Gregorius XI excessisse dicuntur. Excusationem tamen inveniunt inde, quod necessarium videretur in istis temporum angustiis, et propter residentiam in Gallia, auctoritatem ea ratione roborare.[1]) Etiam desideriis Imperatoris et principum nimium interdum in provisionibus Pontifices videntur cessisse. Sic in sede Magdeburgensi sibi successerunt tres candidati Caroli IV, sedes vero Aquileiensem et Moguntinam occuparunt duo fratres hujus Imperatoris, Nicolaus et Joannes Luxemburgenses. Mortuo Joanne, petente Carolo IV ad sedem Moguntinam promotus est Ludovicus comes Misniensis episcopus Bambergensis, sed sede sua potiri non potuit, quum capitulum postularet Adolphum Nassoviensem, qui et sedem occupavit et antipapae se junxit. Uterque ex his viris parum dignus erat episcopatu, et perturbatio magna in dioecesi Moguntina secuta est.[2]) Varia igitur illa aetate minus bene facta esse non negamus; sed maxima parte illa provenerunt ex difficultatibus ortis propter residentiam Pontificum in Gallia, et ex rerum humanarum statu semper labili.

Annatae constitutae.

81. *„Anno 1305 Clemens V, videns insatiabilem avaritiam quorumdam episcoporum Angliae importune postulantium primas vacantes ecclesias per annum in suis dioecesibus sibi concedi, advertensque, quia quod postulat inferior, potest et superior, appropriavit sibi per biennium omnes proventus de primo vacantibus in Anglia; videlicet de primo an[num] primos fructus tam de episcopatibus, abbatiis, prioratibus praebendis, rectoriis et vicariis, quam de ceteris minut[is] beneficiis.“* Ita refert Matthaeus Westmonasteriensis. idemque narrat Walsinghamus in Hypodigmate Neustria[e]. Sed pro biennio triennium scribit. Justissime Cleme[ns]

---

[1]) Propinqui Clementis VI et Gregorii XI occupasse inveniunt has sedes: Limoges, Paris, Auxerre, Viviers, Poitiers, Avignon, Me[...] Beziers, Rouen, Auch, Narbonne, Arles, Bourges, Bologna, Padua, [Za]ragoça. V. Damberger, T. XV. p. 827.

[2]) V. Damberger, T. XV. p. 753.

[3]) Flor. hist. ad a. 1306.

quum revera proventus necessarii non adessent, talia subsidia (annatas) postulare potuit.[1]) — Joannes XXII induxit subsidium annuum ex omnibus beneficiis non electivis exigendum ad *subveniendum Ecclesiae necessitatibus,* atque ob eam causam reservavit usque ad triennium fructum primi anni omnium praebendarum et ecclesiarum parochialium et capellarum, quae intra illud temporis spatium vacarent, ut patet ex ejus Constitutione *Cum nonnullae.*[2]) Joannes ipse vitam duxit maxime sobriam et arctam, sed, uti diximus, animo volvebat continuo expeditionem sacram, hujusque gratia negotii et propter alias expensas merito subsidia necessaria colligere studuit.

82. Etiam subsequentes Pontifices annatas vel similia tributa frequentius imposuerunt,[3]) nec deerant justissimae ipsis causae. Patrimonio enim s. Petri orbati erant, et expensas ingentes praecipue ad hostes s. Sedis in Italia coërcendos facere debebant; hinc quamvis molesta essent illa tributa, imponere ea poterant. Contribuit tamen haec res, ut contra Pontifices Avenionenses querimoniae acres erirentur, et tempore schismatis nimium aucta sunt illa tributa. Querimonias autem praecedentis temporis vix justas inveneris, si singulas examinaveris. Interdum capitulorum et monasteriorum bona ex socordia negligebantur, vel dissipabantur, ac tunc contra aequissima erga s. Sedem subsidia reclamabatur. Interdum etiam nimia magnificentia et splendore nimio membra illorum corporum gaudere studebant, ac dilatare possessiones suas, adeoque immerito indignabantur, dum aequa tributa pro necessitatibus Ecclesiae summo Pontifici solvere debebant. **Causae justae.**

83. Quoad haec optime advertitur in Antifebronio: „Communis fere et maxima querela apud Germanos prae-

[1]) Cfr. de Annatis Thomassin. Vet. et nov. Discipl. P. III. L. II. C. LVIII. sqq. Devoti Instit. canon. L. I. Tit. V. Sect. III. n. XLI. XLII.

[2]) Extrav. comm. l. III. Tit. de praeb.

[3]) Tributum *perpetuum* et universale sancivit et episcopatibus quoque et abbatiis imposuit Bonifatius IX teste Th. de Niem, de Schismate L. III. c 16.

Querelae injustae. cipue semper fuit, quod tantum auri et argenti ex Germania Romam deportaretur, quod inde ecclesiae in Germania et ipsa Germania depauperetur, item propter provisiones, exspectativas, collationes beneficiorum per Pontifices factas vel reservatas, propter indulgentias et pecunias inde lucrandas. — Certe Germania eo ipso aevo, quo maxime haec lamenta audiebantur, adeo pauper non fuit, quin potius auro et argento abundabat. ‚Quod si verum est, scribit ad Cancellarium Moguntinum Meierum Aeneas Sylvius, quod ajunt, ibi opes esse, ubi negotiatores: fatearis, necesse est, opulentissimos esse Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longe lateque provincias pervagatur, . . . ac nonnisi dives revertitur.‘[1]) — Quodsi nihilominus ecclesiae quaedam particulares et episcopi pauperes fuerunt, vel alieno aere gravati, num ideo propter annatas, confirmationes, pallia, depauperatae sunt? Inspiciantur Annales singularum ecclesiarum et historia temporum, ex quibus ad convincendos adversarios satis manifestum est, quodsi episcopi, si ecclesiae depauperatae et debitis gravatae fuerint, certe continua bella, jus ut vocant manuarium, civitates, nobiles, subditos, vasallos in causa fuisse, qui pro more illorum temporum, ecclesias et clerum vexabant, eorum bona diripiebant, saepe etiam prodigalitatem praelatorum, ut de luxu et fastu, quem Germaniae episcopis suo tempore exprobat Aeneas Sylvius nihil dicam. — Ab adversariis praeprimis exemplum de ecclesia Moguntina proponitur, sed praeter ea, quae Annalibus testibus de ecclesia et archiepiscopis Moguntinis referuntur, Joannes archiepiscopus in comitiis Moguntinis ab Imperatore Ruperto summam triginta millium florenorum jam a Carolo IV sibi debitam postulavit. Rupertus reponebat, quia haec summa non ab ipso Carolo, nec ab ejus filio Wenceslao repetita fuit, etiam nunc sibi remittendam esse. Wenker appar. p. 290 inde sequitur, quod Imperator judicaverit, noveritque, non adeo pauperem esse ecclesiam Moguntinam, quando illa

[1]) De ritu et situ Germ. l. c.

tantam summam mutuam dare et deinde eam sibi remitti posse existimavit." [1])

84. Illo etiam tempore in Germania vitam multorum clericorum valde profanam fuisse, ipsosque clericos dilapidasse bona Ecclesiae, colligitur ex iis, quae egerunt tum Innocentius VI tum Carolus IV pro reformatione cleri. Urgentes scripsit Innocentius a. 1359 litteras ad archiepiscopos Moguntinum, Coloniensem et alios, quibus conqueritur, *quod nonnulli, solo vocabulo clerici et ecclesiasticae personae, non solum in minoribus gradibus consistentes, sed etiam ad fastigium dignitatis pastoralis evecti, . . . effraenato quodam vivendi more libitum pro licentia capientes et per dissolutionis lubricum sine ullo rationis imperio gradientes, neglecta clericalis honestatis observantia et gravitate ecclesiasticae rationis abjecta, vitam suam Deo et ecclesiasticis mysteriis dedicatam quibusdam saecularibus actibus contra sacrorum canonum prohibitiones immiscent, in ludis, hostiludiis, torneamentis et aliis militaribus et prohibitis actibus, necnon in deferendis vestimentis futellaribus et aliis quibusdam a jure prohibitis ornamentis dilapidantes bona pauperum et patrimonium Jesu Christi in Dei offensam, propriae salutis dispendium et perniciosum populi talia conspicientis exemplum.*[2]) Carolus IV ipse minatus est occupare bona clericorum, ut eos cogeret vitam mutare; et in diaeta Moguntina a. 1359 vehementer conquestus est coram nuntio Pontificis de moribus cleri et nimia (uti putabat) Pontificis mora ad eum reformandum. Praecipue conquerebatur de effraenato vestimentorum luxu, atque sibi imponens ipse biretum galerumve Cunonis de Falkenstein canonici Moguntini, quod auro erat splendidissime ornatum, exclamavit: *An equitem ista ostendunt vel sacerdotem?*[3]) Post litteras tamen Pontificis acquievit, et Ecclesiae jura tuitus est et confirmavit. Sed quum talium canonicorum praelatorumve querimoniae feruntur de tributis Pontifici

Cleri vita profana.

[1]) Antifebron. P. III. c. 6. p. 559. ed. Lov. a. 1829.
[2]) Raynald. a. 1359 n. 12.
[3]) V. Hefele B. VI. §. 710.

solvendis, certe magni non sunt habendae momenti.[1]) Constabant capitula tunc magna parte ex nobilium filiis postgenitis, quibus non raro deerat vocatio et spiritus clericalis.

Commendae illius aetatis.

85. In *commendis* concedendis interdum quidem Pontifices Avenionenses largiores fuerunt, interdum vero istum usum decretis editis restrinxerunt. Quamvis autem revera ex commendarum usu varia detrimenta provenirent, tamen tum isto tempore tum subsequente aetate difficillimum fuit ejusmodi consuetudinem penitus abolere, donec monasteriorum bona diminuta sunt et disciplina regularis refloruit. — „Suppressae videbantur, scribit Thomassinus, omnino commendae majorum beneficiorum toto saeculo XIII . . . Saeculo XIV percrebuere innumerabiles commendae cujusque generis beneficiorum, non episcopatuum tantum, coenobiorum et parochiarum, sed et prioratuum, officiorum claustralium et dignitatum capitulorum. Prope abest a vero, non id unquam eventurum fuisse, si capitula et coenobia antiquos retinuissent mores, canonesque non bipartiendae mensae communis. Non quo aliquando postea non fuerint commendata coenobia aliqua, ubi abbatum et monachorum una erat mensa, una temporalium omnium communio; sed eo deventum non est, nisi per gradus post longe plurimas commendas alias coenobiorum, ubi sua separatim abbas, prior, administrator officii claustralis habebat bona, sua separatim conventus regularium. . . .

---

[1]) Documentum superest anni 1372 quod inscribitur: „Unio Moguntini Cleri contra exactiones papales. — Qualiter Gregorius decimam omnium ecclesiast. fructuum, redditunm et proventuum praesentis anni, per provinciam Mogunt. et nonnullas alias provincias Alemanniae duxerit imponendam. . . . Et licet in ipso SS. D. N. Papa tanta floreat clemencia, quam etiam ab annis discrecionis sive communiter dicitur habuisse, . . . excusamur, quia nemo ad impossibile obligatur, — ipse S. D. N. Papa quorumdam, a quorum dextris stat diabolus, preferencium cupiditatem propriam Juri etc., fallaci ingenio circumventus.- Dein protestantur, recusant solutionem, et se obligant sub poena perjurii infamiae etc., quod non sint soluturi. V. Damberger, B. XV. Kritikh. p. 89.

Quoad officia claustri plurimum id habet etiam probabilitatis, nunquam ea commendanda fuisse, si primaevam retinuissent conditionem suam, ut mera essent officia, meraeque administrationes arbitratu superiorum revocabiles. Illud etiam manifestum fecimus, ab abbatibus ipsis ante commendatos fuisse prioratus, quam vel Pontificibus veniret in mentem vel regibus, ut ea commendare vellent."[1]) Quum igitur res ita se haberet et dignitarii separati essent a communitate religiosa, proventusque haberent uberrimos, facilius accidit, ut propter necessitates Ecclesiae vel in favorem principum officia illa commendarentur, eo quod res non adeo perniciosa appareret. „Facili porro, ita iterum Thomassinus, conjectura assequimur, ex Sedis pontificiae Avenionem translatione scaturisse illam multitudinem commendarum. Nec enim nisi aegre poterant Pontifices non annuere, si quid peterent illi principes, quorum in terris demorabantur. Cardinales autem (et alii Ecclesiae dignitarii) quamdiu Roma et Italia aberant, nullis inde proventibus, nullis temporalibus subsidiis allevati, non aliunde fere poterant, quam ex Gallicanae ecclesiae beneficiis et vitam et dignitatem suam sustentare. Ei cladi mederi voluere Pontifices, uti patuit in Benedicto XII, sed experti tandem ipsimet sunt, infligi facilius vulnera quam sanari."[2])

86. Clemens V initio pontificatus sui multis dedit commendas, sed gravissimo morbo correptum poenituit facti, ex quo pro disciplina gravia damna provenire animadvertebat, ac sanitati restitutus mox omnes commendas revocavit per Decretalem *Ex supernae providentiae.* Rationes quibus ad commendas concedendas adductus fuerit, ibidem indicat. Quum simili modo ut ipse etiam alii interdum Pontifices ad idem moti fuerint, utile erit pauca ex isto documento delibare. *Ab ipso,* inquit, *nostri Pontificatus exordio, antiquae notitiae regum, praelatorum, magnatum et aliarum nobilium personarum ecclesiasticarum et saecularium memores existentes, ac ipsorum aliquibus, tum* Decretum Clementis V.

---

[1]) Vet. et nov. discipl. P. II. L. III. c. XX. n. 20.
[2]) Ibid.

Decretum Clementis V. *quia in terris morantes eorum gradum hujusmodi promotionis habuimus, tum quia solitae ad eos amicitiae specialibus affectibus ducebamur, aliquibus vero ex assueta Rom. Pontificum liberalitate, quam in suis exercere sunt soliti novitatibus, volentes honoris et liberalitatis affluentia complacere, ad eorum importunas tamen et multiplicatas precum instantias nonnullis clericis et personis ecclesiasticis religiosis et saecularibus, diversorum ordinum, dignitatis, conditionum et statuum, patriarchales, archiepiscopales et episcopales ecclesias, ac monasteria distincta pastoribus, sub commendae vel custodiae, seu curae vel guardiae, aut administrationis titulo nomineve notabili, duximus perpetuo ad vitam seu ad certi temporis spatium committenda. Super his, an tales videlicet tantasque gratias per nos fieri decuisset, variorum arduorum negotiorum multiplicitate distracti, usque ad tempus quo infirmitate satis periculosa nos his diebus visitavit Omnipotens, nequivimus cogitare plenarie. Verum in debilitate ipsius aegritudinis constituti, a negotiorum utcumque discussione semoti, ad hoc sub diligenti examine direximus aciem nostrae mentis, demumque prospeximus evidenter, quod ecclesiarum et monasteriorum eorumdem cura negligitur, bona et jura dissipantur ipsorum, ac subjectis eis personis et populis spiritualiter plurimum et temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam quae dicebantur cedere ad perfectum, ac nedum ipsis, sed etiam Romanae matri ecclesiae . . graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur hic tot et tantis dispendiis ulterius causam relinquere, sed volentes potius opportunum et debitum in hac parte remedium adhibere, omnes et singulas promissiones hujusmodi per nos (ut praemittitur) factas, quibuscumque cujuscumque ordinis, dignitatis aut status, sed etiam Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinalibus, quocumque modo vel tempore factae noscantur, auctoritate Apostolica ex nunc ex certa scientia revocamus, cassamus et annullamus, et decernimus de caetero non habere aliquam roboris firmitatem.*[1]) — Errores tam splendide emendati laudi etiam vertunt et gloriae. An vero in ipsa

[1]) Extrav. comm. L. III. T. II. de praebendis et dignit. c. II.

rerum executione res processerit Clementi ex animo, non omnino liquet. Ex querimoniis Durandi Mimatensis tempore Concilii Viennensis colligi potest, Cardinales adhuc habuisse commendas. Quas ipsis forte haud renuere potuit Clemens, ne necessariis statui suo proventibus carerent.

87. Joannes XXII varias iterum non tantum Cardinalibus, sed etiam aliis largitus est commendas, sed Benedictus XII a. 1335 *revocavit omnes commendas factas per praedecessores suos de ecclesiis cathedralibus et abbatiis quibuscumque personis, exceptis Cardinalibus, quorum commendas nondum revocavit.*[1]) Quo subinnuitur, sperasse Pontificem, opportune etiam aliquando a se revocari posse commendas Cardinalium. Clemens VI episcopatuum commendas non videtur concessisse, nec commemoratur, eum in distribuendis commendis valde largum fuisse; attamen Innocentius VI iterum primo anno pontificatus sui omnes commendas revocavit. *Singulas commendas de cathedralibus vel aliis ecclesiis, monasteriis, praelaturis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, beneficiis, auctoritate Apostolica revocamus.*[2]) Excepit tamen etiam ipse Cardinales; ex quo colligitur, horum statui convenienti aliter provideri non potuisse. Minora etiam erant incommoda, quod Cardinalibus dioecesis aliqua in commendam daretur. Nam quamvis ea aetate, quando aliquis episcopus ad cardinalatûs dignitatem promovebatur, dioecesis administrationem ipse dimittere et alius episcopus in locum ipsius succedere soleret, postea tamen, uti et nostris diebus, Cardinales episcopatus suos jam retinere consueverunt. Pontifices alii.

88. Subsequentes quidem Pontifices pariter commendarum usum restringere consueverunt, sed tempore schismatis et sequente aetate adhuc magis inolevit. Quamvis enim ipsi Pontifices saepius conquerantur de ipso rerum statu disciplinae ecclesiasticae pernicioso, tamen propter

[1]) Ex Vitis Benedicti ap. Raynald. a. 1335. n. 67.
[2]) V. Raynald. a. 1353. n. 32.

malitiam temporum haud perventum est ad ejus abolitionem. Singula hic persequi longum est; sufficiat ea commemorare, quae in sacra Synodo Tridentina hac de re facta et statuta sunt. Ipsi Concilii Tridentini Patres quamvis desiderio flagrarent exstinguendarum penitus commendarum, delinimento tamen aliquo utendum sibi censuere, ineluctabili incumbente necessitate serviendi tempori, et accommodandi se iis saeculi moribus et morbis, qui validioribus remediis exacerbarentur. Ea videtur esse horum Concilii verborum sententia: *Cum pleraque monasteria, etiam abbatiae, prioratus et praepositurae ex mala eorum, quibus commissae fuerunt, administratione, non levia passa fuerint tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta, cupit sancta Synodus ad congruam monasticae vitae disciplinam omnia revocare. Verum adeo dura difficilisque est praesentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique quod optaret remedium possit adhiberi.* Hisce praestructis Pontificem interpellat Concilium, ut curet in coenobiis jam commendatis regularem unum ejus Ordinis designari, qui eorum praesit administrationi, et in iis quae posthac vacaverint, ne nominet Pontifex nisi regulares peritiores et quorum vita monasticam redoleat spiretque sanctimoniam.[1]) Impedivit autem dura illa et difficilis temporum conditio, ut etiam postea commendae cessarent, quamvis Romani Pontifices et Concilia particularia id percuperent. Interdum commendabantur monasteria, ne ab haereticis occupari possent; sed maxime reges et principes impedimento fuerunt, quominus usus ille aboleretur, quum ob eorum importunas instantias difficile esset commendas denegare. Nostro tamen tempore mutatis rebus, maxima ex parte commendae cessarunt, ususque earum ad antiquam severiorem disciplinam reductus est.

Concil. Tridentinum.

89. Postquam exposuimus res et negotia majoris momenti, quae tempore Pontificum Avenionensium acciderunt et in statum Ecclesiae influxum majorem exercuere, jam illius aetatis ac societatis christianae ideam generalem

---

[1]) Sess. XXV. c. 22 de Regularibus.

ex dictis concipere pronum est. Pro conclusione autem iterum colligere juvabit paucis incommoda, quae ex commoratione Pontificum in Gallia exorta sunt. — 1° Pontifices illi Galliae regibus plus minusve obstricti atque ab eis dependentes, non ea qua alii Romae residentes, libertate et independentia in administrandis Ecclesiae rebus gaudebant, regum Francorum votis facilius obsequebantur, pluraque in eorum gratiam faciebant et concedebant. Romani vero et Itali absentiam Pontificum, et ipsorum in Galliam patriam aegre ferentes praedilectionem, auctoritatem eorum minus venerabantur, et decreta atque mandata non ea qua antea cura observabant. Pariter alii principes et populi christiani cernentes, Pontifices illos regibus Galliae suaeque patriae deditos et devotos, suspectos facile eos habebant, nec eadem qua prius veneratione atque obedientia prosequebantur. — 2° In statibus ditionis pontificiae factiones, quae alias Pontificum praesentia comprimebantur, iis ab Urbe absentibus liberius dominabantur, et principatus civilis Pontificum collabebatur. Pontifices vero ob perturbatam Italiae conditionem non solum vix ullos inde redditus percipiebant, sed etiam ingentem pecuniarum vim in debellandis rebellibus insumere debebant. Hinc ad taxas ordinarias et extraordinarias recurrere cogebantur, urgendo annatas, exspectativas, reservationes, provisiones, quae multis querelis ansam praebebant. — 3° Inter funestissimas sequelas residentiae Pontificum in Gallia ea recensenda est, quod catholicitas illa interna Ecclesiae, qua fit, ut omnes populi ac nationes communi caritatis et aequalium jurium vinculo uniuntur, veluti offuscaretur, et nationalismi, uti dici solet, tendentia ac principia magnam in societate christiana acquirerent vim et influxum. Quum enim Pontifices et Cardinales fere omnes essent Galli, praeponderantia Gallorum limites aequi excedere, et Ecclesia ejusque administratio nationalem speciem accipere videbatur. Quum Romae essent Pontifices adeoque Itali praevalerent, id alias nationes non offendit. Ordinatione enim Providentiae Roma constituta erat centrum Christianismi, atque haec Ecclesia mater erat reliquarum. Praeterea

Detrimenta varia.

vero Germanis praerogativa conveniebat Imperii, Gallis praerogativa scientiae propter Universitatem Parisiensem, atque sic aequilibrium aderat inter nationes maximas christianas. Sed dum Pontifices Galli Avenione residerent, ad nutum Gallorum omnia in Ecclesia fieri videbantur. Cardinales autem Galli, praesules ac theologi istarum regionum, pro insito amore patrio gaudebant de influxu illo praeponderante, atque ut eum conservarent postea schismati nimis faverunt. — In aliis porro nationibus simultas orta est permagna, et etiam in ipsis sensus nationalitatis ultra modum in rebus religiosis excitatus est. Ejusmodi autem singulorum populorum *tendentiae exaggeratae* obsunt unioni illi, quae religioni catholicae insita est, et ad separationem potius conducunt. Inde factum est, ut facilius variis Pontificibus variae nationes adhaererent, et schisma occidentale quod dicitur oriri ac diu continuari posset. Imo adhuc in ipso Concilio Constantiensi et sequenti tempore particularismus ejusmodi funestus frequenter se manifestavit. Sed hac de re subsequentibus dissertationibus iterum sermo recurret.

Dissertatio trigesima tertia.

De magno Occidentis schismate.

---

1. Nomine *schismatis occidentalis* intelligitur tristissima illa scissio, quae labente saeculo XIV orta est in societate christiana Occidentis, ac per triginta novem annos Catholicos funesta separatione disjunxit. Advertendum tamen est inde ab initio, scissionem illam haud perfectum et proprie dictum schisma fuisse. Proprium enim et completum schisma adest, quando obedientia denegatur ei, quem Romanum Pontificem verum et legitimum esse non dubitatur. Illo autem tempore omnes conveniebant, unum Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiae et Christi Vicarium, eique submissionem deberi, omnesque se paratos profitebantur, ut ipsi sese submitterent. Sed controvertebatur, quis ex duobus tribusve competitoribus esset ille Pontifex legitimus, aliique uni, alii vero alteri adhaerebant, ita ut duae vel tres in Ecclesia essent *obedientiae*. Simul etiam cuncti conveniebant, adlaborandum esse, ut ab omnibus unicum Ecclesiae Caput agnosceretur, et separatio illa cessaret; continuos ut eo pervenirent fecerunt conatus, ac tandem Deo juvante ad statum normalem restituendum pervenerunt. Neque unitas Ecclesiae illa scissione eversa est, sed tantum aliquatenus obscurata. Etenim complures Schismatis indoles

imprimis erant qui legitimo adhaerebant Pontifici, (eumque fuisse illum probabimus qui fuit in successione Romana); reliqui vero tantum materiali errore de persona detinebantur. Unitatem absolutam per unicum Caput in Ecclesia adesse debere omnes tenebant, qui uni vel alteri de pontificatu contendentium, quem jus probabilius habere judicabant, obediebant; et ita animo erant comparati, ut eos qui in alia erant obedientia non ut schismaticos aut ab unitate Ecclesiae praecisos, sed ut fratres et ut vera Ecclesiae membra haberent, atque ad concordiam restituendam tendebant. Hinc sufficienti vinculo unitatis etiam eo tempore ligabantur.[1])

Dissertationis ratio.

2. Tempore quidem illius scissionis paulatim, propter varia adjuncta, factum est, ut valde difficile esset iis, qui schismatis originem non perspectam habebant, discernere, quis ex competitoribus legitimus esset Pontifex, ac plurimi bona fide uni adhaeserunt vel alteri. Inde tamen haud concludendum est, hac in quaestione ad certitudinem etiam nunc perveniri non posse. Quum enim exstent documenta illorum temporum, quae semotis passionibus tranquilla mente examinari possunt, ex iis judicium certum de eventibus illius aetatis jam colligere licet. Verum quidem est, studium partium in auctores illorum documentorum saepius influxum exercuisse, attamen ex ipsa sedula eorum comparatione veritas erui potest. — Dissertationem hanc ita distribuemus, ut primum *de electione Urbani VI et schismatis ortu*, dein *de schismatis incrementis*, ac demum *de concilio Pisano* agamus.

---

[1]) Utile etiam notantur hic quae scripsit s. Antoninus: „Etiamsi, inquit, necessarium sit credere, sicut unam esse Ecclesiam catholicam non plures, ita et unicum ejus Pastorem, Vicarium Christi, tamen si contingit plures per schisma creari seu nominari pontifices summos uno et eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere, istum esse vel illum, sed alterum eorum, qui scilicet fuerit canonice assumptus. Quis autem fuerit canonice electus, non tenetur quis scire, sicut nec jus canonicum, sed in hoc populi sequi possunt majores suos seu praelatos." Chron. part. III. tit. 22. c. 2.

3. Praecipuus auctor coaevus, qui de schismate scripsit, est Theodoricus de Niem in suis operibus *De Schismate, seu historiarum sui temporis libri III,* ac *Nemus unionis.* Theodoricus hic oriundus ex oppido Neheim dioecesis Paderbornensis in Westfalia, Avenionem ad Curiam profectus est, et versus annum 1371 a Gregorio XI munus obtinuit secretarii seu scriptoris apostolici. Bartholomaeo Prignano, qui postea fuit Urbanus VI ibidem familiaritate junctus est. Cum Gregorio XI Romam venit, ibi initia schismatis vidit, atque ex parte stetit Pontificum Romanorum usque ad Gregorii XII tempora. Factus est in Cancellaria Abbreviator et Protonotarius. Secundum quosdam auctores a Bonifatio IX nominatus est episcopus Verdensis ac dein Cameracensis; neutra tamen dioecesi potiri potuit Romaeque remansit. Sed viri critici jam certum habent, ad episcopatum Cameracensem eum non promotum fuisse, dubium quoque habent, an Verdensis episcopus ipse fuerit. Constat, Theodoricum ordines majores non suscepisse. Tempore concilii Pisani a Gregorio XII ipse descivit ac se junxit Alexandro V, dein sub Joanne XXIII venit ad Concilium Constantiense, ubi fuit tempore electionis Martini V (1416). Inde profectus est Trajectum ad Mosam, quum canonicatum ad ecclesiam s. Servatii haberet, ibique mortuus est die 22° Martii a. 1418 et in ecclesia s. Servatii sepultus. Opera citata Theodorici et alia quaedam ejus opuscula historiam illorum temporum satis illustrant, attamen acerrimo ac virulento stylo auctor hic saepe in legitimos quoque Pontifices invehit, multa scribit leviter et injuste, sanam doctrinam in diatribe sua saepius laedit. Hinc opus ejus de schismate relatum est in Indicem librorum prohibitorum. Non desunt autem, qui ob rationes non spernendas existimant, Theodorici opus, primum a. 1609 a Protestantibus editum, corruptum et interpolatum fuisse.[1]) — Reliquorum coaevorum quos citabimus auctorum brevem adjungemus notitiam, ubi eorum mentionem faciamus. Notari autem potest, teste Theodorico de Niem, tempore

Theodor. de Niem.

[1]) Cfr. Rattinger, ap. Damberger T. XV. Kritik p. 101 sqq., et in periodico „Litterarische Rundschau“ a. 1875, pp. 210. 229. 249.

schismatis de ista re tam multos scriptos fuisse tractatus, „ut centum cameli portare non possent volumina.“

Consuli porro possunt Raynaldus *Annales a. 1378 sqq.*; Pagi *Breviarium gestorum RR. Pontificum*; Christophe, *Histoire de la papauté pendant le XIV siècle, Tom. III.*; Hefele, *Ueber die Entstehung der grossen abendländischen Kirchenspaltung, Beiträge zur K. G. I. 326 sqq., et Conc. Gesch. VI. §. 712 sqq.*; Reumont, *Gesch. der Stadt Rom II. 1005 sqq.*; Balan, *Storia d'Italia L. XXXIII sqq.*; Bauer S. J. *Das grosse abendl. Schisma.* (Stimmen aus Maria Laach 1878. I.); Hergenröther, *K. G. T. II. Per. VI C. 1. e., Tom. III. p. 346 sqq. (ed. 1.)*, ubi varii auctores citantur. Cfr. etiam Chevalier *Bio-Bibliographie* ad nomina variorum hujus aetatis Pontificum.

I.

De electione Urbani VI et ortu schismatis.

Electio Urbani VI.

4. Antequam Gregorius XI moreretur, ipse timens, ne post obitum ejus dilata Pontificis electione detrimenti quid caperet Ecclesia, Constitutione edita XIV Cal. April. a. 1378 derogavit ex parte severis decretis Praedecessorum, et ut expedite fieri posset electio novi Pontificis Cardinalibus largissimas pro ista vice dedit facultates.[1]) Praecipue id constitutum est, ut, si ante mensem Septembrem Gregorius obiret, Cardinales Romae praesentes non tenerentur

[1]) „Narrat Joannes Gersonius in tractatu de examinatione doctrinarum P. II. consider. 3., Gregorium XI positum in extremis, habentem in manibus sacrum Christi corpus, protestatum esse coram omnibus, ut *caverent ab hominibus sive viris sive mulieribus sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis, quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat et Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors provideret sponsus Jesus.* Quibus verbis generalibus notatos fuisse a Gregorio Papa XI Petrum Aragonicum, Brigittam Suecicam, ac Catharinam Senensem scribit Spondanus a. 1378, §. 2.“ Ita Balutius Vita Pap. Aven. T. II. c. 1224. Sed narratiunculam istam Gersonii nullo solido censemus niti fundamento.

exspectare reliquos, sed illico et ubicumque vellent, loco ad majoris partis arbitrium constituto, ad novi Pontificis creationem procedere possent, isque legitimus Pontifex esset, cui major pars votorum suffragaretur.[1]) Paucis diebus post, die 27° Martii, mortuus est Gregorius. Cardinales autem satius habuere, haud uti facultate ipsis concessa, sed secundum antiquam regulam Romae, ubi Pontifex decesserat eligere successorem. Postquam igitur ex more Gregorio novem dierum persolverunt exequia, die 7° Aprilis ingressi sunt Conclave in palatio Vaticano, et jam sequenti die elegerunt in Pontificem Bartholomaeum a Prignano (Neapolitanum), archiepiscopum Barensem, qui *Urbanus VI* voluit appellari; ejus tamen electionem nonnisi die 9° Aprilis publicaverunt. Romani, qui verebantur, ne si homo Gallus eligeretur, iterum sedem in Galliam deferret, clamoribus et minis a Cardinalibus Romanum Pontificem poposcerant, vel saltem Italum; Cardinales veriti, ne vis illata ipsis videretur, non Romanum, Italum tamen hunc elegerunt. Ac festo Paschatis die 18° Aprilis Pontificem solemni ritu inthronizarunt.

Urbani VI indoles.

5. De Urbano inter alia haec habet Theodoricus de Niem: „Fuit egregius decretorum doctor, necnon ante papatum homo humilis et devotus et retrahens manus suas ab omni munere, inimicus et persecutor simoniarum, zelator castitatis et justitiae, sed nimis suae prudentiae innitendo et credens adulatoribus libenter aures praebuit ipsis, frequenter et sollicite in eodem Jure et in sacra pagina etiam studens. Ingenium . . . socordiâ torpescere non sinebat, viros litteratos et bonos sincere dilexit, et pro posse adjuvit, non impediens se de negotiis alienis. Et singulis diebus dum corporis sospitate gaudebat missam legit, et etiam plura officia in Curia exercuit, . . . antequam ad officium locum tenentis Cancellariae in Urbe foret assumptus. Erat brevis staturae et spissus, coloris lividi sive fusci, et sexagenarius vel circa dum eligebatur in Papam. Nunquam fuit talis aut tantus, quod ipse per

[1]) Raynald. a. 1378. n. 2.

se vel per alium pro aliqua consequenda dignitate item quamcumque notabili praesertim papatu seditionem seu impressionem movisset; vel aliquis de eo cogitasset, praesumpsisset. . . . Induebatur cilicio diurno tempore et nocturno, in quo dormiens indutus fuit desuper tunica alba talari de mediocri panno laneo, ac multum erat patiens tunc temporis (Avenione) in adversis, compatiens etiam valde calamitatibus aliorum. Omnia etiam jejunia per Ecclesiam indicta tunc sanctissime observabat, necnon per adventum Domini et per Sexagesimam annis singulis jejunabat, et jejunantes similiter necnon bonos religiosos satis amabat." [1])

Oppositio Cardinalium. 6. Cardinales, qui Urbanum elegerant, initio omnia ei ut Pontifici plane legitimo, debitis servitiis et reverentia exhibitis, praestiterunt, ac per plures menses varias etiam gratias ab eo petierunt et acceperunt. Urbanus autem mox animum applicuit reformandae Curiae, coërcendis vitiis et instaurandae disciplinae; Cardinales vero intempestivo quodam rigore et acerbis verbis offendit, eorumque animos sibi abalienavit. Mense Majo paulatim duodecim Cardinales Galli et unus Hispanus secesserunt Ananiam, atque ibi sequentibus mensibus deliberare coeperunt, quo modo Urbanum deponerent et novum Pontificem eligerent. Die 9° Augusti declarationem ediderunt, in qua contestabantur, se in conclavi non fuisse liberos, electionem Urbani fuisse vi et metu extortam, atque adeo eum non esse legitimum Pontificem. Deinde profecti sunt Fundos in regno Neapolitano ubi sub Joanna regina, quae Urbani VI partes reliquerat, securius agerent. Illic tribus etiam Cardinalibus Italis ad se pertractis, die 20° Septembris Robertum Cardinalem Gebennensem seu Genevensem, fratrem Comitis Genevensis, triginta sex annos natum, in Pontificem elegerunt, *scientes,* scribit Theodoricus, *eum esse ambitiosum et pluribus indigentem ac sumptuosum, largae conscientiae et genere nobilem, multis etiam consanguineis et affinibus nobi-*

---

[1]) De Schismate, L. I. c. 1.

libus et potentibus constipatum.[1]) Hic Robertus a suis dictus est *Clemens VII*, et cum in Italia pedem suum figere non posset, altero anno 1379 in Galliam properavit, et Avenione sedem suam constituit.

7. Manifestum profecto est, ut dijudicetur, quis fuerit legitimus Pontifex, Urbanus VI an Clemens VII, cardinem quaestionis in eo versari, utrum legitima fuerit electio Urbani, an vero sub tali metu et vi effecta, ut inde valor ipsius corruat. Nullo enim alio vitio hanc electionem affectam esse, adversarios Urbani VI affirmasse constat, nisi quod non libera, sed terrore immisso vitiata fuerit. Quod si legitima fuit electio, pseudopontifices fuerunt Robertus seu Clemens VII, et qui ei successit Petrus de Luna sive Benedictus XIII, veri autem Christi Vicarii ac Pontifices qui Romae resederunt Urbanus VI, Bonifatius IX, Innocentius VII, Gregorius XII. Jamvero monumenta, quae Urbani electionem respiciunt, eum legitime electum fuisse certo demonstrant, idque illo quoque tempore *per se* facile dignosci potuit. Sed in schisma jam commotum talia irrepserunt adjuncta, ut, quibus vera totius facti origo ignota erat aut de industria falso descripta, in magnam obscuritatem inducti sint. — Modo jam ea quae ad electionem Urbani et ortum schismatis spectant accuratius

Disentienda electio.

[1]) Ibid. c. 10. — Christophe, qui dubius haeret in quaestione de schismate occidentali (quod satis mirum est in tali scriptore), characterem electi pontificis ita describit: „Le schisme était consommé, et pour le soutenir, il faut avouer que les cardinaux avaient fait un excellent choix en donnant la tiare à Robert de Genève. C'était un personnage distingué, qui comptait dans sa famille une illustration ancienne, des alliances avec la plupart des maisons royales de l'Europe, et auquel on ne pouvait contester les talents, l'esprit, beaucoup de courage personnel, et une magnanimité de caractère qui lui donnaient des allures souveraines. Mais c'était un prélat d'une grande ambition, de moeurs séculières, passionné pour le faste, prodigue dans ses depenses, léger, peu appliqué aux affaires, et d'une renommée peu faite pour le recommander aux regards de l'opinion publique; car c'était lui qui avait vendu Verceil, et ordonné le sac de Césène.“ Hist. de la Papauté pendant le XIVe siècle. T. III. L. XIII.

discutiemus, ut argumenta, quibus sententia nostra nititur. in clara luce ponamus.[1])

Praeparatio electionis. 8. Ea imprimis consideranda sunt, quae *ante Urbani electionem* evenerunt. — Quum moreretur Gregorius XI. viginti tres numerabantur Cardinales,[2]) ex quibus sedecim Romae degebant, sex Avenione remanserant, et unus (Cardinalis Ambiensis) a Gregorio in Tusciam ad pacem cum

---

[1]) Praecipuum documentum contra valorem electionis Urbani est: Declaratio Cardinalium adversus Bartholomaeum archiepiscopum Barensem d. d. 2 Aug. 1379. Cum hac declaratione conveniunt Vita I et II Gregorii IX ap. Balut. Vit. Pont. p. 442 sqq.; narratio de initio schismatis ex codice Leodiensi ap. Martene Vet. Script. T. VII. p 426; et depositiones testium quas in Vit. Pont. p. 999—1230 collegit Balutius, ut opponerentur documentis a Raynaldo T. XVII pro Urbano allatis. — Praecipuum documentum pro valore electionis Urbani est relatio ipsius Urbani quam sub titulo *Factum* transmisit regibus et principibus. Huic consentit alia relatio, cui pariter titulus *Factum*, quae inscribitur a Bulaeo Jacobo de Seva, nobili ex Provincia (Galliae) et Advocato in Curia pontificia. Hic a. 1382 secessit ad Clementem VII, sed postea ad Urbanum VI reversus est. Hoc *Factum* exstat ap. Bulaeum, Hist. Univ. Parisiens. p. 485 sqq. Balutius tamen de Vit. Pont. I. p. 1083 hoc documentum adscribit Joanni de Lignano jurisconsulto peritissimo et vicario generali Bononiensi. — Hujus certe sunt duo *Tractatus pro Urbano VI.* qui habentur ap. Raynald. T. XVII in Appendice. — Accedit relatio Thomae de Acerno, jurisperiti et episcopi Lucernae, qui tanquam minister Joannae reginae Neapolitanae tempore electionis Urbani Romae degebat, fuitque testis oculatus eventuum quorum enarrationem juramento confirmavit. — Theodoricum de Niem ejusque opus jam commemoravimus. — Praeterea apud Raynaldum varia alia documenta et testium inveniuntur depositiones. Collegit eadem ex triginta voluminibus bibliothecae Vaticanae, quibus documenta ad schisma spectantia continentur. — Vide de his auctoribus Hefele C. Gesch. VI § 712. — Etiam variae epistolae s. Catharinae Senensis, et testimonium s. Catharinae Suecicae, quae illo tempore Romae aderat, permagni in nostra quaestione sunt momenti.

[2]) Cardinales hi erant: Anglicus Grimoard, Cardinalis Albanensis, frater Urbani V; Aegidius Aysselin, Cardinalis Tusculanus; Joannes de Blandiaco (de Blausac), Cardinalis Sabinensis; Petrus de Monteruco, Cardinalis tit. s. Anastasiae; Gulielmus de Chanaco, Cardinalis tit. s. Vitalis; Hugo de s. Martiale, Cardinalis tit. s. Mariae in Porticu. (Isti sex Cardinales Avenione morabantur.) — Joannes de Grangia, tit. s. Marcelli, Cardinalis Ambiensis (legatione in Tuscia fungens). — Petrus Corsinius episcopus Portuensis, vocatus Cardinalis Florentinus; Joannes Crosius (de Cros) episcopus Praenestinus, vocatus Cardinalis Lemovicensis; Gulielmus de

Florentinis componendam missus erat. Ex sedecim Cardinalibus Romae praesentibus undecim erant Galli, unus Arragonus (P. de Luna), et quatuor Itali, videlicet Cardinales Mediolanensis, Florentinus, Franc. Thebaldeschi seu Cardinalis s. Petri, et Jacobus Ursini. Quum diebus ingressum in Conclave praecedentibus inter Cardinales quaestio de eligendo Pontifice agitaretur, ipsi ultramontani inter sese discordes fuerunt. Quinque enim Cardinales Lemovicenses desiderabant iterum Papam suae nationis, quales fuerant quatuor ultimi Pontifices, vel Petrum de Sortenaco Cardinalem Vivaricensem (Viviers), oriundum ex vicino territorio Cadurcensi; reliqui vero Galli omnino renuerunt eligere iterum candidatum Lemovicensium. Sic factum esse videtur, ut jam antequam conclave ingrederentur Cardinales de Italo cogitarent; quumque ipsi Cardinales Itali variis ex rationibus minus convenire viderentur, aliorum etiam, extra collegium, mentio facta est, uti ipsius Bartholomaei de Prignano.

9. Venerunt autem ad Cardinales saepius illo intervallo Senator et Officiales populi Romani aliique petentes, ut Romanum, vel saltem Italum eligerent Pontificem. Secundum *Factum* Urbani id petierunt convenienti modo, exponentes permagna mala quae pro Romanis et pro Ecclesia ex residentia Pontificum in Gallia provenerint.[1]) Juxta *Declarationem* Cardinalium *supplicaverunt eosque re-* Romanorum petitio.

Agrifolio. Cardinalis tit. s. Stephani; Franciscus Theobaldeschi, vocatus Cardinalis s. Petri; Bertrandus Lagerius, tit. s. Caeciliae, vocatus Cardinalis Glandacensis (Glandève); Hugo de Montelegum (Montrelaix), tit. ss quatuor Coronatorum, vocatus Cardinalis Britannus (de Bretagne); Simon de Brossano tit. ss. Joannis et Pauli, Cardinalis Mediolanensis; Guido de Malesicco (Malesec), tit. s. Crucis, vocatus Cardinalis Pictaviensis; Jacobus Ursini, Cardinalis tit. s. Georgii in velo aureo; Gulielmus Noëlletus, Cardinalis tit. s. Angeli; Petrus de Vernhio (de Verruche), Cardinalis tit. s Mariae in Via lata; Petrus de Luna, Cardinalis tit. s. Mariae in Cosmedin; Petrus Flandrini, Cardinalis tit. s. Eustachii; Geraldus de Podio (du Puy), tit. s. Clementis, vocatus Cardinalis Majoris-Monasterii; Robertus Gebennenis, Cardinalis tit. duodecim Apostolorum; Petrus de Sortenaco, tit. s. Laurentii in Lucina, vocatus Cardinalis Vivariensis (de Viviers).

[1]) V. Raynald. a. 1378. n. 76.

quisierunt, ut eligerent Papam Romanum vel saltem Italicum, addentes ut ante ingressum Conclavis vellent ipsos ad consolationem populi de hoc clarificare, et aliquibus vicibus subjunxerunt, quod aliter dubitabant de maximis et irreparabilibus periculis et scandalis, quum viderent et cognoscerent corda civium nimium sublevata. Conqueruntur ulterius Cardinales, plura millia armatorum rusticorum[1]) in Urbe adfuisse, et suo agendi modo Urbis Officiales et populum metum Cardinalibus injecisse. Bertrandus Lagerius Cardinalis Glandacensis (Glandève) autem ante ingressum in Conclave, die 6° Aprilis coram notario et testibus protestationem fecit, se, quum pericula praeparari videat, Cardinalibus declarare, non alium in Pontificem eligere velle, nisi ultramontanum, si vero alium eligeret, id fieri metu mortis et irritum esse ejusmodi suum suffragium.[2]) — Quum die 7° Aprilis Cardinales ingrederentur Conclave in palatio Vaticano, magna adfuit multitudo hominum armatorum;[3]) clamoribus expetitum esse Pontificem Romanum (*vel saltem Italum*) conveniunt omnes, minas additas esse Cardinales queruntur.

Cardinales liberi.

10. Sed ex ipsorum Cardinalium declaratione peremptorium colligitur argumentum, eousque Cardinales ex influxu timoris nequaquam consilia sua cepisse. Scribunt enim: *Duodecim* (Cardinales) *erant ultramontani, facientes ultra duas partes collegii post vacationem, antequam intrarent*

---

[1]) Hi tamen, teste Thoma de Acerno, neminem offenderunt.

[2]) Haec protestatio Cardinalis Glandacensis non exstat, sed declaratio solemnis ipsius ac testium qui adfuerunt, de protestatione ejusmodi facta, in qua dicitur, notario commissum fuisse ut instrumentum conficeret, sed ipso mox mortuo instrumentum *de protocollis* ipsius non jam posse haberi. Declaratio Cardinalis facta est postquam ab Urbano VI defecerat et Clemens VII erat electus, die 10° Decembris a. 1378. Factum admittunt ut verum graves auctores, uti Hefele et Christophe. Cardinalis Glandacensis tamen ab Urbano VI episcopatum Ostiensem accepit, eique cum reliquis Cardinalibus adhaesit. Unde a protestatione illa, si facta est, recessisse videbatur. — Vide declarationem ap. Christophe l. c. T. III. p. 452.

[3]) Solemniter sane in tanto eventu Romani permagno numero Cardinales ad palatium Vaticanum comitati sunt; arma vero portare consuetum erat medio aevo.

conclave, et in introitu et post usque ad tempus impressionis de qua infra dicetur, continue fuerunt in voluntate et proposito et deliberatione, etiam ex causis tangentibus Ecclesiam sanctam Dei, eligendi de Collegio et non de extra, et eligendi ultramontanum et non Italicum, et Domini Italici erant etiam in deliberatione eligendi de Collegio et non de extra, licet tenderent, ubi bono modo posset fieri, ut unus ex Italicis de Collegio eligeretur, et in ista voluntate permanserunt etiam postquam intraverunt Conclave usque ad crastinum, quo audierunt more solito missas suas. — Quod asserunt propositum ipsis fuisse eligendi ultramontanum, si intelligitur de desiderio et spe nondum plane abjecta perveniendi ad concordiam hoc in negotio, admitti potest; at dubium non esse videtur, jam ante ingressum in Conclave plures in mente habuisse electionem alicujus Itali. Caeterum pro tempore id probasse sufficit, Cardinales ipsos convenire, se per postulationes, minas, tumultus ante Conclave initum haud timore perculsos fuisse, atque etiam in Conclavi intrepidos perstitisse, donec quaedam facta determinata advenerint.

11. Jam examinemus, quo modo in Conclavi res per- Res in Conclavi peractae.
actae fuerint. — In epistola abbatis Sistrensis ad Arragoniae regem describitur, honorificentissime Cardinales a magistratibus in Conclave deductos; dein, „his peractis, ait, quidam ex capitibus regionum ivit ad fenestram Conclavis et dominos Cardinales alloquitur in hunc modum: Reverendissimi Patres et Domini nostri, veritas est, quod multoties per officiales urbis supplicatum exstitit, ut talem eligeretis, qui Deo et mundo esset acceptus, et vos respondistis, quod quia erat iste actus divinus, non poteratis eis aliquid certitudinarie respondere: sed procuraretis hominem justum et Deo carum eligere, per cujus industriam bene Dei Ecclesia regeretur. Scitis enim Domini mei, quod in introitu Conclavis multi clamaverunt rogantes vos, quod eis daretis Italicum vel Romanum; nunc autem pro parte totius populi sum missus ad paternitates vestras, et vobis eorum pro parte notifico, quod solum volunt eis dari Romanum, nec essent contenti de Italico; timent enim, ne

sub aliqua conventione secreto inter vos et aliquem Italicum non Romanum inita, ipse post electionem reduceret Curiam Avenionem. Unum pro Deo placeat vobis, contentare populum et eis solum dare Romanum, alias timeo, ne scandalum oriatur, quod nobis et vobis poterit verisimiliter displicere." Ex his jam vides, Cardinales, si vere timori cessissent, debuisse Romanum eligere; sed ut suam libertatem assererent id noluerunt, at Neapolitanum creaverunt Pontificem. Praefecto isti regionum sic respondit nomine omnium Cardinalis Glandacensis: *„Multum mirantur Domini mei et ego, qualiter nos sic infestatis, quia tibi et populo Romano satisfacere debent responsiones nostrae vobis pluries factae super isto negotio. Recedatis igitur, quia sic semper diximus, sicut dicimus nunc, nec a nobis aliam responsionem poteritis obtinere. Ille autem recedens sic dixit: Placeat Deo, quod nobis detis Romanum, alias pro certo aliud quam verba sentietis.* Facta relatione aliis Cardinalibus, Cardinalis Lemovicensis, Joannes Crosius, in haec verba prorupit: *Domini mei vos videtis, quod isti Romani primo petierunt unum, qui deberet esse acceptus Deo et mundo, nec excipiebant patrias vel personas; demum in introitu Conclavis generalissimam propositionem restrinxerunt ad unam nationem scilicet Italicam; nunc autem nec hac contenti ad specialissimam restringunt, scilicet Romanam; quod etiam si non fecissent, sed starent etiam sub ista ultima speciali, non video, quod de Romano fieri posset electio, quia Deo et mundo diceretur veraciter impressiva.*[1]) Ex his colligitur clare, Cardinalibus propositum fuisse, ut libertatem suam eo ipso manifestarent, quod postulationibus haud accedentes non eligerent Romanum.

Electio Pontificis.

12. Relatio *de ipsa electione* in *Facto*[2]) Urbani ejusmodi est: „Adveniente die 8ª ejusdem mensis in mane sequenti dicti sexdecim tunc Cardinales fecerunt coram se duas missas celebrari, unam de sancto Spiritu, aliam de feria concurrenti: et dicto conclavi bene clauso undique firmato, existentes in capella palatii praedicta intra dictum

[1]) Ap. Raynald. a. 1378. n. 4.
[2]) V. Raynaldum a. 1378. n. 73—96.

conclave inceperunt de negotio electionis colloqui et tractare, et tunc Cardinalis Pictaviensis dixit ad partem Cardinali Mediolanensi: In effectu, quid dicitis vos, Domine Mediolanensis? Videturne vobis bonus Papa archiepiscopus Barensis? Affirmante Mediolanensi adverterunt Cardinales qui jam antea in Barensem animum intenderant, se habituros esse pro ipso sufficientem numerum suffragiorum, et Cardinalis de Agrifolio dixit reliquis: Domini sedeamus omnes, statimque pro certo credo, quod in continenti eligemus et habebimus Papam. Et tunc Cardinalis de Ursinis cum perpenderet seu praesentiret concordiam praedictorum in dictum tum Barensem archiepiscopum, volens negotium dictae electionis dividere vel differre, vel, ut creditur, impedire, dixit haec verba in effectu: O domini mei, differamus, si placet, istam electionem, ut possimus deludere illos aliquos Romanos, qui vellent habere et petierunt Papam Romanum, et vocemus ad nos unum fratrem Minorem Romanum, imponamus ei cappam et mitram, fingentes eum elegisse in Papam, et sic recedemus de loco isto et postmodum alium eligemus.“

13. Hanc propositionem Cardinalis Ursini, qui dicitur ipse ambiisse tiaram, cum indignatione rejecit Cardinalis Lemovicensis, advertens, se modo non curantes petitiones populi verum Papam electuros esse. Quum consedissent proposuit Cardinalis Florentinus electionem Cardinalis s. Petri, sed noluerunt eum alii elegere eo quod esset Romanus et senex infirmus. „Et in continenti dicto conclavi adhuc clauso et firmato undique, et omnibus qui erant in dicto palatio et circa ipsum palatium silentium tenentibus, . . . Cardinalis Lemovicensis audientibus omnibus aliis tunc Cardinalibus, elegit praefatum Dominum nostrum (archiepiscopum Barensem) in Papam Romanum Pontificem dicendo haec verba: Ego pure et libere eligo et sumo in Papam dominum Bartholomaeum archiepiscopum Barensem, et animo et voluntate quod sit verus Papa; et illico sine temporis intervallo praefati alii tunc Cardinales in numero sufficienti, ac facientes majorem partem duarum partium ipsorum omnium tunc Cardinalium, pure et libere eumdem Disceptatio Cardinalium.

tunc Barensem archiepiscopum similiter in Romanum Pontificem elegerunt; tunc Cardinalis Florentinus, videns quod duae partes et plures dictum archiepiscopum elegerant, ipsis adhaesit, et eumdem archiepiscopum pure et libere elegit in continenti." — Narratur dein, Cardinales haud voluisse statim publicare electionem, tum quod timerent, ne electo nondum in Vaticano praesenti mali quid fieret eo quod non esset Romanus, tum quod vasa quaedam argentea et alia in Conclavi existentia asportare desiderarent, ne juxta abusum temporis a Romanis raperentur. Factum vero est, (forte quum vasa illa efferrentur), ut rumor in populo spargeretur, electionem jam esse factam, indeque tumultus exortus est. Quum clamoribus postularent, ut quis esset electus ediceretur, missus fuit ad custodiam Conclavis episcopus Massiliensis, qui locum tenebat camerarii, isque lingua sua vulgari dixit: Allez à Saint Pierre. Inde multi intellexerunt, Cardinalem s. Petri esse electum, et alii ejus palatium spoliarunt, alii remanentes juxta Vaticanum magno cum gaudio clamarunt: „Romanum voluimus, Romanum habemus." Major propterea sollicitudo orta est Cardinalibus, ne si notum fieret, Barensem esse electum, ipsi mali quid accideret, et cum quinque aliis episcopis sub praetextu negotiorum s. Ecclesiae eum ad palatium Vaticanum accerserunt.

Episcopus Barensis eligitur.

14. Prandio peracto et „omnibus intus et extra silentium tenentibus, dictoque Conclavi undique clauso bene et firmato, dicti tunc Cardinales in capella supradicta iterum se retraxerunt, et iterato convenerunt, et ad majorem expressionem liberae voluntatis et consensus eorum, ad majorem cautelam in praefatum tunc episcopum Barensem iterato pure et libere, concorditer et unanimiter consenserunt, dicentes expresse, quod eum libere et animo et voluntate ut esset verus Papa eligebant. Quum ex timore nondum electionem publicarent, Romani aliqui per aperturam quae pro vasis deportandis de mandato Cardinalium facta erat, ingressi sunt, exploraturi, quis esset Papa. Tunc Cardinales ultramontani correpti timore, ne si cognosceretur, Romanum haud esse electum, pessime a populo tracta-

rentur, multis precibus moverunt Cardinalem s. Petri senem infirmum, ut sineret sibi indui cappam, ac si in Papam electus esset; *et indutus fuit cappa et mitra papali et in sede positus*. Porta dein aperta multitudo intravit, et magnis reverentiae signis Cardinalem s. Petri affecit; reliqui autem Cardinales interea recesserunt. Sed Cardinalis s. Petri mox omnibus declaravit: *Ego non sum Papa, nec antipapa esse volo, sed melior me est electus in Papam, scilicet archiepiscopus Barensis*. Ex his omnibus tumultus exortus est; aliqui Cardinales timentes, ne populus propter electionem viri qui Romanus haud erat, et propter fictionem istam in ipsos inveheret, in castellum s. Angeli se receperunt; alii ex Urbe egressi sunt; alii in suis hospitiis remanserunt, nihilque tamen mali ipsis factum est. Vespere varii Cardinales, qui ex Urbe excesserant, scripserunt ad Barensem in palatio Vaticano existentem de electione ipsius, ac monuerunt eum, ut propter iratos Romanos in tutum se reciperet locum; sed suadente Cardinali s. Petri, cum ipso hoc Cardinale in palatio Vaticano remansit. — Altera die 9° Aprilis electio de consilio Cardinalis s. Petri primum Officialibus populi Romani annuntiata fuit, qui se plane contentos ostenderunt, et etiam Cardinales in castello s. Angeli degentes certiores reddiderunt, nihil omnino ex parte populi Romani timendum esse. Cardinales dein qui Romae aderant, (erant autem duodecim), post meridiem in palatio Vaticano solemniter confirmarunt Barensi, ipsum rite et legitime in Pontificem electum esse, et institerunt ut electionem ratam haberet. *Ipse vero electus, precibus et instantiis devictus, cum tremore et timore praefatae electioni consensit*. — Deinde solemnitates solitae peractae sunt, et Cardinales plane se gesserunt erga Urbanum VI ut erga Papam legitimum, *et inter caetera petierunt humiliter plenam absolutionem omnium peccatorum, et dispensationem super quibusdam irregularitatibus, quas forsan incurrissent; quae omnia idem Dominus concessit; et subsequenter quilibet eorum elegit sibi super his confessorem, per quem in forma Ecclesiae se absolvi fecerunt*. — Ex his colligitur, electionem Urbani legitimam fuisse; sed conferre aequum est etiam *Relationem* Cardinalium.

Electio promulgata.

Cardinalium schismaticorum *Declaratio.*

15. In hac igitur Relatione Cardinales de furore populi multum conqueruntur, ac per totam noctem post ingressum in Conclave maximum fuisse tumultum asserunt. — Sed magnam agitationem in civitate Romana in tali eventu fuisse, certe non mirum est. Erat autem tempus vernum, in Italia jucundissimum, et juxta Thomam de Acerno, multi Romani nocte illa non reversi sunt domum, sed in plateis et tabernis apud s. Petrum per totam noctem in pace ac laetitia cantaverunt et omnino optime sese gesserunt. Profecto non defuerunt inebriati, unde et Urbanus aliquando dixit, non violentiam sed vinolentiam factam esse. — Contendunt dein Cardinales, maximum tumultum altero die mane fuisse, ac propterea campanarum sonu populum fuisse convocatum, et custodes nuntiasse minas populi, nisi Romanus eligeretur. Hinc factum esse, ut Italicum elegerint quasi ex abrupto et sine discussione meritorum, quod secus non fecissent. Referunt etiam, quatuor Cardinales, inter quos Orsini, suffragium vel non dedisse, vel protestatos esse, se ex metu dare votum; reliquos tamen serio elegisse, ex ipsa Declaratione patet. Nam Barensem aiunt nominatim esse *tamquam eis magis notum, et in factis et moribus curiae magis expertum;* et aliquos dixisse, quod *eligebant eum animo et proposito, quod esset verus Papa.* Adjungunt utique, *timore tamen mortis in eorum animis continue perdurante.* Ulterius referunt, plures habuisse intentionem postea in securiori loco eum reeligendi. Concidit autem ex his omnino, quod die 9° Augusti in litteris suis Cardinales contendunt, se elegisse archiepiscopum Barensem existimantes *ipsum, cui tam nefanda impressio . . . nota erat, talis esse conscientiae, quod electionem nullatenus acceptaret.*

16. Post electionem porro, dicunt, se misisse ad populum tumultuantem et dispositum ad rumpendum Conclave, ausos tamen non esse publicare electionem, sed promisisse, quod sequenti die consolarentur eos de Papa Romano vel Italico. — Ex quo satis colligitur, illos nequaquam in eligendo Barensi unice timori cessisse, imo sollicitos fuisse, ut dum Italicum, non vero Romanum, eligebant.

libertatem sibi vindicarent. — Reelectionem post prandium factam etiam commemorant, sed in eodem discrimine ipsos fuisse aiunt, tres abfuisse, et antequam finita res esset, jam populum irruisse in Conclave, clamantem: *Per la clavelata di Dio, Romano lo volemo.* Ut mortem effugerent finxerunt, Cardinalem s. Petri esse electum, et dum reverentia ei exhiberetur, reliqui abierunt, et *ad domos proprias ut plurimum sine cappis et capellis aut peditando recesserunt.* Conqueruntur, sequenti die Barensem, qui remanserat in palatio et in cameris papalibus, etiam ter per aliquos dominos qui de urbe recesserant requisitum nullo modo exire voluisse, et requisivisse, ut Cardinales ad ipsum venirent, ac tandem magna cum cordis amaritudine propter metum se eum inthronizasse.[1]) — Parum haec ultima veritati congruere videntur, et multo melius inter se cohaerent, quae superius vidimus, scilicet ad Urbanum misisse illos Cardinales ex Urbe recedentes, ut eum monerent de periculo, et ipsum remansisse, instante Cardinali s. Petri, absconditum in Vaticano.

17. Modo ut ex comparatione utriusque relationis et ex narratione aliorum testium adhuc quaedam elucidentur, haec quoad totum eventum notanda obveniunt. — 1° Tumultus quosdam ante electionem et tempore ipsius adfuisse, admittendum esse censemus. Sed a Cardinalibus haec omnino exaggerantur; videntur enim magna ex parte inde provenisse, quod multi, uti in ejusmodi occasionibus accidere solet, fortiter biberant. Refert Thomas de Acerno, quod magni momenti est, mane, electione nondum publicata, Romanos irrupisse in cellam vinariam Vaticani, atque bibisse Malvasium et vina graeca abundantissime et clamasse, Papam volumus, Romanum volumus. Caeterum in palatium Vaticanum, ait, ipsos nec potuisse nec voluisse irrumpere. Cardinales in confuso ejusmodi tumultus describentes, inde occasionem ceperunt asserendi, populum voluisse infringere Conclave. — 2° Ipsa electio serio et satis tranquille peracta, atque Barensis creatus est vera voluntate Cardinalium ut esset Papa. — 3° Considerandum

Eventuum discussio.

[1]) Cfr. haec ap. Raynaldum a. 1378. n. 63 sqq.

Eventuum discussio.

est, quod Cardinales reticent, ultramontanos inter se discordes fuisse, adeoque facillime suffragia Italo acquiri potuisse. Romanum porro eligere noluerunt, tum quia nec Cardinalis s. Petri, senex infirmus, nec Cardinalis Ursini junior et ambitiosus, conveniebant, tum quia deferre populo nolebant, ne libertas ipsorum adempta videretur. Electio igitur Barensis maxime opportuna et conveniens ipsis erat, *eo vel magis, quod reputabant etiam ipsum Cardinales tanquam ultramontanum et ipsorum moribus conformem, ex eo quod fuerat multo tempore moratus et conversatus cum eis in Avenione in Romana curia.*[1]) Propositio Cardinalis Ursini ostendit quidem, aliquam commotionem animorum adfuisse, sed non est magni momenti, praesertim si attendatur, testibus Thoma de Acerno et Theodorico, ipsum appetiisse tiaram. — Electio jam versus horam nonam facta est; dein ex verbis quibusdam male intellectis rumor ortus, Cardinalem s. Petri electum esse. Barensis vero et alii episcopi accersiti venerunt sine incommodo ad palatium Vaticanum, atque ibi tum ipsi tum Cardinales, separatim tamen, prandium sumpserunt. Post prandium a Cardinalibus, exceptis tribus, reelectio facta est ad plenam securitatem, et post hanc, forte tamen ritu non plene absoluto, varii primum per aperturam factam pro asportandis vasis intraverunt. Dein Cardinales timore correpti adduxerunt Cardinalem s. Petri, ut Pontificem se fingeret. — Refert Theodoricus etiam aliam causam commotionis, quae versus tempus prandii in multitudine orta est. Scilicet aliquem, ait, de palatio clamasse: „Barensis est electus in Papam“; populum vero quum parum cognosceret archiepiscopum Barensem, intellexisse electum esse Joannem de Bare, Gallum, cubicularium quemdam Gregorii XI, hominem superbum et multis exosum.[2]) — 4° Ratio fugae aliquot Cardinalium vespere erat timor eorum, ne Romani propter fictionem et electionem Neapolitani eos male tractarent; unde iterum apparet, in creatione Barensis eos noluisse obsequi clamoribus multitudinis

[1]) *Factum* Urbani ap. Raynald. a. 1378. n. 80.
[2]) De Schismate L. I. c. 2.

Postea vero, uti etiam Thomas et Theodoricus referunt, Cardinales non coacti, sed sincere Urbano adhaeserunt, eique omnia signa agnitionis ut veri Pontificis praestiterunt. *Tunc*, scribit Theodoricus, *nullum dubium nullusque rumor sinister erat in urbe Roma, etiam inter Cardinales et alios quoscumque, quod idem Urbanus non esset verus Papa, aut quod per impressionem vel alias minus canonice foret electus. Imo omnes ipsi Cardinales tunc temporis scriptis et dictis publice dicebant omnibus, etiam secum de ipso Urbano conferentibus, quoniam ipse Urbanus esset verus Papa et canonice et concorditer per ipsos electus: et haec est veritas, nec potuit revera negari.*[1]) — 5° Ex his omnibus concluditur, electionem Urbani VI omnino validam, legitimumque ipsum fuisse Pontificem. Nec enim desiderium illud inefficax aliquot Cardinalium, ut haberent Papam Lemovicensem vel Gallum, obstabat valori electionis, nec animi commotio ex aliquali metu. Quodsi vero electioni Urbani aliquis naevus adhaesisset, iste plane ablatus esset per subsequentem adhaesionem Cardinalium et totius Ecclesiae.

18. Jam consideremus ea quae acciderunt *post inceptum Urbani VI pontificatum*, schismatisque originem ob oculos ponamus. — Urbanus sine mora ad omnes episcopos et principes christianos litteras dedit de sua assumptione ad Sedem Apostolicam, Cardinales vero quam plurimis actibus publice eum venerati sunt ut Papam, litteras etiam privatas ad varios principes de electione Urbani scripserunt, et speciatim missa epistola Cardinalibus Avenionensibus electionem Pontificis solemniter nuntiaverunt. *Luciferi*, scribunt, *nescientis occasum, ut pie credimus, radiis illustrati, circa illam diei horam, qua Spiritus ille Paraclitus in sanctorum discipulorum corda descendit, ad personam Rdi in Christo Patris domini Bartholomaei archiepiscopi Barensis, viri utique magnorum meritorum claritate conspicui, et multiplicium virtutum lampade refulgentis, libere et unanimiter direximus vota nostra, eum ad celsitudinis Apostolicae speculam evocantes.*[2]) Sane si eo tempore existimassent, **Eventus subsequentes.**

[1]) De Schism. L. I. c. 3.
[2]) Raynald. a 1378. n. 19.

electionem Urbani non esse legitimam, indigna fuisset comoedia eam adscribere inspirationi Spiritus sancti, et tam magnifice de Urbano loqui. Cardinales Avenionenses pariter Urbanum agnoverunt. Episcopatus et alias gratias Cardinales ab Urbano accipiebant, sacram eucharistiam ex ejus manu suscipiebant, et in solemnibus festis ex more ei ministrabant.

Causae defectionis.

19. Haud ita facile est invenire *veras defectionis causas*, et accurate totam seriem tristissimi illius eventus cognoscere. Plura concurrisse videntur, quae breviter innuemus. — Aliqua oppositio inde ab initio remansit in castello s. Angeli ex parte castellani Petri Rostagni. Ipsi ex parte Gregorii XI, uti asserebat, mandatum erat, ne castellum alicui traderet sine consensu Cardinalium qui Avenione remanserant. Hinc noluit Urbano arcem istam tradere, sed ad sex Cardinales Avenionenses misit epistolam, in qua hac de re eos consuluit, simul edicens, sibi electionem Urbani propter metum incussum non videri legitimam. Cardinales tamen ei scripserunt, ut castellum traderet; sed ipse noluit, et illud in sua retinuit possessione. Unde ibi facile centrum aliquod oppositionis figi poterat. — Cardinales porro videntur sperasse, Urbanum, moribus Gallorum addictum, reversurum esse Avenionem; sed ipse rogatus ab eis omnino id recusavit.[1]) *Audivi*, scribit Thomas Petra, *asseri per Dominum nostrum praedictum, quod discordia illorum tunc Cardinalium fuit, quia requirebant eum quod iret ultra montes, et ipse penitus recusavit.*[2]) — Optime quidem hac in re fecit; sed eum insolentia quadam imprudenti et duritie multos offendisse negari non potest. *Die lunae Paschatis*, scribit Theodoricus, *in capella majori, me praesente, ipse Urbanus publice incepit increpare episcopos, qui illic venerant, dicendo, quod omnes essent perjuri, quia ecclesias suas desererent in curia residendo. . . . Subsequenter autem die lunae immediate post secundam dominicam post Pascha ipse Dominus Urbanus tenendo publicum consistorium...*

---

[1]) V. Raynaldum a. 1378 n. 24; Balut. V. P. I. 994. 1209.
[2]) Ap. Balut., V. P. II. p. 1222.

incepit sermonem facere, cujus thema fuit: „Ego sum pastor bonus", quem minus caute nec non etiam minus ornate fecit, in quo etiam mores Cardinalium et praelatorum incepit redarguere, quod ipsi aegre tulerunt. . . . Fuerunt increpationes illae intempestivae fomentum schismatis subsequentis. Collectori fructuum Camerae Apostolicae offerenti summulam ratione sui officii *respondens ait: Pecunia tua tecum sit in perditionem ac illum recipere non curavit. Similia multa insolita et abusiva de die in diem faciens, per quae paene omnium ipsorum Cardinalium et praelatorum contra se magis iracundiam concitavit.*[1]) Mox etiam edixit, sibi propositum esse tot creare Cardinales Romanos et Italos, ut ultramontanorum numerum isti excederent. Hinc praeponderantiam Gallorum, quam per multos annos habuerant, jam vehementer periclitari Cardinales videbant.

20. Multa alia exempla imprudentiae Urbani Theodoricus et alii referunt, et Cardinales, quos verbis acerbis frequenter vexabat, eum communiter ut delirum habuisse ipse asserit.[2]) Qua in re certe falso judicabant, et attendendum hac in re sane est, a gravibus personis Urbano VI addictis alias quoque indicari rationes, cur abalienati a Pontifice fuerint Cardinales. De hisce ita Raynaldus: „Abalienatos a Pontifice fuisse Cardinalium animos, atque Anagniam ad agitanda in eum conventicula abiisse, cum Urbanus nonnullis sanctionibus nimiam Cardinalium licentiam coërcuisset, testatur Thomas designatus episcopus Lucerinus, de quo exstant publicae tabulae: *Item inquit diligenter interrogatus, quod propter aliquas suas Constitutiones, quas fecerat dictus dominus noster Papa, quae ligabant ipsos Cardinales, conceperunt odium contra dictum dominum nostrum Papam, unde caute et astute sciverunt licentiam habere a dicto domino nostro Papa, et se de Urbe ad Anagniam transtulere.* Confirmat haec Cardinalis Ravennas (Pileus) in litteris ad Gallorum regem.[3]) Ob ademptas pensiones

Cardinalium aversio.

---

[1]) Theod. de Niem, L. I. c. 5.
[2]) Ibid. c. 7.
[3]) Exstant ap. Raynald. a. 1379 n. 51.

et simoniacas sordes vetitas crevisse odia ex veteribus monumentis constat, confirmatque s. Catharina Senensis (ep. 21.), movisse Cardinales rebellionem, cum ipsos sordescere in vitiis non pateretur. Consentiunt his quae Walsinghamus de hac Cardinalium defectione scripsit. ‚Ex post, inquit, cum ipse Cardinalis (nempe Robertus Gebennensis) et caeteri de Collegio quibus Ecclesiae perturbatio complacebat, viderent Urbanum Papam ut summum Pontificem per omnia condecenter agere, contra avaritiam ipsorum disputare, adversus injustitias disceptare, et in omnes simoniacos intrepide terribiliter fulminare, poenituit eos fecisse hominem. Augebat insuper furorem eorum, quod protestatus fuerat, se justitiam facturum inter virum et virum, et maxime inter reges Francorum et Anglorum, per quorum paene discordias tota christianitas detrimentum accepit. Favebant nimirum regi Francorum ejus illecti muneribus, unde et metuebant, ne aliquid salubriter statueret contra eum, propter quod vel eorum minueretur commodum, vel opinio penes regem. His itaque et iis similibus causis desciverunt.‘ . . . Didicisse aliam dissensionis hujus causam ex ipsius Urbani ore, narrat Thomas Petra canonicus Patracensis, eum scilicet sollicitatum nempe a Cardinalibus fuisse, ut Sedem Apostolicam transferret Avenionem, eoque dicente in pace continendam esse Italiam, ac ditionem ecclesiasticam componendam, tum instauranda collapsa Urbis templa, illos subjecisse, nunquam pontificatus honoribus Italiam potituram.“[1]) Etsi in his quaedam accusationes contra Cardinales sint forte aliquantisper exaggeratae, conferenda tamen haec sunt iis quae superius diximus, ut omnibus perpensis aequum judicium de scissionis causis feratur.

Urbani defectus.

21. Concedendum esse censerem, Urbanum VI non omnino parem fuisse, qui sublimissimam pontificatus dignitatem sustineret, et ex charactere ejus et indole varia explicantur satis singularia ab ipso facta. Erat videlicet

[1]) Raynald. ad a. 1378 n. 25.

Urbanus, ut videtur, vir angustioris ingenii, qui in minoribus quidem constitutus optime res suas agebat; sed quum ad apicem summum praeter omnem exspectationem esset elatus, impar erat tali ferendo oneri atque honori. Sunt videlicet viri ingenii et mentis angustioris ex una parte pertinaces in judiciis suis, et suspiciosi erga alios; ex alia parte medium, in quo stat virtus, haud tenentes ad extrema violenter declinant. Urbanus, uti vidimus, ipse ducebat vitam severam et ad rigorem potius dispositus erat; hinc quando Papa factus est, severissimo judicio Cardinalium gesta et largiorem eorum vitam lustrabat, et corrigere studebat. Rigore incongruo hac in re utebatur, simulque, uti angustioris mentis homines in altis positi judicio practico quoad negotia gerenda destituuntur, acrimonia quadam insolente Cardinales vituperabat nec dignitatem eorum satis suspiciebat. Et quamvis certe corde non esset elatus, externe tamen dignitatem suam sublimem cum exaggeratione quadam coram aliis ostendebat, existimans, quantum censeo, id opportunum esse, ut debitae Pontificis muneri reverentiae provideret. Etiam justitia ejus postea in nimium rigorem degenerare visa est; nepotulo autem suo Francisco ita addictus erat, ut ad summos principum honores studeret eum evehere, et mores dissolutos ejus ut alius Heli excusaret dicens: Juvenis est, quamvis haberet quadraginta annos). Semper tamen pius fuit Urbanus, constans in adversis et vitae integerrimae.

22. Quum igitur illi defectus characteris Urbani mox apparerent, et ipse valde molestus esset Cardinalibus, electionis talis eos poenituit, et facile mentem eorum dubia de validitate afficere poterant. Unus alterve ex Cardinalibus, uti Glandacensis, Noëlletus Cardinalis s. Angeli, et Cardinalis Britannus (Hugo de Montelais) dubia moverant, quatenus ipsi, ut dicebant, non nisi specietenus ex metu suffragium dedissent. Hinc videntur primum cogitasse de reelectione ipsius Anagniae facienda, si vera sunt ista Cardinalis Glandacensis: *Omnes Cardinales intendebant ad evitandum scandalum, si fuisset aptus, quando fuissent in*

Cardinalium nisus.

Anagnia ipsum eligere.[1]) Mense Majo, concedente Urbano, primum duo Cardinales, ut calores aestivos vitarent, Anagniam petierunt, quos paulatim reliqui ultramontani, partim licentia obtenta, partim sine eadem, secuti sunt: Itali Romae manserunt. Initio Cardinales Anagniae degentes continuarunt Urbano litteris scriptis testari reverentiam suam, sed paulo post ei facti sunt hostiles. Probabiliter, quum simul essent et vehementer irritati querelas de Urbano miscerent, ac varii de timore incusso conquererentur, voluntatis affectu intellectum seducente, paulatim opinionem sibi finxerunt, se ex majori saltem parte revera sub tali metus influxu fuisse, ut electio valore careret. Haud enim auderem, omnes illos Cardinales talis arguere perversitatis, ut puro et putido mendacio contra mentem et persuasionem suam valorem electionis negarent. — Praeterea vero cum rege Galliae et fratribus ejus secreto tractaverunt; metum iis injecerunt, ne Urbanus regnum Arelatense ipsis eriperet. Unde ad dejiciendum Urbanum incitati esse videntur, vel saltem testante Bonifatio IX antipapam non elegerunt, donec pestiferum assensum principum Galliae obtinuerunt.[2])

Electio antipapae. 23. Mense Junio aversio Cardinalium magis se manifestavit, et jam edicebant, invalidam esse electionem Urbani; attamen nondum convenerant, qua ratione procederent. Varia ab Urbano dein tentata sunt media reconciliationis per Cardinales Italos. Urbanus eousque cessit, ut offerret litem dirimendam relinquere Concilio generali, sed etiam hanc propositionem Cardinales ultramontani rejecerunt. Versus finem Augusti profecti sunt Fundos, atque tunc etiam Itali se ipsis junxerunt, excepto Cardinali s. Petri aegrotante, qui Urbano fidelis usque ad mortem, et testans, ipsum esse Pontificem, die 7° Septembris migravit ad Christum. Urbanus autem inter haec discrimina vehementissima quidem est affectus tristitia; sed confortatus maxime a s. Catharina Senensi, constans in officio

---

[1]) Ap. Balut, V. P., T. I. p. 1080.
[2]) Cf. Hefele, C. G., VI. §. 713.

suo permansit, et quum ab omnibus Cardinalibus derelictus esset, die 18° Septembris viginti novem Cardinales novos creavit. Die autem nefasto 20° Septembris Cardinales rebelles schisma consummarunt, et Robertum Genebensem elegerunt in antipapam. Modus electionis ejus sic describitur in depositione Petri de Crosso, archiepiscopi tum Arelatensis et Camerarii Papae: *Item quod tres Cardinales Italici accesserunt ad villam Fundorum super tractatu electionis, et quilibet ipsorum praesumebat, quod eligeretur in Papam. Et cum una die omnes Cardinales et illi tres Italici intrarent in consistorium, iste Camerarius custodiebat portam: Et tunc dixit dominus Cardinalis Lemovicensis domino Cardinali Florentino, quod inciperet propositionem, quia ad eum spectabat, cum esset Prior Episcoporum Cardinalium. Et excusavit se dominus Florentinus. Tunc incepit sic dominus Lemovicensis: Quia video, quod Gallici vellent Gallicum et Italici similiter Italicum, ego non nomino Gallicum nec Italicum, sed nomino et eligo alium, qui non est Gallicus nec Italicus, scilicet dominum Robertum Cardinalem Gebennensem, qui est natione Allemaniae. Hunc eligo in summum Pontificem. Tunc successive, nemine discrepante, omnes Cardinales elegerunt eum, exceptis praedictis tribus Cardinalibus Italicis.*[1]

II.

De schismatis incremento.

24. Magno quidem dolore correptus est Urbanus, quando quae acciderant ad ipsum relata sunt, nec tamen statim contra antipapam et Cardinales rebelles rigore usus est, atque initio a censuris ferendis abstinuit. Sperabat videlicet fore, ut unio restitueretur; sed spes eum fefellit. Ex utraque parte missae sunt litterae encyclicae ad principes et episcopos, atque factum est, ut societas christiana Gesta post electionem.

[1] Balut., V. P., I. p. 1237.

in duas scinderetur Obedientias, quarum altera, eaque multo amplior, adhaesit *Urbano VI*, Romae sedenti, altera vero Roberto seu *Clementi VII* antipapae, qui Avenionem reversus est ibique curiam suam habuit. Obedientiam Clementis amplexi sunt reges Galliae, Arragoniae et Castellae, Scotiae et Cypri, Joanna regina Neapolis et Comes Sabaudiae: Urbano VI vero fideles permanserunt Anglia, Britannia minor, Germania, Flandria, Italia si regnum Neapolitanum excipias, Lusitania, Hungaria, Polonia, Suecia, Dania et totus Oriens catholicus.

25. Animadvertendum vero est, dum Clementi pro validitate suae electionis et pro possessione legitima dignitatis non adessent nisi rationes infirmae, ex quibus ipse et Cardinales ejus persuasionem sibi formare *nitebantur*, ex parte Urbani fuisse solidissima argumenta, ac firmissimam persuasionem et *plenam certitudinem* tum ipsum tum successores ipsius merito potuisse habere, se esse legitimos Pontifices, successores Petri et veros Christi Vicarios. Ipsi proinde haud tenebantur propter aliquod dubium proprium quoad auctoritatem suam legitimam adlaborare scissioni exstinguendae, sed tantum propter alias rationes quae salutem spectabant totius populi christiani. — Accedunt vero argumentis, quibus ostendimus legitimam fuisse electionem Urbani suffragia non exigui ponderis, utriusque videlicet s. Catharinae, Senensis ac Suecicae. Atque s. Catharina Senensis non tantum eo tempore in obedientia mansit Urbani, sed ipsa prae caeteris Urbanum monuit, ut firmus et constans in officio suo remaneret, antipapam et ejus Cardinales ut hostes Ecclesiae et diaboli instrumenta denuntiavit, reges, ne iis adhaererent, litteris monuit, aliosque principes et duces adhortata est, ut, Pontifici legitimo adhaerentes, armis etiam Ecclesiae adversarios reprimerent.

S. Catharina Senensis.

26. Jam ante consummatum schisma ipsa direxit ad Cardinales litteras, quibus ab iis petiit, ut a coeptis desisterent. Post electionem vero Clementis Urbanum exaratis 5ª Octobris a. 1378 litteris ad constantiam adversus schismaticos fundendumque pro Christi corpore mystico sanguinem adhortata, hanc insignem addidit sententiam:

Accepi, daemones humana carne indutos non elegisse Christum in terris, sed excitasse antichristum adversum te Christum in terris, quem ego profiteor et non nego te Christi vicarium esse, qui tenet claves cellarii Ecclesiae sanctae, in quo servatur sanguis immaculati agni, cujus minister es, fremant licet et rumpantur adversarii.[1]) Altero anno eam vocatam esse ad Sedem Apostolicam, refert B. Raymundus Capuanus ejus confessarius et biographus, subditque: *Summus Pontifex ea visa gavisus est, voluitque coram Cardinalibus qui tunc aderant, quod verbum faceret exhortationis potissime propter schisma, quod tunc incipiebat. Quod et perfecte fecit, animando unumquemque eorum ad fortem constantiam verbis et sententiis plurimis, ac ostendendo, divinam providentiam semper adesse cuilibet, et potissime cum sancta Ecclesia patitur, et concludendo, quod propter inchoatum schisma in nullo trepidare deberent, sed agere quae Dei sunt et nullum timere. Cumque sua verba complesset, Pontifex exhilaratus, verba ejus reassumpsit, vertens se ad Cardinales dicens: Ecce fratres, ecce fratres, dum timidi sumus, quantum in conspectu Domini reprehensibiles reddimur. . . . His et aliis sermonibus Pontifex se ac fratres suos confortans, virginem sanctam commendavit in Domino, ac gratias quam plurimas spirituales ei pro se ac suis concessit.*[2])

S. Catharina Senensis.

27. Scripsit s. Catharina aliam epistolam ad Carolum V regem Galliae, Clementis fautorem praecipuum, ut eum a schismate fovendo dimoveret; plures vero misit litteras ad Joannam reginam Apuliae, quae quum initio valde addicta fuisset Urbano, mox eum dereliquerat. Iisdem litteris tum precibus eam movere studuit, ut ad Urbani obedientiam rediret, tum minis eam perterruit maximarum calamitatum, quae revera haud ita multo post infelicissimae reginae supervenerunt, quum et regnum ei et vita eriperetur. Postquam vero Urbanus VI Joannam excommunicavit, eam corona privavit, ac Ludovico Hungariae regi et Carolo Duratio regnum illud utpote feudum

---

1) Ap. Raynald. a. 1378. n. 59.
2) Raynald. a. 1379. n. 21.

s. Sedis obtulit, s. Catharina ad utrumque principem quoque epistolas dedit, eos exhortans, ut contra adversarios Ecclesiae fortiter dimicarent. Ita sancta haec virgo, usque ad obitum suum die 30° Aprilis 1380 non solum Urbanum ut verum et indubium Pontificem agnovit, sed etiam Clementem firmo mentis judicio ut antipapam habuit ac daemonis instrumentum, et quacumque potuit ratione Urbanum ad constantiam excitavit eumque adjuvit.[1])

S. Catharina Suecica. 28. Idem vero fere dicendum est de altera s. Catharina Suecica filia s. Brigittae, quae tempore electionis Urbani aderat Romae, et non minus ei adhaesit, quam de valore electionis aperta testimonia dedit Exstat ejus depositio juridica de iis quae Urbanum spectant,[2]) ex qua ista citare opportunum videtur: „Plus dixit se scire in dicto negotio, videlicet quod in Conclavi existentibus Cardinalibus adversarii concordes unanimiter fuerunt de dicto domino Urbano eligendo, tum archiepiscopo Barensi. Interrogata, quomodo sciret, respondit, quod hoc audivit a domino Cardinali Pictaviensi et a multis aliis Cardinalibus, quod dictum summum Pontificem elegerant concorditer et cum bona voluntate atque perfecta, hortantes dictam dominam, testem praenominatam, quod firmiter crederet et firmiter teneret, istum fore verum et legitimum Papam et electum canonice et nutu Spiritus sancti. Interrogata, si in electione fuit impressio seu timor Romanorum, respondit, quod non, sed bene post electionem fuit aliqualis rumor et insultus Romanorum optantium habere Romanum Pontificem. Testata dein est, etiam postea in coronatione nullum timorem fuisse. Interrogata ergo, quomodo dicitur, quod Cardinales absconderunt eum (Urbanum) post electionem a Romanis, ergo rumor et timor fuit: Respondit, quod tempore electionis nullus rumor seu timor fuit, sed Cardinales dubitantes, cum fuissent requisiti a Romanis, quod Papam Romanum haberent et non annuissent eorum petitionibus, timuerunt, cum alium elegissent praeter Romanum.

[1]) Raynald. a. 1378, 1379, 1380, et Epist. s. Cath. Senensis.
[2]) Raynald. a 1379. n. 20.

quod dictum electum non interficerent aut interfici facerent; propter quod finxerunt dicti Cardinales, dominum s. Petri fore Papam. Interrogata, quae fuit ergo causa istius schismatis, respondit et dixit, quod credit, quod rigor justitiae Domini nostri, qui eis non erat blandus in eorum petitionibus et corrigere eos optabat. Et vere testatur praefata nobilis domina testis, quod domini Cardinales de virtute, sagacitate, prudentia et honestate multum eidem testi loquentes, personam sanctissimi domini Urbani VI commendabant et approbabant." — Causam Urbani opera utriusque sanctae virginis valde adjutam et firmatam fuisse, facile intelligitur; ac nemo non videt, revera his validissimo iterum argumento probari, legitimum fuisse Urbani pontificatum. Quod enim attinet ad s. Catharinam Senensem, ipsa singulari et mira sanctitate, multis donis supernaturalibus ornata florebat, scientia superna sanctorum divinitus erat illustrata, et conspicua propter haec jam illo tempore in tota fere Ecclesia, a qua postea ejus sanctitas solemniter agnita fuit. Quamvis igitur non esset studiis scientificis theologiae et juris canonici imbuta, tamen de illo schismate optime judicium ferre potuit; et, uti Sanctis convenit, causam legitimi Pontificis omnibus viribus tuita est, adversarios autem accerrime debellavit.[1]) Sancta Catharina Suecica vero testis fuit oculata eorum, quae Romae in electione Urbani VI facta sunt; quumque propter nobilitatem generis sui, pietatem, et matris memoriam, Cardinalibus et praelatis esset familiaris, prae aliis optime scire potuit, quid Cardinales ipsi de Urbani electione judicarent.

Valor testimoniorum.

27. Carolus IV Imperator ejusque filius et successor Wenceslaus, ac Ludovicus Hungariae rex, tum ipsi Urbano fideliter adhaeserunt, tum alios principes, ne ab eo deficerent, excitarunt; sed in Gallia mox schisma radices

[1]) Sic etiam tempore Jansenismi nemo forte majori fervore ac studio errorem surgentem prosecutus est, quam s. Vincentius a Paulo. Et quamvis scientia acquisita non emineret, omnem tamen lapidem novit, ut episcopos ad exstinguendum illum errorem excitaret.

Schisma in Gallia roboratum.

fixit. Clemens videlicet statim Carolum V regem certiorem reddidit de sua electione; rex vero comitias procerum convocavit Vincennas, et die 16° Novembris solemniter agnovit Clementem ut Pontificem legitimum.[1]) Etiam sex Cardinales, qui Avenione residebant, ipsi adhaeserunt. Universitas tamen Parisiensis initio defendit jura Urbani VI, qui hac de re epistola data XI Kal. Decembris a. 1378 multis eam cumulat laudibus. Sed a. 1379, urgente rege, jam magna pars doctorum Universitatis Clementem agnovit. Ipse pseudopontifex, postquam adversa fortuna contra Romanorum copias dimicavit, primum Neapolim, dein vero, quum etiam ibi periclitaretur, secessit Avenionem, atque ibidem usque ad mortem suam (a. 1394) commoratus est. Quamvis autem magno cum fervore auctoritatem suam firmare studeret, et Obedientiam sibi subjectam etiam magis magisque dilataret, haud tamen animo laeto exoptata potuit perfrui dignitate, sed continuis pressus est difficultatibus. Ut reges et principes sibi addictos retineret, servitute quadam ipsis in omnibus obsequi coactus est, utque Cardinalibus suis triginta sex, reliquisque praelatis necessarios procuraret proventus, et ad bella in Italia meridionali gerenda subsidia posset largiri, omni quo potuit modo pecuniae ipsi erant corrogandae.

30. Tristissimum rerum statum fusius describere longum esset; sufficit audire ea, quae scribuntur a duobus auctoribus coaevis, ipsius Clementis Obedientiae addictis, quorum alter est Nicolaus a Clemangis, alter vero monachus s. Dionysii, qui chronicum illius temporis exaravit. „Quid, ait prior, Clemente nostro quoad vixit miserabilius, qui ita se servum servorum Gallicis principibus adjecerat,

---

[1]) Principes Galliae jam antea consensisse, uti diximus, electioni Pontificis Urbano opponendi, contendit Bonifatius IX encyclicis litteris quas dedit a. 1391 Kal. Mart ad universos fideles. „Nec, scribit praecedere praesumebant ad electionem dicti antipapae, prius quam assensum pestiferum principum Galliae habuissent menses VII et amplius exspectantes, quem impii perversores falsis litteris, quibus eumdem Urbanum voluisse auferre domui Franciae regnum Arelatense fingentes temere extorserunt.“ Ap. d'Acheri Spicileg. T. I. p. 766.

ut eas ferret injurias et contumelias, quae sibi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in vilissimum mancipium dici; cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, dissimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba. Omnibus quos aut ars assentoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, summopere placere studebat, eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio dominorum gratiam et favorem assequeretur. . . . His itaque et juvenibus nitidis et elegantibus, quorum maxime consortio gaudebat, singulos fere vacantes episcopatus caeterasque praecipuas dignitates impendebat. Denique ut principum benevolentiam facilius assequeretur, assecutam foveret, fotamque conservaret, conservatam amplificaret, plurima ultro donaria atque xenia illis dabat, quascumque super clerum exactiones petere voluissent annuebat ultro, saepius etiam ingerebat. Sicque omnem clerum saecularium magistratuum dispositioni ita subjiciebat, ut Papa magis quilibet eorum, Papa quam ipse putaretur. In hac tristissima servitute non dico praesidentia, tria (vel supra) temporum lustra cum incredibili Ecclesiae attritione consumpserunt.“ [1])

Conditio tristis Clementis VII.

31. Chronista vero s. Dionysii ita scribit: „Quamvis Ecclesia, libera sponsa Christi, sic cogeretur sub ambobus miserabiliter ancillari, quisque tamen partem obedientiae suae non uniformiter regebat. Nam immunis sub Urbano a decimis manens, in promotionibus majorum dignitatum titulo de electione libere utebatur, et ad dioecesanos et ecclesiarum patronos devolvebatur collatio, quoties beneficia et dignitates vacare contingebat; cujus rei sub Clemente fiebat contrarium, et revera in infinitorum praejudicium et gravamen. Equidem permissu Franciae regis et procerum, velut libertatis et ecclesiarum regni vehemens impugnator earum patrimonia crebris decimis et usque ad supremam exinanitionem statuit atterere, ut sic aere alieno

[1]) De corrupto Ecclesiae statu, c. 27.

Conditio tristis Clementis VII.

loca venerabilia gravata supra suarum vires obventionum. papalis camera opum coacervatis cumulis ditaretur. — Eadem occasione sui sacri collegii triginta sex Cardinalium procuratores, bullis apostolicis muniti, insidiantium more ubique sciscitabantur, si in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis aliqua beneficia pinguia, si in abbatiis prioratus conventuales, officia claustralia, vel alicubi domus hospitales essent ingentis valoris, quae vacarent, ut mox dominorum nomine acceptarent, id solummodo requirentes, quantum valebant in portatis." Describit dein quomodo Clemens omnia reservaverit beneficia, quae Cardinalibus tradebat. Et pergit: „Quoties ab hac luce episcopos Franciae migrare contingebat, mox ex papali camera collectores et subcollectores procedebant, qui mobilia per suam industriam acquisita, quae ad haeredes et executores testamentorum dignoscebantur pertinere, et unde aedificia episcopatuum potuissent reparari, nemine contradicente rapiebant, et qui praetextu arreragiorum ex decimis et servitiis nondum integre persolutis provenientium tanta damna inferebant." Similia quoad abbatias fieri solebant. — „Ex his sane novitatibus adinventis inconvenientia plurima sequebantur. Nam mens et intentio regum et caeterorum ecclesiarum fundatorum frustrabatur; ubique negligenter Deo serviebatur, minuebatur fidelium devotio, vacuabatur regnum pecuniis, multi viri ecclesiastici per mundum vagantes penuria maxima premebantur; regni etiam studia, quae quondam viris scientificis copiose floruerant, per quos hucusque regnum consueverat gubernari, annullabantur penitus. Omnium liberalium artium Parisiensis Universitas altrix, dulciflua lacte scientiae enutritorum filiorum orbatam se dolebat, quoniam sinu materno relicto, ad exteros transmigrabant, cum patre spirituali deesset qui penuriis eorum subveniret."[1]

32. Urbanus VI sollicite quidem officium summi Pastoris in eam christianae societatis partem, quae ip-

---

[1]) Chronique du Religieux de St. Denis, Tom. I. L. II. c. 2. [illegible] L. VI. c. 12. — Documents inédits etc. a. 1839

obediebat, studuit exercere, sed in Italia multas et magnas habuit afflictiones, quibus imprudentia, praedilectione in nepotem Franciscum, et rigore suo, (si vera est relatio Theodorici,) passim ipse dedit occasionem. Regnum Neapolitanum Carolus Duratius evocatus ab Urbano sibi subjecit; mox tamen ipse Pontifex Neapolim profectus vasalli sui insidias et hostilem animum est expertus, ac fere ut hostis cum despectu dignitatis pontificiae ab ipso tractatus. Imprudenter ad cardinalatum promovit Urbanus Neapoli plures sacerdotes vitae haud integrae, et episcopos quosdam Germanos, qui dignitatem recusaverunt. Quumque sex Cardinales incepissent conspiratione inita eam agere quaestionem, an non expediret, Pontificem sub curatela ponere addito ipsi consilio, Urbánus re detecta magno et intempestivo rigore eos punivit; indeque factum est, ut alii duo Cardinales Clementi adhaererent. Obiit autem post pontificatum multis difficultatibus exagitatum Romae die 15° Octobris a. 1389 Urbanus VI; qui habuit quidem eos quos diximus defectus, ex naturae fere ejus indole provenientes, caeterum vero multis virtutibus erat insignis. **Urbani VI gubernium.**

33. Universitas Parisiensis interea in Gallia pluries principes excitare studuit, ut ad sedandum schisma opportuna exquirerent media; sed sine fructu. Eoque majores erant difficultates, quod Carolo V jam a. 1389 mortuo successit Carolus VI duodennis, ita ut fratres regis defuncti gubernia tenerent. Hi vero inter se discordes et Clementi addicti erant. Clementis autem auctoritas quibusdam eventibus roborata fuit. In obedientia ejus videlicet decessit a. 1387 B. Petrus, Cardinalis Luxemburgensis, octodecim annos natus;[1]) et ipse gravissimam controversiam inter

[1]) B. Petrus Luxemburgensis natus a. 1369 admirabili sanctitate ab infantia enituit. Clemens eum creavit episcopum Metensem, quum vir excessisset annos aetatis quatuordecim (1383), dein post duos annos eum adoptavit in Cardinalium collegium, et jam a. 1387 post brevem mirae poenitentiae et sanctitatis vitam B. Petrus migravit ad Dominum. Ad ejus sepulchrum autem permulta miracula facta sunt. — Haec Petri sanctitas et miracula quibusdam eo tempore visa sunt argumenta pro legitimo pontificatu Clementis; sed patet, nihil ex his posse probari.

doctores Parisienses et Joannem a Monteseno Dominicanum dijudicavit atque diremit. Varias videlicet errores in Universitate Parisiensi proposuerat Joannes, et a sententia atque a censuris Universitatis et episcopi Parisiensis ad tribunal Clementis VII appellavit. Hic vero, re examinata et coram ipso discussa, sententiam Universitatis et episcopi confirmavit.[1]) Cum dein a. 1387 Urbanum ob Cardinales suo jussu clam ultimo supplicio affectos multis invisum factum cerneret, missis in provincias legatis egit de oecumenico Concilio, quod initio schismatis exhorruit, congregando, ut in eo controversia dirimeretur. Quod quidem subdole factum esse merito suspicari licet. Urbanus autem eo tempore jura sua haud dubia esse, nec Concilio oecumenico ad rem dirimendam opus esse, nonnullis oratoribus principum Germaniae respondit.[2])

Bonifatius IX R. P. 34. Quum Urbanus VI a. 1389 decessisset, Clemens et ejus Cardinales Avenione residentes putabant, Cardinales Romanos haud electuros alium Pontificem, sed agnituros esse Clementem. At jam die 2° Novembris quatuordecim Cardinales, qui Urbano constanter adhaeserant, elegerunt in Papam Cardinalem *Petrum Thomacelli,* qui nomen *Bonifatii IX* assumpsit. Erat autem Bonifatius aetatis circiter quadraginta quinque annorum, magnae seu procerae staturae et decorus facie, moribus integerrimus, affabilis, prudens, disertus; minus tamen peritus in theologia et jure canonico, quam in administrandis negotiis.[3]) Clemens cognita Bonifatii electione excommunicationem in ipsum promulgavit; Bonifatius vero Clementem ad deponendum pontificatum adhortatus est, ei apostolicam legationem in

---

Nec B. Petrus, quum scissio Ecclesiae accidisset tempore, quo ipse decem annos habebat, per se quaestionem quis esset legitimus Pontifex dirimere poterat. — Omnino aliter res se habet quoad s. Catharinam Senensem et s. Catharinam Suecicam, uti ex dictis colligi potest.

[1]) V. Raynald. a. 1387. n. 14; 1389. n. 15 sqq. — Christophe, T. III. l. XIV. — Natalis Alexander H. E. in saec. XIII. et XIV. C. III. Art. XIII.

[2]) Raynald. a. 1387. n. 9.

[3]) Cf. Hefele. C. G., VI. § 715.

Gallia et Hispania, totique ejus Obedientiae veniam offerens. Clemens haec consilia rejecit; quapropter Bonifatius censuras praedecessoris sui in eum renovavit. Pacem Ecclesiae Bonifatius vehementer desiderabat, attamen haud convenire existimavit rem dirimendam relinquere Concilio generali, quum de valore electionis Urbani certo constaret, et nonnisi impie a Cardinalibus postea Urbanus rejectus esset; atque hanc sententiam suam a. 1391 in litteris encyclicis aperte professus est.[1]) Quum vero inter principes Clementinae Obedientiae potentissimus esset Carolus VI rex Galliae, Bonifatius IX a. 1392 ad eum legatos cum litteris destinavit, quibus regem hortabatur, ut exstinguendo schismati et procurandae unioni operam conferret. Rex sententiam doctorum Universitatis Parisiensis postulavit, qui ei proposuerunt, ut una ex his tribus efficiendae unionis viis eligeretur, nimirum utriusque competitoris cessio, vel utriusque compromissio in aliquot judices, qui summa et ultima auctoritate rem definirent, vel Concilium generale. De tribus istis viis per Nicolaum de Clemangis, Universitatis rectorem, relatio exarata regique tradita fuit.[2]) Rege permittente, Universitas etiam ad Clementem a. 1394 scripsit litteras, quibus eum, ut unam ex viis illis seligeret monuit. At Clemens graviter offensus nullum dedit responsum, et brevi post die 16⁰ Septembris Avenione apoplexia correptus obiit. Hac de re Continuator Nangii ita scribit: *Apices Dominus Papa recipiens in praesentia astantium perlegit, sed dum modicum scripturae attigisset, assurgens cum iracundia magna cunctis audientibus inquit: Istae litterae*

Negotiatio cum Gallis.

---

[1]) „Sed dicunt impii perversores in carnali brachio contra potentiam Domini confidentes: Fiat Concilium ut schisma sedetur. O damnosa et damnanda impietas! O vanitatum hominum vanitas et nefanda praesumtio.“ Ap. d'Acheri l. c.

[2]) Nicolaus hic Clemangis in Campania Gallica mediante saec. XIV natus, peritissimus fuit in arte dicendi et in doctrinis theologicis. Varia scripsit quae ad statum Ecclesiae tempore schismatis pertinent, praecipue opusculum *De statu corrupto Ecclesiae* Oratorio tamen stylo in ejus scriptis multa sunt plane exaggerata, et doctrinae ejus de Ecclesia et Pontifice haud admittendae.

sunt sanctae Sedis Apostolicae diffamatrices, veneno detractionis plenae, nec lectu nec recitatu dignae sunt. . . . Inde dolore tactus intrinsecus coepit plurimum anxiari, nec diu postea vixit. Levis enim infirmitas secundum apparentiam eum fere per tres dies detinuit, de qua non lecto decumbens cum XVI die Septembris audita missa intrasset cameram, et vippa cor aliquantulum gravatum refocillari petiisset, antequam vinum afferretur, sedens apoplexia percussus fatale debitum solvit. [1]) Tunc reges Galliae et Arragoniae ad Cardinales Avenionenses scripserunt, ut electionem novi Pontificis in locum Clementis VII differrent, donec Bonifatii IX voluntas de unionis negotio fuisset explorata et Benedictus XIII. concordiae via undique tentata. Verum Cardinales isti die 28° Septembris in Pontificem elegerunt Cardinalem *Petrum de Luna,* qui nomen *Benedicti XIII* assumpsit. Ante electionem Cardinales se juramento obstrinxerunt, quod unusquisque eorum quicumque foret electus, omnes vias utiles, etiam cessionem, amplexurus esset ad procurandam unionem. Erat Petrus de Luna ortus ex baronibus Arragoniae, brevis staturae ac gracilis, homo ingeniosus et ad inveniendum res novas valde subtilis, magnaque facundia praeditus. Semper se ostenderat, verbis saltem, valde inclinatum ut modis omnibus unionem in Ecclesia facere vellet, sed postea spem fefellit. Benedictus XIII optime sciens, quantum sua interesset, ut regem Galliae et Universitatem Parisiensem in sua obedientia conservaret, iis significavit, se quamvis invitum in Pontificem fuisse electum, at paratissimum esse ad deponendum pontificatum, si id ad componendum schisma foret necessarium.

35. Cum omnes pii etiam in Gallia unionem desiderarent, rex Galliae praesules et doctores Parisios convocavit, ut diligenter inquirerent et deliberarent, quae esset commodior et efficacior via restituendae unionis. Illi post maturam negotii discussionem die 2° Februarii a. 1395 proposuerunt utriusque, Bonifatii IX et Benedicti XIII, cessionem. Aliqui tamen existimarunt, quum Benedictus

[1]) V. Balut., Vitae P., I. p. 1397.

asseruisset, se novum medium aptissimum invenisse, prius ipsum consulendum esse de isto medio; sed eorum sententia haud fuit acceptata. Splendidissima igitur legatio Avenionem ad Pontificem missa est, quae ipsi sententiam praesulum et Universitatis proposuit. Sed Benedictus multis usus est ambagibus, eamque ex sua parte viam proposuit, ut bini contendentes de Pontificatu congressum personalem inter se haberent atque unionem tentarent; ut vero si res non succederet, arbitrorum certus numerus eligeretur ab utroque praetendente, ita ut ex istis tribunal formaretur. Quod vero ab his vel unanimiter vel duarum partium majoritate constituatur, illud sequendum esse. Facile patet, ejusmodi viam difficillimam fuisse. Quum vero oratores regis, praesulum et Universitatis viam cessionis urgerent, nihil praeter verba dura minasque Benedictus reddidit. Tractatur de unione.

36. Bonifatius IX, cui eadem unionis via fuit propoita, respondit, se maxime cordi habere schismatis extinctionem, sed quum legitime creatus esset, se viam essionis non posse admittere; attamen post Petri de Luna bdicationem se regi Galliae aliisque restituendae unioni dlaborantibus satisfacturum esse.[1]) His de responsis lonifatii nemo miretur, qui consideret, firmam ipsi ob rgumenta solida fuisse persuasionem, validam fuisse lectionem Urbani, adeoque etiam pontificatum suum ut iccessoris illius omnino legitimum. — Cum Benedictus XIII iam cessionis pertinaciter rejiceret, praesules Galli, doctos, abbates, capitulorum procuratores, principes et prores consilii regii a. 1398 mandato regis Parisiis congreiti, post longam discussionem Benedicto XIII obedientiam

[1]) Videtur Bonifatius illo tempore paratum se exhibuisse ad Conium generale convocandum. Id conjici potest ex epistola Henrici gis Castellae ad Martinum Arragoniae regem, in qua ostendere nititur, npromissum a Benedicto propositum ad finem exoptatum haud concere. Et scribit inter alia: „Pro parte intrusi (Bonifatii) dicetur, od via compromissi non est via juris et justitiae, . . . et quod ad am viam nemo compellitur nec compelli debet, postquam se offert ad m Concilii generalis, quae est via juris et justitiae, et ipsum Conium generale ipse fecit congregari.“ V. Raynald. a. 1397. n. 11.

subtraxerunt. Idem fecerunt reges Castellae et Navarrae, et ex ipsis ejus viginti tribus Cardinalibus octodecim, qui se receperunt Villam-Novam. Benedictus autem, quamvis Avenione in suo palatio sub custodia retentus, pontificatu cedere noluit. A. 1403 die 12° Martii Avenione feliciter aufugit ad castellum Chateau-Reynard, mense Majo autem Galli ad obedientiam Benedicti redierunt. Anno sequenti Benedictus misit oratores ad Bonifatium, qui ei medium illud unionis, quod ille excogitaverat, commendarunt, sed merito illud Pontifex recusavit, et verbis severis Benedictum ut antipapam constrinxit. Fertur autem tunc a nuntiis Benedicti verbis injuriosis lacessitus fuisse Bonifatius et notatus ut simoniacus; haec aegerrime ferens Pontifex, jam infirmitatibus variis affectus, paucis inde diebus ex calculo mortuus est.

Bonifatii IX character.

37. Laudatur Bonifatius IX a s. Antonino illis verbis: *Satis prudens inventus est in regimine temporali et praeterea tanti animi, ut primum populi Romani vim omnem in Pontificem transtulerit, creatis suo nutu magistratibus omnibus, munita arce s. Angeli et pontibus.*[1]) Et re quidem vera Bonifatio maxime laudi vertendum est, quod auctoritatem temporalem Pontificis in Italia restituit, et Romae resarcire studuit damna, quae ex diuturna Pontificum absentia provenerant. Jubilaeum etiam magna cum solemnitate et frequentia a. 1390 celebravit. — Vehementer autem accusatur a Theodorico de Niem, quod avaritiae deditus, arte simoniaca, taxis et annatis pecunias congregare studuerit. Sed Bonifatius ipse certe sibi thesauros congregare non studuit; etenim quum moreretur nonnisi unum florenum reliquisse traditur, ac generatim integerrimae fuit vitae. Caeterum magna profecto eo tempore erat difficultas, ut Pontifex obtineret pecunias necessarias ad Ecclesiae administrationem et gubernium ditionis ecclesiasticae. Per se autem in annatis ac taxis beneficiorum non contineri simoniam, sed legitima haec esse subsidia, superius ostendimus; quapropter immerito stylum suum hac de r

[1]) Hist. P. III. tit. XXII. c. 3. §. 1.

Theodoricus in Bonifatium acuit. Abusus tamen varii adesse potuerunt, multiplicatis exspectativis et dignitate personarum haud satis considerata; sed pleraque quae referuntur omnino exaggerata esse censemus.

38. Post mortem Bonifatii IX Cardinales conclave ingressi juramento se obstrinxerunt, ut qui eligeretur schismati exstinguendo toto animo adlaboraret, etiam cessione, si opus esset, oblata. Electus vero fuit die 17° Octobris a. 1404 Cardinalis Cosmas Melioratus Sulmonensis, qui nomen *Innocentii VII* accepit. — *Iste Pontifex fuit mitis,* scribit Theodoricus, *benignus et compatiens afflictis, nec erat aliqua superbia in eo, neque apud ipsum acceptio personarum; . . . nec alicui molestus, nec cupidus seu avarus existebat, simoniacos exosos habuit.*[1]) Pro more litteris encyclicis electionem suam animumque ad efficiendam unionem propensissimum annuntiavit, atque in hunc finem Obedientiae suae in diem 1um Novembris a. 1405 convocavit generale Concilium, ut ibi media unionis opportuna invenirentur. Ladislaus autem rex Neapolitanus cum audisset, Pontificem sacramento se obstrinxisse ad deponendam dignitatem, si Petrus de Luna antipapali fastigio abiret, sinistram concepit suspicionem, ne in ecclesiarum restituenda concordia suae dignitati aliquod periculum crearetur (ob inimicitiam cum Gallis). Adduxit igitur Innocentium, de quo propter protectionem contra Romanos praestitam bene meruerat, ut Apostolica sanctione vulgaret, publicam pacem nunquam firmandam, nisi Ladislaus sceptra, quibus hactenus potiebatur, retineret. Qua in re minus prudenter egit. Sed anno sequente ipse Ladislaus rex dominationi Romae inhians in Urbe turbas contra Innocentium incitavit; quapropter Pontifex censuris in regem animadvertit; ipse vero ex urbe secedere et Concilium prorogare coactus est. Altero autem anno, die 6° Novembris 1406, Innocentius praematura morte defunctus est.

Innocentius VII R. P.

---

1) Theod. de Niem. l II. c. 39.

Gregorius XII R. P. 39. Cardinales in conclave congregati iterum juramento se adstrinxerunt, ut qui eligeretur totis viribus unioni efficiendae adlaboraret, et ad cessionem etiam paratum se exhiberet. Die 30° Novembris in locum Innocentii VII electus est *Gregorius XII* Venetus, ante appellatus Angelus Corrarius, presbyter Cardinalis. Hic magnum semper ostenderat unionis desiderium, atque initio pontificatus sui variis actibus et animo sincero efficiendae unioni adlaboravit. Videbatur etiam Benedictus paratus esse ad unionem, quamvis, si posterior ejus agendi ratio consideratur, merito de ejus sincera voluntate dubitetur. Legatis missis inter duos Gregorium et Benedictum convenit, ut congressum personalem haberent; et destinata est ad hunc finem civitas maritima Saona, quamvis eadem Gregorio minus placeret, eo quod esset sub ditione Gallorum. — Non ita multo post currente anno 1407 Gregorius animum mutasse visus est, et quum censeret, nimia ipsi pericula imminere si Saonam proficisceretur, aliam petiit destinari civitatem in ditione sua, quod Benedictus recusavit. Haud ita facile est dirimere, quaenam revera fuerint Gregorii intentiones. Tum influxu propinquorum suorum, tum diffidentia quadam erga Gallos, et suasionibus Ladislai regis Neapolitani videtur commotus fuisse ac perterritus, ne consilia coepta ad finem deduceret, quamvis unioni se adlaborare protestaretur. Quum vero Cardinales urgerent, ut congressus, de quo convenerat cum adversario, locum haberet, discordia orta est inter Gregorium et Cardinales. Gregorius autem, quamvis ante electionem statutum esset juramento, ne numerus Cardinalium augeretur, his in adjunctis censuit se non obligari illo juramento, voluitque quatuor novos creare Cardinales dignissimos et sibi fidos, inter quos duos nepotes. Hac occasione scissio inter Pontificem et Cardinales consummata est. Mense Majo a. 1408 septem Cardinales Gregorium reliquerunt, ac fugerunt Pisas; tres tantum Cardinales apud Pontificem remanserunt. Is vero mox quatuor illos ac postea alios plures novos Cardinales creavit.

40. Interea etiam apud Gallos persuasio invaluerat, Benedictum haud paratum esse ad unionem cessione obtinendam, indeque factum est, ut Galliae rex et populus ipsi mense Majo 1408 obedientiam subtraherent. Ac paulatim alii quoque reges, videlicet Germaniae et Bohemiae rex Wenceslaus, Sigismundus rex Hungariae, atque rex Navarrae, Gregorio Benedictove obedientiam subtraxerunt, neutralitatemque ad unionem obtinendam declaraverunt. Utriusque autem Obedientiae Cardinales convenerunt Liburnum in Etruria et mense Julio a. 1408 encyclicis litteris datis ad Gregorium XII et Benedictum XIII, ad episcopos aliosque praelátos, ad doctores et principes, Concilium generale convocarunt anno sequenti Pisis celebrandum. — Sed Gregorius quum animadvertisset intentionem Cardinalium convocandi Concilii, jam eos praevenerat, indicens ex sua parte Concilium pro festo Pentecostes sequentis anni Ravennae vel in territorio Aquileiensi habendum. Benedictus pariter convocavit Concilium Perpignani in Arragonia festo Omnium Sanctorum a. 1408 inchoandum, statimque quum in Gallia jam non securum se crederet, eo profectus est. Sed utrique Pontificum competentium Concilio pauci tantum episcopi adfuerunt; Concilium vero Pisis magno cum splendore, successu vero haud felici celebratum fuit.

Convocatio Concilii Pisani.

III.

De Concilio Pisano.

41. Cum celebratio *Concilii Pisani* eventus fuerit tempore schismatis maxime sane momenti, post vero controversiae variae de eodem habitae sint, accuratius quae Synodum istam spectant convenit examinare. Ac primo quidem enarrabimus facta praecipua, quae ex ordine quoad celebrationem hujus Concilii commemoranda obveniunt, dein de auctoritate ipsius Synodi pauca addemus. —

Convenit igitur, uti diximus, inter Cardinales utriusque Obedientiae de convocando Pisas Concilio generali, in quo. duobus aemulis Pontificibus ad cessionem quam spoponderant perculsis, aut canonico judicio exauctoratis, unicus et legitimus Pontifex eligeretur. Statutum est ab ipsis pariter, ut ambo competitores Gregorius XII et Benedictus XIII ad Concilium vocarentur, ejus decretis parituri; si vero adesse renuerent, Concilium nihilominus haberetur, et quod e re Ecclesiae foret, decerneret. Convenit ulterius, ut Gregorius ac Benedictus, Cardinales absentes, episcopi aliique praelati, doctores, reges et principes in universo orbe catholico quisque a Cardinalibus suae partis seu Obedientiae ad Concilium convocarentur.

Litterae Cardinalium. 42. Litterae convocatoriae missae ad Benedictum die 14° Julii a. 1408 inscriptae erant: *Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIII, miseratione divina summo Pontifici, Deo humiles et devoti oratores, Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales nunc in Liburno Pisanae dioecesis existentes, pro nobis et aliis reverendissimis Patribus, dominis Cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adhaerentibus et adhaerere volentibus in hac parte, cum supplici et devota recommendatione utrius hominis sospitatem.*[1]) Generatim Cardinales Benedicti hunc cum reverentia tractarunt; acerbius autem in Gregorium sese gesserunt Cardinales ejus, eousque progredientes, ut die 29° Augusti Cardinalem Philargum nominarent gubernatorem Marchiae Anconitanae et ducatus Spoletani. — Versus mensem Augustum a. 1408 jam Pisas Cardinales sese contulerunt.

43. Ambo contendentes Gregorius et Benedictus contra istam Concilii convocationem tanquam non factam a legitima auctoritate reclamarunt. Cardinales vero ad ea quae illi opponebant, responderunt, quae de convocatione et praesidentia Concilii in jure statuuntur tum solum habere locum, quando unus et indubius est Pontifex, non vero quando duo de pontificatu contendunt, quorum obscura

[1]) Apud Labbe, T. XI. P. II. c. 2114.

sunt jura, et qui spreta Ecclesiae pace, spretisque juratis promissis pontificatu cedendi pro schismatis exstinctione, dubiam dignitatem pertinaciter retinent semperque retinere volunt. Rationes plures in suis litteris ad Gregorium et Benedictum allegarunt, quibus probarent, in casu extraordinario, de quo agebatur, jus convocandi et celebrandi generale Concilium esse penes collegium Cardinalium. Vehementius jam eo tempore quaestio, an convocatio generalis Concilii Pisis habendi facta per Cardinales legitima vel illegitima esset, agitata est. Aliqui auctores rationem agendi Cardinalium oppugnaverunt, multo plures tamen videntur suffragiis suis Cardinalibus favisse. Sed advertendum etiam omnino, non paucos adhuc continuo adlaborasse conciliationi inter Cardinales et Pontifices, maxime quoad Gregorium. Atque quum Gregorius versus finem a. 1408 Ariminium (Rimini) se conferret, Carolus Malatesta Ariminii dominus, vir insignis in gerendis bellis et reipublicae negotiis ac magnae apud omnes aestimationis, a Gregorio obtinuit, ut vellet renuntiare Synodo ab ipso indictae, et cum Cardinalibus simul generale Concilium convocare in civitate per arbitros seligenda. Sed Cardinales id admittere noluerunt.

Pontificum gesta.

44. Edidit etiam Gregorius XII die 14° Decembris a. 1408 litteras, quibus Cardinales ut ad se redeant invitat, sese de accusationibus defendit et protestatur, se ad Ecclesiae sacrosanctae integrationem per viam cessionis secundum formam in conclavi traditam totos suos pure et sincere ac fideliter continuo adhibuisse conatus, schismaticos vero ex adverso fraudibus lusisse. Mense Januario a. 1409 dein Cardinales censuris ac poenis affecit. — Interea Benedictus XIII concilium suum Perpiniani mense Novembri a. 1408 aperuit, atque initio fere 120 praelati adfuisse videntur. Sed mox quum quaestio agitaretur, postulante Benedicto, quid ipsi faciendum esset, magna discordia orta est, et fere omnes recesserunt, ita ut tantum 18 praelati remanerent. Hi Benedicto proposuerunt quaedam capita ad promovendam unionem spectantia, quae ab ipso acceptata fuerunt. Concilium die 26° Martii a. 1409 finitum est,

et septem oratores Pisas missi sunt. Largis tamen facultatibus hi non erant instructi, et propter impedimenta a Gallis parata tardius ad civitatem Pisarum pervenerunt.

Concilii celebratio.

45. Concilium Pisanum inchoatum est die 25° Martii a. 1409 et absolutum die 7° Augusti. Adfuerunt tempore maximae frequentiae Cardinales 22 vel 24, Patriarchae 4, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus et Gradensis, archiepiscopi et episcopi personaliter praesentes 80, per legatos 102. Abbates adfuerunt 87 et abbatum 200 procuratores; praeterea procuratores ultra 100 capitulorum, Universitatum plurium deputati, ultra 300 doctores Theologiae vel Juris canonici et oratores fere omnium regum et principum Occidentis. Praesedit usque ad electionem Alexandri V Cardinalis Pictaviensis (Guy de Maillesec), Cardinalium utriusque partis decanus. — Singula quae in Concilio acta sunt referre longum esset, ea tantum commemorabimus, quae utilia sunt, ut de negotio schismatis judicium ferri possit. — Primis igitur diebus Synodi, oratores Ruperti regis Germaniae (qui de regno cum Wenceslao contendebat), proposuerunt dubia de Concilii legitimitate, et mox Synodum reliquerunt. Ex parte Gregorii autem Carolus Malatesta dominus Ariminensis causae ipsius providere studuit. Obtulit videlicet nomine Gregorii iterum Cardinalibus, ut in alia civitate (haud tamen in ditione Florentinorum) Concilium commune haberetur, in quo Gregorius cessurus esset pontificatu, etiam si Benedictus non cederet. Cardinales desideriis Gregorii parum obsecundare visi sunt, et rigidiores se ostenderunt: postremo tamen se paratos declararunt, ut Concilium Pistoriae haberetur. Respondit Malatesta, aegre Gregorium hanc civitatem in ditione Florentinorum sitam admissurum esse, se tamen velle ipsi rem proponere. Die 26° Aprilis Malatesta Gregorio retulit negotii seriem, et Pontifex lacrimans conquestus est de modo agendi Cardinalium, et suum desiderium unionis iterum professus est; attamen quamvis Malatesta enixe hortaretur, ut consentiret convocationi concilii Pistorii faciendae, id noluit, declaravitque,

se in nullum locum in ditione Florentinorum situm profecturum esse.

46. In Concilio Pisano vero, solemnibus secundum Conciliorum morem peractis et electis officiariis, Gregorius et Benedictus de summo pontificatu contendentes ter citati sunt. Cum illi neque per se neque per legatos comparerent, Concilium declaravit eos in causa schismatis et fidei pertinaces, decrevitque contra illorum contumaciam ad ulteriora procedendum. In utriusque contendentis causa testes auditi sunt, et instrumenta ad illam spectantia discussa. Declaratum est, praesens Concilium jure esse convocatum et congregatum ad schisma exscindendum et pacem Ecclesiae procurandam. In sessione XV, in vigilia Corporis Christi et die 5° Junii, depositionis sententia in Gregorium et Benedictum publicata est, in qua declaratur: *Angelum Corrarium et Petrum de Luna de papatu contendentes, et eorum utrumque fuisse et esse notorios schismaticos et antiqui schismatis nutritores, defensores, approbatores, manutentores pertinaces, necnon notorios haereticos et a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii et violationis voti irretitos, universalem Ecclesiam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia et pertinacia notoriis, evidentibus et manifestis; et ex his et aliis se reddidisse omni honore et dignitate etiam papali indignos, ipsosque et eorum utrumque propter praemissas iniquitates, crimina et excessus, ne regnent vel imperent aut praesint, a Deo et sacris canonibus fore ipso facto abjectos et privatos, ac etiam ab Ecclesia praecisos; et nihilominus ipsum Petrum et Angelum et eorum utrumque per hanc sententiam diffinitivam in his scriptis privat, abjicit et praescindit, inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro summo Pontifice gerere se praesumat, ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam decernendo. Et insuper omnes et quoscumque Christicolas . . . declarat, ab eorum et cujuslibet eorum obedientia fore perpetuo absolutos.*[1]

Depositio Pontificum.

[1]) Apud Labbe T. XI. P. II. c. 2127.

47. Actum deinde est de electione novi Pontificis, atque convenit, ut omnes Cardinales more solito eum eligerent, ita tamen ut hac vice agerent nomine Concilii (Ecclesiam repraesentantis), ne dubium de valore electionis oboriri posset. Etiam statutum est, requiri vel suffragium unanime, vel duas partes suffragiorum ex utroque Cardinalium collegio. Cardinales die 15° Junii conclave ingressi, die 26° ejusdem mensis unanimi suffragio elegerunt Petrum Philargum de Candia Ordinis FF. Minorum, presbyterum Cardinalem, archiepiscopum Mediolanensem, qui

Alexander V. nomen *Alexandri V* suscepit. Pro conscientiarum quiete Concilium omnes, qui schismatis occasione hinc inde censuris fuerant praestricti, ad cautelam absolvit, et omnes dispensationes super matrimoniis aliisque casibus ad forum conscientiae spectantibus ab utraque parte concessas, ratas habuit, dummodo canonice et non in detrimentum unionis factae essent. Quod attinet ad reformationis ecclesiasticae negotium, Alexander V, quum jam multi praelati et principum oratores discessissent, illud remisit ad futurum generale Concilium post triennium celebrandum, et die 7° Augusti praesens Concilium terminavit.

48. De *auctoritate* Concilii Pisani ea ipsa aetate qua habitum fuit et subsequentibus temporibus disceptatum est, et varia sunt de illa tum veterum tum recentiorum doctorum sententiae. Gersonius *De auferibilitate Papae ab Ecclesia*, Dominicus Jacobatius Card. *De Conciliis L. III*, Natalis Alexander *Hist. Eccl.* diss. II in saec. XV, Bossuet *Defens. Declarationis*, aliique praefatum Concilium habent ut legitimum et oecumenicum. Contra vero istud fuisse legitimum et oecumenicum Concilium negat s. Antoninus *Chron. P. III tit. XXII. c. 5. Per Pisanum,* ait, *concilium vel conciliabulum, cum non esset alicujus eorum, qui se gerebant pro Pontifice, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipsum schisma, sed augmentatum, tribus jam se pro papa gerentibus.* Dein Concilium pro non oecumenico sed legitimo habent Cardinalis Cajetanus, *De auctor. Papae et Concil.* tract. II, c. 11; Sanderus, *De visibil. monarchia* L. VII; Roncaglia, *Animadv. in Natal. Alex.*, et alii.

Bellarminus, *De Conciliis L. I. c. VIII*, ait: *Generale nec approbatum, nec reprobatum videtur esse Concilium Pisanum.* Frequenter itaque dici solet *dubium oecumenicum*, quum de ejus valore disceptetur, uti advertit Muzzarelli *De auctor. RR. PP.* tom. II. c. 17: *Pisanum concilium rejicitur inter dubia concilia oecumenica, et post plurimas quaestiones inter doctores de ejus legitima convocatione et exitu adhuc sub judice lis est.* — Objective tamen et in se illud Concilium aut oecumenicum fuit, aut non fuit, adeoque merito hic nostram sententiam paucis evolvere possumus.

49. Censemus igitur, Concilium Pisanum nullatenus fuisse Concilium oecumenicum. Et re quidem vera 1⁰ non fuit oecumenicum *convocatione*. Etenim non a Pontifice Romano, sed a Cardinalibus fuit convocatum; uterque autem contendentium de papatu, inter quos certe unus erat legitimus Pontifex, ejus convocationi restitit. — 2⁰ Non fuit oecumenicum *celebratione*. Etenim nec per se nec per legatos adfuit legitimus Pontifex, quisquis ille fuerit ex duobus; multi episcopi adesse renuerunt, ac Gregorio XII magna pars Italiae, et plures principes Germaniae adhaerebant; Benedicto vero Hispania. Sic universa Ecclesia in illo Concilio non erat sufficienti ratione repraesentata. — 3⁰ Nec fuit oecumenicum *conclusione*. Etenim acta ejus haud fuerunt confirmata per Pontificem certe legitimum, et decreta ac facta a dimidia fere parte episcopatus dispersi repudiata sunt.[1]) An Concilium oecumenicum.

50. Alia vero quaestio ea est, utrum Concilium Pisanum saltem fuerit *conventus legitimus*. Ut ad hanc quaestionem respondeatur animadvertendum est, si revera Cardinales existimabant, utrumque ex competitoribus nolle, uti tamen juramento promiserat, media apta ad unionem adhibere, ipsis haud videri jus denegari posse convocandi episcopos ad conventum, ut de exstinctione schismatis deliberarent. Quum vero ita censuisse videantur Cardinales, per se convocatio conventus, (quem tamen non

[1]) Vide Hefele, C. G., B. I Einleitung, Zahl der Concilien.

debuissent exhibere ut Concilium vere oecumenicum,) ipsis vitio verti nequit. In tali conventu debebat inquiri, quis esset verus Pontifex; vel opportuna media adhibenda erant ad utrumque Pontificem inducendum ad cessionem, et schisma hoc modo exstinguendum. — Ex altera tamen parte existimo, Cardinales, praecipue quod Gregorium XII spectat, nimia acerbitate et festinatione processisse. Potuissent enim propositioni ejus de convocanda communi Synodo acquiescere, ut certo constaret, media convenientia adhibita fuisse ad schisma tollendum et Gregorium omnino nolle officio suo satisfacere. Sub hoc respectu, quatenus obsequium conveniens Gregorio non exhibuerunt, *objective* illa convocatio Concilii non omnino approbari posse videtur.

An conventus legitimus.

51. Restat quaestio, an acta Synodi quoad utrumque de pontificatu contendentem, Gregorium et Benedictum, et electio Alexandri V fuerint valida. Bellarminus, *De Concil. L. I. c. 8,* ait: *Est fere communis opinio, Alexandrum et qui ei successit Joannem fuisse veros Pontifices.* Graves tamen non desunt auctores, uti e. g. s. Antoninus, *Chron. L. III. tit. XXII.* c. 5,[1]) Raynaldus ad a. 1409

[1]) S. Antoninus de moribus Gregorii tempore Concilii Florentini verbis tam magnificis loquitur, ut pateat ipsum habuisse Gregorium ut legitimum Pontificem. „In tot autem, scribit, adversis et persecutionibus tam constans et magnanimus fuit, ut nil videretur de his curare. . . . Sic fixus erat in his quae sibi conscientia dictabat, ut nullus posset eum a suo proposito removere, . . . sic sapientiae deditus, ut a speculatione et disputationibus non cessaret. Congregati interea Pisis processerunt in coepto suo; post legitimas modo suo citationes non comparentes, sed contumaces, contra eos sententiam depositionis et privationis protulerunt, Gregorium et Benedictum. . . Elegerunt in Praesulem summum Petrum de Candia, virum utique valde peritum in theologia et speculativa. . . . Qui anno uno Sedem Petri tenuit secundum communem opinionem.“ Antiquus auctor qui scholia adjecit s. Antonino, ad haec scribit: Addidit autem D. Antoninus *secundum communem opinionem*, significans, ex sua sententia, Alexandrum V non fuisse legitimum Pontificem, sed Gregorium XII. Nam cum B. Joannis Dominici Cardinalis Ragusini sectator fuerit et discipulus, qui semper Gregorii XII partes est secutus, ipse quoque hunc Gregorium verum ubique et legitimum Pontificem praedicavit.“ Vid. Raynald. a. 1409 n. 79.

n. 79—81 et Petrus Ballerini, *De potest. Eccles.*, necnon Gregorius XVI, *Triomphe du St. Siége*, Discours préliminaire, n. 1. sqq., qui existimant potius, etiam post Concilium Pisanum Gregorium XII legitimum fuisse Pontificem. Et re quidem vera, dum Patres Concilii Pisani contra Gregorium et Benedictum processerunt, nullatenus solidis ipsi nisi sunt principiis. Etenim eos judicaverunt tanquam notorios haereticos ac schismaticos, enormibus criminibus perjurii et violati voti irretitos, ac de illa notorietate multum loquuntur. Hinc Synodus declarat, *propter praemissas iniquitates, crimina et excessus, ne regnent vel imperent aut praesint, a Deo et sacris canonibus fore ipso facto abjectos et privatos, ac etiam ab Ecclesia praecisos, ac nihilominus ipsos . . . privat, abjicit et praescindit.* Haud eo igitur Concilium progressum est, ut directe sibi jurisdictionem in Pontificem, vel in Pontificem dubium qua talem vindicaret, sed ob notoria crimina, praecipue schismatis et haeresis, binos competitores ut a Deo jam dignitate privatos et ex Ecclesia exclusos declaravit, simulque in tales notoriis criminibus reos sententiam dixit. Haereseos praecipue rei habiti sunt, quod eo quo se gesserant modo oppugnaverint et everterint illum fidei articulum: *Credo unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam.*

An valida acta.

52. Jam vero nonnisi subtili quadam cavillatione ex consequentiis juridicis haeresis nota illis contendentibus de pontificatu inuri poterat, ac vel ipsos Cardinales censerem existimasse, illos de facto haereticos non esse. Etiam reliqua maxime quoad Gregorium non erant valde solida, vel saltem gravibus argumentis impugnari poterant. Gregorius enim eo tempore se ostendebat ad cessionem satis paratum et contendebat, se media opportuna adhibuisse, impedimenta autem adfuisse ex parte Benedicti. Quod fere agnoscere videbatur Alexander V, quum in litteris suis encyclicis assereret, Benedictum de Luna adduci nunquam potuisse, ut in locum conveniret, nisi in quo viribus maritimis praestaret.[1]) Quod vero ad creationem novorum

[1]) Cfr. Raynald. a. 1409. n. 81.

Cardinalium attinebat, Gregorius poterat excipere, ad ipsum ut summum Pontificem pertinere, uti alios a praestito juramento dispensare, ita etiam pro se supremo judicio statuere, annon in certis adjunctis obligatio cesset.

Pontifex verus deponi nequit.

53. Caeterum, ut sententiam nostram proponamus, existimanus, nunquam Pontificem verum, quamvis errantes de papatu ejus dubitent, a Concilio judicari et deponi posse. Potestas enim Romani Pontificis est immediate a Deo collata, nec Cardinales et Episcopi Papa inferiores deponere possunt Pontificem etiam criminosum vel dubium. — Censent theologi, Papam, si fieret publicus haereticus, vel Judaeus vel Saracenus, eo ipso non retinere potestatem, sed excidere ex papatu quia non est amplius membrum Ecclesiae. Jure tamen putamus, suppositionem esse impossibilem juxta sapientem providentiam Dei, qua Ecclesia regitur. Caeterum studuit quidem Concilium Pisanum Gregorium et Benedictum exhibere ut haereticos et schismaticos notorios, adeoque per Deum ab Ecclesia praecisos, sed non erat hujus assertionis solidum fundamentum. Dein suam veluti obiter adjunxerunt auctoritatem, qua duos competitores dignitate privarent. Sed talem auctoritatem Concilio Pisano convenisse probari nequit. — Ea ipsa vero aetate firmam persuasionem de valore actuum Concilii Pisani quoad schisma non adfuisse, ex pluribus factis colligitur. Quamvis enim in hoc Concilio constitutum esset, ut inde ab illo tempore contra eos qui adhaererent Gregorio vel Benedicto inquireretur tanquam pertinaces in schismate, nihilominus multi in obedientia illorum remanserunt, quin haberentur ut formales haeretici et schismatici, vel extra viam salutis constituti. Atque Concilium Constantiense, quum quidam processum contra istos postularent, huic petitioni annuere noluit. Statuerunt etiam Patres Constantienses, quorum multi fuerant Pisis, ut omnes tres de papatu contendentes, si sponte abdicare recusarent, ad cessionem compellerentur; Cardinalibus duarum Obedientiarum Gregorii et Benedicti permiserunt comparere in Synodo cum purpura et insignibus cardinalatus, cessionem Gregorii spontaneam admiserant ac laudarunt. Quod autem

Patres Constantienses potius Joannis XXIII, quam Gregorii et Benedicti partes tenerent, inde factum est, quod pars maxima catholici orbis Joanni obediebat, et ejus jura tunc potiora esse videbantur. Petrus Alliacensis, Cardinalis Cameracensis, quamvis staret pro Joanne XXIII, Alexandri successore, professus tamen est, duas alias Obedientias habere probabiles rationes; proinde et ipse dubitabat. *Licet,* scribit, *Concilium Pisanum fuerit legitime et canonice celebratum, et duo olim contendentes de papatu juste et canonice condemnati, et electio Alexandri V fuerit rite et canonice facta, prout haec omnia tenet Obedientia Domini nostri papae Joannis XXIII, tamen duae Obedientiae duorum contendentium probabiliter tenent contrarium. In qua opinionum diversa et adversa varietate non sunt minores difficultates juris et facti, quam ante Concilium Pisanum erant de justitia duorum contendentium.*[1])

54. Concilium Pisanum, uti monuimus, exoptatum finem exstinguendi schismatis non obtinuit, sed exinde jam tres de pontificatu contenderunt. Benedicto enim Hispania adhaesit, in Gregorii vero obedientia regnum Neapolitanum et alia quaedam Italiae territoria, necnon Rupertus Germaniae rex cum multis Germanis, remanserunt. — Gregorius XII mense Julio a. 1409 synodum in oppido Cividale prope Aquilejam celebravit, quamvis pauci tantum praelati adessent. Ibi iterum protestatus est, se unionem desiderare et paratum esse ad cessionem, conditionesque varias quae ipsi aequae videbantur proposuit; ambos vero suos competitores ut intrusos et schismaticos damnavit. Mense Septembri non sine magnis periculis ex insidiis ipsi paratis Ariminium reversus est. — Benedictus soluta synodo Perpinianensi se recepit in arcem firmam Peniscolam in regno Valentiae. Alexander V quum Romam peteret, die 3° Maji a. 1410 Bononiae vita decessit. Multis quidem virtutibus excelluerat, nimis tamen profusus fuisse videtur in gratiis concedendis.[2]) Post ejus obitum

Eventus post Concilium.

---

[1]) De Eccles. et Cardin. potestate.

[2]) Cfr. Theod. de Niem, De schismate L. III. c. 51.

Cardinales septemdecim Bononiae pro more comitia celebrarunt, et die 17° Maji in locum Alexandri elegerunt Cardinalem Balthassarum Cossa, Neapolitanum, qui Joannes XXIII appellatus est. Quae de moribus parum dignis hujus Pontificis tradita sunt, exaggerata videntur;[1]) nec desunt auctores qui eum laudibus evehunt. Sic dicit chronista s. Dionysii: *Virum utique nobilem et expertum in agendis elegerunt*, et *paternam ejus sollicitudinem* commendat.[2]) Magis tamen eum in negotiis mundanis quam in rebus ecclesiasticis et spiritualibus versatum fuisse, s. Antoninus indicat illis verbis: *Vir in temporalibus quidem magnus, in spiritualibus vero nullus atque ineptus.*[3])

55. Gregorii XII partes armis defenderunt Ladislaus rex Neapolitanus ac Carolus Malatesta Ariminensis. Initio quidem Joannes XXIII eos devicit et Roma potitus est, sed a. 1413 coactus est Roma discedere. Urgente imprimis Sigismundo Germaniae rege, Joannes ex civitate Lodi die 9° Decembris a. 1413 generale indixit Concilium, Constantiae die 1° Novembris a. 1414 celebrandum. Hoc de Concilio jam speciali ratione agendum est.

Conclusio. Unde praesentem Dissertationem concludamus illis Benedicti XIV verbis, quibus quid de pontificibus tempore schismatis censeat, ita edicit: *Depulsa temporum caligine in clara luce hodie positum est, legitimum jus pontificatus penes Urbanum VI ejusque successores Bonifatium IX, Innocentium VII, etc. stetisse.*[4])

---

1) V. Hefele, C. G., B. VII. §. 745.

2) L. XXXI. c. 1 et L. XXXIII. c. 28.

3) Summa h. P. III. tit. XXII. c. 6. Cfr. Leonard. de Aretino ap. Muratori Script. T. XIX. p. 297

4) De serv. Dei beatif. L. I. c. 9. n. 10.

Dissertatio trigesima quarta.

De Concilio Constantiensi.

1. Constantiense Concilium inter caetera magnum habet merito nomen, eo quod felici successu in eodem tristissimum Occidentis schisma compositum, et unicus Pastor gregi christiani populi redditus fuerit, atque Wiclefi ac Hussii haeresis solemniter condemnata. Inde igitur praecipua hujus Concilii facta speciali consideratione maxime digna sunt. Sed etiam alio ex capite Synodus Constantiensis peculiarem attentionem meretur. In ea videlicet tum doctrinis tum factis tendentia se manifestavit Ecclesiae constitutioni satis periculosa, oppositio quaedam virorum catholicorum contra principium verum auctoritatis et centrum unitatis a Christo in Ecclesia constitutum, negatio privilegiorum quorumdam Sedis Apostolicae, et conatus ejus jura ultra fas restringendi. Singula quae huc pertinent in decursu hujus dissertationis melius conspicientur; modo opportunum erit, nonnulla advertere ex quibus facilius quae in Concilio Constantiensi acciderunt, poterunt explicari. **Concilium valde celebre.**

2. Quum tempore schismatis status Ecclesiae magis magisque perturbaretur, Universitates et maxime Parisiensis, necnon doctores theologiae ingenio praestantes, quum schismati exstinguendo libris scriptis, congressibus, ser-

monibus adlaborarent, aptaque ad hoc invenirent media, permagnum acquisiverunt in negotia Ecclesiastica influxum, dum antea per Pontificem et episcopos ea quae Ecclesiam spectant administrarentur. Inter viros autem illos eruditos Ecclesiaeque omnino addictos, quum mala illius aetatis conspicerent et perpenderent, tendentia quaedam orta est *reformationis* quae dici solet. Promotores et propugnatores hujus tendentiae in Gallia prae caeteris fuerunt Petrus ab Alliaco (d'Ailly), Nicolaus de Clemangis et Joannes Charlier seu Gersonius.[1]) Fuerunt quidem isti viri eorumque amici Ecclesiae addictissimi, et vires suas sedulo impenderunt, ut schisma exstingueretur, sed tendentiae eorum se miscuerunt elementa quaedam falsa et Ecclesiae perniciosa.

Tendentiae nocivae. 3. Hac de re ista opportune animadvertenda obveniunt: 1° Quum illis viris de legitimo pontificatu Clementis VII et Benedicti XIII persuasum non esset, optime certe fecissent, si de valida electione Urbani sedulo inquisivissent, et perseverassent in prima illa Universitatis intentione, qua Urbano VI adhaesit. Sed sive id provenerit ex negotii difficultate, sive ex pressione principum ac procerum Galliae et patriae praedilectione, ab agnitione Pontificum Romanorum mox destiterunt, et efficere nisi sunt, ut uterque ex contendentibus ad cessionem consentiret. Quum vero reverentia erga personam Clementis et Benedicti ob modum agendi eorum magis magisque diminueretur, simulque doctores illi niterentur principia adstruere, ex quibus Pontifices ad abdicationem possent urgere et cogere, renitentes vero deponere, inde factum est, ut reverentia quoque ipsius dignitatis et

---

[1]) Petrus ab Alliaco a. 1350 Compendii natus, factus est a. 138[illegible] Doctor Sorboniensis et a. 1389 Cancellarius Universitatis Parisiensis. A Benedicto XIII creatus est a. 1396 episcopus Cambracensis et a Joanne XXIII a. 1411 factus est Cardinalis. — De Nicolao de Clemangis jam superius pauca diximus. — Joannes Charlier a. 1363 natus est in vico Gerson dioecesis Rhemensis, unde et Gersonii nomen obtinuit. Doctissimus fuit in rebus thelogicis, Universitatis Parisiensis Doctor et Cancellarius, ac schismati componendo multum adlaboravit. Proposuit autem variis scriptis doctrinas, quae verae Ecclesiae constitutioni et Romani Pontificis auctoritati adversantur.

auctoritatis pontificalis valde diminueretur, ac principia et doctrinas illi viri excogitarent et proponerent, quibus laedebatur revera primatus Pontificis. Sic docuerunt, Papam esse quidem caput et pastorem singulorum Christianorum et singularum ecclesiarum si seorsim sumantur, non autem totius Ecclesiae simul congregatae in Concilio generali. Supremam enim ecclesiasticam potestatem esse tam in Concilio quam in Papa, sed in Concilio principalius, immediatius et immobilius. Statuit etiam Gersonius, Ecclesiam non ita alligatam esse vicario Christi, ut non possint sese invicem separare. — 2° Quum tristi tempore schismatis magna etiam in moribus et disciplina irruisset relaxatio, illi viri omnia fere mala summorum Pontificum defectibus, impositisque ab iis tributis ac reservationibus adscripserunt, et existimarunt, ad reformationem id maxime pertinere, ut amplitudo illa auctoritatis papalis restringeretur. Qua quidem in re valde errabant. *Per accidens* enim factum est, ut propter commorationem Pontificum in Gallia et schisma exortum, cum illo exercitio potestatis interdum incommoda Ecclesiae haud proficua conjungerentur; *per se* vero plenum exercitium potestatis pontificiae, Ecclesiae nullatenus nocivum est, ut vel tunc jam ex exemplo clarissimorum Pontificum, uti Gregorii VII et Innocentii III patebat. — 3° Quum doctores Universitatis Parisiensis aliique in negotio unionis magno cum fervore suos conferrent labores, jam ex rei natura accidit, ut sacerdotes secundi ordinis magnum influxum exercerent in negotia Ecclesiae, cujus administratio per se ad summum Pontificem et episcopos pertinet. Viri autem illi, de quibus agimus, adhuc magis illum influxum studuerunt promovere, existimantes, facilius hac ratione perveniri ad schisma componendum et Ecclesiam reformandam. Inde etiam praecipue Gersonius doctrinas quasdam proposuit, quibus jura ecclesiasticis secundi ordinis, imo et laicis, tribuit quae ipsis nequaquam conveniebant, et episcoporum jura laedebant. Atque sic tendentia *democratica,* si ita dicere fas est, et oppositio contra principium auctoritatis invaluit; unde pericula haud exigua mox provenerunt. — His si

Simultas in Pontifices.

adjungis particularismum nationalem, quem tempore schismatis vehementer auctum esse jam diximus, magnam fuisse in Concilio Constantiensi animorum agitationem, colliges, et varia quae in illa Synodo acciderunt facile intelliges. — Concilio Constantiensi tria proposita erant: exstinctio schismatis, damnatio errorum Wiclefi et Hussii, ac reformatio Ecclesiae. Ut vero apta distributione singula magis clarescant, agemus primum *de exstinctione schismatis*, ea addituri quae de reformatione disciplinae et morum commemoranda sunt; dein *de decretis famosis sessionis quartae et quintae*, ac postremo *de erroribus et condemnatione Hussii.*

Auctores. 4. Praeter auctores quos in Dissertatione praecedente citavimus, de Concilio Constantiensi consuli possunt: Labbe, *Concil. Tom. XII;* Mansi, *Tom. XXVII, XXVIII;* Raynaldi *Annal. Eccles. ad a. 1414—1418;* Natalis Alexander, *Hist. Eccl. Diss. III et IV in saec. XV et XVI;* Schelstraete, *Acta Concilii Constantiensis,* et *Tractatus de sensu et auctoritate decretorum Constantiensis Concilii;* Card. Orsi, *De Rom. Pontificum auctoritate;* Muzzarelli, *De auctoritate Rom. Pontificis in Conciliis generalibus, Tom. II. c. 17;* Palma, *Praelect. hist. eccles. T. IV. p. I. c. 4;* Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, Napoli 1853; Hefele, *C. G., B. VII.;* Bauer, *Das grosse abendl. Schisma etc.* (Laacher Stimmen 1872); Hergenröther, *K. G. T. II Cap. I. n. 94 sqq., T. III. p. 353 (ed. I.)* notae litterariae, ubi varios auctores citatos invenies.

I.

De exstinctione schismatis.

5. Concilium Constantiense, si spectas multitudinem eorum qui ipsi interfuerunt, caetera superavit. Adfuerunt videlicet tempore maximae frequentiae tres Patriarchae, viginti novem Cardinales, triginta tres archiepiscopi, centum et quinquaginta circiter episcopi, ultra centum abbates, quinquaginta circiter praepositi, et fere ter centum doctores.

Ecclesiastici adfuerunt circiter octodecim millia, in quo numero tamen computantur comites eorum domestici numero plurimi. Sic v. g. archiepiscopus Moguntinus secum adduxit quingentas personas. Aderat dein ingens numerus laicorum; Sigismundus imperator, electores Imperii vel eorum oratores, pariter oratores regum Galliae, Angliae, Scotiae, Poloniae, Sueciae, Daniae, Norvegiae, Neapolis, Siciliae, Hispaniae, Michaëlis Palaeologi Imperatoris Graecorum; principes, duces, comites, barones, nobiles innumeri. His accessit ingens multitudo mercatorum, artificum et opificum, musicorum, et aliarum omnis generis personarum, ita ut censeantur Constantiae adfuisse 100.000 hominum et 30.000 equorum.[1])

6. Concilium in Bulla convocationis designatum erat a Joanne XXIII ut continuatio concilii Pisani illis verbis: *Alexander . . . suspendit ipsumque Concilium usque ad tempus triennii continuandum statuit.* Atque ipsius Joannis maxime intererat, ut talis character Concilio Constantiensi remaneret, et quae in concilio Pisano facta erant, firma ac rata haberentur, adeoque et valor pontificatus ipsius in dubium verti non posset. Sed mox, instante praecipue Petro ab Alliaco, Synodus Constantiensis de Pisana minus sollicita fuit, et quaecunque apta videbantur adhibere statuit media, ut ad finem perveniretur optatum. Sed plura deinde Constantiae facta sunt quoad Concilii celebrationem praecedentibus temporibus inaudita, nova et illegitima. **Concilii indoles.**

7. Quum permagnus adesset numerus praelatorum Italorum qui Joanni XXIII adhaerebant, praeponderantia eorum mox variis decretis eversa est. Urgentibus enim Cardinalibus Petro Alliaco et Filastro cum amicis eorum, statutum fuit 1° Ut non solum episcopi, abbates et praelati

---

[1]) Ex his vides, occasione Concilii ingentem ibi confluxum et conventum hominum fuisse, et facile explicatur, quomodo eo tempore etiam festa profana et nobilium torneamenta ludique multiplices locum haberent, et multa accidere possent profana et minus congrua. Cfr. Hefele, C. G. VII. §. 749.

suffragium definiens in Synodo haberent, sed etiam omnes doctores theologiae et juris, ac deputati capitulorum, imo reges quoque ac principes et oratores eorum. Objectioni. id esse contra usum Ecclesiae et in praecedentibus Conciliis generalibus nullatenus factum, respondit Alliacus infirmis ratiunculis. Advertit videlicet, propterea illud antea haud factum, quia doctores ejusmodi nondum existebant. in Concilio vero Pisano id jam locum habuisse. Praeterea vero agi de exstinctione schismatis, quod negotium ad omnes Ecclesiae ordines pertineat. Rationes istae sunt ineptae; administratio enim Ecclesiae spectat nativo jure ad Romanum Pontificem et episcopos. — Statutum fuit,
Ratio votorum. contra voluntatem Joannis XXIII et antiquum usum. 2° ut suffragia haud, uti semper factum erat, *viritim* darentur, sed *secundum nationes*. Omnes Concilio praesentes videlicet divisi sunt in nationes quatuor; Italicam. Gallicanam, Germanam et Anglicanam, ad quas postea accessit quinta, Hispanica. Pro unaquaque natione certus numerus deputatorum nominabatur, ecclesiastici et laici cum notariis et procuratoribus. Deputatis autem cujusque nationis praeerat Praesidens (episcopus), alius per singulos menses, et quaevis natio suas habebat peculiares congregationes ut de negotiis in Concilio tractandis deliberarent. In istis congregationibus, quae instar tribunalium primae instantiae erant, omnes deputati, episcopi, clerici, laici. sine distinctione suffragium ferebant, et major numerus constituebat votum seu sententiam nationis. Deinde nationes sibi communicabant decreta sua, ut ad concordem sententiam perveniretur. Quando convenerat inter eas de aliquo articulo, tenebatur congregatio generalis nationum. et si articulus iste etiam in hac congregatione (nationaliter) approbatus erat, deferebatur ad proximam sessionem generalem Concilii, ut ibidem a toto Concilio (conciliariter) adoptaretur. — Totus ille modus agendi valde arbitrarius erat ac singularis, et jura episcoporum et Cardinalium laedebat. Quamvis e. g. ex natione Anglicana non essent nisi tres episcopi, tamen tantum valebat ejus suffragium. quam votum nationis Italae, in qua magnus erat

episcoporum numerus. Cardinalibus etiam significatum fuit, eorum suffragium tantum in ipsis variis nationibus locum et valorem habere; quumque postularent, ut saltem Collegium eorum adjungeretur nationibus ut corpus morale speciale, id ipsis denegatum fuit. — Dispositiones has provenisse ex influxu illorum virorum, quorum opiniones et tendentias supra commemoravimus, per se patet. Constitutionem veram Ecclesiae ipsi non satis prae oculis habebant, et zelo praepostero elementa democratica auctoritatique periculosa in administrationem negotiorum introducebant.

Inchoatio Concilii.

8. Venit Joannes XXIII Constantiam versus finem mensis Octobris a. 1414, magna cum pompa et majori cordis anxietate. Solemniter inchoavit Concilium die 5° Novembris, *primaque* sessio habita est die 16° ejusdem mensis. Huic primae necnon secundae sessioni praesedit Joannes. Initio quidem plurimi censuerunt, tuenda esse auctoritatem Concilii Pisani, pontificatum Joannis XXIII et depositionem Gregorii ac Benedicti; sed brevi apud multos ea invaluit sententia, cessionem trium contendentium de papatu optimam esse unionis viam. Joannes, quamvis initio ejusmodi propositioni repugnaret, mox tamen acquievit, eo vel magis, quod libelli contra eum propagarentur, quibus multorum criminum accusabatur. Concilii igitur nomine rogatus ac monitus, ut pro bono pacis pontificatu cederet, cedentibus Gregorio et Benedicto, in sessione secunda, die 2° Martii a. 1415 solemniter spopondit et juravit, se id facturum esse. Legati autem Gregorii XII et Benedicti XIII Constantiae honorifice recepti sunt, et ita de facto Concilii Pisani sententiae, qua ut haeretici et schismatici illi depositi erant, vigor ademptus est. Legati Gregorii XII, quorum caput erat Joannes Dominici Cardinalis Ragusanus, promiserunt, se operam daturos esse, ut ab eo cessionem impetrarent. Legati vero Benedicti nihil aliud obtulerunt, nisi quod is paratus esset de via unionis conferre cum Sigismundo Imperatore et Ferdinando rege Arragoniae, congressu Niciae in Liguria habendo.

Joannes XXIII recedit.

9. Verum post sessionem secundam Joannes XXIII die 20° Martii clam Constantia aufugit Schafhusiam in ditione Friderici ducis Austriaci, qui ipsi suam, pacto inito, promiserat protectionem. Inde magna orta est Constantiae animorum turbatio, quum continuatio Concilii in discrimen vocaretur. Sed mox Concilium continuare convenit; plura autem tunc facta sunt quae haud probanda erant, et jura Sedis Apostolicae laedebant. Die 23° Martii Gersonius, Cancellarius Universitatis Parisiensis, qui influxu et auctoritate magna pollebat, orationem habuit de auctoritate Concilii supra Papam, ac duodecim propositionibus, quas radios veritatis dicebat, doctrinas suas parum orthodoxas de relatione Pontificem inter et Ecclesiam evolvit. Huic autem sermoni Cardinales, quamvis invitati, adesse noluerunt; jam enim opiniones audaces Cancellarii ex scriptis ipsius cognoscebant. — Cum Cardinales a Concilio missi ad Joannem, ut eum ad reditum moverent, haud retulissent responsum conveniens, habita est die 26° Martii sessio tertia generalis, praeside Petro de Alliaco Cardinali Cameracensi. Decretum fuit, praesens Concilium legitime congregatum et non obstante Joannis recessu continuandum esse, eique suam remanere integritatem et auctoritatem, etiam si contrarium (a Pontifice) declararetur. Adhuc alia quaedam similia adjecta sunt. — Huic sessioni tantum adfuere duo Cardinales, Petrus de Alliaco et Cardinalis Cabarella; reliqui autem Cardinales haud convenire censuerunt, tali sessioni adesse. Praelati in eadem numerabantur tantum septuaginta, reliqui erant sacerdotes secundi ordinis et laici.

10. Brevi post, videlicet die 30° Martii et die 5° Aprilis habitae sunt sessiones quarta et quinta praeside Cardinali Jordano Episcopo Albanensi. Definitum est, Concilium Constantiense in Spiritu s. legitime congregatum, Concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, a Christo immediate habere potestatem, cui quilibet, cujuscumque status et dignitatis etiamsi papalis existeret, obedire teneretur in his quae pertinebant ad fidem, ad exstinctionem schismatis et reformationem Ecclesiae in capite et

membris. Accuratius de tenore ac de valore illorum decretorum inferius agemus; sed jam vides, in animorum turbatione haec prodiisse ab illis viris Gallicanis, qui Ecclesiae quidem addicti erant, sed principiis imbuti falsis de Conciliorum indole et auctoritate. Ex Cardinalibus quatuor ad sessionem quintam haud accesserunt, inter quos fuit ipse Petrus de Alliaco; octo autem qui adfuerunt antea declaraverant, se adfuturos esse, ut scandalum vitarent, minime vero ut decreta illius sessionis approbarent.

11. Sessioni sextae et sequentibus praesedit Joannes Cardinalis Episcopus Ostiensis. Ea praecipue, quae quoad schisma tollendum facta sunt, modo indicamus. Sessione sexta Joannes XXIII honorifica legatione monitus fuit, ut ad Concilium rediret aut pontificatu abdicaret; cum vero neutrum praestaret, Concilium sessione septima ei diem dixit, videlicet ut intra novem dies se Concilio sisteret. Sessione octava Wiclefi errores damnati et scripta igni addicta sunt, qua de re fusius agemus. Sessionibus nona et sequentibus Joanni XXIII iterum dies dicta fuit, et testium depositiones contra eum auditae sunt. Multiplicium enim et magnorum criminum fuerat accusatus. Sessione decima suspensus est administratione pontificia in spiritualibus et temporalibus propter malam administrationem, perversum damnabilis vitae et morum impiorum exemplum, simoniam et dilapidationem bonorum ecclesiasticorum. Simul processus contra eum decretus est. — Accidit tunc factum memoria dignum. Benedictus Gentianus videlicet, religiosus s. Dionysii et deputatus Universitatis Parisiensis, emisit protestationem, ne Pontifice suspenso collatio beneficiorum devolveretur ad episcopos. Inde enim secutum iri magna detrimenta pro viris doctis, ad quos in conferendis beneficiis episcopi non satis attendant. Similia jam centum ante annis Bonifatius VIII episcopis Galliae objecerat.[1]

Sessiones variae.

12. Accusatio contra Joannem XXIII concepta fuit 72 punctis. Ipse timore, uti videtur, correptus propter

---

[1]) Cfr. Hefele, C. G., VII. §. 753 et VI. p 312.

crimina quorum accusabatur, pluries deputatis ad eum missis dixit, se submittere se Concilii dispositionibus, nec defensionem suscipere velle; comparere tamen coram Concilio declinavit. Sessione undecima Joannes pontificatu

Depositio Joannis.

depositus fuit. In decreto depositionis dicitur: *Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu S. legitime congregata, universalem Ecclesiam repraesentans, invocato Christi nomine, solum Deum prae oculis habens, visis articulis in hac causa contra dom. Joannem XXIII formatis et oblatis et probationibus eorumdem factis et ejusdem submissione spontanea una cum toto processu hujus causae, pronuntiat, decernit et declarat ... ipsum* (Joannem) *propter praemissa et alia crimina ... tanquam indignum et inutilem et damnosum a papatu et omni ejus administratione spirituali et temporali amovendum, privandum et deponendum fore et cum hoc dicta Synodus privat, amovet et deponit.* — Constantienses in suo agendi modo quoad Joannem, quum ejus Obedientiae addicti ipsum ut verum haberent Pontificem, certe jura sua excesserunt; nec aliter ejusmodi depositio, si verus fuisset Papa, valorem habuisset, nisi ex spontanea Joannis submissione. Censemus tamen, Joannem XXIII reapse non fuisse verum Pontificem, sed pontificatus munus et auctoritatem fuisse apud Gregorium XII.

13. Sessione decima tertia contra Bohemos Hussitas decretum est, sacram communionem sub una specie a laicis iisque jejunis esse sumendam, hancque consuetudinem ad pericula et scandala vitanda fuisse legitime introductam. — Sessio decima quarta maximi fuit momenti. In eadem videlicet, ait s. Antoninus, *Gregorius, vir sanctus, utpote qui Ecclesiae et unionem et reformationem semper optaverat, per Carolum Malatestam procuratorem ad hoc suum omni juri suo quod in papatu haberet, renuntiavit solemniter, hoc petentibus congregatis in Concilio et expedire unioni faciendae judicantibus.*[1]) Sed eventum istum jam aliquanto accuratius enarremus. Advenit igitur die

[1]) Hist. p. III. tit. XXII. c. 4. §. 2.

15° Junii Carolus Malatesta magna cum pompa Constantiam et Sigismundo Imperatori declaravit, se a Gregorio XII missum esse ad ipsum Imperatorem, haud vero ad Concilium, quod Gregorius non agnoscebat ut legitimum, ut pax Ecclesiae redderetur. Tum Sigismundo tum deputatis nationum dein aperuit, plenissimas se accepisse a Pontifice cessionis facultates, dummodo conditionibus quibusdam acquiescerent. Conditiones illae admissae sunt. Gregorius procuratores suos nominaverat Joannem Cardinalem Ragusinum et Carolum Malatestam, ac facultatem dederat, ut conventum Constantiensem a Sigismundo, non vero a Balthassare Cossa (Joanne XXIII) convocatum, denuo in finem abdicationis suae convocarent, ac synodo auctoritatem Concilii generalis tribuerent, ita tamen ut Cossa nec eidem praesidere, nec ei adesse posset. — Sessioni decima quarta igitur praesedit Sigismundus, et Cardinalis Ragusinus Concilium nomine Gregorii solemni formula ut generale convocavit et confirmavit. Edita tunc sanctio fuit, qua, fidelium multitudinem quae Joannem XXIII agnoverat, et alteram quae Gregorium XII coluerat sub uno capite Christo mutuo foedere coalescere, promulgatum, et convocatio a Gregorio facta admissa est, formulam legente Bartholomaeo archiepiscopo Mediolanensi. In eadem dicitur: *Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, . . . ut istae duae Obedientiae, videlicet illa quae profitetur Joannem XXIII olim fuisse Papam, et illa quae profitetur dominum Gregorium XII esse Papam, uniantur una alteri, et altera alteri conjungantur sub capite Christo, dictas convocationem, auctorizationem, approbationem, et confirmationem nomine illius domini qui in sua Obedientia dicitur Gregorius XII nunc factas quantum ad ipsum spectare videtur, quia abundans ad certitudinem pro bono cautela nemini nocet, sed omnibus prodest, in omnibus et per omnia admittit, et amodo has supradictas Obedientias conjunctas et unitas esse decernit.* His gestis, Cardinalis Ragusinus, Cardinalium caeterorum osculo et amplexu exceptus, inter Franciscum Venetum et Antonium Aquilejensem Cardinales presbyteros collocatus est. Cardinalis vero Vivariensis tunc Synodo praesedit,

Gregorii XII gesta.

et Carolus Malatesta, cui a Gregorio pontificatus ejus nomine deponendi commissa fuerat procuratio, a Concilio postulavit, utrum tum gradu cedere conduceret, an vero rem ad Petri de Luna abdicationem extrahere. Quumque suffragiis habitis peteretur, ut abdicatio non differretur, Malatesta solemniter formulam abdicationis pronuntiavit. Dicitur in eadem: *Ut omnibus aperte pateat per effectum, quanta sinceritate, quantaque cordis affectione, sacram unionem et redintegrationem Christianorum in unitate s. matris Ecclesiae prosecutus fuit, prosequaturque per viam etiam renuntiationis inclusive, pure et libere et sincere, procuratorio nomine ipsius Smi D. N. Gregorii Papae XII . . . renuntio et cedo expresse in his scriptis realiter et cum effectu, juri, titulo et possessioni, quod, quem et quam ipse habet in papatu etc.*[1]) Vides, usque in finem Gregorium protestatum fuisse de perenni voluntate cedendi et ex effectu eam probare. Petrum de Luna vero sinceram intentionem haud habuisse, adeoque merito Gregorium ei fiduciam denegasse, pariter ex effectu colligi potest.

Abdicatio Gregorii XII.

14. Divinas laudes dein Concilium ob conciliatam feliciter conjunctionem Deo persolvit. Consultum vero fuit a Concilio Gregorii dignitati; cardinalitium enim munus Picena legatione exornarunt, ut refert praeter alios s. Antoninus illis verbis: *Patres venerandum illum et omni laude dignissimum antiquum dierum, ex Gregorio ad Angelum primum nomen suum reversum, legatum instituerunt in Picentibus consistentem.* Scribit autem Theodoricus de Niem, vir Gregorio satis infensus: *Gregorius in publico consistorio gaudenter et sponte approbavit, laudavit et confirmavit omnia in ea parte gesta pro ipso per dictum Carolum. Quo facto illico deposuit mithram pontificalem, necnon colobium et omnia pontificalia, etiam ibidem praesentibus omnibus cum solemni protestatione, quod illa nunquam de caetero resumere vellet, imo omni modo quo posset procurare intenderet, quod praefata unio fieret in Ecclesia universali.*[2])

[1]) Labbe XII. 118.
[2]) In Vita Joannis XXIII.

Manifestum est ex agendi modo, quem Synodus in Gregorii negotio adhibuit, ipsum Concilium quamvis *practice* antea adhaeserit Joanni ac dein etiam superioritatem Concilii supra Pontificem declaraverit, tamen non plenam hac de re fiduciam habuisse. Propterea admiserunt solemnem illam convocationem Concilii per Gregorium, ac dein ejus abdicationem. Quum vero existimemus, revera Gregorium semper verum fuisse Pontificem, nostrâ sententiâ nonnisi per illam Gregorii convocationem Synodus Constantiensis characterem legitimi Concilii oecumenici acquisivit, ac Gregorii voluntaria abdicatio viam componendi schismatis aperuit.

Benedicti XIII gesta.

15. Varii interea facti sunt conatus, ut etiam Benedictus XIII ad cessionem iisdem uti Gregorius conditionibus faciendam adduceretur, ipseque Imperator Sigismundus in Galliam et Hispaniam profectus est, ut negotium istud ad exoptatum perduceret finem. Sed spes fuit inanis. Benedictus enim initio alias finiendi schismatis vias proposuit, ac postremo aufugit cum paucis Cardinalibus in castellum munitum Peniscola, quod familiae ipsius proprium fuisse videtur. Quum ibi iterum urgeretur, ut dignitatem abdicaret, protestationem emisit contra Concilium Constantiense, ac minatus est, se omnes principes ab Obedientia sua recedentes depositione puniturum esse. Sed reges Arragoniae, Castiliae et Navarrae aliique brevi post ejus Obedientiam reliquerunt, et die 13° Decembris a. 1415 cum Sigismundo Narbonnae tractatum fecerunt, quo promiserunt, se ad Concilium Constantiense conventuros et cum reliquis unionem inituros esse. Id revera altero anno 1416 praestiterunt. Sessione vero trigesima septima, die 26° Julii a. 1417, Benedictus XIII jam saepius monitus atque ab omnibus populis ac principibus christianis derelictus, tanquam schismatis fautor et haereticus pontificatu depositus et Ecclesiae communione privatus est. Sententia in eum lata haec habet: *Sancta Synodus decernit, Petrum de Luna, Benedictum XIII nuncupatum, fuisse et esse perjurum, universalis Ecclesiae scandalizatorem, fautorem et nutritorem schismatis, . . . pacis et unionis ejusdem Ecclesiae*

impeditorem et perturbatorem schismaticum et haereticum ac a fide devium, . . . ac omni titulo, gradu, honore et dignitate se reddidisse indignum, a Deo ejectum et praecisum, et omni jure eidem in papatu et Romano pontificatu ac Romana ecclesia quomodolibet competente, ipso jure privatum, et ab Ecclesia catholica tanquam membrum aridum praecisum, ipsumque Petrum, quatenus de facto papatum secundum se tenet, eadem sancta Synodus papatu et summo ecclesiae Romanae pontificio omnique titulo, gradu, honore, dignitate ... ad omnem cautelam privat, deponit et abjicit, eique inhibet, ne deinceps pro Papa aut Romano et summo Pontifice se gerat.[1])

Haud legitimus Pontifex.

16. Benedictum XIII pro certo habemus nunquam verum fuisse Pontificem, adeoque necessarium non est, fusius inquirere, utrum per se ejusmodi depositionis decretum vim habuerit. — Caeterum adverti potest, eo tempore jam ab omnibus Benedictum relictum fuisse et eum cum paucissimis asseclis in castello Peniscola versantem asseruisse, ibi esse totam Ecclesiam catholicam. Sed quum Ecclesia catholica sit corpus morale, constans capite simul et corpore sibi cohaerente, merito colligimus, juxta sapientem Dei gubernationem fieri non posse, ut verus et legitimus Pontifex a toto Ecclesiae catholicae corpore separetur. Itaque quum jam plurimi nunquam habuissent Benedictum ut legitimum Pontificem, ipso facto etiam apertius patebat, eum verum non esse Papam. Ex altera parte, quum totam Ecclesiam in angulo isto Hispaniae, in castello videlicet Peniscola, esse assereret, revera de haeresi, ut olim Donatistae, argui poterat, et in istis circumstantiis a pluribus censeri excidisse ex pontificatu. In decreto Concilii id supponitur, et tantum ad cautelam deponitur „quatenus de facto papatum *secundum se* tenet", quibus verbis adsignificatur, eum revera jam papatum non tenere. Advertere etiam juvat, Concilium

---

[1]) Labbe XIII. 235.

eo tempore characterem Synodi generalis non plene habuisse, eo quod deerat Caput, summus Pontifex.[1])

17. Concilii Constantiensis sessionne trigesima nona editum est decretum *Frequens*, quo ad praecavendum in posterum schismata, statuebatur, ut quinquennio post hoc Concilium elapso, aliud Concilium celebraretur, septennio post aliud, et deinceps singulis decenniis.[2]) Ista dispositio tamen inventa est multis obnoxia incommodis. — Sessione quadragesima statutum est, ut futurus Pontifex cum sacro Concilio vel deputatis nationum, ante Concilii dissolutionem Ecclesiam et Romanam curiam reformaret. Praeterea quod ad novi Pontificis electionem pertinet, de Cardinalium consensu decretum est, ut pro hac vice tantum praeter Cardinales ad eligendum novum Pontificem admitterentur sex praelati vel alii honorabiles viri in sacris Ordinibus constituti ex unaquaque natione, quos quaelibet natio in Concilio praesens eligeret. Id in praesentibus adjunctis

Decretum *Frequens*.

---

[1]) Opportunum erit notare, quae de Benedicti XIII depositione scribit Maurus Capellari (Gregorius XVI), Triomphe du S. Siége, Discours préliminaire §. LIV. „L'église de Bénoit ne s'étendait pas hors de l'enceinte de Péniscola, depuis que ses partisans, et avec eux les trois cardinaux qui l'avaient élu, s'étaient soustraits à son obéissance. Le concile était donc bien autorisé à croire que ses fauteurs eux-mêmes avaient reconnu l'illégitimité et la nullité de son élévation au Siège Apostolique, et il ne devait pas d'ailleurs coopérer à la prolongation du schisme, en le laissant dans la paisible possession de son prétendu pontificat. Il avait donc dans cette hypothèse le droit, c'était même pour lui un devoir de pourvoir à la tranquillité de l'Eglise en déposant Bénoît, et l'on ne peut en inférer qu'il ait le même droit contre un Pape évidemment légitime. En effet, il prononça cette dernière sentence, et il l'exécuta en s'appuyant non sur sa supériorité au Pape, mais sur la supposition fondée que Benoît n'était pas Pape; or la puissance de l'Eglise, en de pareils cas, est aussi incontestable qu'il est évident que J.-C., en établissant pour la sécurité des fidéles un gouvernement immuable visible et perpétuel, doit avoir pourvu son Eglise de tous les moyens qui lui sont nécessaires pour repousser un chef illégitime, Il lui a donc certainement conféré le droit, dans le eas d'un doute fondé et raisonnable sur la légitimité d'un Pape, de procéder à l'élection d'un autre, surtout si celui dont la légitimité serait suspecte ne cessait de l'inquiéter en mille maniéres."

[2]) Cfr. Labbe XIII. 238.

opportunum videbatur ad firmiorem rei certitudinem et plenissimae concordiae testimonium, ut quodammodo totus orbis catholicus in novi Pontificis electione convenisse luculentius appareret.

Electio Martini V.

18. Sessione quadragesima prima lecta fuit Constitutio Clementis VI *Licet* de modo et forma (mitigata) conclavis. Eadem die viginti tres Cardinales praesentes cum triginta deputatis nationum conclave ingressi sunt, et quamvis initio ob simultatem nationum, quae papatum sibi vindicare desiderabant, discordia orta esset, tamen mox ea sedata, post triduum die 11° Novembris a. 1417 unanimiter in Pontificem elegerunt Ottonem Columnam Cardinalem Diaconum, qui die 20° Novembris ordinatus presbyter, altera die Dominica in ecclesia Constantiensi solemni ritu et cum maxima laetitia Pontifex consecratus et coronatus fuit sub nomine *Martini V.* Ipse sessioni quadragesimae secundae et caeteris usque ad diem 22um Aprilis a. 1418, quo die habita est sessio quadragesima quinta et ultima, praesedit.

19. Ad *reformationem* Ecclesiae quod spectat, jam ante electionem Martini V commissio ex variis nationibus constituta erat, ut capita reformationis faciendae proponerent; post electionem vero Martini negotium istud ulterius tractatum est. Jam animadvertimus, nimiam sese manifestasse tendentiam restringendi jura Pontificis, seu potius usum et applicationem jurium ejus in exemptionibus, reservationibus, provisionibus, annatis, commendis, etc. Quamvis enim tempore schismatis his in rebus varia quae minus conveniebant acciderent, immerito tamen talia quae tantum *per accidens* abusum secum tulerunt, veluti maximorum malorum fontem plures considerarunt. Sed etiam inter membra commissionum variasque nationes mox discordes de punctis reformandis se manifestarunt opiniones. Sic e. g. maxima orta est controversia de collatione beneficiorum. Quum enim alii reservationes R. Pontificis hac in re vellent restringere et Ordinariis liberam collationem multorum beneficiorum adscribere, alii, ac praesertim deputati Universitatum, difficultates magnas moverunt.

Conquerebantur enim maxime, ab episcopis viros negligi doctos, a Romano vero Pontifice his melius provideri. Etiam quoad diminutionem annatarum aliorumque tributorum mox observatum fuit, necessarium omnino esse Romano Pontifici, Cardinalibus et curialibus providere, ut necessaria ad statum et dignitatem tuenda haberent, neque aliter ipsis provideri posse, praesertim quum patrimonii s. Petri proventus essent valde exigui, nisi per beneficia et tributa ad instar subsidiorum rite imposita.

20. Postremo ita res absoluta est, ut quoad aliqua, in quibus omnes conveniebant, generalia reformationis decreta proponerentur, quoad alia vero cum singulis nationibus *concordata* fierent, quibus Martinus V secundum desideria variis varia concessit. Ista tamen Concordata pro quinque tantum annis confecta sunt, et reapse paulo post plura sunt mutata, uti id Romanis Pontificibus utile visum est. In decretis illis reformationis non pauca continentur valde utilia de vita et honestate clericorum ac de vitanda simonia, atque abusus qui tempore schismatis orti erant iisdem aboliti sunt.

21. Concilium Constantiense confirmatum fuit (cum quadam restrictione tamen) a Martino V et Eugenio IV; qua de re inferius agemus, ubi de decretis sessionis quartae et quintae disputabimus. Quoad characterem vero oecumenicum ejus haec opportune notantur. Solutio quaestionis, utrum prima *convocatione* per Joannem XXIII ipsum fuerit legitimum et oecumenicum Concilium, pendet a quaestione, utrum Joannes XXIII fuerit verus et legitimus Pontifex. Qui eum habent ut talem, sicuti e. g. Ill. Hefele, merito convocatione Synodum fuisse oecumenicam, affirmant. Jure autem id negant, qui, uti nos, Joannem non habent ut Pontificem legitimum. A multis res in dubio relinquitur. — De *celebratione* ex iisdem principiis judicatur. Duobus primis sessionibus praesedit Joannes; dein a Concilio discessit nec Synodo per legatum praefuit. Proinde a sessione tertia jam celebratione Concilium certe oecumenicum haud erat. In sessione decima quarta censemus eidem Concilio per convocationem Gregorii XII, An Concilium oecumenicum.

quem habemus ut verum Pontificem, characterem Concilii generalis tributum esse; sed post abdicationem Gregorii jam deficiente Capite, celebratione oecumenicum non erat. Post electionem vero Martini V vere oecumenicum fuit, et conclusionem etiam ac confirmationem Concilii oecumenici habuit.

II.

De decretis Sessionis quartae et quintae.

Decreta celebria.

22. Decreta quae in Concilii Constantiensis sessione quarta et quinta condita fuere, postea magnam adepta sunt celebritatem, ex argumentatione eorum qui contendebant. Concilium generale esse supra Romanum Pontificem et hunc ei subjacere. In declaratione quae dicitur Cleri Gallicani a. 1682 statuebatur Art. II: *Sic autem inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis, a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur, nec probari a Gallicana ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringunt, aut ad solum schismatis tempus dicta detorquent.* Ut igitur de his decretis judicium feramus, primum decreta ipsa proponemus, dein an auctoritas ipsis insit examinabimus.

23. Quum Joannes XXIII Constantia aufugisset, sessione tertia, uti vidimus, declaratum fuit, Synodum nihilominus continuandam esse. Sessione autem quarta et quinta inter alia haec edita fuere decreta: *Haec sancta Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens pro exstirpatione ipsius schismatis et unione et reformatione Ecclesiae*

Dei in capite et membris, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius unionem et reformationem Ecclesiae Dei, ordinat, definit et declarat ut sequitur: Decretorum textus.

Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata Concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujusque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis et reformationem dictae Ecclesiae in capite et in membris.

Hoc fuit decretum sessionis quartae, exceptis tamen verbis quae notavimus, scilicet „ad fidem" et „reformationem etc." Sessione quinta hoc decretum repetitum fuit adjectis illis verbis, et dein additum aliud decretum hujus tenoris:

Item declarat, quod quicumque, cujuscumque conditionis, status, dignitatis etiam papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut praeceptis hujus sacrae Synodi et cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super praemissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit condignae poenitentiae subjiciatur et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia si opus fuerit recurrendo.

24. Auctores Gallicani, uti diximus, contendunt, e praefatis decretis constare luculenter, summum Pontificem auctoritati Concilii generalis subesse eique obedire debere; illa decreta esse Concilii vere oecumenici definitiones, a s. Sede approbata, ac proinde doctrinam de superioritate Concilii supra Papam a s. Synodo Constantiensi fuisse definitam. Sed haud difficulter probabimus, illis decretis nec spectata origine vim convenire decretorum Concilii vere oecumenici, nec confirmata ea fuisse a Rom. Pontifice; videbimus etiam, ipsos Constantienses definitionem dogmaticam iisdem edere noluisse.

25. Atque in primis *illa decreta edita haud fuerunt a legitimo Concilio generali.* Nam Concilium Constantiense

Non edita a Concil. oecumenico.

vel ipsa convocatione Joannis juxta nostram sententiam non erat oecumenicum, quum Joannes esset Pontifex illegitimus, vel saltem valde dubius. Sessionibus quidem primae et secundae Joannes praesedit, sed tempore sessionis quartae et quintae ipse jam a synodo recesserat, adeoque eo tempore certissime Constantienses Concilium oecumenicum haud formabant. Ipsi utique id opinabantur, et in decretis suis exprimebant; sed haec erat illusio quaedam, quae ob tristem rerum statum excusari quidem potest, sed non approbari. Usque ad sessionem duodecimam Concilio etiam sola adfuit Obedientia Joannis; deerant igitur episcopi ex duabus aliis Obedientiis Gregorii XII et Benedicti XIII. Hae duae Obedientiae magnam tamen constituebant Ecclesiae partem, adeoque etiam ex hoc capite tempore sessionis quartae et quintae, Synodus ista oecumenica non erat. — Quam multa vero propter influxum quorumdam virorum in Concilio Constantiensi fierent haud rite et contra juridicum usum Ecclesiae, superius jam exposuimus. Quum enim non tantum episcopi, sed multo plures alii ecclesiastici et laici suffragia ferrent, votaque darentur secundum nationes, etiam ex hoc capite vitium quoddam originale aderat decretis, quod nonnisi per confirmationem Romani Pontificis sanari poterat. Speciatim vero ista decreta, uti in sessione quinta promulgata fuere, condita et proclamata sunt reclamantibus Cardinalium collegio et regis Galliae oratoribus. Et in camera paramentorum septem Cardinales qui adfuerunt sessioni, dum quatuor alii, (inter quos erat Petrus de Alliaco), ad eam non venerunt, protestati sunt ante ipsam sessionem quintam, se quidem ituros esse ad sessionem causa vitandi scandali et schismatis, non vero animo consentiendi iis quae audierant in illa esse statuenda. Ideoque decretum sessionis quintae non ab aliquo Cardinali, sed ab episcopo Posnaniensi lectum est.

26. Decreta dein sessionis quartae et quintae *nulla Romani Pontificis approbatione valorem aliquem obtinuerunt.* Non existit proprie dictum decretum seu Bulla Martini V super confirmatione Concilii Constantiensis, sed ad con-

firmationem hanc imprimis pertinet declaratio oralis Martini V in sessione quadragesima quinta quae erat ultima, se approbare ea quae *in materiis fidei conciliariter* statuta erant. Qua occasione illa declaratio edita fuerit, paucis juvabit exponere. In fine ultimae sessionis Cardinalis Raynaldus a s. Vito ex mandato Pontificis jam verba demissionis protulerat: *Domini, ite in pace*, ac Joannes episcopus Catanensis sermonem erat facturus. Tunc surrexerunt oratores regis Poloniae et magni ducis Lithuaniae, ac nomine dominorum suorum postulaverunt, ut libellus Fr. Joannis Falkenberg O. S. D., quem dicebant notorie crudelissimas continere haereses (de occisione tyranni) et jam damnatum esse ad ignem a nationibus et Cardinalibus, nunc etiam in publica sessione solemniter damnaretur. Secus enim Concilium non satisfacere muneri suo de haeresibus exstirpandis, et regi ac duci nihil reliquum esse, nisi ut protestarentur et ad futurum appellarent Concilium generale. Statim replicarunt patriarchae Constantinopolitanus et Antiochenus et quidam Dominicanus Hispanus, libellum istum haud ab *omnibus* membris nationum judicatum esse haereticum. His alii alia responderunt, ac tumultus exortus est. „Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster dixit respondendo ad praedicta: quod omnia et singula determinata et conclusa et decreta in materiis fidei per praesens Concilium conciliariter tenere et inviolabiliter observare volebat, et nunquam contravenire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter nec alio ullo modo. Et illud idem iterato fecit dici per organum domini Augustini de Pisis fiscalis et sacri consistorii advocati, qui nomine Papae a protonotariis et notariis ad scribendum acta Concilii ordinatis et deputatis petiit instrumenta publica fieri.“ [1]) **Deest confirmatio.**

27. Haec Martini V verba, Concilii actis inserta, plerique habent ut sententiam, qua confirmare voluit ea, quae in materiis fidei conciliariter decreta erant. Ut tamen bene intelligantur, haec animadvertenda occurrunt.

---

1) V. Labbe XIII. 258.

Indoles confirmationis Martini V.

Directe iis quae dixit videtur Pontifex prae oculis habuisse negotium de libello Joannis Falkenberg. Poloni et Lithuani eum libellum ut erroribus et haeresibus crudelissimis scatentem volebant damnari. Nationes jam pronuntiaverant judicium suum damnationis, sed Martinus instantibus equitibus Teutonicis constanter impedivit, quominus per sententiam generalem totius Concilii judicium damnationis ferretur. Quum igitur in hac ultima sessione importune oratores Poloni et Lithuani negotium iterum proponerent et tumultus oriretur, Martinus solemnem damnationem declinans, dixit, se id solum approbare quod circa materiam fidei conciliariter decretum erat. Qua declaratione declinavit damnationem illius libelli, qui tantum a nationibus (nationaliter) proscriptus erat. Simul tamen indirecte suo loquendi modo generali omnia decreta circa materiam fidei conciliariter facta se approbare indicavit, non vero alia.[1] Quid autem illa verba significent *circa materiam fidei*, colligitur ex contextu et ex fine Concilii. Agebatur ea occasione de opinionibus erroneis quae spectabant occisionem tyranni, ac de quibus saepius in illo Concilio mentio facta erat. Exstinctio haeresis et erroris praeterea, quum exstinctio schismatis esset primus finis, ut scopus alter Concilii habebatur, et Oratores Poloni conquerebantur de Synodi negligentia. Proinde quando loquitur Martinus V de materia fidei, intelligit ea, quae circa haereses et errores facta erant. — Limitat dein Martinus V expresse approbationem ad ea, quae in materiis fidei *conciliariter* decreta erant, eo ipso declinans approbationem eorum, quae tumultuario modo vel per nationes tantum *(nationaliter)* decreta erant. Videtur Pontifex quidem directe cogitasse de negotio illius Falkenberg et libelli ejus qui dicebatur a

[1]) Ita rem optime explicat cl. Hefele contra assertionem qua Hübler contendit, illa verba *unice* ad negotium et libellum Joannis Falkenberg referenda esse. In quaestione de tyrannicidio damnata fuerat in sess. XIV doctrina Joannis Parvi de licito imo meritorio tyrannicidio, a subditis etiam dolose perpetrato. Quapropter ad hanc quaestionem verba Martini V certe optime applicantur; attamen modo loquitur generali. V. Hefele, C. G. VII §. 778.

nationibus jam proscriptus, sed generali modo loquendi indicat, se *nihil* accipere, nisi quod conciliariter statutum erat.

28. In Concilio Constantiensi plura praeter antiquum et juridicum morem Conciliorum acciderunt; nolumus tamen illam vocem, *conciliariter decreta,* nimium urgere. Sed constat, Martinum id saltem requisivisse, ut non modo tumultuario et inordinato, nec per nationes tantum, sed in plena Concilii sessione generali et *consentientibus Cardinalibus,* decretum confectum et acceptum esset. Hoc satis colligitur ex iis quae scribit Petrus de Alliaco. Proponens plura dubia quoad modum agendi Concilii Constantiensis, ita habet: *Primum dubium. An quatuor nationes in hoc sacro Concilio sic distincta, . . . excluso Cardinalium Collegio, faciant generale Concilium, cum sint plura Concilia particularia, valde inaequaliter et improportionaliter divisa et ad partem deliberantia: quae deliberatio, exclusa deliberatione dicti Collegii et non facta in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilii generalis conciliariter facta.* [1]) Patet hanc sententiam, quam hoc modo emittit Petrus de Alliaco, sententiam fuisse Cardinalium, quorum juribus Constantienses non satis deferebant, adeoque etiam Martini V, antea Cardinalis Ottonis Columnae, qui innovationibus minus certe favebat quam Alliacus. Non conciliariter facta.

29. Haec si prae oculis habentur, *peremptorie* demonstratur, Martinum V famosa illa decreta sessione quinta sancita nullatenus approbasse. Etenim imprimis eadem nullatenus *conciliariter* facta sunt, sed nationaliter tantum ac tumultuarie, Cardinalibus expresse contradicentibus et protestantibus. — Dein vero animadvertendum est, ea non habita fuisse ut definitiones dogmaticas circa materiam fidei; sed erant capitula quaedam per modum constitutionum synodalium, uti ab ipsis Constantiensibus appellantur. His quidem principia quaedam adstruebant, quibus modo agendi

---

[1]) De Eccles. Concil. gen., Rom. Pont., etc. auctoritate. In opp. Gerson, ed. Dupin, t. II. p. 940.

Haud decreta fidei.

suo fundamentum struere volebant, nec tamen ut veritates fidei illa proponebant. Id perspicue ex iis quae postea evenerunt colligitur. Etenim Gregorius XII et qui ipsi adhaeserunt, non solum nullatenus agnoverunt illa Concilii Constantiensis decreta, sed neque Synodum ut legitimam habuerunt. Quodsi Constantienses definitiones fidei illis decretis cudere voluissent, certe haud jam potuissent Gregorium et ejus Cardinales, qui omnia ista rejiciebant et negabant, ad unionem recipere, imo novam per Gregorium Concilii convocationem admittere. Concilium quoque Pisanum varia decreta variasque declarationes de sua auctoritate emiserat, sed postea pauci de istis solliciti fuerunt.

30. Illa decreta Concilii Constantiensis in mente Patrum non fuisse fidei decreta, inde quoque colligi potest, quod carent notis quibus ipsa Concilii decreta fidei ab aliis distingui solent.[1] Concilium enim nec expresse illa decreta ut decreta fidei ab omnibus fidelibus suscipienda et firmiter credenda proposuit, neque haereticos dixit eos qui aliter sentirent, aut ipso jure excommunicatos qui contrarium asseruerint. Etiam Constantienses, uti jam innuimus, ea decreta non appellarunt canones, definitiones vel decreta catholicae fidei, sed dumtaxat capitula, per modum Constitutionum synodalium. — Alia argumenta inferius adhuc occurrent.

31. Verba Martini V, quibus approbat ea quae in materiis fidei conciliariter facta sunt, haud tamen ita exclusive sunt intelligenda, ac si Pontifex nihil aliud ratum habuisset. Etenim rata habuit etiam multa decreta reformationis et alia. Jam die 22° Februarii a. 1418 Martinus V contra Hussitas ediderat Bullam *Inter cunctas*, qua statuitur, ut haereticus vel suspectus de haeresi, ante reconciliationem cum Ecclesia interrogetur: *Utrum credat, quod quodlibet Concilium generale, et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet? Utrum credat, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense universale*

[1] Cfr. M. Canus, De locis theologicis, L. V. c. 5.

repraesentans Ecclesiam approbavit et approbat in favorem fidei et salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum? Animadvertendum vero est, dum Martinus agnosci vult Concilium Constantiense ut oecumenicum, eum intelligere Synodum, uti tunc erat in sua conjunctione cum Pontifice et quatenus per ipsum priores supplebantur defectus, haud vero illis verbis significari, *semper* Concilium illud vere oecumenicum fuisse.[1]) Reliquis verbis continetur quidem implicite, Pontificem rata quoque habere quae a Concilio approbata fuerant, sed ipsis verbis *in favorem fidei et salutem animarum* jam *restrictio* quaedam innuitur; eadem ex indole rerum ac declaratione posteriore, qua Pontifex expresse requirit tanquam conditionem, ut *conciliariter* decreta condita fuerint, confirmatur. Martinus V quidem non declaravit aperte, quibus decretis speciatim confirmationem denegaret, atque id propter difficilia temporum adjuncta forte haud videbatur opportunum. **Declaratio Martini V.**

---

[1]) Optime advertit cl. Muzzarelli, aliqua Concilia, uti secundum et quintum, non congregatione sed auctoritate esse oecumenica. Haec autem auctoritas supervenit post celebratum Concilium ex confirmatione R. Pontificis. Inde tamen *nuncupative* pro tempore celebrationis jam dici solent Synodi generales. — Quum Martinus V publicavit Bullam *Inter omnes*, jam Concilium Constantiense quasi de novo instauratum fuerat et constitutum universale per unionem Obedientiarum et per praesidentiam legitimi summi Pontificis recenter creati. Summus autem Pontifex Martinus per hanc Bullam confirmavit omnia decreta jam facta a Concilio Constantiensi in retroactis sessionibus contra dictas haereses et haereticos. Potuit igitur appellare Constantiense *Concilium generale* etiam pro eo tempore, in quo tale rigorose non fuerat; quoniam per novam condemnationem Concilii indubitate generalis et confirmationem Papae supplebatur defectus oecumenicitatis prioris condemnationis. Inde etiam ab hoc certo statu oecumenicitatis ex confirmatione Pontificis, Concilium in statu antecedente vocatur *nuncupative* generale absque veritatis offensa juxta sensum alias usitatum. Ex his facile intelliguntur illa ejusdem Bullae: „Item, utrum credat, quod condemnationes Joannis Wiclef. Joannis Hus, et Hieronymi de Praga, factae de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint juste et rite factae et a quolibet catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae." Erat Concilium rigorose generale in confirmatione condemnationis, et respectu approbationis Pontificis, ac nuncupative universim generale dici poterat.

Eugenius IV vero a. 1446 ita scripsit ad suos in Germania legatos: *Ad imitationem ss. PP. et praedecessorum nostrorum, sicut illi generalia Concilia venerari consueverunt, sic generalia Concilia Constantiense et Basileense ab ejus initio usque ad translationem per nos factam, absque tamen praejudicio juris, dignitatis et praeeminentiae s. Sedis Apostolicae, . . . cum omni reverentia et devotione suscipimus, complectimur et veneramur.*[1]) Haud dubium est, illis verbis *absque tamen praejudicio* etc., Pontificem voluisse excludere ab approbatione decreta sessionis quartae et quintae. si ea intelligerentur sensu generali, vel quocumque modo, qui jura, dignitatem ac privilegia Sedis Apostolicae laederet.[2])

Indoles decretorum.

32. Restat nobis expendenda quaestio gravis ac non ita facilis, quem sensum revera decreta illa sessionis quartae et quintae habuerint ac habeant. Quaerimus autem de sensu *litterali* et *objectivo* decretorum, qui verbis eorum. uti emissa fuerunt, inest, non vero de sensu quem forte in mente habuerint aliqui ex iis, qui in confectionem illorum decretorum influxum suum exercuerunt et sensum magis extensum iis attribuere voluerunt. Quamvis enim in definitionibus Conciliorum mens patrum vel auctorum. aliunde cognita, sit optima interpres, quum sensus canonis aliqua ambiguitate laborat; non tamen ita se res haberet. quum mens aliquorum invenitur in contradictione cum sensu obvio et aequiore decreti, et si probari potest vel saltem praesumi, quod mens aliquorum ex decernentibus aut consulentibus fuerit erronea aut absurda. In his enim casibus fieri potest sapienti Dei providentia, ut non obstantibus aliquorum qui decernunt adversante voluntate et eorum praejudiciis, decreta obtineant sensum obvium et litteralem, qui per se aequiori aliorum sententiae respondet. quamvis illi forte ulterius eum extendere desiderent. — Itaque non est sumenda interpretatio decretorum quintae sessionis a privatis opinionibus disseminatis in Concilio

[1]) Raynald. a. 1446. n. 3.
[2]) Cfr. Hefele, C. G. VII. §. 778.

a Gersonio et aliquibus aliis theologis, quorum doctrinis nimium jura et auctoritatem R. Pontificis laedi exploratum est. Erant quidem illi celebres theologi, quorum consilium et auctoritas summopere conferre debuit ad determinandos nationum et patrum animos pro decretis sessionis quartae et quintae ferendis. Attamen reliqui istorum doctorum doctrinis audacibus nequaquam in omnibus adhaerebant, atque Deo disponente factum est, ut nihil irrepserit in decreta illa, quod commode et recte et apte non possit sensu aequiori explicari.

33. Animadvertendum est, tres sententias praecipue hac in quaestione nobis occurrere inter catholicos scriptores. **Tres sententiae.** Prima explicatio tenet, quod in illis decretis declarata non fuerit nisi *obedientia,* quam quoad negotia propter quae convenerat Concilium Constantiense, tenebantur omnes illi Synodo praestare, etiam Pontifices illi dubii, pro illa occasione schismatis, in qua non constabat quis esset verus Pontifex. Ita tenent gravissimi auctores, uti e. g. Em. Schelstraete, Cardinalis Orsi, Muzzarelli, Palma aliique permulti. Aliqui adjungunt, etiam ad similes casus anormales tenorem decretorum posse extendi. — Alia est sententia eorum, qui statuunt, Constantienses voluisse revera generalem pro omni tempore thesim proponere de superioritate Concilii generalis supra Papam, eamque nimbo quodam ornare dogmatico; sed decreta nullius esse valoris, eo quod Concilium nec eo tempore oecumenicum fuerit, nec confirmationem Pontificis illa decreta obtinuerint. Ita censet cl. Hefele.[1] — Tertia est sententia Gallicanorum

---

[1] „Necessitas tristis, scribit, urgebat ad tale decretum conficiendum, tanquam unicum remedium, ut lis illa nefasta trium de papatu contendentium finiretur. Pro tali casu quum controverteretur quis esset verus Papa, ac spes evanesceret quaestionem solvendi per cessionem voluntariam, alia forte haud apparebat via componendi negotii, nisi subjectio trium praetendentium sub sententia Concilii (ut opinabantur) oecumenici. Sed Constantienses ulterius progressi sunt, quam necessitas temporum postulabat, thesimque intenderunt proponere pro omnibus temporibus et circumstantiis valentem, eamque circumdare nimbo dogmatico." Dein ostendit, Concilium tunc non fuisse oecumenicum, ac

aliorumque similis doctrinae auctorum inter catholicos, ne de haereticorum expositionibus loquamur. Illi igitur contendunt, declaratum fuisse in illis decretis, Pontificem, etiam legitimum et certum, subjici constitutionibus, praeceptis, ordinationibus cujuscumque Concilii oecumenici, et si eis parere contumaciter contempserit, eum puniri posse et etiam deponi. Ex qua explicatione omnes consequentias statim inferunt, quae legitime eorum opinionibus favere videntur. Etenim supposito hoc decretorum sensu manifeste eruitur, Concilium esse supra Papam, Papam esse subditum canonibus Concilii universalis, decreta Papae in quaestionibus fidei posse a Concilio reformari et etiam tanquam haeretica judicari.

Sententia adoptata.

34. Initio quidem videbatur nobis ex his seligenda sententia secunda, eo quod existimaremus, primam explicationem illorum decretorum benevolam quidem esse et piam, sed veritati non satis convenire. Sed re mature perpensa, censemus, revera ex gravibus et solidis rationibus tum *internis* tum *externis* colligi, primam expositionem sensui litterali et objectivo decretorum respondere, et merito a gravissimis illis auctoribus tradi. Rationes cur ita existimemus jam afferamus. — 1° Finis quidem legis non cadit sub lege, sed tamen est optimus legis interpres in dubiis, scilicet, quum aliquid in contrarium evidenter non obstat. Porro Concilium declarat, finem suae constitutionis in principio quintae sessionis, scilicet *exstirpationem ipsius schismatis, et unionem, et reformationem Ecclesiae Dei, consequendam facilius, securius et liberius.* Ex his jam colligi videtur, quod illa constitutio ordinata unice erat ad illam circumstantiam et illud Concilium, nec sine gravi motivo ejus tenor ulterius est extendendus. — 2° In corpore dein ipsius constitutionis declarat Concilium, quod sibi *quilibet cujuscumque status vel conditionis, etiamsi papalis existat, obedire teneatur.* Haud dicunt *etiam papalis*, sed *etiamsi papalis existat,* et differentia haec, quamvis

decreta illa nunquam obtinuisse approbationem R. Pontificis. C. G. VII. S. 750.

levis, tamen ostendit, respici illo decreto praecise tempus illud schismatis, quo tres contendentes ut Pontifices dubii habebantur. — 3° Dum materia enuntiatur, in qua quilibet etiamsi dignitatis papalis existat obedire tenetur, ea praecise determinatur illis capitibus, quae in Concilio Constantiensi agitanda erat. Scopus Concilii enim erat exstinctio schismatis, defensio fidei orthodoxae per damnationem errorum Wiclefi et Hussii, ac reformatio Ecclesiae in capite et membris. Dicitur autem in decreto: *Obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem, et exstirpationem dicti schismatis, et reformationem dictae Ecclesiae in capite et membris.* Haec tria capita igitur Concilium Constantiense spectant, et si conjunctim sumuntur, unice tempus illius schismatis occidentalis indicatur verbis: *dicti schismatis.* In Conciliis generalibus universim etiam aliae causae ecclesiasticae et personales saepenumero adsunt; exstinctio vero schismatis illius exclusive fere spectabat ad Concilium Constantiense. Quum igitur decretis istis non generatim obedientia erga Concilia generalia praescribatur, sed ea determinetur ac limitetur ipsis verbis ad capita ad Concilium Constantiense spectantia, inter quae unum erat exclusive ad illud pertinens, jure concludimus, decreta revera tantum illud tempus schismatis et Synodum Constantiensem respicere. — In secunda parte illius constitutionis rursus decretum determinat *obedientiam ab omnibus requisitam super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis,* adjecta poenitentia contra contumaciter inobedientes cujuscumque status aut dignitatis etiamsi papalis. Haec pariter ostendunt, litteram constitutionis non extendi ultra casum praesentem.

35. Opponitur tamen contra hanc expositionem ex ipso tenore decretorum difficultas, quae speciem quamdam habet. In secunda videlicet parte decretorum invenitur incisum, quo dispositio Constantiensis extendi videtur ad omne Concilium oecumenicum, ad omne tempus, ad omnem quoque Pontificem etiam legitimum et certum. Praecipitur enim ibi, ut quisquis, etiamsi dignitatis papalis, obedire teneatur statutis seu ordinationibus aut praeceptis hujus Difficultas.

sacrae Synodi, et *cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati* super praemissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, sub poenis ibi inflictis. Quum igitur dicatur, *et cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati,* inde colligitur, sensum decretorum ad omnia tempora et adjuncta extendi debere, et restringi non posse ad tempus schismatis ac Concilium Constantiense. Hoc Gallicanorum praecipuum est argumentum. — Sed apta

Expenditur. responsio obvia est, si ad rerum adjuncta attenditur. In Concilio Pisano jam studuerant ad exstinctionem schismatis pervenire, sed effectus non erat obtentus. In eumdem finem dein Concilium Constantiense congregatum fuit. Sed post discessum Joannis continuatio Concilii in discrimen vocata est, et tempore sessionis quintae multorum animos praeoccupabat timor, ne Synodus dissolveretur et negotium exstinguendi schismatis haud ad exitum deduceretur. Hinc verba illa, *hujus sacrae Synodi et cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati,* merito non intelligenda sunt universim de quocumque Concilio generali quacumque de causa convocato, sed referenda sunt ad quodcumque aliud Concilium generale, quod forte ad illa negotia, quae Constantiense spectabant, tractanda adhuc congregandum esset, maxime autem pro exstirpatione illius schismatis. Hoc confirmatur ex verbis quae adjiciuntur. *super praemissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis.* Ex his verbis patet, menti Patrum semper observatam fuisse exstinctionem schismatis et reliquas causas in Synodo Constantiensi tractandas, atque illo decreto eos cavere voluisse, ne impediretur absolutio horum negotiorum, et cuicumque Concilio quoad haec congregando suam vindicare auctoritatem. Quum Concilium iterato commemoret dictum schisma illius temporis, certe si intenderet ipsis verbis sensum decreti ad quodcumque generale Concilium futurum extendere, improprie et perturbate locutum fuisset.[1]

---

[1]) Argumentum opportunum, Constantiense Concilium per decreta sessionis quartae et quintae non voluisse universim definire superioritatem Concilii generalis supra Pontificem, erui quoque potest ex iis

36. Jam argumenta quoque afferamus externa, ut confirmetur, decreta Constantiensia haud esse de superioritate Concilii universim, sed sensu restricto ut exposuimus esse accipienda. — Ante sessionem quadragesimam inter nationes disceptatum est, utrum decreta de reformatione essent absolvenda ante vel post electionem novi Pontificis, et cum posterior sententia praevaluisset, prioris opinionis defensores (natio Germanica) sponsionem postularunt, ut reformatio perageretur antequam electus Pontifex coronaretur. At responsum fuit: „Quod Papa electus ligari non potest.“ Ergo non censebant Constantienses, universim Pontificem subjacere potestati Concilii idque suis decretis contineri. — In ipsis autem articulis reformationis sessione quadragesima propositis, statuebatur artic. 13° decidendum: „Propter quae et quomodo Papa possit corrigi et deponi?“ Inutilis sane videbatur talis articulus, si jam universim definitum fuisset decreto sessionis quintae, quod Papa etiam verus et certus posset „subjici debitae poenitentiae, et puniri, etiam recurrendo ad alia juris subsidia, si obedire contumaciter contempserit statutis cujuscumque Concilii generalis pertinentibus ad fidem, exstirpationem schismatis et reformationem Ecclesiae in capite et membris.“ Quum vero postea ille articulus Martino proponeretur, ipse advertit, parum convenientem videri istum articulum, et pluralitatem nationum non judicasse, aliquid novi quoad istum articulum statui et determinari debere. Sic omnis quaestio hac de re quievit. Etiam hic nulla mentio occurrit illorum decretorum, ac si universalis constitutio eis contineretur; et merito inde concluditur, eadem fuisse considerata ut confecta pro tempore schismatis.[1]

Argumenta externa.

---

quae scribebat Cardinalis de Alliaco in tractatu De potestate ecclesiastica quem a. 1417 post sessionem quintam composuit. Post multa dicta et allegata pro auctoritate Concilii supra Pontificem sic concludit: „Haec igitur ad decem capitula in prologo hujus operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere. Quae tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt. Nam hujus rei definitionem sacri Concilii determinationi submitto.“ — Censebat ergo, nondum latam ultimam hac de re definitionem. V. Gerson. Opp. t. II. p. 926.

[1]) Cfr. Muzzarelli l. c.

37. Quum porro initio anni 1418 Poloni maxime instarent, ut Martinus damnaret libellum Joannis de Falkenberg, et summus Pontifex hoc recusaret, legati ad id devenerunt, ut appellare vellent ad futurum generale Concilium. Tunc Pontifex die 10° Martii a. 1418 Bullam emisit, in qua asserebat, *licitum non esse appellare a supremo judice, scilicet a Sede Apostolica, aut a Romano Pontifice, Vicario Jesu Christi in terris, neque declinare ejus judicium in causis fidei, quae quum sint ex causis majoribus debent ad eum deferri.* Haec acta sunt in conspectu Concilii, quod tali declaratione jura sua laedi non existimavit. Exarsit tamen cancellarius Gersonius, qui scriptum publicavit, in quo quaerebatur: „Quomodo et an liceat appellare a judicio Papae.“ Id quidem argumentis invalidis ostendere nititur, sed nullam facit mentionem decretorum illorum, quae certe firmissimum argumentum praebuissent, si universim de superioritate Conciliorum generalium supra Papam iisdem ageretur. Tum ex hoc silentio, tum ex ipso facto, quod Martinus V tempore ipsius Synodi edidit ejusmodi Bullam, colligitur, decreta illa sensu generali ab ipsis Constantiensibus haud fuisse intellecta.

Sententia Eugenii IV. 38. Quid de sensu decretorum Constantiensium existimaverit Eugenius IV, ex his erui potest. Publicata fuerant a Concilio Basileensi a. 1439, in sessione trigesima tertia, tria haec decreta: 1° Veritas de potestate Concilii generalis supra Papam, declarata per Constantiense et Basileense generalia Concilia, est veritas fidei catholicae. 2° Veritas haec, quod Papa Concilium generale sine ejus consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est fidei catholicae. 3° Veritatibus his duabus pertinaciter repugnans est censendus haereticus. — Quoniam vero Eugenius has propositiones negaret, sessione trigesima quarta haereticus declaratus est et loco motus; quam illegitime et quam impie, nemo orthodoxus non sentiet. At vero illa decreta Basileensia in Synodo oecumenica Florentina, sacro approbante Concilio, Eugenius IV damnavit per Constitutionem *Moyses* his verbis: *Ipsas propositiones superius*

descriptas juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti sacrosanctae Scripturae et Sanctorum Patrum et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium, necnon praefatam assertam declarationis seu privationis sententiam, . . . tanquam impias et scandalosas . . . damnamus et reprobamus. Vides, Eugenium pronuntiare *intellectum* Basileensium, quoad illas propositiones, ut contrarium sensui ipsius Concilii Constantiensis. Dici nequit, diversitatem in eo fuisse, quod Basileenses superioritatem Concilii proposuerint ut *veritatem fidei catholicae;* id enim solum non fuisset tanti momenti nec provocasset censuram tam severam; sed ex verbis damnationis concludendum est, Eugenium rejicere sententiam, a Constantiensibus universim declaratam esse superioritatem Concilii supra Papam, et indicare, ista decreta sensu restricto pro temporum adjunctis, uti exposuimus, edita esse. Confirmatur hoc illis verbis ejusdem Constitutionis Eugenii: *In hoc perniciosissimi dum suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, Constantiense Concilium in malum ac reprobum sensum, et a sana doctrina penitus alienum pertrahunt, caeterorum schismaticorum et haereticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores et impia dogmata ex divinis Scripturis et sanctis Patribus perverse intellectis semper adstruere moliuntur.*

Sensus restrictus.

Postremo notandum est, quod Eugenius supponens, sensum aequiorem decretis Constantiensibus subesse, non ideo tamen definit, ea esse decreta Concilii oecumenici. Imo potius contrarium indicat, quum ait: *Basileenses dixisse, se inhaerere quibusdam decretis, licet per unam tantum ex tribus Obedientiis post recessum Joannis XXIII, sic in eadem Obedientia nuncupati, Constantiae schismate tunc vigente, editis.* Quibus verbis satis innuit, illa decreta revera Concilii oecumenici non esse, nec summam auctoritatem ipsis convenire.[1])

39. Pauca subjungamus de quibusdam verbis Pii II, ne difficultas ex iis oboriatur. Hic Pontifex in Bulla

---

[1]) De Eugenii mente etiam inferius sermo recurret.

Verba Pii II. *retractationum* profitetur, se, juvenis quum adhuc esset, deceptum fuisse in Concilio Basileensi. Hortatur autem omnes et commonet, „ne fidem ullam praestent prioribus suis scriptis, quae supremam auctoritatem Apostolicae Sedis quovis pacto elidunt, aut aliquid adstruunt, quod sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia." Attamen ipse Pontifex sub finem subjungit: *Cum his et generalis Concilii auctoritatem et potestatem complectimur, quemadmodum aevo nostro Constantiae, dum ibi fuit synodus universalis, declaratum definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium et cuncta quae praecesserunt, a Romanis Pontificibus nostris praedecessoribus approbata.*[1]) Censendum haud est, Pium II his designasse decreta sessionis quartae et quintae Concilii Constantiensis, sed loquitur de declarationibus postea factis, videlicet praecipue de Bulla Martini V *Inter cunctas,* in qua approbante Concilio in interrogatoriis declaratur, *quod quodlibet Concilium generale et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentat.* Verba Pii II non referenda esse ad decreta sessionis quartae et quintae, inde colligitur, quod quum ipse retractat omnia quae in s. Sedis praejudicium scripserat, certe non approbat illa decreta, quatenus generalem definitionem de auctoritate Concilii supra Papam continerent. Sic enim Pontificis jura manifeste laedebant. In sensu autem restricto accepta, ipsa non continent definitionem et declarationem de auctoritate generalium Conciliorum; haec vero invenitur in iis quae in Bulla *Inter cunctas* habentur. Praeterea incisa illa, *dum ibi fuit Synodus universalis* et alterum, cuncta quae *praecesserunt a Romanis Pontificibus approbata,* videntur innuere, Pium respicere Concilium Constantiense pro eo tempore quo fuit, electo Pontifice Martino, vere oecumenicum, atque prouti hoc Concilium et ejus decreta a Martino confirmata fuerunt.

[1]) V. Bulla retractationis *In minoribus* versus finem; ap. Fea l. c. p. 164.

III.

De condemnatione Joannis Hussii errorumque ipsius.

40. Negotium haud exigui momenti, quod pariter Constantiensi Concilio tractandum incumbebat, erat damnatio errorum Joannis Hus, ut contra perversas ejus doctrinas depositum fidei illaesum custodiretur. Atque revera Synodus hoc negotium magno cum vigore prosecuta est, ac non minus Hussii doctrinas, quam ipsum magistrum haeresis severa sententia condemnavit. Ipse Joannes Hus deinde saeculari brachio traditus, juxta vigentes leges ut haereticus pertinax poena ignis affectus est. Acerbas Hussitae ac dein Protestantes moverunt contra Concilium Constantiense accusationes, tum quod Hussii doctrinae, quum essentialibus fidei veritatibus non opponerentur, injuste damnatae sint, tum quod modo quo contra ipsum Constantiae actum est, salvus conductus Sigismundi Imperatoris, quo Hussius munitus erat, turpiter violatus sit, quodque impiam emiserint Constantienses sententiam, haereticis fidem haud esse servandam. Merito doctrinas Hussii esse damnatas, ex errorum ejus expositione facile patebit; sed etiam reliquas quas commemoravimus accusationes sincera rerum enarratione diluemus. Qnum vero errores Hussii intime cohaereant cum Wiclefi doctrinis, de his primum aliqua praemittenda esse videntur.

41. Joannes Wiclef, natione Anglus, in universitate Oxoniensi theologiae professor et ecclesiae Lutterworthensis in dioecesi Lincolniensi parochus, vir erat vehementis ingenii, superbus et ambitiosus. Quum usurpatam Collegii Cantuariensis praefecturam, quae solis monachis debebatur, primo archiepiscopi Cantuariensis, mox Urbani V sententia anno 1370 monachis restituere fuisset coactus, ingens inde odium in monachos, in episcopos et in Pontifices concepit, et in eos tum sermonibus tum scriptis invehi coepit. Contra Romani Pontificis primatum, episcoporum potestatem, clericorum et monachorum possessiones temporales aliaque vehementissime declamabat. Jo. Wiclef.

42. Gregorius XI a. 1377 novemdecim articulos e praelectionibus Wiclefi desumptos et ad ipsum delatos e Cardinalium consilio damnavit, et litteris episcopos Cantuariensem et Londinensem, Richardum regem atque Universitatem Oxioniensem excitavit, ut omni quo possent modo nascentem haeresin opprimerent. Inde ab illo tempore, quamvis varii ex proceribus Wiclefum protegerent, processus contra ipsum habiti sunt, atque anno 1381, quum doctrinam catholicam de ss. Eucharistia impugnaret, munere professoris privatus est. Altero anno 1382 archiepiscopus Cantuariensis Londini cum aliis episcopis multisque theologis synodum celebravit. In eadem viginti quatuor propositiones ex Wiclefi scriptis excerptae, damnatae sunt, aliae ut haereticae, aliae ut erroneae et determinationi Ecclesiae contrariae. Etiam Richardus II rex, perversitate doctrinae Wiclefi intellecta, tunc auxilium brachii saecularis contra Wiclefi asseclas praestitit. Ipse Wiclef se recepit in parochiam olim sibi ab aula collatam. Eodem anno 1382 ab Urbano VI Romam citatus, acerrima epistola respondit, se a Christo impediri; laborabat quippe apoplexia, qua etiam a. 1384 mortuus est.

Errores Wiclefi.

43. Errores Wiclefi multiplices erant. Id tantum paucis commemoremus, de Deo ipsum more pantheistico disseruisse; eum statuisse, omnia evenire ex necessitate absoluta; Deum necessitare singulas creaturas activas ad quemlibet actum earum; praedestinatum non posse e gratia excidere, reprobatum vero non posse in ea perpetuo perseverare. Confessionem, docebat, homini vere contrito esse inutilem, substantiam panis et vini post consecrationem in sacramento altaris remanere; Christum Dominum non esse realiter in eo praesentem; Missae sacrificium non esse a Christo institutum. — Perniciosissimi autem erant errores ejus de Ecclesia ejusque hierarchia, atque istae doctrinae funestos maxime eo tempore effectus produxerunt. Presbyterum, docebat, aut episcopum peccato mortali obnoxium, non posse valide baptizare, consecrare aut ordinare; Papam vitiosum non habere potestatem in Christianos, nisi forte ab Imperatore sibi datam; post mortem Urbani VI nullum

deinceps Papam esse recipiendum, sed more Graecorum vivendum sub propriis legibus; temporales clericorum possessiones esse contrarias s. Scripturae; dominos temporales auferre posse bona ecclesiasticis habitualiter delinquentibus; praelatos non posse quempiam excommunicare, nisi prius sciant, eum esse excommunicatum a Deo; diacono et presbytero licere verbum divinum praedicare sine facultate Papae et episcoporum; dominos temporales et ecclesiasticos per peccatum mortale excidere sua dignitate et potestate; plebes posse ad arbitrium corrigere dominos delinquentes; fundatores Ordinum religiosorum hac fundatione peccasse, eosque qui in Ordinibus religiosis vivunt non esse de religione christiana. Ecclesiam Romanam etiam appellabat synanogam satanae, asserens, Ecclesiam veram esse complexum justorum; indulgentias, Sanctorum canonisationem et cultum, sacras imagines, pia jejunia, coelibatum et alia oppugnabat. Universim rejecta Ecclesiae et ss. Patrum auctoritate, nihil credendum esse statuebat, quod non clare contineretur in s. Scriptura, quam etiam in patriam linguam transtulit, ut omnes eam (sine notis et explicationibus) legerent.

44. Manifestum est Wiclefi haeresi non tantum peculiares quosdam articulos fidei impeti, sed ipsius Ecclesiae fundamenta, constitutionem, hierarchiam, potestatem, instituta, leges subrui, ipsamque societatem civilem in discrimen vocari. Nihilominus invenit Wiclef in Anglia multos sectatores, tum ex litteratis et magnatibus, tum ex hominibus plebejis. Ad id varia contulerunt. Speciem enim prae se ferebat vitae severioris, et aulici, praesertim Joannes dux Lancastriae eum protegebant; grata dein erat doctrina illa de praeeminentia potestatis civilis prae potestate Pontificis et episcoporum, ac de occupandis a potestate regia bonis ecclesiasticis. Facilior quoque erat errorum propagatio propter schisma post Gregorii XI mortem exortum. Postremo tamen, quum sectarii etiam tumultus civiles excitarent, regia quoque auctoritas in haereseos illius exstirpationem incubuit. Anno 1388 Richardus II rex, edito solemni edicto, libros et scripta

Sectatores Wiclefi.

omnia Wiclefi, ubicumque in regno suo inveniri possent, ad consilium suum deferri jussit flammis tradenda, eaque a quovis suorum subditorum describi, vendi aut emi prohibuit sub poena carceris. Henricus IV ejusque successor Henricus V contra Wiclefi sectarios leges etiam severiores sanxerunt. Hinc jam contra illos supplicia adhibita sunt; quo factum est, ut secta paulatim in Anglia exspiraret. Quum vero non pauci sectarii ad evitanda supplicia Angliam desererent et auctoris sui scripta secum ferrent, illi in aliis terris haeresim propagarunt, ac nominatim in Bohemia, ubi Joannes Hussius mox similes doctrinas sparsit.

Joannes Hus. 45. Joannes Hus natus est a. 1373 in pago Bohemiae Husinec; ab anno 1398 in Universitate Pragensi fuit theologiae professor, et ab anno 1402 in celebri Pragae sacello, dicto Bethlehem, concionator; anno 1403 etiam ab archiepiscopo Pragensi Sbincone factus est concionator synodalis, et a regina Sophia, secunda Wenceslai uxore, electus in confessarium. Vir fuit ingenio, uti videtur, non summopere praestans, sed eloquentia haud mediocri praeditus, novarum opinionum cupidus, in vitae honestae formam compositus. A quo tempore scripta Joannis Wiclefi in Bohemiam allata sunt, Joannes Hus ea avide et studiose legit, ex parte etiam eadem in linguam Bohemicam vertit, contentam vero in illis doctrinam suscepit aliisque communicavit. Maxime autem inde ab anno 1407 audacter errores spargere coepit. Pravis ejus conatibus restitit Universitas Pragensis, quae a. 1408 quadraginta et quinque propositiones seu articulos e scriptis Wiclefi condemnavit.

46. Universitas Pragensis eo tempore composita erat e quatuor nationibus Bohemica, Saxonica, Bavarica et Polonica; Teutonicorum nomine tres ultimae etiam designabantur. Hae nationes aequo jure honoribus, privilegiis et emolumentis fruebantur. Joannes Hus cernens magistros Teutonicos pravis suis conatibus oppositos, a Wenceslao impetravit, ut in Universitate natio Bohemica caeteris tribus anteferretur. Quum videlicet eousque natio

Teutonica (Saxones, Bavari, Poloni) tria suffragia in comitiis haberet, unum vero Bohemica, a. 1409 edicto a Wenceslao statutum est, exinde anteferendam esse nationem Bohemicam, ita ut haec tria suffragia haberet, Teutonica vero unum solum. Id convenire intuitu patriae, et eumdem morem vigere Parisiis et Bononiae. Hoc falso asserebatur, atque edictum eo minus aequum erat, quod numerus Saxonum, Bavarorum et Polonorum, qui Pragensem Universitatem frequentabant, Bohemorum numerum decies superabat. Teutonici, magistri ac discipuli, numero circiter viginti millium, Bohemorum violentia vexati, Pragam reliquerunt, et maxima parte profecti sunt Lipsiam in Misnia, ubi, faventibus Comite Thuringiae et Marchione Misniae celebrem Academiam constituerunt. Sed Joannes Hus hac ratione propter amorem patriae, quem prae se ferebat, gloriam non mediocrem sibi acquisivit, causam nationalem suae causae veluti miscuit, ac mox Universitatis rector electus est.

47. Sbinco tamen archiepiscopus Pragensis, quum Hussius magis magisque suos propagaret errores, apud Alexandrum V eum accusavit, atque ex hujus Pontificis mandato sub poena excommunicationis prohibuit, ne quis in sacellis privatis verbum Dei praedicaret; et libros Wiclefi aliorumque ejusdem doctrinae in suo palatio comburi jussit. Hus nihilominus conciones suas continuavit, et a. 1410 ad Joannem XXIII appellavit. Sbinco vero archiepiscopus eum cum asseclis suis, inter quos Hieronymus de Praga et alii nobiles eminebant, excommunicationis sententia percussit. Sequenti tempore Hussii causa vehementius agitata est; rex atque regina cum multis magnatibus Hussium protegebant; Hussius autem Bononiam citatus, quum non compareret, a Cardinali Colonna excommunicatus est. Hanc sententiam confirmavit Cardinalis Brancaccius, cui Joannes XXIII causam Hussii commiserat examinandam, et archiepiscopus Sbinco eam executus est. Hus appellavit ad Concilium generale et conciones suas continuavit. Studuit autem aliquatenus se justificare, et porrexit Universitatis praepositis documentum in forma

Errorum accusatur.

epistolae ad Joannem XXIII, in qua negabat, errores se asserere; quae egerat pariter vindicabat, et paratum se declarabat esse, ut *responderet adversariis suis, et si haereseos convinceretur etiam rogi poenam sustineret, dummodo illi quoque si succumberent eadem poena afficerentur.* Scripsit simili ratione etiam ad collegium Cardinalium; sed eodem tempore varios edidit libros pessimos. Sic in libro *De libris haereticorum legendis* non solum negat, libros haereticorum esse comburendos, sed etiam satis clare impugnat auctoritatem Traditionis, haud alium, asserens, esse haereticum, nisi qui s. Scripturae contradicit. Alio opusculo, *Actus pro defensione Wiclefi,* hujus haeretici libros defendit; ejusque defensionem pariter suscepit opusculo, *Defensio quorumdam articulorum J. Wiclefi.* In scriptis porro *De ablatione temporalium a clericis* ac *De decimis* ostendere nisus est, laicos posse clericis subtrahere decimas, atque ad hoc teneri, si illi iisdem abutantur. Propositionem quoque Wiclefi ibidem defendit, peccatorem nec ecclesiasticum nec civilem superiorem esse posse.

Turbas excitat.

48. Sbinco archiepiscopus quum pericula videret crescere, profectus est ad Sigismundum Hungariae regem, ut ejus peteret auxilium, ibique mense Septembri a. 1411 obiit. Ei successit *Albicus* senex, sub quo Hussius etiam audacius conatus suos prosecutus est. Quum eo tempore Pragae *Bulla Crucis* publicaretur, quam Joannes XXIII pro bello contra Ladislaum regem Neapolis gerendo emiserat, eam Hussius sermonibus impugnavit et editis scriptis *De indulgentiis* et *Contra bullam Papae.* Tumultus Pragae exorti sunt, magnisque conviciis Pontifex fuit affectus. Qua occasione a magistratu Pragensi ex tumultuantibus tres homines plebeji, prae caeteris rei, carceri addicti et capite plecti sunt. Hi in sacello Bethlehemitico sepulti, ac tamquam martyres ab Hussio sermone habito celebrati sunt. Eo tempore professores Bohemi Universitatis Pragensis etiam se omnino ab Hussio separarunt, ejusque erroribus se vehementer opposuerunt. Joannes XXIII, condemnatis a. 1412 in Romana synodo Wiclefi libris, Hussium Romam venire jussit ad dicendam causam; hic vero ob

varios praetextus Romanum iter declinavit, suique loco procuratores misit, qui ipsius causam agerent. Joannes dein per Cardinalem s. Angeli concionandi sacrisque operandi munere Hussium interdixit, et interdictum pronuntiavit in loca in quibus iste versaretur. Quum vero parochi Pragenses ejusmodi interdictum, Hussio Pragae praesente, servarent et ab officiis sacris cessarent, Hussius magnates contra hoc interdictum excitavit atque a Pontificis sententia *ad Christum appellavit,* errores autem suos disseminare perrexit.

49. Errores Hussii Wiclefi doctrinis in pluribus similes erant; sufficiat hic pauca de iis dicere. Ecclesiam, statuit, constare tantum ex praedestinatis, et unitatem Ecclesiae esse ipsam unitatem praedestinationis; praedestinatos neque exscindi neque excidere posse ex Ecclesia, quemadmodum ii qui non sunt praedestinati non possunt fieri membra Ecclesiae. Christum solum esse caput Ecclesiae, nullumque caput Ecclesiae visibilis in terris eum instituisse; Romanum Pontificem ante Constantini tempora non fuisse majorem reliquis episcopis, et papalem dignitatem a Caesaris potentia esse profectam. Sacerdotem nullius criminis sibi conscium, nulla excommunicatione vel interdictione impediri posse ab officio concionandi; censuras ecclesiasticas, suspensionem, excommunicationem, interdictum esse opera Antichristi. Pontificem, episcopos, praelatos et dominos civiles, dum sunt in peccato, omni potestate et jurisdictione excidere. Condemnationem 45 articulorum Wiclefi ab Universitate Pragensi factam esse irrationalem et iniquam. — Ad exemplum Wiclefi, ut propagaret errores suos, conviciis potius et argutiis sophisticis Hussius usus est, quam argumentis; Romanis Pontificibus, episcopis, monachis et institutis ecclesiasticis turpiter detrahebat, in temporales cleri possessiones, abusus, pompam et vitia vehementissime invehebatur. Hoc agendi modo magnum Bohemorum numerum in suas partes attraxit, grandesque turbas in ecclesiis Bohemiae excitavit. **Errores Hussii.**

50. Anno 1413 Albicus episcopus Pragensis dignitate se abdicavit eique successit *Conradus a Vechta,* qui studuit

sedulo turbas excitatas sedare, sed frustra, quum Hussius multorum protectione gauderet, et libris et epistolis scriptis audacter doctrinas suas defenderet. Sigismundus vero rex a. 1414 Hussium invitavit, promisso salvo conductu, ut Constantiam ad Concilium generale veniret, ibique se ab erroribus ipsi objectis purgaret. Wenceslaus approbavit hanc invitationem; nullo tamen mandato adactus fuit Hussius, ut Constantiam se conferret. Sed ipse invitationem Sigismundi sequi constituit, et Pragae mox documentis parietibus affixis publicavit, se iturum esse Constantiam, ut fidei suae et spei redderet rationem et innocentiam suam ostenderet; se paratum esse, si in Concilio reus inveniretur haeresis, ut tanquam haereticus pateretur. Adversarios ibidem eum impugnare posse, sed paratos esse debere, ut, si succumberent, poenam talionis sustinerent. — Adeo Hussius errorum tenebris obcaecatus erat, ut revera existimaret, Constantiense Concilium, utpote synodum reformatricem, approbaturum esse suas doctrinas; attamen non penitus omni timore exitus mali solutus erat. Etenim in epistola ad Sigismundum data promittit, se sub tutela salvi conductus ipsius Constantiae comparriturum esse, ac petit, ut ipsi concedatur coram Concilio publice fidem suam profiteri. Caeterum se paratum esse pro vera Christi lege etiam mortem sustinere. In epistola qua valedixit amicis Bohemiae, se commendavit orationibus eorum, ut si oporteret sine timore mortem sustineat. Jactatur in eadem, se *sine salvo conductu* proficisci ad adversarios numero plurimos; id tamen falsum erat. Etenim jam Sigismundus destinaverat plures nobiles qui eum protegerent, et *litteras* salvi conductus mox etiam adventuras esse significaverat.

Iter ad Concil. Const.

51. Nobilibus viris et amicis stipatus Hussius die 11° Octobris Pragâ profectus, Constantiam appulit die 3° Novembris a. 1414. Iter faciens Norimbergae et in aliis civitatibus, quas pertransiit, contestationes edidit, in quibus asserebat, se Constantiam proficisci ut fidem suam defenderet; adversarios vero provocabat, ut eo etiam properarent, se cuivis de fide sua rationem redditurum esse. —

Constantiae in domo privata moratus est; ac die 5° Novembris in manus ejus etiam litterae salvi conductus Sigismundi pervenerunt. Quum vero turpiter violatum esse illum salvum conductum hostes Ecclesiae conclamaverint, opportunum erit, textum ipsum oculis objicere. Erat igitur hujusmodi tenoris:

Salvus conductus.

Sigismundus, Dei gratia Romanorum rex, semper Augustus etc., *universis et singulis principibus, ecclesiasticis et saecularibus, ducibus, marchionibus, comitibus . . . et officialibus quibuscumque civitatum, oppidorum, villarum et locorum, gratiam regiam et omne bonum. — Venerabiles, illustres, nobiles et fideles dilecti, honorabilem magistrum Joannem Hus, sacrae theologiae baccalaureum formatum et artium magistrum, praesentium ostensorem, de regno Bohemiae ad Concilium generale in civitate Constantiensi celebrandum in proximo transeuntem, quem etiam in nostram et sacri imperii protectionem recepimus et tutelam, vobis omnibus et vestrum cuilibet pleno recommendamus affectu, desiderantes, quatenus ipsum dum ad vos pervenerit, grate suscipere, favorabiliter tractare, ac in his quae celeritatem et securitatem ipsius concernunt itineris tam per terram quam per aquam, promotivam sibi velitis et debeatis ostendere voluntatem, necnon ipsum cum famulis, equis, valisiis, arnesiis, et aliis rebus suis singulis per quoscumque portus, pontes, terras, dominia, districtus, jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas et quaelibet loca alia vestra, sine aliquali solutione datii, pedagii, telonei, tributi et alio quovis solutionis onere, omni prorsus impedimento remoto transire, stare, morari et redire libere permittatis, sibique et suis, dum opus fuerit, de securo et salvo velitis et debeatis providere conductu, ad honorem et reverentiam nostrae regiae majestatis. — Datum Spirae anno Dni MCCCCXIV. XVIII die Octobris, regnorum nostrorum anno: Hungariae, etc. XXXIII, Romanorum vero V.* [1]) Accuratius de sensu hujus salvi conductus inferius agemus; hic sufficiat notare, nihil aliud hujusmodi salvum conductum fuisse, nisi litteras pro

---

[1]) V. Hefele. C. G. VII. §. 763.

securitate itineris, ut contra privatos hostes protegeretur, nullatenus vero eum legitimorum judicum potestati tali documento subduci.

Gesta Constantiae.

52. Quum Joannes XXIII certior factus esset de Hussii adventu, interdictum et excommunicationem mitigavit in meram suspensionem Hussii, ita ut missam dicere et praedicare prohiberetur, libere tamen cum aliis conversari posset. Sed Hussius audacter domi missae sacrificium quotidie celebrabat, uti etiam in itinere fecerat, necnon allocutionem habebat ad permultos, qui curiositate moti ad domum in qua habitabat confluebant. Qua de re quum ab episcopo Constantiensi, qui id profecto tolerare non poterat, moneretur, his monitis obsequi recusavit. — Die 28⁰ Novembris in conspectum primum Cardinalium adscitus est, ut doctrinae suae rationem redderet, et ab iis quaesitus, quomodo se haberent quae de ipso ejusque doctrinis referebantur, respondit, *se omnes haereses ita odio habere, ut potius mori vellet quam in haeresi perseverare, adeoque se esse paratum ut, si de errore convinceretur, acquiesceret et poenitentiam ageret.* Sed in altera congregatione ejusdem diei, cui etiam Pontifex adfuit, decretum fuit, ut custodiae traderetur. Ratio juridica sane aderat validissima, quod suspensionem Pontificis divinis peractis contemneret, et allocutiones, ut diximus, haberet; sunt etiam qui referunt, eum de fuga cogitasse. Atque ex illo tempore in custodia variis locis retentus est, semper tamen honesto et convenienti modo, ita ut quae de angustiis et squaloribus carcerum referuntur, confictae sint adversariorum calumniae.

53. Quae dein in causa Hussii a Concilio facta sunt paucis referre sufficiet. Duo theologi Pragenses, Joannes de Palecz et Michaël de Causis,[1]) articulos plures e scriptis Hussii excerptos Concilio obtulerunt, eumque accusarunt quod damnatos Wiclefi articulos defendisset et plebem

[1]) Hic Michael fuerat parochus Pragae ad s. Adalbertum, sed aliquo jam tempore Romae erat procurator de causis fidei, unde ortum est ejus nomen.

contra clerum excitasset. Praefati articuli aliaque ad causam Hussii pertinentia diligenter discussa sunt. Postremo e Concilii mandato articuli triginta e scriptis Hussii excerpti coram eo lecti sunt. Is quidem ad singulos articulos respondit, nullis tamen rationibus vel precibus vel minis adduci potuit, ut suos errores secundum Concilii praescriptum revocaret. Itaque in sessione decimaquinta, Ultimum supplicium. habita die 6° Julii a. 1415, articuli praefati damnati sunt tanquam erronei, vel scandalosi, vel piorum aurium offensivi, vel temerarii et seditiosi, aut notorie haeretici, et jam dudum a sanctis Patribus et generalibus Conciliis reprobati et damnati. Scripta Hussii ad ignem damnata sunt. Ipse Hussius declaratus est verus et manifestus haereticus, pertinax et incorrigibilis; ab ordine sacerdotali dein depositus et degradatus relictus fuit curiae saeculari, a qua juxta leges vigentes ad rogum die 6° Julii a. 1415 damnatus est. Ad locum supplicii adductus iterumque admonitus, ut tandem errores suos relinqueret, et vitam servaret, id facere pertinaciter recusavit. Quapropter ignis rogo admotus, et, uti scribit Petrus de Mladonowic, brevi suffocatus fuit. [1])

54. Similem sortem subiit Hieronymus Pragensis, vir laicus, nobilis et magister artium, ardentissimus Hussii discipulus et amicus fidelissimus, magnarum turbarum et violentiarum contra clerum Pragensem auctor. Quum Constantiam venisset, ut magistro suo suppetias ferret, Concilium, absoluta causa Hussii, causam illius tractavit. Hieronymus semel et iterum a Concilii deputatis admonitus, ut errores abjuraret et fidem catholicam profiteretur, tandem in sessione decima nona, habita die 23° September a. 1415, omnem haeresim, praesertim Wiclefianam et Hussiticam abjuravit, fidemque catholicam professus est. Verum postea rursum in judicium vocatus, protestatus est, se solo mortis metu et contra conscientiam suam doctrinas Wiclefi et

[1]) Scribit hic auctor qui venerat Constantiam cum Hussio, hunc in flammis cantasse: Christe fili Dei vivi miserere nobis; et quum tertio id repetere vellet, suffocatum esse. Haud diu igitur supplicium hoc duravit.

Hussii ejurasse, se illas doctrinas ut veras et justas habere ac probare, excepta doctrina Wiclefi de Eucharistia. Cum in hac declaratione pertinaciter persisteret, in sessione vigesima prima, habita die 30° Maji a. 1416, damnatus fuit; et potestati saeculari traditus, rogi supplicio affectus est.

Quaestio de salvo conducto.

55. Jam pauca dicamus de quaestione, utrum a Constantiensi Concilio *violatus sit salvus conductus* Hussio ab imperatore Sigismundo concessus. Id, contenderunt Hussitae et post eos Protestantes ac increduli, duplici modo factum esse, 1° quod in carcerem conjectus fuerit etiam ante judicium de causa ipsius latum. 2° Quod dein supplicio addictus fuerit. Sed nullo modo violatum fuisse illum salvum conductum clare patebit, tum si indoles hujus documenti perpenditur, tum si testimonia coaevorum respiciuntur.

56. Jam diximus, nihil aliud esse illum salvum conductum, nisi litteras pro securitate itineris. Hussius quando Romam citatus erat, excusationem inde petierat, quod propter insidias adversariorum suorum ejusmodi iter conficere non posset. Contra tales insidias igitur a Sigismundo protegebatur tum additis comitibus Bohemis nobilibus, tum concessis illis litteris, quibus ipse Imperator eum suscipiebat in suam protectionem pro profectione ac *pro reditu*. Dum vero reditus commemoratur, id tantum significat, Hussium etiam si re confecta et absolutione obtenta rediret, pariter in illo itinere Imperatoris protectione ampla gaudere. — Nullatenus vero talibus litteris Hussius subtrahebatur sententiae judicum ordinariorum suorum, ad quos ipse appellaverat, vel contra eorum sententiam protegebatur. Certe absurdum esset, alicui litteras securitatis praestare in eum finem, ut judicibus ordinariis se sistere possit, simulque etiam eum contra sententiam horum judicum protegere velle. — Eadem ratione etiam ipsa Synodus salvum conductum concessit Hieronymo Pragensi, simul advertens, talibus litteris eum protegi contra omnem vim illegitimam, non vero contra judicum sententiam.

57. Sigismundus quidem initio opinatus est, salvum conductum violatum eo esse, quod Hussius ante causam

judicatam custodiae traditus esset, et quum absens esset, hac de re per nuntios conquestus est. Pariter nobiles Bohemi protestationes contra incarcerationem Hussii emiserunt. Sed aderat motivum juridicum, ut custodiae traderetur, eo quod contra suspensionem a Joanne XXIII ipsi inflictam divina perageret, et non obstantibus monitis episcopi Constantiensis, allocutionibus et discussionibus suis multos perverteret. Certe legitimi et ordinarii ejus judices talem virum periculosum et de haeresi maxime suspectum, ut custodiae honestae mandarent, jus habebant. Idque etiam mox Sigismundus Imperator agnovit.

58. Contra sententiam Concilii Hussium per salvum conductum Sigismundi etiam protegi, nemo illo tempore serio praetendebat. Sic Arragoniae rex die 28° Aprilis a. 1415 scribebat Sigismundo, neminem per salvum conductum a poena quam merebatur liberari posse, et postulabat, ut severe causa Hussii ageretur. Sigismundum pariter ita censuisse, inde elucet, quod die 7° Junii a. 1415 Hussium publice alloquens dicebat, se salvum conductum ei concessisse, ut securus Constantiam perveniret atque in publica audientia de fide sua rationem reddere posset; sed se declarasse membris commissionis, se nullatenus haereticum velle defendere, at vel solum velle comburere talem, qui obstinatus in haeresi perseveraverit.[1]) Hussius contra haec nullo modo protestatus est. — Mense Aprili a. 1415 Sigismundus, quo omnes cogeret ut Constantiae remanerent, nemine contradicente omnes salvos conductus annihilavit; ex quo patet, nihil aliud illos fuisse nisi litteras securitatis pro itinere. — Ad nobiles Bohemos Constantiae praesentes quod attinet, ex pluribus factis colligitur, etiam ipsos salvum conductum eodem modo considerasse. Sic aegre ferentes, quod Hussius custodiae mancipatus esset, epistola mense Februario a. 1415 ad

Sententia coaevorum.

[1]) **Fabella postea fuit sparsa, Hussium, quum die 6° Julii condemnaretur, adspexisse fixis oculis Sigismundum, et hunc erubuisse. — Sed testis oculatus Hussio addictus, Petrus de Mladenowicz in ampla sua Historia *de fatis et actis M. Joan. Hus* nihil hac de re dicit. Nec per se argumentum inde peti potest.**

Sigismundum scripta postularunt, ut statim dimittatur et libera ac publica audientia ei concedatur; sed addunt: *Quod si jure et legitima probatione reus inveniatur, fiat cum ipso quod convenit.* Similiter mense Majo protestationem de incarceratione Concilio tradiderunt, sed adjiciunt: *Si convictus fuerit, pertinaciter aliquid contra Scripturam sacram et veritatem asserere, quod id juxta decisionem et instructionem Concilii debeat emendare.* Eo ipso quod eum *debere* id emendare dicunt, admittunt, ipsum, si id noluerit obstinationis poenam subire debere. Etiam postea ante mortem Hussii in colloquio cum ipso habito haud conque runtur de laeso salvo conducto, et post supplicium ipsius, quum proceres Bohemi Hussio addicti acerrimas ad Con cilium dirigerent litteras, nihil de violata fide dicunt. Sigismundo non exprobrabant, quod salvum conductum violasset, sed quod infensum se Hussio ostendisset.

Hussii fluctuatio.

59. Ipse Joannes Hus, quum Praga Constantiam proficisceretur, declaraverat, se paratum esse poenam hae retici subire si convictus fuerit, ac talionis poenam pro accusatoribus postulaverat; coram Cardinalibus ver dixerat, se omnem haeresim odio habere, et si error ips ostendatur, se obsequi velle et poenitentiam agere. E ipso agnoscebat, etiam se puniri posse si pertinax esse. Postea tamen praetendit (ep. 54), Sigismundum ei prom sisse, *ut salvus ad Bohemiam rediret.* Et in alia epistola (34) contendit, Sigismundum debuisse dicere: „Ego de ei salvum conductum. Si ergo ipse non vult pati decisio nem Concilii, ego eum remittam regi Bohemiae cum sen tentia vestra et attestationibus, ut ipse cum suo cler ipsum dijudicet.“ Praetendit etiam, Sigismundum p amicos eum certiorem reddidisse de audientia coram C cilio habenda, „et si me non submitterem judicio. q vellet me salvum dirigere vice versa.“ Petrus de Mladon quoque innuit, promissum fuisse Hussio, *ut . . . e conc redire ad Bohemiam possit,* atque in epistola nobilium d 8° Maji a. 1415, hi conqueruntur de incarceratione Hus advertentes, omnia resarciri posse, *dummodo Imper curam habeat, ut Hus libere in Bohemiam redire possit.*

…ata nihil aliud sunt, nisi repetitio eorum, …dicebat in suis epistolis. Haec autem … vera esse. Etenim non conveniunt … et factis, quibus satis ostendit, se … a Concilio reus inveniretur, etiam …Sigismundus porro ejusmodi pro…us inveniretur, et se submittere … facere non poterat, quum … repugnaret. Jure enim … protegeret; Concilium … fuisset magis ineptum, …Concilio adhuc relin… Bohemiae. Dein …adem puniebatur …iis afficiebatur.

…a est, Conci… …esse servandam … *Concilium justificaret* …*iolato, decretum emisit im…esse servandam.*[2]) In probatio…am sessione decima septima editum: Alia accusatio.

…ynodus ex quovis salvo conductu per Im…gem et alios saeculi principes, haereticis vel de …iffamatis, putantes eosdem sic a suis erroribus re…are, quocumque vinculo se adstrinxerunt, concesso, nullum …dei catholicae vel jurisdictioni ecclesiasticae praejudicium generari, vel impedimentum praestari posse vel debere declarat, quominus, dicto salvo conductu non obstante, liceat judici competenti et ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere, et alias contra eos debite procedere, eosdemque punire quantum justitia sua debet, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint judicii alias non venturi: nec sic

---

[1]) Ad summum conjici posset, ex vagis quibusdam Sigismundi effatis obiter dictis, asseclas Hussii talia collegisse et magistro ut promissiones Sigismundi repraesentasse.

[2]) Kirch. Gesch. Bd. II. Abth. 4. S. 417.

promittentem, quum fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Sed his verbis profecto nullo modo decernitur aut docetur, frangendam esse datam haereticis fidem. Duo namque decernit sacra Synodus. Primum, quod saecularis potestas ecclesiasticam jure impedire non possit, quin suo fungatur officio, et proinde si princeps laicus haeretico homini det salvum conductum, id non obesse, quin judex ecclesiasticus quae sui sunt muneris legitime exequatur, id est, ut quaestionem de haeresi aliisque criminibus in ipsum habeat, legitimisque documentis et testimoniis convictum secundum canones judicet. Profecto, quum potestas ecclesiastica non dependeat a potestate civili, sed sui juris sit, imo excellentior et ordine superior potestate civili, saecularis potestas nullis pactis, conventionibus aut promissis spiritualem potest ligare, vel prohibere, ne judicium ferat in causa quae fori ecclesiastici est. Istud Concilii decretum omnibus aliis legibus ecclesiasticis consonum invenitur. — Alter hujus decreti articulus habet, saecularem principem, qui haereticis hominibus securitatem promisit, *cum fecerit quod in ipso est,* non manere in aliquo obligatum. Ac nec istud, violari posse datam haereticis fidem, vel leviter innuit. Majorem enimvero securitatem nemo promittere censetur, quam praestare possit. Cum ergo facit quod in se est, non peccat contra fidem promissionis. Unde cum Concilium tunc solum a promissi vinculo absolutum principem pronuntiet, cum fecit quod in ipso est, dici nequit citra calumniam, quod fidem salvi conductus haereticis non esse servandam decreverit.[1]

Expenditur.

61. Aliud dein (a Gieseler) citatur decretum, uti aut quo dicitur, „Hussium ut pertinacem adversarium doctrinae orthodoxae se inhabilem reddidisse cujuscumque salvi conductus et privilegii, eique secundum jura divina et humana in detrimentum religionis fidem et promissa haud esse servanda.“ Sed haec, quae tantum in unico codice Dorriano (Vindoboni) inveniuntur, nullatenus decretum constituunt, omnique carent Concilii vel alterius approbatione

[1]) Secundam partem decreti Gieseler omnino omisit.

Schema aliquod istud est alicujus membri, quod a Concilio non fuit acceptum, nullamque habet auctoritatem. Talia schemata in actis Concilii Constantiensis plura inveniuntur. Rem vero ita se habere eruditi ad evidentiam probarunt.[1])

62. Si cui crudelius fuisse videtur supplicium rogi Hussio inflictum, animadvertendum est, poenam istam non uxta nostri temporis consuetudinem, sed secundum jus riminale medii aevi esse dijudicandam. Illud jus criminale nulto severius erat, ita ut v. g. per *Carolinam* a. 1532 oena suspendii in furtum cum irruptione, vel furtum reetitum, decerneretur, poena ignis in plura impudicitiae eccata, in magiam, necnon in falsificatores monetae. Haud nirum igitur est, medio aevo rogi supplicio punitam fuisse tiam haeresim, quae uti maximum crimen jure consideraatur. Principes enim merito persuasum habebant, primum uum officium esse, ut Ecclesiam protegerent, veram relirionem, maximum societatis christianae bonum, tuerentur t contra perfidiam haereticorum defenderent. Hussius utem erat haeresiarcha perniciosissimus, quum *auctoritatem* 1 Ecclesia plane everteret. Quapropter etiam illi viri 1 Concilio Constantiensi, qui ideis quibusdam innovationis, t dici solet, imbuti erant, tamen Hussio infestissimi erant, t ejus conatibus omnibus viribus resistendum esse censeant. Auctoritatem enim in Ecclesia illi viri volebant sse salvam et sartam; tantum aliquantisper de *indole* ajus auctoritatis fluctuabant vel errabant. — Hussii octrinas essentialibus fidei veritatibus oppositas fuisse, c expositione errorum ejus per se manifestum est.

Supplicii indoles.

63. Opportunum erit, his pauca adjungere de Hustarum fatis. Secta enim Hussitarum cum morte auctoris ii non fuit exstincta, sed majores tumultus et persecutioes contra Catholicos in Bohemia vicinisque regionibus ccitavit. Quum enim Wenceslaus rex, cujus ignavia ctariorum audaciam auxerat, deinde turbulentum eorum

[1]) Cfr. Hefele, C. G. VII. § 767. Tota quaestio de salvo conductu cl. auctore praeclare tractatur.

in Catholicos animum reprimere tentaret, illi duce Joanne Ziska sumptis armis rebellarunt, in monte circuli Bechinensis ad Lusinitium amnem munitissimam urbem Thabor dictam, unde et ipsi Thaboritae vocati sunt, exstruxerunt, et ab anno 1419 in Catholicos crudelius saevierunt, sacerdotes imprimis et monachos trucidarunt, templa et monasteria vastaverunt. Interim Martinus V ad impediendum haeresis progressum edidit Constitutionem, qua praelatis ecclesiasticis et inquisitoribus mandabat, ut haereticos eorumque fautores e praescripta judiciorum forma coërcerent, et eorum mentem circa damnatos in Constantiensi Concilio articulos explorarent secundum formulam in 35 capita distinctam. Praeterea Joannem Dominici Cardinalem in Bohemiam legavit, ad reducendos ad fidem errantes: excitavit quoque episcopos Poloniae, in quam prava haeresis etiam penetraverat, ut eam omni cura evellerent: et cum Hussitae violenter in Catholicos saevirent, bellum sacrum contra illos indixit. Sigismundus Imperator, post mortem fratris sui Wenceslai (1419) etiam rex Bohemiae, sectarios armata manu in ordinem redigere conatus est, sed illi tanta vi dimicarunt, ut exercitus catholicos non semel superaverint, et bellum per plures annos continuarunt.

Fata Hussitarum.

64. Post mortem Joannis Ziskae (1424) Hussitae in plures factiones scissi sunt. Alii appellati Thaboritae, Waldensium, Wiclefi et Hussii vestigiis pressius inhaeserunt, omnem paene Ecclesiae catholicae doctrinam, regimen et institutiones condemnarunt, et constituto sibi duce Procopio Raso, Catholicos crudeliter persecuti sunt. Alii, dicti Orphani, quod capite seu duce carerent, quamvis aliquando a Thaboritis dissentirent et separata ab iis agmina constituerent, exigente tamen necessitate conjunctim cum illis agebant. Alii, cognominati Calixtini, erant ingenio longe moderatiori, Ecclesiam catholicam ejusque cultum et regimen non condemnabant, sed praecipue propugnabant hos quatuor articulos: 1° ut s. Eucharistia omnibus sub utraque specie porrigeretur; 2° ut omnes sacerdotes libere, sine praevia episcopi licentia, verbum

divinum praedicare possent; 3° ut clericis temporale dominium adimeretur; 4° ut delicta publica nulla ratione, ne majoris quidem mali vitandi causa, tolerarentur, sed punirentur.

65. Cum Calixtinis Sigismundus Imperator pacisci coepit, eosque concessis securitatis libellis adduxit, ut legatos destinarent ad Concilium Basileae congregatum. Illi initio anni 1433 Basileam advenerunt, cumque inter eos et Concilii deputatos de commemoratis supra articulis sine optato effectu disceptaretur, Concilium in ipsam Bohemiam aliquot viros legavit, qui Pragae cum Calixtinis pacem composuerunt his legibus: 1° ut in Bohemia et Moravia s. Eucharistia laicis sub utraque specie concedi posset, sed adulti diligenter edocerentur, Christum sub quavis specie totum contineri; 2° ut verbum divinum libere praedicaretur, non tamen sine auctoritate superiorum ecclesiasticorum; 3° ut bona ecclesiastica a clero secundum praescripta Patrum fideliter administrarentur; 4° ut peccata mortalia secundum leges divinas et ecclesiasticas *quantum fieri posset* punirentur, non tamen a personis privatis. His factis, Calixtini se cum Catholicis conjunxerunt, seque Sigismundo ut regi subjecerunt. Cum Catholicis uniti a. 1434 Thaboritas prope Pragam acie victos ingenti affecerunt clade. Anno sequente omnes Bohemiae et Moraviae ordines in publicis comitiis obedientiam Ecclesiae catholicae et Sedi Apostolicae professi sunt. Pacta illa inter Bohemos et Sigismundum atque Concilium Basileense inita, a. 1436 Iglaviae adjectis aliquot explicationibus confirmata, Basileensia et Pragensia Compacta appellari consueverunt. Quantum spectat ad Thaboritas post stragem anni 1434 superstites, illi coetus separatos saltem clanculum continuarunt usque in sequens saeculum, quo se cum sectariis pseudoreformationis conjunxerunt.[1])

Calixtini reconciliati.

[1]) Cf. Wouters, Comp. H. E., V. II. p. 376.

Dissertatio trigesima quinta.

De Concilio Basileensi ac de Synodo Florentina.

Dissertationis indoles.

1. Brevi tempore post Concilium Constantiense duo alia secuta sunt Concilia, Basileense et Florentinum. Haud exigui momenti ambo haec Concilia fuerunt pro Ecclesiae fatis, sed valde disparia tum indole tum exitu. In Concilio Basileensi audaces illae doctrinae ac tendentiae, quae jam in Conciliis Pisae et Constantiae habitis nimium se manifestarunt, ultimos veluti limites excesserunt, ita ut dignitas et auctoritas Sedis Apostolicae in maximum discrimen vocaretur, et Synodus postremo verteretur in schismaticorum conciliabulum. In Concilio vero Florentino Sanctae Sedis primatus et auctoritas maxime resplenduerunt, et obtenta unione Graecorum faustissimus fuit hujus Synodi exitus. Divinae autem providentiae est tribuendum, et admirandum apud sensatos homines, quod schismatici Graeci, ut Ecclesiae restituerentur, amplissimam professionem ediderunt definitionemque comprobarunt de primatu Papae, quem Basileenses, quum universam Ecclesiam in se ipsis repraesentatam contenderent, adeo inverecunde depresserant. Sic eo tempore, quo primatus incaute et temerarie a multis Ecclesiae filiis obscurabatur

et impugnabatur, ejus natura et summa auctoritas a Concilio oecumenico vindicata et in evidenti luce posita est. — Agemus igitur primum *de Concilio Basileensi*, dein *de Florentino*.

2. De Concilio Basileensi consuli possunt: Labbe, *Collectis Concil. T. XII.* — Mansi, *T. XXIX—XXXI.* — Raynaldi et Spondani *Annales a. 1431—1437.* — Natalis Alexander, *H. E. Dissert. VIII in saec. XV—XVI cum animadvers. Roncagliae.* — Zaccaria, *Antifebron. P. II. L. IV. c. III. et Antifebron. vindic. Dissert. IV. c. IX.* — Muzzarelli, *De auctoritate Rom. Pontif. T. II. c. 7.* — C. Fea, *Pius II Pont. Max. a calumniis vindicatus ternis retractationibus ejus, quibus dicta et scripta pro Concilio Basileensi contra Eugenium IV ejuravit.* Romae 1823. — Palma, *Praelect. T. IV. p. I. c. 5.* — Hefele, *C. G. B. I. Einleitung et B. VII.* — Lederer, *Johann von Torquemada,* Freiburg 1879. — Hergenröther, *K. G. T. II. C. I. i. (p. 90 sqq.); T. III. p. 357,* ubi varios alios auctores invenies citatos. — De iis qui scripserunt de Synodo Florentina, inferius agemus.

I.

De Concilio Basileensi.

3. Quum in Concilio Constantiensi, sessione trigesima ona, fuisset statutum, ut post quinquennium aliud habeetur Concilium generale, et Martinus V, sessione quadraesima quarta, de Patrum consensu illud Papiae celebranum indixisset, idem Pontifex a. 1423 misit quatuor praeıtos Papiam, qui Concilio indicto praeessent. Inchoata iit revera Synodus die 23° Aprilis, sed quum nulli aut re nulli episcopi transalpini advenirent, et lues grassaıtur, post duos menses placuit Concilium transferre Senas.[1]) **Synodus Papiam convocata.**

[1]) Tempore translationis aderant quatuor episcopi Germani, sex alli, et aliquot Angli.

Hic die 8° Novembris Sessio generalis habita est, in qua varia in Concilio Constantiensi tractata confirmata fuerunt, et etiam de unione Graecorum actum est. Sed quum etiam Senas pauci tantum Patres venissent, nec spes affulgeret, plures deinceps venturos esse; quum praeterea bella aliaeque calamitates ingruerent, et in Concilio exortae essent lites de auctoritate Pontificis et Concilii, eo quod aliqui decreta Concilii Constantiensis in alienum sensum referrent:[1]) Martinus V, duobus Senas missis legatis, die 19° Februarii a. 1424 Concilium post primam sessionem dissolvit, et novum Concilium septennio post in civitate Basilea conventurum indixit.[2])

Initia Conc. Basileensis.

4. Septennio elapso, die 1° Februarii a. 1431, Martinus destinavit ut legatum suum ad civitatem Basileam Cardinalem Julianum Caesarini, cum plena et absoluta potestate Concilio celebrando ipsius Pontificis nomine praesidendi, atque in illo proponendi et cum Patribus deliberandi ac statuendi, quae ad *exstirpationem haeresum*, ad *christiani orbis pacem*, ad *morum reformationem* aliaque pertinerent. Interim mortuus est Martinus V die 21° Februarii a. 1431, et die 3° Martii Pontifex creatus Cardinalis Gabriel Condolmieri, Gregorii XII nepos, qui nomen accepit *Eugenius IV*. Hic initio videtur haesitasse de celebrando Concilio, sed per litteras d. d. 29° Maji a. 1431 Cardinali Caesarini, jam in Bohemia de negotiis Hussitarum occupato, legationem etiam quoad Concilium confirmavit. Caesarini, quum ipsum alia negotia detinerent, usus plena potestate ei concessa, Basileam misit duos praelatos, Joannem Polemar auditorem sacri palatii, et Joannem de Ragusio doctorem Parisiensem, ut nomine Pontificis Concilio praesiderent.

5. Basileae interea, quo die septennium a dissoluta synodo Senensi elapsum erat, apparuit solus abbas Vizalecensis, et veluti initium quoddam fecit aperiendi

---

[1]) V. Labbe XII. 378. 379.

[2]) De iis quae Papiae et Senis gesta sunt nostro demum tempore accurate tractavit Ill. Hefele C. G. T. VII. §. 780.

Concilii, dum convocatis sacerdotibus Basileensibus declaravit suam praesentiam, et juxta decreta Concilium aperiendum esse. — Bini autem legati a Cardinali Juliano missi die 23ª Julii convocarunt abbatem Vizelacensem et duos doctores Parisienses ab Universitate deputatos, qui eousque soli venerant ad Concilium, et his cum pluribus e clero Basileensi congregatis in domo capitulari ecclesiae cathedralis Basileensis, declararunt, Concilium apertum esse, ad negotia tractanda tamen majorem Patrum numerum exspectari debere. Circa mensem Septembrem appulit Basileam ipse Julianus Cardinalis, et litteris scriptis institit apud episcopos et principes, ut ad Concilium properarent. Quum vero post octo menses a tempore quo Concilium Difficultates. inchoandum erat paucissimi tantum adessent (tres episcopi et septem abbates), de consensu praelatorum Romam misit Joannem Pulchripatris (Beaupère) canonicum Bisuntinum, qui de omnibus ad Concilium spectantibus ad Eugenium IV et Cardinales referret. Hic ab Eugenio in Consistorium admissus enarravit, paucissimos tantum ad Synodum venisse; multos praelatos impediri bellis inter Burgundiae et Austriae duces, quominus Basileam venirent; scandala esse infinita Basileae, quum nonnulli incolae ad morem Hussitarum ecclesiasticos persequerentur, aliaque addidit, uti videtur, exaggerata. His auditis, Eugenius de consilio decem Cardinalium quos secum habebat, Cardinali Juliano litteris datis d. 12º Novembris dedit facultatem dissolvendi Concilii et convocandi novam Synodum post annum cum dimidio Bononiae habendam. Commemorat in eadem epistola ea, quae Joannes Beaupère retulerat, sed dicit etiam, aliunde jam ex variis litteris et nuntiis fuisse cognita pericula et difficultates, quae prohibebant, quominus Basileae continuaretur vel potius fieret Concilium; negotiumque unionis Graecorum pariter ut motivum dissolutionis indicat.

6. Interim vero Basileae numerus praelatorum, oratorum etiam principum atque Cardinalium qui advenerunt crevit. Quapropter Julianus legatus, acceptis litteris de *facultate* dissolvendi Concilii, considerans, causam praeci-

puam dissolutionis Concilii cessasse, Concilium vero videri necessarium ad res Bohemorum componendas, atque illud tunc sine turbis et principum ac praelatorum querimonia dissolvi non posse, habita die 7o Decembris generali congregatione, statuit, Concilium Basileae esse habendum, et indixit primam sessionem ad diem 14um Decembris. Qua die revera haec sessio prima habita est et lecta sunt documenta Martini V et Eugenii IV, quae ad convocationem Concilii spectabant. Conditum porro est decretum quo declarabatur, cum civitas Basileensis locus esset celebrationi Concilii generalis deputatus, jam diu tempus praestitutum adesset, *sanctae Sedis Apostolicae non deesset auctoritas*, in ea civitate et loco generale Concilium stabilitum canonice et fundatum esse, tenerique omnes ad illud accedere.

Dissolutio Synodi.

7. Dum haec agerentur Basileae, ad Eugenium IV relatum est, Hussitas, etsi damnatos pluries ut haereticos et armis impugnatos, fuisse invitatos ad Concilium Basileense *ad disputandum et contendendum super articulos jam condemnatos*. Ratus, inde provenire periculum fidei orthodoxae et infringi auctoritatem RR. Pontificum, die 18o Decembris publicavit Bullam, qua Concilium Basileense, si tamen aliquod Concilium Basileae congregatum videatur, dissolvit, aliudque indixit Bononiae post annum cum dimidio celebrandum, cui se cum Cardinalibus adfuturum esse pollicitus est. In hac Bulla fere ad verbum inseruit epistolam antea ad Julianum scriptam eademque motiva repetiit; addidit vero *invitationem Hussitarum ad Concilium Basileense factam contra omnem consuetudinem Conciliorum et alias magnas et urgentes causas suis loco et tempore declarandas.*[1]) Ex serie rerum gestarum colligitur, motivum

---

[1]) Scribit Palma l. c. post relatam primam sessionem Concilii: „Eugenius de tota re certior factus . . . die 18° Decembris publico edicto Concilium dissolutum declaravit.“ Sed profecto, quum die 18° Decembris Bulla de dissolutione Concilii publicaretur, Romae nondum cognoscebatur, Concilium apertum et die 14° Decembris solemnem sessionem habitam esse. — Rohrbacher non accurate narrat, primam Eugenii epistolam ad Julianum Cardinalem et Bullam dissolutionis *eodem tempore*, mense Januario a. 1432, per episcopum Parentianum

praecise determinans Eugenium, ut Concilium dissolveret fuisse invitationem Hussitarum ad Concilium. Quum enim ob alias rationes jam merito Concilio Basileae celebrando non faveret, nuntius iste de invitatis Hussitis eum reddidit maxime sollicitum, ne tota res malum exitum haberet, ac propterea dissolutionis edidit Bullam.

8. Julianus Cardinalis scripserat post acceptam *facultatem* dissolvendi Concilii ad Eugenium litteras, in quibus magna cum libertate magnoque vigore, servata tamen reverentia, studet Pontificem a dissolutionis sententia deterrere, expositis malis inde secuturis. Quibus litteris Eugenius probabiliter motus fuisset; sed Romam non pervenerunt, nisi post promulgatam dissolutionis Bullam. — Sigismundus Imperator ab Eugenio de dissolutione certior redditus, Eugenio d. d. 9º Januarii scripsit epistolam, qua vehementissime eum adhortatur, ut Concilium continuari permittat, et motiva Eugenii pro dissolutione confutare studet. Quoad invitationem Hussitarum praecipue respondet, haud ad disputandum ipsos invitatos esse, sed ut veniant *edocendi* a Synodo, prout Martinus V pluribus epistolis suis tam ipsi Sigismundo, quam Poloniae regi faciendum praescripserat. Eugenius, ex gravibus causis se dissolvisse Concilium respondit; sed Sigismundus, quamvis de caetero concordia inter ipsum et Pontificem vigeret, ista in quaestione ei se opposuit, donec, uti videbimus, Eugenius continuationem Concilii pronuntiavit.

9. Perpauci illi praelati (quatuordecim), qui eousque Basileam convenerant, aegerrime tulerunt dissolutionem Concilii, ac se eidem ut perniciosae opposuerunt. Quodsi cum debita reverentia Eugenium studuissent movere, ut a sua resiliret sententia, id forte exprobari ipsis non posset, quia revera gravia motiva continuationem suadebant, dumque decretum dissolutionis factum est, status rerum Pontifici minus bene notus erat. Sed mox Basileenses reverentiae debitae limites excesserunt. Dicitur eos excitasse Oppositio Basileensium.

Basileam delata fuisse. Ex documentis colligitur, rem se habuisse uti narravimus.

Dominicus Capranica, episcopus Firmanus, Eugenio infensus. Martinus V videlicet Capranicae dignitatem cardinalitiam destinarat vel concesserat; nondum tamen eum Cardinalem publice pronuntiaverat. Hinc a majori parte Cardinalium ad conclave pro eligendo Pontifice non admissus fuerat; Eugenius IV vero aliorum consiliis motus ipsum Cardinalem publicare renuit. Tunc Capranica injuriam sibi factam vehementer conquestus, etiam de legitima Eugenii electione dubia movit.[1]) — Post acceptum dissolutionis nuntium, duos oratores miserunt Basileenses ad Eugenium ad ei supplicandum, ut dissolutionem revocaret. Sed non exspectato responso, litteras dederunt encyclicas die 21° Januarii a. 1432 ad omnes Christi fideles, quibus eos reddunt certiores, se omnino decrevisse. inchoatum semel Concilium continuare. Insistunt in eo. quod auctoritate Martini V et Eugenii IV Synodus convocata sit, quod praesideat legatus Pontificis et supponi nequeat, Eugenium, praesertim auditis eorum oratoribus, tot majorum et suis decretis obviare velle. Has tamen litteras Cardinalis Julianus, qui ad mandatum Pontificis legati et praesidis juribus renuntiaverat, suo sigillo non munivit; fecit illud Philibertus episcopus Constantiae in Normannia, qui exinde Concilii caput fuit.

Continuatur Synodus.

10. Die 15° Februarii habita est Basileae sessio secunda; at praesidere noluit Julianus Cardinalis. In eadem sessione Synodus declaravit, *quod in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens et universum Ecclesiam repraesentans* (erant septem episcopi) *potestatem immediate a Christo haberet.* Deinde renovarunt et confirmarunt decreta famosa Constantiensium, ea manifeste intentione, ut pro decretis plane generalibus eadem haberent, et ad Papam quoque indubium et omni ex parte commendabilem extenderent. — Interim vero Eugenius IV, jam ante sessionem secundam, per delegatos Imperii ad se deputatos misit ad Concilium litteras, quibus, non obstante dissolutione Concilii ab ipso decreta, ob rationes quas iterum enumerat.

[1]) Cfr. Raynald. a. 1431 n. 34.

de consensu Cardinalium statuit ac mandat, ut Basileae sacrum generale Concilium quanto citius celebretur, sed solummodo ad exstirpandam haeresim Bohemorum et ad conciliandam pacem inter omnes Christi fideles, non vero ad reformandum statum ecclesiasticum et ad efficiendam unionem Graecorum. Haud dubie ad hanc primam concessionem faciendam Basileensibus Eugenius adductus est litteris Cardinalis Juliani et Imperatoris Sigismundi. Sed Basileenses hanc Pontificis concessionem respuerunt, et dein jam hostilem contra Eugenium IV animum magis magisque manifestarunt.

11. Sessione tertia, habita die 29⁰ Aprilis, decreta Constantiensia iterum confirmata sunt, et iis insistentes miserunt ad Eugenium et Cardinales oratores, qui peterent et requirerent, ut abrogato dissolutionis decreto, Pontifex et Cardinales intra peremptorium trium mensium terminum ad Concilium venirent, vel si impediti essent, legatos mitterent. — Eodem tempore nuntiatum est, conventionem cum Bohemis (Calixtinis) esse factam, et Cardinalis Julianus novam epistolam scripsit ad Eugenium pro Concilii celebratione et continuatione,[1]) quae stylo vehementiore confecta est, ita ut non desint, qui eam habent ut suppostititiam. — Sessione quarta, habita die 20⁰ Junii, Bohemis aliisque ad Concilium vocatis salvus conductus datus est, et decretum, ut si durante Concilio Apostolica Sedes vacaret, novus Pontifex eligeretur in ipso Concilio, electusque durante Concilio non crearet novos Cardinales neque Cardinales a Concilio avocaret. In sequentibus sessionibus usque ad decimam sextam, quae habita est die 5⁰ Februarii a. 1434, Basileenses in suo dissidio cum Eugenio IV perstiterunt, multa Pontifici injuriosa constituerunt, et jam de ejus depositione agere ausi sunt. Cardinalis autem Julianus post sessionem sextam praesidentiam iterum susceperat, quum a reliquis vehementer urgeretur. Quam exiguus vero fuerit numerus Patrum inde colliges, quod sessioni sextae die 6⁰ Septembris a. 1432 adfuerunt tantum

Variae Sessiones.

[1]) Cfr. Natal. Alex. l. c.

praelati triginta duo, episcopi et abbates; sessioni vero decimae die 19° Februarii a. 1433 adfuerunt quadraginta et sex praelati. Aderat autem magnus numerus sacerdotum secundi ordinis, clericorum, et laicorum, et praeter jus et morem antiquum ipsi magnum in negotia influxum exercebant.

12. Interim Sigismundus Imperator aliique principes apud Pontificem insistebant, ut Basileensium postulationibus acquiesceret. Carolus VII rex et Galliae clerus in obedientia quidem Eugenii IV constanter perseverabant, sed conventu Biturici (Bourges) mense Februario a. 1432 habito *Avisamenta* de Concilio dederant, et Concilii Basileensis continuationem urgendam esse statuerant. Concilio, in quo aderant multi doctores Galli, continuo favebant, et rex maxime reconciliationi inter Pontificem et Synodum obtinendae adlaborabat. Sigismundus quoque, quamvis de caetero pariter Eugenio addictus, quum Romam venisset, a Pontifice enixe petiit, ut concordiam cum Basileensibus iniret. Pontifex igitur illorum suasionibus, necnon Romanorum turbis quas fovebat Philippus dux Mediolanensis, quorumdam etiam Cardinalium ad Basileenses defectione et schismatis periculo permotus, die 15° Decembris a. 1433 Bullam edidit *Dudum sacrum*, qua sublato dissolutionis et translationis decreto, decrevit et declaravit *Concilium Basileae legitime continuatum et continuandum esse ad haeresum, bellorum et pravorum morum exstirpationem.* Bulla hac adversarii Ecclesiae abutuntur contendentes, eamdem monumentum esse peremptorium quo pateat, a Pontifice superioritatem Concilii agnitam fuisse, quum Pontifex eidem se omnino subjecerit et decreta de hac superioritate jam lata confirmaverit.[1]) Hinc verba ipsius Bullae jam proponemus, ut aliquanto accuratius hac de re agamus.

Bulla *Dudum sacrum.*

13, Praecipua igitur documenti pars haec est: *In consilio et consensu S. R. E. Cardinalium decernimus et declaramus, praefatum generale Concilium Basileense a*

[1]) Janus, Der Papst und das Concil, p. 333.

tempore praedictae inchoationis suae legitime continuatum fuisse et esse, prosecutionemque semper habuisse, continuari ac prosecutionem habere debere ad praedicta et pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset, quinimo praefatam dissolutionem irritam et inanem de consensu et assensu simili declarantes, ipsum sacrum generale Concilium Basileense pure, simpliciter et cum effectu ac omni devotione prosequimur et prosequi intendimus, ita tamen, quod praesidentes nostri ad praefati Concilii praesidentiam admittantur cum effectu, ac omnia et singula contra personam, auctoritatem et libertatem nostram et Sedis Apostolicae ac venerabilium fratrum nostrorum S. Rom. Ecclesiae Cardinalium, et aliorum quorumcunque nobis adhaerentium in dicto Concilio facta et gesta per dictum Concilium, prius omnino tollantur et in pristinum statum reducantur. Dein tres litteras apostolicas *et quidquid per nos aut nostro nomine in praejudicium aut derogationem praedicti Concilii Basileensis seu contra ejus auctoritatem factum aut attentatum seu assertum est, cassamus, revocamus, irritamus et annullamus, nullas et irritas fuisse et esse declaramus. Item revocamus quoscumque processus quarumcumque censurarum, privationum,* etc. . . . *ac omnia in pristinum statum, perinde ac si non emanassent, cum clausulis opportunis restituimus.*[1])

14. Hoc igitur decreto Eugenii dein seditiosi praesules Basileenses ac postea varii adversarii auctoritatis pontificiae maxime abusi sunt, inde inferentes, decreta Basileensium et superioritatem Concilii supra Papam a Pontifice agnita esse. Quos optime jam illo tempore refutavit Joannes a Turrecremata O. S. D., qui ipse adfuit in Concilio Basileensi ac Pontificis auctoritatem tuitus est. Quae observanda occurrunt ad quaedam puncta reducemus. Itaque: 1° Auctoritas decreti Eugenii per se valde infirma est eo, quod Pontifici gravi metu ac terrore excussum fuerit. *Facilis est responsio,* scribit Turrecremata, *maxime si vera sunt, quae a pluribus magnae probitatis et gravitatis viris dicta sunt in curia, videlicet quod praefatae bullae* Observanda.

---

[1]) Labbe XII. 528.

magis extortae fuerunt minis, quam de mente Domini Eugenii emanaverint; nam, ut fertur, dominus Andreas Venetus dominii Venetorum tunc orator, et aliqui domini Cardinales tunc apud Dom. Eugenium praesentes, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt praefato Dom. Eugenio, quod nisi bullas illas adhaesionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent. Unde praefato Domino in lecto decumbente, praefati domini referuntur bullas illas taliter qualiter expedivisse et misisse Basileam.[1]) Illorum temporum circumstantiae vera esse suadent, quae de vi Eugenio illata Turrecremata refert. Si enim consideretur, schisma jam paene conflatum fuisse, eosque etiam qui Eugenio adhaerebant defectionem minatos esse, si Basileensibus non annuisset; domi forisque arma perstrepisse, Romam in alterius ditionem transiisse, principes omnes Eugenio infensos fuisse, si Sigismundus Imperator excipiatur, qui adhuc adhaerebat: omnes facile judicabunt, nonnisi gravissimo metu urgente, Eugenium quod antea negaverat Basileensibus concessisse.

Decreta Basil. non confirmata.

15. 2° *Decreta* Basileensium in ipsa hac Bulla nullatenus confirmantur, sed tantum *celebratio* Concilii: ut vero decreta valerent, posterior approbatio Pontificis necessaria fuisset. *Ipse Eugenius,* scribit Turrecremata, *Florentiae in disputatione publica, de qua nos in minoribus constituti respondebamus, allegante in favorem Basileensium Romano domino Juliano de Caesarinis, praesentibus dominis Cardinalibus pluribusque aliis praelatis et officialibus curiae ad argumentum de hujusmodi bullis respondit ita: Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet ut inceperat, non tamen approbavimus ejus decreta. Et in hoc sapientissime fecit; quis enim nisi imprudentissimus princeps approbaret decreta quae nunquam vidisset aut quae prius non examinasset, si quid in eis minus rectum, minus verum aut minus expediens contineretur? . . Praeterea quod Dom. Eugenius approbando processum Concilii non approbaverit decreta illius, exinde manifeste colligitur,*

---

[1]) Cfr. Raynald. a. 1334. n. 2.

quod licet Basileenses cum maximo studio repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt et requisierunt per oratores suos, ut Dom. Eugenius eorum decreta approbaret et confirmaret, nunquam talem approbationem aut confirmationem habere ab eo potuerunt. Jam superius vidimus, in Constitutione *Moyses* contineri reprobationem illorum decretorum, et ad legatos suos in Germania Eugenium scripsisse, se suscipere Concilium Basileense usque ad translationem ab ipso factam, *absque tamen praejudicio juris, dignitatis et praeeminentiae s. Sedis Apostolicae.*

16. Ex eo, 3⁰ quod anteriorem dissolutionem revocaverit Eugenius irritamque declaraverit, inferri nullatenus potest, admisisse Eugenium doctrinam de superioritate Concilii supra Papam. Est enim hoc singulare factum, quod posuit pressus magno timore novi schismatis, ut maxima evitaret discrimina. Ex tali facto autem principia et doctrinae deduci nequeunt. Caeterum dissolutio ab Eugenio, uti jam advertimus, facta non esset, si status rerum ipsi melius cognitus fuisset; hinc propter *subreptionem* ex relationibus falsis poterat dici inanis et irrita, non vero ac si potestatem non habuisset Concilium dissolvendi. Aptissime ad rem scribit Cardinalis Turrecremata: *Caeterum nec ex tertia particula bullarum* (quatenus Eugenius dissolutionem irritam et inanem declaravit) *habent adversarii intentum, tum quia non ideo Dominus Eugenius dissolutionem factam Concilii irritam esse declaravit, quia ipse qui princeps erat Ecclesiae facere illam non potuerit, sed quia agnovit, ex non veris causis, licet veris aestimatis, se aliquorum relatione illam fecisse, unde cogit non existentia causarum, et quod, ut in bulla inquit, ex praedicta dissolutione ortae erant graves dissensiones et graviores oriri possent, nec non quod praestabat impedimentum executioni sanctorum operum, ad quam Synodos fuerat congregata, data promissione a Synodo et securitate a principibus, quod Apostolicae Sedis honor et Sanctitatis suae illibatus servaretur, mutavit sententiam et voluit dissolutionem factam pro bono pacis Ecclesiae nullam haberi nec habuisse firmitatem, revocans illam ac irritans. Non enim est novum, quod sententiae*

Doctrina non admissa.

summorum Pontificum pro consideratione temporum et locorum et personarum ac gravium occurrentium necessitatum in melius commutentur. Censemus porro, uti etiam Turrecremata innuit, dum Eugenius declarat, Concilium legitime continuatum fuisse ac irritam habendam dissolutionem, his proprie non contineri judicium doctrinale de valore antecedentis decreti dissolutionis; sed dum dicit *decernimus et declaramus* etc., his contineri *decisionem practicam,* qua pro foro juridico et legali Concilio sua auctoritas inde ab initio adjudicabatur, et statuebatur, ut quae facta erant a Pontifice, tanquam non facta habenda essent, ita ut adesset veluti sanatio in radice pro defectibus omnibus.

Formula *declaramus.* Quoad formam sane multum cessit Pontifex Basileensibus, ut schisma vitaret. Etenim antea, comprobante id Sigismundo, selegerat verba „*volumus et contentamur*", sed postulantibus Basileensibus acquievit adhibere formulam „*decernimus et declaramus*".[1]) Attamen quamvis in foro juridico his verbis tribuatur character Concilii generalis Synodo Basileensi etiam post dissolutionem, tamen quaestio, utrum in se ista dissolutio, quando facta est, revera nulla fuerit, relinquitur in medio. Neque dedecet, uti *Janus* contendit, sic verba Pontificis explanare, ac si ita fraus aliqua ambiguitatis ipsis subjiciatur; etenim in difficilibus illis adjunctis poterat Pontifex quoad formam se maxime petitioni Basileensium accommodare, et quoad aestimationem in foro juridico id iis concedere quod petebant; simul tamen quaestionem theoreticam evitare discutiendam.

17. Sessione decima sexta, habita die 5° Februarii a. 1434, Basileenses Bullam Eugenii IV susceperunt et declararunt, postulationibus suis a Pontifice satisfactum

---

[1]) Advertendum est quod scribit Augustinus Patricius, *Summa Concilior Basil. et Florent c. 34.* „Eugenius interea assiduis Caesaris persuasionibus pulsus cum Patribus in hanc sententiam convenit: Basilienses omnia contra Eugenium, Apostolicam Sedem, Cardinales Rom. Ecclesiae acta revocarent ejusque praesidentes admitterent, Eugenius vero profiteretur, Concilium Basileense etc." Augustinus Patricius erat Canonicus Senensis qui paulo post Conc. Basil. (c. a. 1480) vixit, opusque citatum conscripsit. V. Harduin. Coll. Conc. IX. 1081.

esse. atque ita pro tempore concordia inter Synodum et Pontificem restituta videbatur. Miserat autem Pontifex quatuor legatos, qui una cum Cardinali Juliano Concilio praesiderent. Hi in congregatione generali adacti sunt, ut jurejurando promitterent inter alia, se Concilium et ejus decreta velle tueri, et Basilea haud discessuros esse sine consensu Concilii; privato tamen nomine id polliciti sunt, non vero ut legati. — Sessione decima septima, habita die 26° Aprilis, concessum est legatis Pontificis, ut una cum Cardinali Juliano Concilio praesiderent, sed sine jurisdictione coactiva, ita quidem ut ordo et modus agendi, suffragia dandi et decreta condendi, hactenus servati, conservarentur, et decreta aliaque ferrentur nomine et sub sigillo Concilii.

Sessiones variae.

18. In sequentibus sessionibus constituta quidem sunt quaedam utilia pro reformatione cleri, actumque est cum Graecis de determinanda civitate pro habenda Synodo ad unionem efficiendam. Sed generatim Basileenses post Constitutionem Eugenii de continuatione Concilii, auctoritate sua inflati, nullam Pontificem deprimendi et vexandi occasionem praetermiserunt. In sessione decima octava, ad quam legati Pontificis non accesserunt, iterum renovarunt et confirmarunt famosa Constantiensium decreta. Sessione vigesima prima, (die 9° Junii a. 1434), prohibitae sunt annatae; et sessione vigesima tertia, (die 25° Martii a. 1436), qui tantum aderant episcopi decem et abbates tredecim, condita aut renovata sunt decreta de electione Pontificis. Contra decretum de annatis et contra alia de electionibus et confirmationibus, tanquam Apostolicae Sedi injuriosa, reclamarunt Pontificis legati, sed frustra. Dum vero Basileenses annatis Romanum Pontificem privabant, variis episcopis eas concedebant, ita quidem ut Theodorico episcopo Moguntino etiam biannata postulare permitterent.[1])

---

[1]) „Mira res! scribit Aeneas Sylvius, quod patres Papae negabant, singularibus episcopis concedebant. Theodorico namque Maguntino non solum annatas exigere, sed biannatas indulserunt." Aeneae Sylvii episc. Tergestini de rebus Basileae gestis stante vel dissoluto Concilio commentarius, p. 62. Ed. Fea Romae 1823.

Ac generatim reformationis opus maxime in ejusmodi Sedis Apostolicae privatione constituere videbantur, dum multa quoad clerum reformanda reliquerunt. „Quidquid Apostolicae Sedi nocivum videbatur, ait Aeneas Sylvius l. c., facile impetratu fuit: adversus alios episcopos nihil intentari potuit. Pluralitas beneficiorum, quia multos tangebat, prohiberi nunquam potuit. Habitus episcopalis, qui apud Alamannos leviusculi sunt, reformare non valuerunt, nec arma prohibita sacerdotibus, nec venationes aut aucupationes; non fastus nimius sublatus, quamvis Julianus aurea mulis fraena subtraxerit lege manuali, quae paucis mensibus duravit. Non prohibita sumptuosa prandia, non famulatus laicalis, non pecuniaria judicia, non multitudo ignorantium sacerdotum. Sola reformatio sancta videbatur, si Sedes Apostolica nuda relinqueretur". [1]) Magno autem numero, uti jam diximus, quum praelati pauci essent, convenerant undique clerici secundi ordinis, atque „sic turba inconsulta confusaque facta est, cum docti atque indocti passim admitterentur, tantaque multitudo plebeiae faecis implevit Synodum, ut nulla vox esset nullaque potestas episcoporum."

Agitur de unione Graecorum. 19. Interea tum Eugenius IV tum Basileenses cum Graecis egerunt de celebrando Concilio ad unionem Ecclesiae orientalis procurandam. Eugenio initio haud immerito visum est, medium maxime opportunum esse celebrationem Concilii in civitate CPtana; dein cessit Basileensibus, ut in Occidente Concilium haberetur, sed hi novas semper Pontifici crearunt difficultates et vexationes. Statuerunt, ad subsidia pro Concilio celebrando obtinenda ut ubique indulgentiae plenariae publicarentur, idque revera fieri mandarunt, quamvis Pontifex illud medium colligendi subsidia odiosum haberet, nec Synodo, qualis erat, potestatem indulgentias publicandi adjudicaret. Dein etiam de civitate pro Concilio eligenda dissidium ortum

[1]) Ibid. — Alibi Aeneas Sylvius dicit. „Inter episcopos caeterosque patres conscriptos vidimus in Basilea coquos et stabularios orbis negotia judicantes." Mansi T. I. p. 231. apud Diix. Nicolaus von Cusa, p. 2[illegible]

est, quum Basileenses Avenionem vel Basileam vellent, Graeci vero civitatem mari propiorem in Italia peterent, quibus etiam Pontifex consentiebat. — Quum igitur multimode Eugenius IV a Basileensibus vexaretur, post longa patientiae experimenta illorum audaciae occurrendum ratus, mense Junio a. 1436, suo et Cardinalium collegii nomine legatos misit ad Imperatores et principes cum libello, in quo de iis quae contra se a Basileensibus acta fuerant, questus est.

20. Post haec Basileam venerunt Graecorum oratores, qui in Congregatione generali die 15° Januarii a. 1437, pro loco Concilii habendi de unionis negotio, exclusis Basilea et Avenione, postularunt civitatem in Italia, Pontifici, Graecis et unioni conficiendae commodam. Exinde de hac re graviter disceptatum est inter Basileenses. Denique sessione vigesima quinta, habita die 7° Maji, duo decreta condita sunt, quorum uno pro futuro Concilio indicabatur Florentia vel Utinum, eique assenserunt legati Pontificis, nuntii Graecorum atque sanior ac nobilior pars Concilii; altero decreto statuebatur, ut Concilium celebraretur Basileae aut Avenione vel in Sabaudia, hocque probavit altera pars Concilii, composita maximo numero e clericis secundi ordinis; ducem vero habebat Ludovicum Cardinalem archiepiscopum Arelatensem. Prius decretum probavit Eugenius Papa die 29° Junii. Ubi illud cognoverunt Basileenses, adversus Pontificem exarserunt; et quamvis Pontificis legatis et sanioribus praelatis privati, sessiones prosecuti sunt. Sessione vigesima sexta, die 31° Julii, reclamantibus legatis et optimis patribus Eugenium multorum criminum accusarunt. Sessione vigesima septima, die 26° Septembris, translationem Concilii irritam dixerunt; sessione vero vigesima octava, die 1° Octobris, praeside Georgio episcopo Visensi in Hispania, Eugenium Papam declararunt contumacem, quod intra constitutos dies non comparuisset.

Oppositio in Pontificem.

21. Tantam Basileensium audaciam eorumque decreta contra Pontificem Sigismundus Imperator regesque Hispaniae et Angliae omnino improbarunt. Eugenius IV autem

die 1° Octobris a. 1437 Bononiae Constitutionem dedit *Doctoris gentium*, in qua laetatur valde de Graecorum adventu, ac spem permagnam unionis efficiendae exprimit: queritur de pravis Basileensium conatibus, et Concilium transfert Ferrariam. — Ex iis quae diximus jam patet, omnia quae in Concilio Basileensi facta et decreta fuerant contra auctoritatem Pontificis, plane contra jus facta et irrita fuisse. Sed ex hoc tempore Synodus omnino in conciliabulum schismaticum, cui praeerat Cardinalis Arelatensis, degeneravit. Meliores enim mox Basilea discesserunt. —

Gesta schismatica.

Gesta conciliabuli imprimis paucis referamus. Sessione vigesima nona, die 12° Octobris, Concilii sui dissolutionem et translationem declararunt irritam, et Eugenio IV gravissimas poenas, etiam depositionem minati sunt, nisi praefatam constitutionem revocaret. Sequentibus sessionibus continuo progredientes ulterius, declararunt primum Eugenium suspensum, et administrationem Ecclesiae ad Concilium devolutam esse; dein Concilium Ferrariense inchoatum damnarunt, et Eugenium ejus praesidem, omnesque qui ei interessent, excommunicarunt, sessione trigesima secunda die 24° Martii a. 1438. Sequenti sessione trigesima tertia ut veritates fidei definierunt tres propositiones de quibus superius jam locuti sumus, videlicet 1° Concilium generale universalem repraesentans Ecclesiam est supra Papam; 2° Papa non potest Concilium legitime congregatum sine ejus assensu dissolvere, suspendere vel transferre; 3° haereticus est qui has propositiones pertinaciter impugnat. — Sessione trigesima quarta, die 25° Junii a. 1438, depositionis sententiam in Eugenium tulerunt. Huic sessioni, teste Cardinale de Turrecremata, e triginta episcopis qui tunc Basileae esse dicebantur, tantum octo vel novem interfuerunt. — Egerunt dein de eligendo novo Pontifice et sessione trigesima octava, die 30° Octobris, designati sunt triginta duo diversarum nationum viri, ex quibus erant episcopi undecim, qui cum Cardinali archiepiscopo Arelatensi, conciliabuli praeside, novum Pontificem eligerent. Hi elegerunt in Pontificem Amadeum ducem Sabaudiae, qui, abdicato ducatus gubernio, apud Ripaliam

vitam ducebat, eremiticam dixeris, sed reapse satis lautam atque jucundam. Sessione quadragesima, die 26° Februarii a. 1440 publicatus fuit assensus Amadei, qui nomen sumpsit *Felix V;* ac praeceptum est, ut ei obedirent universi Christi fideles, cassatis omnibus quae Eugenius in contrarium ediceret. — Felix a Cardinali Arelatensi antea in episcopum ordinatus, die 24° Julii coronatus est, et in sustentationem ei attribuerunt Basileenses pro quinquennio quintam partem omnium proventuum ecclesiasticorum, et pro subsequente quinquennio decimam partem. — Reliqua contra Eugenium facta recensere non videtur necessarium. — Die 16° Maji a. 1443, sessione quadragesima quinta, quae est postrema Basileae habita, mandante Imperatore Friderico III, consenserunt Basileenses sub certis conditionibus, ut ad procurandam unionem novum Concilium generale convocaretur, ita tamen ut Concilium Basileense non censeretur dissolutum sed continuatum. **Felix V antipapa.**

22. Res tamen illorum schismaticorum magis magisque collabebantur. Profecti Lausannam, quo Felix V jam vergente ad finem anno 1442 secesserat, ibi aliquot adhuc sessiones habuerunt; sed in iis tamen nihil memorabile actum est. Interim *Nicolaus V* in locum Eugenii IV a. 1447 suffectus,[1]) interveniertibus Galliae, Angliae et Siciliae regibus, obtinuit a. 1449, ut Felix V pontificatum

---

[1]) De Eugenio IV ita Aeneas Sylvius: „Magnus profectus et clarus Pontifex fuit Eugenius, contempsit pecunias, virtutem apprime dilexit, neque secundis rebus intumuit neque succubuit adversis, neque spes ei gaudium neque metus tristitiam auxit, sedatus animus eumdem semper ejus vultum ostendit, sermoni brevi eoque gravissimo usus est. Durus et asper in hostes, promptior in fidem receptis. Ad haec proceritas corporis. oris decor et veneranda in sene majestas; quibus fidem adhibuit plus aliquanto credidit, et majus imperium quam par fuerat commisit. — Qui etsi oriente schismate in principio sui pontificatus usque ad obitum cum Basileensibus contenderit, corouato tamen Sigismundo Caesare, Graecorum et Armeniorum pacta cum Ecclesia Latina unione, civitatibus Ecclesiae (quas amiserat) recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, victor inclytus veterem hominem exuit.“ De Europa, CLVIII.

suum, qui alioquin in solis Sabaudiae terris agnoscebatur, sponte dimitteret et promitteret Nicolao obedientiam. Ii etiam, qui Felicem V secuti erant, ad obedientiam Nicolai se converterunt et conciliabulum suum dissolverunt. Nicolaus vero eos omnes venia donavit; pro pacis et unionis bono e plenitudine potestatis rata habuit, quae in Obedientia Felicis pro contentioso et conscientiae foro fuerant peracta; eos qui ab Eugenio fuerant beneficiis privati restituit in integrum; Amadeum seu Felicem creavit Cardinalem episcopum Sabinensem et legatum Apostolicum in Sabaudia. Has dignitates is paulo post abdicavit, et resumpta vita solitaria apud Ripaliam, a. 1451 ibidem obiit.

Schisma sopitum.

23. Hac ratione igitur schisma illud infelix non diu duravit; vehementer tamen Ecclesiam ex turbis Basileensium concussam, Pontificumque auctoritatem imminutam esse, unusquisque facile sentiet. Rebellio non paucorum episcoporum contra Eugenium, dum spiritu factionis omnia peragebant, certe in Ecclesia multorum animos turbabat: ex influxu nefasto pluribus centenis clericorum inferiorum imo etiam laicis concesso, profecto perturbationem ipsorum principiorum de constitutione Ecclesiae magis magisque propagari, necesse erat. Ut vero ipsius Synodi Basileensis imago quaedam habeatur juvabit audire ea quae in Constitutione *Moyses* (a. 1439) dicit Eugenius IV: *Basileensium,* inquit, *impietatem dudum praevidere coepimus, quandoquidem illud Basileense Concilium tunc intuebamur jam in tyrannidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum, et standum pro libito factionis cogerentur; dum nonnullorum vota et judicia diversis artibus extorquerentur, alii mendaciis et fraudibus seducerentur; dum conspirationibus, conjurationibus, monopoliis et conventiculis omnia cederent, et pro ambitione papatus diuturna protractio ejus Concilii quaerebatur; ubi denique innumerae novitates, inordinationes, deformitates et quasi infinita patrabantur mala; ad quae etiam laici et clerici infra sacros ordines constituti, ignorantes, inexperti, discoli, profugi, apostatae, de criminibus condemnati, de carceribus fugientes, nobis et suis superioribus rebelles, et reliqua istiusmodi hominum*

monstra concurrerunt, qui ab ipsis scelerum magistris in omnem corruptionem facile trahebantur.[1]) De zelo illorum hominum hypocritico optime scribit Turrecremata: *In Basileensi Concilio sub colore conversionis haereticorum aut reformationis Ecclesiae in capite et in membris practicata sunt multa mala et scandala orta; usurpata enim sunt Apostolicae Sedis privilegia, plura mala dogmata seminata.*[2]) Quomodo vero in his Fraticellorum vestigiis Basileenses institerint, jam superius advertimus.

Status Germaniae.

24. Ut progressus malorum et diminutio reverentiae nationum in Pontificem, tristis turbationum sequela, accuratius perspiciantur, pauca dicenda sunt de *statu Germaniae* tempore Concilii Basileensis, ac de *Sanctione pragmatica*, quam Galli eo tempore sibi constituerunt. Ad Germanos igitur quod attinet, ipsi, uti vidimus, partes Concilii Basileensis tenuere, donec Ferrariam Eugenius Synodum transtulit. Eo tempore mortuus erat Sigismundus Imperator (9. Maji a. 1437), et electores a. 1438 ad electionem novi Imperatoris Francofurti convenerunt. Ibidem die 18° Martii *Declarationem neutralitatis* ediderunt, qua statuere, se in discordia orta inter Pontificem et Concilium neutrius partes sequi, et salva reverentia utriusque gubernium variarum ecclesiarum interea Ordinariis commissum esse. Manifestum est, perniciosissimam fuisse talem neutralitatem, quum eâdem de facto separatio a Sede Apostolica contineretur, ac principia omnia de Ecclesiae constitutione pessumdarentur. Multum quidem sequenti tempore legati Eugenii, inter quos eminebat Nicolaus Cardinalis Cusanus, adlaborarunt, ut principes Germaniae ad plenam Pontificis obedientiam redirent, sed pluribus annis ipsi in funesta illa neutralitate perstiterunt.[3]) Multorum animos

---

1) Apud Raynald. a. 1439 n 29.

2) Apud Düx, Nicol. Cusan. p. 290.

3) „Concilium Basileae esse dicebant Germani, et idolum ejus (Felicem V) respuebant; Eugenium Christi vicarium appellabant, et Concilium ab eo celebratum (Florentinum) recusabant. Nec Eugenio, nec Basileensi plene obediebant.“ Pius II, in bulla retractationis. —

invasit opinio, a principibus saecularibus unitatem quacumque via restituendam esse, ita ut jura Ecclesiae veluti obliterata essent. Ita Aeneas Sylvius, qui illis diebus Friderici III Imperatoris secretarius erat: „Omnibus displicet schisma, omnes abhorrent. Viam autem sopiendi hoc malum Carolus rex Franciae, nisi fallor, et tutam et brevem ostendit, ut fiat conventus principum vel eorum Oratorum in communi aliquo loco, ibique una conclusio recipiatur per omnes. . . . Haec via non posset impediri, nec Papa nec Concilium reniti possent, tanquam hoc absque ipsis fieri nequiret. Licet enim principibus saecularibus convenire invito clero, et tamen illic unio fieri posset. Nam ille Papa indubitatus esset, cui omnes principes obedirent. Non video clericos, qui velint pro ista vel illa parte martyrium facere. Omnes hanc fidem habemus, quam nostri principes, qui si colerent idolum, et nos coleremus. Et non solum Papam sed Christum etiam negaremus, potestate saeculari urgente. Quia refriguit caritas, et omnis interiit fides, utcumque sit pacem desideramus, quae sive per aliud Concilium sive per conventum principum detur, nihili pendo. Non enim de nomine, sed de re contendendum est; voca panem si placet lapidem, et des mihi dum famesco. Non vocetur Concilium, vocetur conventus, vocetur conciliabulum, congregatio, synagoga, nihil interest, dum schisma depellat. Ideo mihi admodum placet, quod rex Franciae scribit, cujus sententiae inhaererem."[1] Quamvis in his Aeneae Sylvii verbis quaedam ironice dicta sint, bene tamen exhibent tendentiam illorum temporum, quum principes ex discordia inter Pontificem et Concilium sua commoda in detrimentum Ecclesiae promovere studerent.

Jura Eccles. obliterata.

25. Germaniae principes veluti fluctuabant, atque minis defectionis ad multas concessiones Eugenium cogere

---

„Damnabant autem neutralitatem ambae partes, nec patribus Basileensibus nec Eugenio neutralitatis nomen placebat; damnatam neutralitatem impiam, injustam, haereticam aiebant." Aeneas Sylvius, De gestis Concil. Basil. l. I.

[1]) Ep. 56 ad Casp. Schlick.

studebant. Pontifex a. 1445 archiepiscopos Coloniensem et Trevirensem, qui Basileensibus maxime favebant, dignitate sua privavit; inde major etiam orta est animorum irritatio et auctum schismatis pleni periculum. Adlaboraverunt tamen legati Pontificis magno cum fervore concordiae obtinendae, et quantum salvis principiis fieri poterat cedendum esse rati sunt petitionibus principum; praecipue vero Aeneas Sylvius, Friderici III secretarius et jam Eugenio addictus, omnes ingenii sui vires adhibuit, ut ex petitis venenosa auferret, redderetque conciliationem possibilem.[1]) Sic confecta postremo sunt *Concordata principum*, quorum petita Eugenius admisit; atque ita in obedientiam Pontificis a. 1447 mense Februario tota Germania rediit. Postulata autem ab Aenea Sylvio sic in oratione coram Pontifice habita exposita sunt: *Primum est, ut generale Concilium in tempore locoque designando convocetur. Alterum est, ut professio potestatis, auctoritatis et praeeminentiae generalium Conciliorum . . . per oratores tuos facta, tuis litteris approbetur. Tertium est, ut nationi Germanicae super gravaminibus opportune provideatur. Quarto et ultimo loco petimus, ut quae in praejudicium duorum principum electorum vel in suarum ecclesiarum acta sunt, ex tuae Sanctitatis clementia revocentur et in pristinum statum redigantur.*[2]) Restituit Eugenius illos archiepiscopos, et quoad primum tertiumque caput haud difficilis fuit con- Concordata principum.

[1]) Dolendum profecto erat, adeo imminutam fuisse per turbas excitatas reverentiam erga Pontificem, ut principia ipsa in discrimen vocarentur, et non nisi arte diplomatica Aeneae postremo obedientia debita obtineretur. Ita ipse narrat in Vita Friderici III: „Cum legati Caesaris non possent menti Pontificis satisfacere, Aeneas modum commentus est. Qui receptis notulis, secundum quas se principes obligaverant, nisi Eugenius illas admitteret, velle se eum deserere, omne venenum ex his ademit, *novasque notulas composuit*, per quas et archiepiscopi depositi restituerentur, et nationi opportune provideretur, et auctoritas Conciliorum salvaretur, illasque dixit sua opinione Eugenium non negaturum . . . Collegium Cardinalium divisum erat, videbaturque magna pars adversari his, quae Francofordiae conclusa erant, *atque hi erant maxime theologi qui omnia graviora faciunt.*“

[2]) Raynald. a. 1447.

cordia. Annuit videlicet, ut cum consensu regum in Germania Concilium congregaretur, etsi eo opus non esset, et ut decreta Basileensia de reservationibus, annatis et taxis, uti in comitiis Moguntinis a. 1439 fuerant acceptata, servari possent, donec inter legatum, quem missurus esset, et principes de his convenisset. Quoad declarationem de Conciliorum auctoritate quaedam apprime notanda occurrunt.

Eugenii IV sententia.

26. Janus (p. 353) conviciis afficit Eugenium, qui dexteritate sua victoriam reportaverit; contendit tamen, eum agnovisse in litteris suis publicis decreta Synodi Constantiensis de superioritate Conciliorum. — Posset id ulterius inde confirmari, quod postulata erat professio *praeeminentiae* Conciliorum, et Pontifex petitis acquievit. — Attamen Eugenius nullatenus superioritatem Conciliorum supra Pontificem admisit. Etenim in litteris occasione illorum Concordatorum publicatis ita habetur: „Concilium autem generale Constantiense, decretum *Frequens* ac alia ejus decreta, sicut caetera alia Concilia catholicam militantem Ecclesiam repraesentantia, ipsorum auctoritatem, potestatem, honorem et *eminentiam,* sicut et caeteri antecessores nostri, de quorum vestigiis deviare nequaquam intendimus, suscipimus, amplectimur, et veneramur.“ Itaque 1° hic tantum universim Pontifex profitetur, se recipere Concilium Constantiense, decretum *Frequens* et alia ejus decreta; inde autem nullatenus sequebatur, etiam famosa illa sessionis quartae et quintae decreta recipi, quum jam Martinus V restrictionem fecisset, ipseque Eugenius pariter antea limites statuisset. Apprime porro advertendum est, nequaquam *praeeminentiam* Conciliorum agnosci, sed dignitatem et *eminentiam,* verbumque illud, quod superioritatem Conciliorum exprimebat, sedulo evitari. Addit etiam Eugenius, se vestigiis antecessorum insistere, adeoque innuit, nullam novam concessionem a se fieri. 2° Significaverat Eugenius anno praecedente epistola data XI. kal Augusti, legatis suis in Germania existentibus, se recipere Concilium Constantiense et Basileense usque ad translationem, *absque tamen praejudicio juris, dignitatis et prae-*

eminentiae Sedis Apostolicae. Hinc per postulata ab Aenea Sylvio expressa, ut Eugenius litteris firmaret quod per oratores quoad agnitionem Conciliorum promiserat, jam per se intelligi non poterat, nisi agnitio cum tali restrictione. Verbum quidem *praeeminentiae* Conciliorum in postulatis adhibitum est, sed evitatum omnino in litteris Eugenii, ita ut nullum dubium de mente ejus remanere possit. 3° Expressis verbis scribit Aeneas Sylvius: *Circa professionem major difficultas fuit. Auctoritatem numque Conciliorum, uti in Basilea declarata fuerat, nullo pacto admitti volebat.*[1])

27. Posset tamen forte difficultas hac ratione urgeri. Eugenius IV litteris datis die 1° Febr. a. 1446 Friderico III Germanorum Imperatori concessit, ut decreta Concilii Basileensis ab Alberto rege acceptata (de collationibus beneficiorum etc.) porro in Germania observarentur, usque dum per legatum ab ipso proxime mittendum, vel per Concilium generale aliter statutum fuerit.[2]) Jam vero in decreto Concilii Basileensis de collationibus beneficiorum, initio commemoratur et commendatur decretum sessionis quintae Concilii Constantiensis, quod Basileenses universali ratione intelligebant.[3]) Unde etiam ab Eugenio IV illud decretum Constantiense admissum esse sensu Basileensium, inferri posset. — Sed imprimis in concessione ista Eugenii IV manifeste tantum agitur de *dispositionibus practicis* quoad beneficiorum collationem, a Basileensibus factis, quas observare Germanis concedit, donec aliter statuatur; nullatenus vero agitur de confirmatione vel concessione quoad doctrinam ibi allatam. Hac observatione tota difficultas diluitur. Caeterum opportunum est advertere, Eugenium IV eodem die 5° Februarii, quo per quatuor diplomata Germanis principibus varia concessit, publicas edidisse litteras *Decet Romanum Pontificem,* quibus cavit, ne ex concessionibus auctoritas Sedis Apostolicae

Ulterior explicatio.

---

[1]) Orat. ad Fridericum III. V. Diix p. 278.
[2]) V. Raynald. ad a. 1447. n 6.
[3]) V. sess. XXXI. Concilii Basil. Decret. de Collat. Labbe, Coll. Conc. tom. XIII. col. 602.

detrimenti quid caperet. In iisdem litteris inter alia dicit: *Sane cum carissimus in Christo filius Fridericus Rex Romanorum illustris . . . nonnullique alii nationis Germanicae praelati et principes quaedam petiverint a nobis fieri, quae necessitas ipsa et Ecclesiae utilitas, ut eos ad nostrum et sanctae Romanae Ecclesiae unitatem et obedientiam alliciamus, nos concedere quodammodo compellit, nos ad vitandum omne scandalum et periculum quod exinde sequi posset, nolentes aliquid dicere aut confirmare vel concedere, quod esset contra sanctorum Patrum doctrinam, vel quod vergeret in praejudicium hujus sanctae Apostolicae Sedis, quoniam propter imminentem nobis aegritudinem non valemus omnia per eos petita et per nos concessa cum ea integritate judicii et consilii examinare et ponderare, quae rerum magnitudo et gravitas requirit, tenore praesentium protestamur, quod per quaecumque a nobis dictis Regi . . . . principibus ac nationi responsa et respondenda, concessa et concedenda, non intendimus in aliquo derogare doctrinae sanctorum Patrum, aut praefatae Sedis privilegiis et auctoritati, habentes pro non responsis et non concessis, quaecumque talia a nobis contigerit emanare.*[1])

Sanctio pragmat. Gallorum.

28. Jam de *Sanctione pragmatica* Caroli VII regis Galliae pauca addamus. Quum Eugenius IV Concilium Basileense Ferrariam transtulisset, Basileenses vero ipsi resisterent, Carolus VII ex sententia consilii regii ecclesiasticos et laicos congregavit Biturici (Bourges) anno 1438. Frequentissimo huic conventui praesedit rex ipse, assederunt primogenitus ejus filius Ludovicus, proceres ecclesiastici et laici, aliique rerum ecclesiasticarum ac civilium periti. Auditi sunt tum Basileensium tum Pontificis legati, quorum causae a diversis doctoribus discussae sunt. Praesules aliique viri ecclesiastici, ut sententiam suam dicerent rogati, responderunt, decreta Basileensia quae pertinebant ad reformationem Ecclesiae, indigentiis Ecclesiae in Gallia convenire, alia quidem prout concepta erant, alia vero cum certis modificationibus. Rex postquam hac de re

---

[1]) V. Raynald. ad a. 1447. n. 7.

cum intimis suis consiliariis deliberaverat, legem condidit, qua decreta Basileensia de reformatione cum certis modificationibus proposita, pro toto regno auctoritate regia sanciebantur. Atque haec lex dicta est *Sanctio pragmatica.*

29. Constabat haec Sanctio viginti tribus articulis, in quibus praeter alia statuebatur, Concilium generale quoque decennio a Pontifice, et, si is negligens existat, a Cardinalibus esse congregandum; convocati Concilii locum a Pontifice sine necessitate mutari non posse, Basileensis Concilii et decretorum ejus auctoritatem esse perpetuam, eaque nec ab ipso Pontifice posse tolli aut infirmari; Concilio generali ejusque definitionibus et decretis obedire debere ipsum Romanum Pontificem, quatenus fides et explodenda schismatum seditio postulant; beneficia esse conferenda ab iis ad quos de jure pertinet; episcopatus aliave beneficia non amplius reservanda a Romano Pontifice; annatas et exspectativas esse abolendas; a judicibus in loco constitutis et in appellationibus Romanis servandum legitimum instantiarum ordinem, ita ut causae in ultima demum instantia ad Pontificem delatae, non Romae dijudicentur, sed delegentur judicibus nationalibus. — Vides, etiam in Gallia Basileensium seditionem nefastum exercuisse influxum.

Rejecta a R.R. Pontificibus.

30. Quum in hac Sanctione pragmatica plura constituerentur, quae non erant de jure Synodi particularis neque de jure principis saecularis aut procerum laicorum; cum etiam in illa haberentur quae dignitati atque auctoritati Apostolicae Sedis erant opposita, Eugenius IV jure merito de illa Sanctione questus est, et regem ad eam abolendam excitavit. Sed nec ipse nec successores ejus apud Carolum VII abolitionem obtinuerunt. — Anno 1461 obiit Carolus VII eique successit Ludovicus XI. Hic princeps praefatam Sanctionem tamquam Pontifici et Apostolicae Sedi infensam et in seditione ac schismatis tempore natam abolevit. In litteris ad Pium II die 27° Novembris a. 1461 datis ait: *Ad ea per ipsum* (episcopum Atrebatensem) *Tibi nostro nomine pollicenda, vovenda et promittenda* (abrogationem Sanctionis), *nos antequam regnum*

suscepissemus, religionis instinctus quidam deduxerat; no nostra promissa exsequi, accedente moderatrice rerum eccle siasticarum Tua auctoritate, audemus et volumus. Rationem affert, nempe quod sciat, *ipsam Pragmaticam Tibi Tuaequ Sedi esse infensam, utpote quae in seditione et schismati tempore, atque per seditionem seditionisque a tua Sede fugram nata sit, et quae dum Tibi a quo sacrae leges oriuntu et manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne jus et omnem legem dissolvit.* Deinde declarat, se Sanctionem pragmaticam in omni ditione sua *pellere, dejicere, stirpitu que abrogare, et qualem ante Pragmaticae ipsius editionem circa beneficiorum ecclesiarum aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem, Pii II praedecessore Romani Pontifices habebant et exercebant, talem eamdemq se Pontifici reddere, praestare et restituere.*[1])

Sanctionis fata.

31. Quae post haec secuta sunt opportunum videtu subnectere, ut de statu rerum ecclesiasticarum in Galli plenior habeatur notitia. Anno 1465 curia suprema s n senatus Parisiensis apud Ludovicum regem questus est ex abrogatione Sanctionis praefatae magnam oriri ordin ecclesiastici confusionem, ecclesias detrimenta gravia subire aliaque mala esse timenda. Rex equidem Sanctione non restituit, sed etiam non impedivit, quominus nonnu illius articuli in usum revocarentur, praesertim a curi Paulus II, successor Pii II, anno 1467 rursum episcopu Atrebatensem ad Ludovicum XI legavit, ut eum move ad Sanctionem istam penitus abolendam. At legati co tibus restiterunt senatus et Universitas Parisiensis. S Carolo VIII, qui a. 1483 successit Ludovico XI, res eodem fere statu permansit. Ludovicus XII, a. 14 Caroli VIII successor, Sanctionem pragmaticam tuitus e ejusque observationem in toto suo regno imperavit, maxi ab a. 1503, quo dissidia inter ipsum et Julium II or sunt. Julius II a. 1512 in Concilio Lateranensi V, se sione quarta, contra Sanctionem pragmaticam ejusq assertores ac defensores sive praelatos, sive princip

[1]) Labbe, tom. XIV. p. 97.

curias, monitorium promulgavit iisque mandavit, ut se Concilio sisterent, et rationem redderent. Leo X, anno 1513 Julii II successor, in Constitutione data die 10° Aprilis a. 1513, qua Concilium Lateranense continuandum dixit et sessionem sextam prorogavit, praefatam Sanctionem appellavit, *in partibus Gallicanis quodam abusu introductam et Apostolicae Sedi ecclesiasticaeque auctoritati et sacris canonibus derogantem.*

32. Denique anno 1515 inter Franciscum I, Ludovici XII in regno Galliae successorem, et Leonem X colloquium institutum est Bononiae, in quo plura de abroganda Sanctione pragmatica et de ordinandis rebus ecclesiasticis in Gallia pertractata et constituta sunt. Anno 1516 die 19° Decembris in Concilio Lateranensi V, sessione undecima, Leo X, approbante Concilio, Sanctionem pragmaticam abolevit. In eadem sessione promulgatum et approbatum est Concordatum Bononiae inter Leonem X et Franciscum I confectum. Franciscus rex praefatum Concordatum cum patentibus, ut dicitur, litteris misit ad senatum Parisiensem, qui illud die 22° Martii a. 1518 solemni forma in Acta sua retulit. — In hoc Concordato praeter alia haec utrimque recepta sunt: ut rex intra sex menses a die qua ecclesia vacaret archiepiscopos et episcopos nominaret ex ordine doctorum aut licentiatorum in theologia aut in jure, annos saltem viginti septem natos et alias idoneos, jure eos confirmandi reservato Pontifici; rex intra idem tempus nominaret alios praelatos electivos, abbates et priores a Pontifice confirmandos. Si Pontifex e causis canonicis confirmationem negaret, rex intra tres menses alium designaret, et si nec hic idoneus esset repertus, Pontifex ipse ecclesiae vacanti providere posset; Pontifici reservarentur episcopatus et abbatiae, quorum possessores morerentur in curia Romana; Pontifici conservarentur annatae et causae majores in jure expressae; exspectativae et reservationes beneficiorum essent abolitae.

Concordatum Leonis X.

33. Restat tangenda nobis ea quaestio, *Utrum Concilium Basileense oecumenicum fuerit.* Hac de re judicium

An Concilium oecumenicum.

est valde diversum. — 1° Gallicani rigidiores cum Richerio[1]) contendunt, hoc Concilium inde ab initio usque ad finem inglorium Lausannae ei impositum oecumenicum fuisse. Haec sententia manifeste falsa est, et omnibus sanae theologiae principiis adversatur. — 2° Gallicani moderatiores statuunt, Concilium oecumenicum fuisse usque ad ejus translationem, atque etiam decretis ejus plenam vim tribui volunt.[2]) Ultima hujus sententiae pars plane falsa est; nec admitti posse censemus simpliciter, Concilium usque ad translationem vere oecumenicum fuisse. — 3° Multi existimant, Concilium Basileense oecumenicum nullo modo esse dicendum. Sic Bellarminus: *Hujus Concilii*, scribit, *nihil est ratum et probatum, nisi quaedam dispositiones circa beneficia ecclesiastica, quae a Concilio factae fuerant, quas (pacis et unitatis gratia) Nicolaus approbavit. Concilium vero ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo, sess. II.*[3]) — 4° Alii, uti Ill. Hefele, existimant, Concilium oecumenicum habendum esse usque ad translationem ejus (sess. I—XXV), sed ex illo stadio tantum ea decreta habenda esse ut approbata, quae spectant exstirpationem haeresis, pacem inter christianos principes ac reformationem Ecclesiae, simulque non laedunt Sedis Apostolicae auctoritatem et jura. — Videtur nobis tamen characterem ac nomen Concilii oecumenici Synodo Basileensi tribuenda jam non esse. Ea quae hac de re dicenda occurrunt ad aliquot puncta reducemus.

34. Concilium Basileense 1° legitime convocatum erat, et in sessione prima legitimum; inde tamen denominatio oecumenici Concilii convenienter repeti nequit. — 2° Celebratione oecumenicum haberi nequit in subsequentibus sessionibus, tum propter exiguum numerum episcoporum, tum propter dissolutionem ab Eugenio factam

---

[1]) Hist. Conc. gen. L. III. c. 7.

[2]) Nat. Alex., Hist. Eccl., saec. XV—XVI. Dissert. IX.

[3]) De Conciliis L. I. c. 7. Cf. Roncaglia in Animadv. ad Natal. Alex. et Lucam Holstenii dissert. ap. Mansi T. XXIX. p. 1222.

Omnia etiam deinde tam inordinate, tumultuarie et audacter facta sunt, ut ex hac quoque parte dignitas Concilii oecumenici tali congregationi deroganda esse videatur. — 3° Revocavit dein Eugenius IV dissolutionem suam, et characterem Concilii oecumenici etiam pro transactis sessionibus Synodo adjudicat. Sed ex sententia multorum decretum hoc sub influxu gravissimi timoris editum est, ac praeterea, uti exposuimus, potius in aestimatione et foro juris statuit Eugenius, Concilium illud ut legitime continuatum habendum esse, quam ut sententia doctrinalis proponatur de sessionibus transactis. Praeterea vero adjecta fuit huic confirmationi conditio, ut omnia tollerentur, quae contra Pontificem facta erant, eique debita obedientia et reverentia exhiberentur. Neutrum vero fecit Concilium Basileense, adeoque suo agendi modo confirmationem Eugenii infirmavit, nec ob eam oecumenicum et legitimum haberi potest. — 4° Eugenius tamen etiam postea annis 1446 et 1447, quum ageretur de reconcilianda Germania, professus est, se suscipere Concilium generale Basileense usque ad translationem ab ipso factam, atque sic ejusmodi agnitione, quae supplesset defectus, dignitas Concilii oecumenici eidem tribui posset. Sed omnibus consideratis, nonnisi per indulgentiam quamdam, ut majora mala vitaret, Pontifex hanc declarationem emisit, injurias a Concilio ipsi factas veluti condonans. Additur quoque (in litteris ad legatos Germaniae) *absque tamen praejudicio juris, dignitatis et praeeminentiae s. Sedis Apostolicae ac potestatis sibi et in eadem canonice sedentibus concessae;* atque etiam post Concordata cum Oratoribus principum Germaniae confecta, die 5° Februarii a. 1447 brevi ante mortem publicas edidit Eugenius IV litteras *Decet Romanum Pontificem*, quibus declarat, nolle se, ut per quaevis responsa concessave jura ac praerogativa Romani Pontificis ullo modo labefactarentur. — Pontifex in multiplicibus temporum illorum difficultatibus non tenebatur examen juridicum instituere, utrum in Synodo Basileensi continuata impletae fuerint conditiones, quas confirmationi ipse apposuerat, atque utrum non totus

Quid censendum videatur.

agendi modus Basileensium vergat in praejudicium dignitatis Sedis Apostolicae. Sed poterat propter pacem et unionem obtinendam declarare, addita generali restrictione, se suscipere Concilium generale Basileense. Sed postmodum existimasse videntur gravissimi viri, tot defectibus et tanta audacia in Sedem Apostolicam vitiatam fuisse celebrationem illius Synodi, ut inde digna haud sit nominis Concilii oecumenici, et declaratio Eugenii ipso Synodi vitio inhaerente veluti infirmetur. Haec igitur nobis ratio esse videtur, cur non obstante Eugenii IV declaratione, tamen a plerisque auctoribus catholicis illa Synodus universim non recenseatur inter Concilia generalia. Quod vero ad *decreta* spectat, non apparet, Eugenii declarationem se ad illa extendere. Sed quemadmodum jam in Concilio Florentino declaraverat, se approbasse *continuationem* Concilii, non vero ejus decreta, ita etiam alia ista declaratio referenda est ad *celebrationem* Concilii, judicio de decretis reservato.

Constitutio *Pastor aeternus*. 35. His quae diximus satis consonant quae habentur in Constitutione *Pastor aeternus* a Leone X, sacro approbante Concilio Lateranensi V, die 9° Decembris a. 1516 edita. *Nec illud nos movere debet, quod Sanctio ipsa* (pragmatica Caroli VII) *et in ea contenta in Basileensi Concilio edita, et, ipso Concilio instante a Bituricensi congregatione recepta et acceptata fuerunt, quum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per reverendae memoriae Eugenium Papam IV, etiam praedecessorem nostrum, factam, a Basileensi conciliabulo seu potius conventicula, quae praesertim post hujusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta exstiterint.* Cum contemptu quodam hic de Synodo ista Pontifex loquitur, et quum dicat, *praesertim* post translationem haud posse appellari Concilium, adsignificat, rationes etiam non deesse, cur vel ante ipsam translationem, tale nomen vix mereatur. Ex quo colligitur, ab Ecclesia eo tempore Concilium Basileense ut oecumenicum usque ad translationem agnitum non fuisse. In editione Conciliorum Romae a.

1609 facta, suadente Bellarmino, Concilium Basileense omissum fuit.[1])

II.

De Synodo Florentina.

36. Pauca innuamus de fontibus qui historiam Concilii Florentini continent. Locupletem hujus Concilii historiam graece conscriptam cum actis et documentis jam brevi post Concilium confecit auctor graecus, qui nomen suum operi non adscripsit. Ex variis indiciis autem et argumentis eruditi inferunt, auctorem esse Dorotheum archiepiscopum Mitylenensem, qui ipse Synodo interfuit.[2]) Haec *Acta Concilii Florentini* in omnibus Conciliorum Collectionibus inveniuntur. — Aliam Collectionem Actorum, praecedenti quoad substantiam conformem, edidit a. 1638 Horatius Justiniani Bibliothecarius Vaticanus, quae pariter in Collectionibus Conciliorum habetur. Usus est tum documentis multis repertis in variis bibliothecis, tum notis quas confecerat Andreas de S. Cruce Patricius Romanus et Advocatus pontificius, qui Concilio adfuit. — Historiam Concilii praeterea ex Graecis scripsit Sylvester Syropulus, sacerdos et praelatus, qui erat in comitatu Imperatoris et patriarchae. Adhaerebat autem Marco Eugenico unionis adversario, et confecta historia bilem suam in Latinos effudit. Hanc *historiam* latine non fideliter versam, additisque multis in catholicos conviciis, edidit Hagae a. 1660 Robertus Creyghton theologus anglicanus sub titulo: *Vera historia unionis non verae inter Graecos et Latinos, sive Concilii Florentini exactissima narratio graece scripta per* Fontes.

[1]) V. Hefele, C. G., B. I. Einleitung.

[2]) Cfr. Hefele C. G. VII. §. 808. Censuit Ill. Hefele antea, Bessarionem operis hujus fuisse auctorem (Tübing. Quart. Sch. 1847, p. 185), sed l. c. alteri sententiae ut probabiliori videtur accedere.

Sylvestrum Sguropulum. Contra hunc Creyghton scripsit Leo Allatius opus cui titulus: *Leonis Allatii in Roberti Creyghtoni apparatum*. Romae, 1674. — Demum nostro tempore de Concilio Florentino tractavit multaque documenta edidit Ill. Cecconi (archiep. Florentinus), *Studi storici sul Concilio di Firenze*. Firenze 1869. — Consuli praeterea possunt hi auctores: Raynaldus et Spondanus, *Annal eccl. ad a. 1438—1445;* Natalis Alexander, *Hist. Eccl. Dissert. in saec. XV—XVI;* Muzzarelli, *De auctorit. Rom. Pont. tom. II. c. 18*; Palma, *Praelect. in hist. eccl. tom. IV. p. I. c. 6;* Pitzipios, *L'Eglise orientale, P. II;* Hefele, *C. G. T. VII. §. 807 sqq.;* Hergenröther, *Kirche und Staat, XVII. 23 sqq.; K. Gesch. T. II. Per. VI. C. III. n. 255 sqq., T. III. p. 388 (ed. 1.)*, ubi alios scriptores citatos invenies.

Schisma Graecorum. 37. Causa praecipua, propter quam Concilium Florentinum habitum est, fuit, ut ecclesia graeca diuturno dissidio a centro unitatis catholicae divulsa, ecclesiae latinae et Sedi Apostolicae reconciliaretur. Recolendum vero est hoc loco, schisma illud saeculo IX per Photium primo fuisse excitatum, tamen Hadriani II et Concilii generalis VIII auctoritate a. 869 esse repressum, donec illud saeculo XI iterum Michaël Caerularius Patriarcha CPtanus excitavit. Anno 1274 in Concilio generali Lugdunensi II sub Gregorio X, Graecorum legati, Imperatoris et episcoporum nomine, unionis decreto adhaeserant et subscripserant. At vero inita unio optatum effectum non obtinuit. Initio quidem Michaël Imperator et Joannes Veccus Patriarcha, unionem tueri conati sunt; sed adversarii unionis plurimi gravissimos excitarunt tumultus, et multi etiam qui unioni adhaeserant, brevi post ab ea defecerunt. Martinus IV existimans, tam subitae defectionis auctorem esse Michaëlem Imperatorem, tanto magis, quod Imperator promissa Christianis contra infideles auxilia non praestabat bellumque parabat contra Carolum Andegavensem regem Siciliae, illum a. 1281 excommunicatione perculit. Multi tamen putant, Michaëlem usque ad obitum suum

(1283) in unione perseverasse, et Martinum IV mala fama fuisse deceptum. Andronicus II, qui Michaëli patri successit, omnem cum latina seu Romano-catholica Ecclesia concordiam abrupit, schismaticos episcopos a patre ejectos restituit, et unionistas insectatus est. Andronicus III, qui a. 1327 dejecto avo suo Andronico II imperium arripuit, a. 1339 legatos misit ad Benedictum XII de negotio unionis et de accipiendo contra Turcas auxilio tractaturos. Verum culpa Graecorum nihil effectum est; attamen etiam sub sequentibus Pontificibus, Clemente VI et Innocentio VI, negotiatio de unione Graecorum non omnino cessavit. Sub Urbano V Joannes Palaeologus Imperator undique a Turcis impetitus, patriarcham CPtanum et aliquot proceres ad Pontificem legavit, qui Imperatoris nomine Romanae ecclesiae obsequium sponderent, et auxilia contra hostes peterent. Paulo post (a. 1369) Imperator ipse Romam, ubi tunc agebat Urbanus V, venit, secundum praescriptam formulam schisma ejuravit, et fidem catholicam professus, solemni modo in communionem Ecclesiae receptus fuit. Verum Urbanus V ejusque successor Gregorius XI frustra excitarunt principes ad ferenda Graecis auxilia. Sic etiam negotium unionis non confectum est, ipsumque triste Occidentis schisma novum fuit unionis impedimentum. Videbatur tamen Manuel, qui initio saeculi XV Graecorum Imperator erat, unionem desiderare, et post mortem ipsius (a. 1418) ejus filius et successor Joannes II etiam majori cum fervore negotium illud promovit. Martinus V Graecos invitavit (a. 1430), ut ad Concilium Basileae habendum venirent, ac post mortem hujus Pontificis ejus successor Eugenius IV, quum Basileenses magis magisque se infensos ostenderent, obtinuit ab Imperatore, ut cum episcopis orientalibus veniret ad Concilium Ferrariae convocatum vel potius Basilea translatum, quod dein Florentiae continuatum est.

Schisma Graecorum.

38. Coepta igitur est celebrari Ferrariae Synodus oecumenica, soluta jam Basileensi, anno a partu virgineo 1438, praeside B. Nicolao Albergato tit. S. Crucis in Jerusalem Cardinali presbytero. Hic die 8° Januarii in

Inchoatio Concilii. ecclesia majori quinque archiepiscopos et octodecim episcopos congregavit, et lectis Pontificis litteris declaravit, Concilium Basilea translatum esse Ferrariam ad procurandam Graecorum unionem cum Ecclesia catholica et Apostolica Sede; idemque factum est in sessione habita die 10° ejusdem mensis. Post paucos dies praeter alios Ferrariam venit Eugenius Papa. Is cum Cardinalibus, praelatis et doctoribus, plures habuit congregationes, in quibus de actibus Basileensium modeste questus est, et nonnulla praesertim de ordine sedendi in Concilio constituit. Die 15° Februarii Eugenius alteram habuit sessionem. Ei interfuerunt septuaginta duo episcopi, et lecto decreto *Cum in sacro*, irrita dicta sunt ea, quae a Basileensibus in Romani Pontificis injuriam fuerant decreta aut decernerentur, et declaratum est, eos qui in Basileensi coetu perseverabant, incidisse in poenas et censuras in decreto translationis *Doctoris gentium* expressas. Eo tempore, uti ex verbis Eugenii patet, Cardinalis Julianus Caesarini Concilium Basileense jam reliquerat,[1]) atque etiam praelati mentis sanioris Eugenio obediverant.

39. Mense Martio Ferrariam advenerunt Joannes Palaeologus Imperator Graecorum cum fratre suo Demetrio, Josephus patriarcha CPtanus, aliorum patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani vicarii, aliique multi, metropolitae, episcopi et viri ecclesiastici. Post illos advenit etiam Isidorus archiepiscopus Russiae cum aliquot episcopis Moscovitis. Illi omnes cum conveniente singulis honore a Pontifice, Cardinalibus aliisque praelatis latinis recepti sunt. — Peractis festis paschalibus, ne tempus

---

[1]) „Ea intentione et proposito venimus, ut non solum hoc sanctae unionis opus, sed illa etiam propter quae Concilium Basileense fuerat congregatum, realiter et cum effectu adjuvante Domino prosequeremur Ad quae etiam advertens dilectus filius Julianus, (quum) . . . ut praedictos a tam manifestis scandalis abstineret, multis validissimisque rationibus hortaretur, et pro eorum obstinata mente nullatenus exaudiretur, sed eos magis ad ea scandala in Ecclesiam Dei perpetranda paratos aspiceret, ne illorum impietatibus assistere videretur, inde discessit." Raynald. a. 1438 n. 5.

exspectandis aliis praefixum vacuum elaberetur, (desiderabat Imperator, ut oratores principum et plures episcopi exspectarentur), convenit, ut praecipuae quaestiones Graecos inter et Latinos controversae, nimirum de processione Spiritus sancti, de pane Eucharistico, de poenis purgatorii, et de primatu Romani Pontificis pertractarentur. Electi sunt ex utraque parte duodecim viri, qui bis in hebdomade convenientes, in templo s. Francisci de controversis articulis disputarent.

40. Elapsi sunt plures menses, ac vehementer displicuit Eugenio negotii dilatio, praesertim quum propter bella et discordias adventus principum vel oratorum ipsorum jam exspectari non posset; adeoque monuit Imperatorem reliquosque Graecos, quum ipse Pontifex, Imperator, Patriarcha, ac plurimi praelati latini et graeci adessent, nihil obstare, quominus Concilium solemni modo haberetur, ut negotium ad felicem finem citius perduceretur. Imperatoris mens ea erat, ut controversiae et dissensiones de dogmate quantum fieri posset seponerentur, et formulis quibusdam vagis et generalibus, unio, adjuvantibus principibus, obtineretur. Sed tale simulacrum unionis profecto Latini admittere non poterant. Propterea insistebant, ut capita dissensionis examinarentur. Qua in re dein Graeci cesserunt. Visum autem est, rem disputationibus esse agendam, et ex utraque parte decem viri docti electi sunt, qui disputantium partes agerent. E Graecis quidem cum aliis deputati fuerunt Marcus Eugenicus metropolita Ephesinus, Isidorus Russiae, Bessarion Nicaenus metropolitae, Michaël Balsamon magnus Scriniarius, Silvester Syropulus magnus Ecclesiarcha, et alii quinque praelati; ex Latinis vero electi sunt Nicolaus Albergati et Julianus Caesarini Cardinales, Andreas archiepiscopus Rhodius, Joannes Provincialis Italiae O. S. D., Joannes Turrecremata O. S. D. aliique. Negotium unionis.

41. Longum esset totam rerum seriem fusius enarrare; hinc breviter tantum quae gesta et decreta sunt referemus, ac dein quasdam objectiones vel calumnias,

Unionis negotium.

quae contra Concilium Florentinum et ejus decreta evulgatae fuerunt ab adversariis, expendemus. — Prima igitur sessio solemnis pro negotio unionis habita est die 8° Octobris a. 1438, ac dein ejusmodi sessiones Ferrariae continuatae fuerunt usque ad diem 10um Januarii a. 1439, quo die sessio decima sexta habita est. Grassante Ferrariae pestilentia, Concilium translatum fuit ab Eugenio Florentiam, ubi reliquae novem sessiones habitae sunt a die 26° Februarii usque ad diem 24um Martii, unde etiam hoc Concilium vulgo Florentinum dicitur. — Acerrima fuit disputatio de processione Spiritus sancti. Atque initio Graeci, quibus aggressorum partes concessae fuerunt, disputare nolebant nisi de additamento *Filioque*, et tantum post multas discussiones et sessiones, quum Latini, licitam fuisse additionem graviaque ejus motiva fuse ostendissent, acquieverunt, ut de ipso dogmate disceptaretur. Is denique disputationum exitus fuit, ut Graeci post multas difficultates postremo passim, praeeunte Bessarione archiepiscopo Nicaeno, in unionem cum Latinis consenserint. — Die 3° Junii a. 1439 convenientes in aedes patriarchae CPtani. omnes excepto Marco Ephesino et Sophronio Anchialonensi. in unam iverunt sententiam, scilicet Spiritum sanctum procedere ex Patre et Filio per unicam spirationem et ab unico principio. Hanc fidei professionem die 8° ejusdem mensis obtulerunt Eugenio IV, qui eam probavit et postulavit, ut aliae controversiae de purgatorio, de pane Eucharistico et de primatu Romani Pontificis absolverentur.

42. Unioni accelerandae etiam quid contulit professio fidei, quam ante mortem suam Josephus patriarcha fecit. Hic patriarcha vir erat bonae indolis et unioni favebat; haud tamen ostendebat magnum animi vigorem, multumque sollicitus fuerat, ne honor ipsi debitus detrimenti quid pateretur. Fere semper infirmus domi detinebatur, et vespere diei 9^{i} Junii subito defunctus est. Sed paucis ante mortem horis propria manu scripserat hanc fidei professionem, ut eadem Imperatori traderetur: *Josephus, miseratione divina archiepiscopus Constantinopolis, novae Romae, et oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad finem vitae*

meae perveni et soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo et subscribo sententiam meam aperte universitati meorum filiorum. Omnia igitur quae sentit et quae dogmatizat catholica et apostolica Ecclesia D. N. Jesu Christi senioris Romae, ipse quoque sentio et iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoque beatissimum Patrem Patrum ac Maximum Pontificem et Vicarium D. N. Jesu Christi ad certam omnium fidem faciendam (εἰς παντῶν ἀσφαλότητα), *necnon purgatorium animarum. In horum quippe fidem subscriptum est die 9° mensis Junii 1429 Indictione secunda.* Die Junii 11° cum magna solemnitate Patriarcha Josephus sepultus est in ecclesia B. M. Virginis.

43. Quantum pertinebat ad quaestiones de *purgatorio* et de *beatifica Dei visione* ante diem judicii extremi, illae non multum negotii attulerunt, quum jam antea Ferrariae essent tractatae ac Graeci ea quae ad dogma pertinebant post aliquot explicationes admitterent. Quoad *panem Eucharisticum* etiam convenerunt, sive azymum sive fermentatum panem esse validam ac legitimam Sacramenti materiam. At quaestio de primatu Romani Pontificis difficilior fuit et longius pertractata est. Imperator enim consentiebat quidem, ut primatus generatim agnosceretur in Romano Pontifice, non vero in specie quantum ad appellationes ad Romanam Sedem ab aliis sedibus patriarchalibus, aut quantum ad celebrationem Conciliorum oecumenicorum sine Imperatoris et patriarcharum assensu. Verumtamen, Deo juvante, Graeci paulatim, excepto uno Marco Ephesino, qui perpetuo unioni repugnavit, in Latinorum sententiam consenserunt. **Quaestiones variae.**

44. Dein actum est de documento unionis et ex utraque parte sex viri ad illud conficiendum delegati sunt; refertur autem compositum fuisse praecipue ab Ambrosio Traversari abbate Camaldulensi, qui, teste ipso Syropulo, inter omnes Latinos optime in lingua graeca versatus erat.[1])

---

[1]) *Ἔγραψε γὲ αὐτὸν* (τὸν ὅρον) ὁ *Μοναχὸς Ἀμβρόσιος ὁ λατῖνος, ἐκεῖνος γὰρ ἦν τῆς ἑλληνικῆς παιδείας εἰδημονέστερος.* Syropulos p. 281.

Jussit Imperator ex utraque parte convenire sex, ut definitio et tomus unionis graece et latine scriberetur in diptychis, a parte quidem dextera latine, ut Latini subscriberent, et appenderent bullam Papae: ab altera vero parte Graeci subscriberent, et apponeretur aurea bulla Imperatoris. . . . Feria vero secunda sexta die Julii facta est unio ecclesiarum, et lecta est definitio post celebrationem Missae. . . . Post litanias decantatas recitata est definitio latine et graece, latine quidem a Cardinali s. Sabinae (Juliano), *graece vero a Bessarione archiepiscopo Nicaeno.* [1])

Bulla Unionis.

45. Definitionis Bulla magna cum venustate et arte conscripta est. Ex qua pauca delibamus, ut ejus indoles cognoscatur et quaedam inferius examinanda prae oculis habeantur. *Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro Joanne Palaeologo Romanorum Imperatore illustri, ac locotenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum et caeteris Ecclesiam orientalem repraesentantibus. Laetentur coeli et exultet terra; sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque dividebat Ecclesiam et pax atque concordia rediit. . . . In nomine igitur sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc sacro approbante universali Florentino Concilio, definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur sicque omnes profiteantur.* Sequuntur dein definitiones de variis punctis fidei controversis, de Spiritus sancti processione, de pane Eucharistico, de purgatorio et visione Dei beatifica, ac demum de primatu Romani Pontificis. Haec definitio summi momenti ita se habet: *Item definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam*

[1]) Collect. Conc. Labbei t. XIII. c. 510.

potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur (καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτίκοις τῶν οἰκουμενίκων συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κάνοσι διαλαμβάνεται).[1])

46. Subscripserunt post Eugenium Papam Cardinales, Imperator Joannes Palaeologus, archiepiscopi, episcopi aliique Graeci ac Latini. Dein quinque exempla praefatae definitionis graece ac latine conscripta et a Latinis et Graecis subscripta sunt, quorum unum Graeci, alterum Latini sumerent, reliqua mitterentur ad patriarchas. Eugenius IV vero de eadem re litteras scripsit ad universos principes christianos. Atque ita finem accepit unionis seu reconciliationis Ecclesiae graecae cum latina negotium. — Opportunum vero erit hic paucis adjungere ea, quae post reditum Graecorum in Oriente acciderunt.

Eventus in Oriente.

47. Omnes Graeci incolumes Constantinopolim pervenerunt mense Februario a. 1440; Bessarion autem ab Eugenio, quum adhuc durante Concilio creationem faceret septemdecim Cardinalium, ea dignitate ornatus fuerat, et in Graeciam non reversus Romae postea vixit. Patriarcha constitutus est die 4° Maji a. 1440 Metrophanes II, metropolita Cyzicenus, qui Florentino Concilio interfuerat, et etiam exinde firmiter unioni adhaesit. Sed tum in clero tum in populo Constantinopolitano, quum odium in Latinos profundos egisset radices, et a vera pietate illa gens jamdudum degenerasset, contra unionem mox vehemens orta est oppositio. Eam maxime excitarunt et promoverunt Marcus Ephesinus unionis perversus adversarius, et quidam asseclae ejus. Metrophanes tamen schismaticorum conatus comprimendos curavit, ejectis praesertim eorum pluribus a sedibus episcopalibus quas obtinebant, aliisque suffectis, in dioecesibus etiam quae patriarchatui CPtano non suberant. Philotheus patriarcha Alexandrinus a. 1441 litteras dederat ad Eugenium IV, quibus de unione confecta vehementer congratulabatur; sed a. 1443 tres patriarchae, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus,

---

[1]) Labbe XIII. 510.

acres contra Metrophanem litteras scripserunt, quibus unionem rejiciunt, et in Metrophanem anathema pronuntiant. Hic magno dolore perculsus quod Imperator eum non satis tueretur nec ipse schismaticorum conatus reprimere posset, eodem anno mortuus est. Propter exortas turbas dein vacavit sedes usque ad a. 1446, quo anno Gregorius (IV) Protosyncellus creatus est patriarcha. Hic unioni addictissimus, pro ea conservanda et tuenda multa fecit et passus est. Interea Marcus Ephesinus libellis conscriptis et vulgatis unionem impugnabat et magis magisque destruere nitebatur, donec versus a. 1448 infelici morte correptus est. Ex aliis adversariis unionis commemorandus occurrit Gennadius monachus et pseudopropheta, qui ficta sua pietate multos, et maxime mulieres devotas, decipiebat. Pontifices quidem Romani Eugenius IV et Nicolaus V omni quo poterant modo studebant litteris et legatis missis unionem firmare, nec defuerunt ex Graecis qui contra Marcum scripserunt, ut Josephus Mettionensis et Joannes Plusiadenus ac Bessarion, sed unionis destructionem impedire non potuerunt. Joanni Palaeologo Imperatori successit a. 1448 ejus frater Constantinus, atque tunc schismaticorum contra unitos audacia etiam crevit. Gregorium patriarcham, qui maxima cura unionis causam tuebatur, tantis injuriis affecerunt, ut a. 1451, praedicta rebellibus vindicta, Constantinopoli aufugerit Romam, ubi a. 1459 decessit.

Oppositio contra unionem.

48. Anno 1453 die 29° Maji Constantinopolis expugnata est a Mahomete II Turcarum duce, Constantinus Imperator occisus et Imperium orientale destructum. Digna sunt quae commemorentur a Nicolao V Graecis a. 1451 his verbis scripta, dum conqueritur de promissis eorum non impletis. *Dantur quotidie dilationes et eaedem excusationes penitus inducuntur. Ne credant Graeci, Romanum Pontificem et omnem occidentalem Ecclesiam lumine esse privatos, quod non intelligant quod in hac dilatione responsionum suarum verba pertendant; intelligunt, sed tolerant, intuentes Dominum Jesum Christum aeternum Pontificem, qui ficulneam infructuosam arborem usque ad tertium annum*

servari jussit, quum cultor illius propter sterilitatem cuperet amputari.[1]) Haec verba, quum tertio exinde anno Orientis Imperium conciderit, prophetiae quamdam speciem praeseferunt. — Immania in expugnatione civitatis crimina commissa sunt; paulo post tamen Muhamedus II voluit, ut Christiani secundum leges suas viverent, novumque sibi eligerent patriarcham. Electus fuit Georgius Scholarius, qui nomen assumpsit Gennadii. Hic Concilio Florentino ut laicus interfuerat et unionem ibidem multum promoverat; sunt vero scriptores qui referunt, eum postea ab unione recessisse. Attamen quoad ipsum et quatuor subsequentes patriarchas usque ad a. 1467 haud certum est, eos animo ab unione alienos fuisse. Sed quum omnes premerentur sub jugo Turcarum, qui Romanos Pontifices ut hostes suos acerrimos considerabant, forte, summis rerum difficultatibus moti ac territi, dissimularunt potius eorum connexionem cum Ecclesia latina. Inde vero ab a. 1467, quo anno Simeon Trapezuntinus per simoniam ad patriarchatum pervenit, jam unio tanquam *de facto* rupta certe haberi debet.[2])

49. Concilium Florentinum, uti diximus, primus vehementer impugnavit Marcus Ephesinus. Effutiit, Graecos non libere unionem iniisse, sed taedio, inopia, fame motos, ac Romani Pontificis et Latinorum pollicitationibus et muneribus allectos, fraudibusque circumventos eo adductos fuisse ut unioni subscriberent. Similia his diebus innuit Janus.[3]) Calumnias istas jam eo tempore eximii Graeci, qui Concilio adfuerant, uti Bessarion et Josephus episcopus Methonensis, refutarunt, atque ex ipsis Actis quae exstant manifestum est, non fraudes, non vim, non minas fuisse

Impugnatio Conc. Florentini.

---

[1]) V. Raynald. ad a. 1451 n. 2.

[2]) Cfr. Pitzipios, L'Eglise orient. P. II. Ch. VII; P. III. Ch. I.

[3]) Janus, p. 344 sqq.: „Ipse conceptus systematis papalis Graecos maxime offendebat, . . . exosum illis erat, juramento Papae promittere obedientiam. Sed attriti erant rerum suarum tristissimo statu, tempore Synodi ex eleemosynis Pontificis vivebant, eosque pigebat re infecta domum reverti."

adhibitas, sed publica et pacifica agendi libertate, totum unionis negotium Florentiae fuisse peractum, et controversas quaestiones graviter et erudite utrimque fuisse tractatas. Pontifex vero et episcopi latini Graecorum commoditati quantum poterant impense providebant, eosque valde honorifice et benevole tractabant. Moras nectebat Ferrariae maxime Imperator; hic enim, uti testatur ipse Syropulus Latinorum adversarius, venationi deditus, inchoationem Concilii continuo differebat, plures principum oratores et episcopos adesse desiderans. Taedium certe quoddam Graecis ex absentia sua a patria oriri poterat, sed ineptum plane est, inde repetere consensum eorum ad unionem.

Status difficilis rerum.

50. Ex statu rerum facile intelligitur, quomodo malevoli, quorum plures erant praesertim ex clericis inferioribus, omnia in malam partem vertere possent. Quum Orientales rerum egestate premerentur, Eugenius IV expensas omnes adventus, commorationis et reditus 700 personarum, Imperatoris, Patriarchae, Episcoporum cum comitibus solvere debebat, atque ipse in magnis pecuniarum angustiis constitutus erat, dum necessaria subsidia non semper adessent. Id vel ex eo vides, quod quum, pestilentia Ferrariae grassante (Syropulus p. 144), Concilium Florentiam transferre vellet, idque Imperatori displiceret, Eugenius huic etiam exposuit, Florentinos paratos esse commodare magnam pecuniae summam adeo pro expensis necessariam. Et quamvis Pontifex antea censeret, evitandam esse publicationem indulgentiarum ut subsidia obtinerentur, tamen quum Concilium inchoaretur id fecit, utque fideles eleemosynas ad negotium illud pium conficiendum conferrent, hortatus est. Nec tantum praesentibus Graecis subsidia data, sed etiam Constantinopolim missa sunt, ut civitas contra Turcas muniretur. — Graeci continuo urgebant, ut subsidia pecuniaria promissa solverentur, ac sive solutio daretur sive protraheretur, inde malevoli occasionem carpebant, ut vel de vexatione vel de corruptione conquererentur. Idem fiebat, dum pauperioribus aliis quoque donis subveniretur. Caeterum Imperator hospitalitati-

sibi oblata immoderate fere utebatur,[1]) ac vanissimo honori tantopere inhiabat, ut quum prima sessio solemnis in palatio Pontificis haberetur, equo per plura triclinia usque ad sacelli altare vehi voluerit. Quod quum domestici Pontificis inhiberent, a terra sublevatum se fecit portare usque ad thronum, ne pedes tangerent solum. Latinis autem ob offensam vehementer succensuit, donec animum ejus peculiaribus lenirent honoribus.[2]) Etiam patriarcham et episcopos amicissime a Latinis habitos esse, vel ex ipso Syropulo colligitur, ex quo simul apparet, malevolos praesertim inter clericos minores non defuisse. Enarrans e. g. quomodo patriarcha et comites ejus a Pontifice recepti fuerint atque dapibus in ejus palatio refecti sint, de quibusdam scribit: *At illi qui prae nimis cauta animi timiditate omnia apposita refugiebant, ne venenata deglutirent, eumdem aspectum erga papicas dapes aeternum retinuerunt. Quamvis enim saepe patriarcham deducere ad Curiam papalem pro boni moris et officii ratione assueverint, nunquam tamen vel micam unam dentibus ex omni fructu allato contingere, vel unam guttulam bibendo libare sustinuerunt* (p. 144). Patet, tales homines in omnibus conviciorum potuisse invenire Graecorum indoles.

[1]) „Nec minus dispendium, scribit Syropulus (p. 144) in agris Imperator venando fecerat, quem tam immoderatus ardor captandi feras abripiebat, ut Marchio coactus fuerit per quemdam Imperatorem monere. rarius saltus et dumeta lustret, parcius in animalia saeviat. Quin et de se rationem adjecit Marchio: Ego, inquit, agrorum saltuumque istorum dominus, coturnicibus et phasianis, cura ac impensa propria aliunde conquisitis ea loca replevi, ut multiplicando mihi crescerent tanquam in vivario. Quare obsecro Clementiam tuam, ut in ista animalia remissius agas, ne tota mihi avicularum soboles funditus intercidatur. At Imperator ne unius flocci fecit tam supplicem Marchionis adhortationem, quamvis eumdem Marchio omni genere honoris, comitatus, benevolentiae, amicitiae cumulavisset."

[2]) „Aliquot igitur dies in cassum cecidere, donec Latini ut Imperatorem lenirent, muro perfosso ad introitum primi triclinii, ... portam efforarunt, qua statim in vicinum cubiculum duceretur: unde eum decenter gestarunt per alia decem cubicula in medio transitu posita, sed vacua, nullis praesentibus praeter domesticos et assuetos. quorum ultimi janua patebat in triclinium Synodi." Syropul. p. 168.

occasionem, adeoque etiam Marci Ephesini querelas singillatim examinare superfluum est.

Textus de primatu.

51. Sed alia accusatio affertur ab adversariis auctoritatis pontificiae, quoad textum latinum de primatu, uti nunc vulgatus exstat. Praecipue tempore Concilii Vaticani varii scriptores asseruerunt, falsificationem impudentem factam esse in textu latino decreti. Graeco textui *καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κάνοσι διαλαμβάνεται*, respondisse hunc textum latinum: „Quem ad modum (melius aiunt: „juxta eum modum qui") *et* in gestis oecumenicorum Conciliorum *et* in sacris canonibus continetur." Graecos videlicet voluisse limites et regulas potestatis pontificiae indicare, in oecumenicis Conciliis et canonibus determinatos. Prius, advertunt, textum graecum hujus loci confectum esse, dein versionem latinam, in qua non *etiam*, sed *et* habebatur. Sed primum Abraham Cretensis in sua Romana Concilii editione loco illius *et* posuit *etiam*, atque inde illud *etiam*, quamvis palpabilis sit falsificatio, jam in omnes Conciliorum editiones librosque dogmaticos transivit. Sensus autem plane mutatus est, ac si videlicet diceretur, in Conciliis et canonibus contineri etiam confirmationem illius primatus. Quod jam animadvertit Petrus de Marca (Concordia Sacerd. et Imp. III, 8) his verbis: *Verba graeca in sincero sensu acceptata modum exercitio potestatis imponunt ei similem, quem ecclesia Gallicana tuetur. At contextus latini depravata lectione eruitur, plenam esse Papae potestatem, idque probari actis Conciliorum et canonibus.*[1])

52. Objectio haec inanis est, et praesertim occasione recentioris controversiae peremptorio modo dissipata fuit. — Imprimis advertendum est, etiamsi in textu originali latino non illud *etiam*, sed *et et* inveniretur, nullo modo inde inferri posset, restrictionem per canones Pontificis primatui apponi. Canon enim hermeneuticus est, quem vel ipsa ratio naturalis agnoscit, ambigua ex perspicuis debere

---

[1]) V. Janus p. 345 sqq. et Civiltà catt. ser. VII. v. 9. p. 395.

Textus de primatu.

exponi, nec iis opponi posse. Jam vero in antecedentibus definitur, Romano Pontifici *in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plenam potestatem* (*πλήρη ἐξουσίαν*) *traditam esse.* Verbis magis perspicuis, praesertim si etiam magnifica quae antecedunt considerantur, summa auctoritas R. Pontificis declarari non poterat; ineptum vero esset potestatem *plenam* quam dicunt a Christo concessam, deinde dicere limitibus sacrorum canonum restrictam. Ad summum aliqua *directio* quoad usum potestatis per sacros canones innui posset.[1]) — Sed nec hoc admitti potest; nihil aliud ultimo inciso continetur, nisi *confirmari* etiam ex sacris Conciliis et canonibus plenam Pontificis potestatem. Nam in originali textu revera habetur *„quemadmodum etiam"*, nullatenus autem *et* ibi invenitur. Examen factum est anno 1870 tum illius *Originalis* decreti, quod in Archivio Vaticano conservatur, tum *Originalis,* quod in Bibliotheca Laurentiana Florentina exstat. In Originali illo Vaticano habetur ex una parte textus latinus cum subscriptione autographa Eugenii IV et aliquot Cardinalium, ex altera parte textus graecus cum subscriptione Joannis Palaeologi; in Originali Florentino habetur subscriptio Pontificis et Imperatoris atque omnium membrorum Concilii, cum bulla plumbea Pontificis et aurea Imperatoris. Jamvero in utroque hoc Originali habetur *„quemadmodum etiam"* nitidissimis ac distinctis litteris scriptum. Praeterea in tribus aliis Codicibus saeculi XV, quae in Vaticana bibliotheca exstant, eadem lectio invenitur.[2]) De genuina igitur lectione nullum superest dubium.

[1]) Ex his facile vides, quam inepta sint illa Petri de Marca: „At e contextus latini depravata lectione eruitur *plenam esse Papae potestatem,* idque probari actis Conciliorum et canonibus." Qualiscumque sit lectio originalis, *plena potestas* jam superius Pontifici iisdem verbis asserta fuit, proinde quae sequuntur his contradicere non poterant.

[2]) Cfr. Civiltà catt. ser. VII. v. 9. l. c., ubi etiam *Facsimile* textus expressus est. In cod. num. 4037 abbreviatum est illud *etiam* evidenti ratione; ex ejusmodi autem abbreviationum usu facile explicatur, quomodo in aliis quibusdam codicibus *et* loco *etiam* irrepserit.

Textus de primatu.

53. Immerito quoque postulatur, imprimis considerandam esse lectionem graecam, eo quod lectio latina versio sit. Id enim falsum est; imo textus latinus inserviebat potius conficiendo graeco. Conveniunt enim Graeci, a Latinis decretum unionis confectum esse. Sic scribit Syropulus Latinis infestus: *Imperator invitus succubuit, ut quocumque vellent modo unionem pangerent. Cui conficiendae praefecerunt Ambrosium* (Traversari) *Monachum, qui eruditionis Graecae palmam Latinis omnibus praeripuit. Pruriebat* (ἠθέλησε) *autem Nicaenus, voces aliquot in phrases venustiores et loquendi genus magis Atticum* (πρὸς ἑλληνικώτεραν καλλιέπειαν) *variare. Et disertiores Latinorum aderant, quamcumque vocem Nicaenus poneret per horam multoties, aliquando per duas integras expendere et commentare. Quod electis ad id Latinorum litteratis vocabulum arrisit, admissum, quod displicuit repudiatum. Eamque censuram in dies denos continuarunt, quibus definitionem in formulam quae nunc habetur excuderunt* (p. 271). Idem colligitur ex verbis Juliani Cardinalis in Oratione ad Papam, quum schedulam definitionis ei communicaret. *Ultima differentia fuit de primatu, et haec visa est quoad humanitatem difficilior, quia libenter subditi a capite deviant, et in rei veritate usque nunc non bene senserunt de potestate Romani Pontificis, dicentes, quod erat caput quoad unum totum, ut decanus. Et auditis sacris Scripturis et sacris Conciliis visa est veritas, quod Sedes Apostolica et Romanus Pontifex est successor Petri: deinde disponente divina pietate factum est, ut assenserint Graeci secundum cedulam datam per Latinos.*[1] Vides, hic praecise agi de ea definitionis parte quae spectat primatum.

54. Animadvertendum deinde est, si conferuntur lectio graeca et lectio latina, illam optime eodem sensu ac textus latinus intelligi posse; atque id sane exigitur, quando unum documentum duplici idiomate proponitur. Nam verba graeca καθ' ὃν τρόπον bene respondent voci latinae *quemadmodum*, et primum illud καὶ pariter verbo *etiam*

[1]) Labbe XIII. 1161.

plane respondet. In Originali authentico Florentino deest praepositio ἐν in secundo inciso, ita ut legatur: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τοῖς ἱεροῖς κάνοσι διαλαμβάνεται. Secundum Hellenistas hoc in casu prima particula καὶ necessario vertenda est per vocem *etiam.*[1]) Turrecremata jam illo tempore advertit, illis verbis *confirmationem* contineri, quatenus primatus stabilitur secundum normam Scripturarum, et confirmatur documentis Traditionis,[2]) atque etiam ipsi Graeci uniti textum sic intelligebant. Ita scribit Josephus episcopus Methonensis: *Sancti et acta oecumenicorum Conciliorum hoc luculenter confirmant.*[3])

55. Quum vero adversarii tricas etiam nectant ex postulatione quam Imperator fecerat, ne diceretur in definitione, Pontificem habere primatum *juxta dicta Sanctorum,* sed *juxta tenorem canonum,* haec juvat notare. Cum definitio confecta Imperatori legeretur, aliqua voluit mutari. *Continebat* (διελάμβανε) *praeterea quoad privilegia Papae, quod habeat ea juxta determinationem sacrae Scripturae et dicta Sanctorum. Hoc etiam non placebat Imperatori. An si quis, inquit, Sanctorum in epistola honorat Papam, excipiet hoc pro privilegio?* Voce *dicta Sanctorum* sumebantur a Latinis pro Traditione, Imperator autem alio sensu ea sumebat, acsi quodvis verbum alicujus Sancti Latini allegarent. Restiterunt Latini initio dicentes: *Unde melius possumus habere primatum, quam ex scriptis Sanctorum* (παρὸ γράφουσιν οἱ ἅγιοι)? Vides, jam indicata Scriptura agi de fonte confirmationis. *At vero Imperator cogebat, ibi aliquid apponi; dicebat enim ut adderetur: „Juxta tenorem canonum“* (κατα τὴν δύναμιν τῶν κανόνων), *et non: „Secundum dicta Sanctorum“ . . . Statimque egressis Cardinalibus, nos* (scribit auctor Actorum Dorotheus archiepiscopus Mitylenensis,) *consilium inivimus, scripsimusque, ut habeat* (ὅτι ἵνα ἔχῃ) *Papa sua privilegia juxta Canones et dicta Sanctorum,*

Imperatoris postulata.

---

[1]) Cfr. Maret Du Concile etc. t. I. p. 490.
[2]) Super decreto Unionis Graec. Venet. 1561. f. 35.
[3]) Vide citat. ap. Hergenröther Antijanus p. 120.

sacramque Scripturam et acta Synodorum.[1]) Post haec praeliminaria convenerunt dein de formula, uti nunc habetur. Satisfecerunt Latini Graecis, quatenus allegarunt canones et synodos, omiseruntque *dicta Sanctorum* quae ab Imperatore sensu quodam vago et inepto sumebantur. Tamen ita decretum confectum est, ut canones et synodi tantum in confirmationem subnecterentur. Ad summum Graeci simul intelligere poterant, in synodis et canonibus etiam indolem jurium primatus et ejus explicationem indicari. Sed restrictio nulla in textu ipso continetur.

Unio Armenorum.

56. Modo de *unione Armenorum* aliarumque Orientis ecclesiarum, quae pariter in Concilio Florentino confecta est, quaedam supersunt dicenda. Cum Graeci Florentia discessuri essent, eo advenerunt legati Armenorum, qui et ipsi unionem cum Ecclesia Romana et rectitudinem orthodoxae doctrinae petebant. *Post aliquot dies,* narrant Acta citata, *venerunt ex Armenia apocrisiarii Patriarchae Armenorum, virtute praestantes viri, quaerentes et ipsi unionem fideique rectitudinem; qui etiam beatissimum Papam venerati, viserunt Imperatorem, consiliumque suum et animum de conficienda cum Ecclesia unione exposuerunt, petentes, ut ferret auxilium et prudentia sua juvaret. Imperator autem respondit, multum sibi placere eorum studium et gratum fore, si accesserint ad orthodoxam fidem et Ecclesiam catholicam, et precari Deum pro eorum unione. . . . His dictis, recesserunt Armeni, nos vero Florentia exeuntes Venetias petivimus, et inde rursus domum rediimus.*[2])

Armeni saeculo XII abjectis erroribus Monophysitarum, communionem cum Sede Apostolica coluerunt et supremam Romani Pontificis auctoritatem agnoverunt; in aliquot tamen doctrinae ac disciplinae articulis ab Ecclesia Romana dissentiebant. Joannes XXII ejusque successor Benedictus XII, missis litteris ac legationibus ad illorum regem ac Catholicon seu Patriarcham, ad doctrinam et disciplinam catholicam eos reducere conati sunt. Eugenius IV vero

[1]) V. Labbe XIII. 506.
[2]) Labbe XIII. 527.

rursum Armenos ad perficiendam unionem cum Ecclesia catholica provocavit. Quapropter Patriarcha eorum legatos misit, qui a. 1439 ad Concilium Florentinum venerunt, et necessaria potestate instructi, Patriarchae et Armenorum nomine unionem cum Ecclesia postulabant, quemadmodum illa olim existebat inter s. Silvestrum Papam et s. Gregorium Illuminatorem. Itaque illorum intellectis erroribus circa fidei puritatem, per multos dies eorum sententias discuti et per viros sacrae doctrinae peritissimos confutari, aperirique veras et catholicas jussit Pontifex: inde publica sessione celebrata X kal. Decembris, quod ab eis profitendum esset, praescripsit.[1])

57. Traditi sunt Armenis articuli aliquot, qui magis visi sunt necessarii ad eorum instructionem. Primo videlicet Symbolum Constantinopolitanum cum additione vocis *Filioque;* deinde definitio Concilii Chalcedonensis de duabus naturis in una Christi persona; tertio definitio Concilii VI de duabus in Christo voluntatibus et operationibus; quarto doctrina de septem Sacramentis et de iis quae eorumdem materiam ac formam respiciebant, ut bene administrarentur; quinto Symbolum quod dicitur s. Athanasii; sexto decretum unionis cum Graecis; septimo certi dies celebrandorum festorum designati sunt. Ex quibus omnibus compositum est celebre Decretum Unionis pro Armenis, quod incipit *Exultate Deo*, et datum ac promulgatum fuit in praefata solemni sessione die 22° Novembris a. 1439.[2]) Decretum unionis.

58. Hoc decreto Armenis dato abusus est Janus (p. 65), ut ex eo impugnaret Romani Pontificis infallibilitatem. Contendit videlicet, plura in hoc de fide decreto contineri erronea, praesertim quoad Sacramentorum materiam et formam, uti ab Eugenio IV indicantur. Sic e. g. eam confirmationis formam indicat, quae in Ecclesia orientali nunquam adhibita, in Ecclesia occidentali nonnisi post saeculum decimum in usu fuit. Ac pro sacramento Ordinis statuit: *Sextum est Sacramentum Ordinis,*

[1]) Ex Patricii Comp. sess XXXVII, ap. Labbe XIII. 1197.
[2]) V. Labbe XIII. 529.

cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem. Jam vero si verum est, porrectionem illam instrumentorum esse Sacramenti Ordinis materiam, inde sequitur, nullibi esse sacerdotes valide ordinatos. Nam Ecclesia occidentalis per mille annos hanc materiam non adhibuit, Ecclesia orientalis nunquam hunc Ordinationis modum suscepit. — Respondemus, si haec contra infallibilitatem Pontificum praejudicium crearent, profecto jam ex multis saeculis id theologi animadvertissent; caeterum arduum non est difficultatem diluere et calumnias rejicere.

Explicatur. 59. Itaque Decretum pro Armenis ex pluribus compositum est documentis, inter quae aliqua sunt fidei definitiones, uti Symbolum, Definitio Chalcedonensis, Decretum Unionis Graecorum. Totum Decretum vero indolem habet Instructionis practicae pro faciliori doctrina, nec omnia quae dicuntur ad fidem pertinent, ejusdemque sunt tenoris, quod vel patet ex verbis in fine illius documenti positis: *Armenorum oratores nomine suo et sui Patriarchae et omnium Armenorum hoc saluberrimum synodale Decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, praeceptis et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quidquid tenet et docet sancta Sedes Apostolica et Romana Ecclesia cum omni devotione acceptant, suscipiunt et amplectuntur.* Confirmationis forma latina tantum narrando indicatur, haud vero edicitur, aliam esse non posse. Imo alia verba etiam admitti jam indicatum erat, ubi forma baptismi tradebatur. Et quum Latini ex Graecis quaesivissent, cur apud ipsos presbyteri confirmationem conferrent, quum id ad episcopum spectaret, de forma apud ipsos adhibita Latini nullam difficultatem moverunt. Unde facile vides, nullam definitionem fidei dari, dum in illo Decreto forma confirmationis indicatur. — Dum vero porrectio vasorum sacrorum indicatur ut materia Ordinis, nullo modo his excluditur manuum impositio, materia essentialis, quae apud Armenos uti apud Latinos jam erat in usu et continebatur in *Pontificali Romano*,

quod pro ritu ordinationum in ipso Decreto commendatur. Eugenius IV de porrectione vasorum loquitur, quia desiderabat, ut obtineretur etiam quoad hanc materiam integrantem et accessoriam conformitas cum Ecclesia Romana, utque Armeni hunc ritum susciperent. Profecto Eugenius omnesque Latini Armenorum episcopos et presbyteros habebant ut valide ordinatos, quamvis porrectio vasorum locum non habuisset; vel ex hoc uno evidens est, Pontificem non intendisse definitionem fidei constituere, quum materiam Ordinis praefato modo indicat.[1])

60. *Unio Jacobitarum seu Coptorum* pariter ab Eugenio IV in Concilio Florentino effecta est. — Advenerunt videlicet a. 1440 Florentiam legati Joannis Patriarchae Jacobitarum in Aegypto. Is ab Eugenio ad Concilium invitatus, ad illud delegavit Andream abbatem, qui nomine Patriarchae et omnium qui erant in ejus obedientia unionem cum Sede Apostolica et Ecclesia Romana postularet. In litterarum quas misit inscriptione jam primatum Romanae Sedis omnino agnoscit, adeoque dixeris, separationem nequaquam completam fuisse. Sic enim scribit: *Joannes humilis servus servorum Christi, minister Sedis sancti Marci, magnae scilicet Alexandriae et totius Aegypti, Libyae, Aethiopiae, Pentapoleos occidentalis, Africae, totiusque praedicationis Apostoli Marci, humilis dico in suis peccatis, petita prius venia et absolutione ab ipso Domino, usque ad terrae pavimentum coram te, justissime et sanctissime Pater, inclino, perfectio sacerdotii, pastor optime, honestatis ac sanctitatis princeps, piissime ductor eorum, qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui studio ac sanctitate caeteris viam salutis ostendis, domine Eugeni papa magnae urbis Romae, omnium ecclesiarum christianarum apostolice pastor, principum Christi sedium unice, venerande patrum ac sacerdotum princeps et medice languentium animarum.*[2]) Illae litterae die 31° Augusti per Andream legatum exhibitae fuerunt Eugenio Papae, coram Cardinalibus et doctoribus sacrum Concilium

Unio Coptorum.

[1]) Cfr. Hergenröther, Antijanus p. 59.
[2]) V. Labbe XIII. 1201.

repraesentantibus. — Aethiopes quoque seu Abyssini eodem tempore unionem cum Ecclesia Romana restaurarunt. Colligitur autem ex documentis, tum Constantinum regem Abyssinorum, tum Aethiopes qui Hierosolymis degebant quorumque praepositus erat Nicodemus abbas, legatos hac de re ad Eugenium misisse. Illi Abyssini pariter errore Monophysitismi infecti erant; caeterum maximam reverentiam in Sedem Apostolicam profitentur. Eugenius viros aliquot peritos elegit, qui cum legatis illis conferrent de iis articulis, in quibus cum Ecclesia Romana non conveniebant. Deinde Decretum pro instructione atque unione Jacobitarum seu Aethiopum dedit, quod sacro approbante Concilio die 4° Februarii a. 1441 in publica sessione promulgatum est. Incipit autem *Cantate Domino*, et continet confessionem fidei catholicae, canonem librorum V. et N. Testamenti, acceptionem Conciliorum quae a Romana Ecclesia ut oecumenica habentur haeresumque damnationem. Simul ei addita sunt Decreta unionis Graecorum et Armenorum.[1] Quae omnia Andreas legatus Joannis Patriarchae, et legati Constantini regis Abyssinorum ac Nicodemi abbatis suo suorumque nomine solemniter acceptaverunt.

Synodus Romam translata.

61. Altero anno 1442 Eugenius Concilium transtulit Romam, ut in centro orbis christiani efficacius Basileensium conatibus audacibus posset resistere, melius pacem ditionis ecclesiasticae atque Italiae procuraret, et majori cum commoditate etiam *aliarum Orientis ecclesiarum unionem* efficeret. Romam advenit Abdala archiepiscopus Edessenus, qui ab Ignatio Patriarcha Syrorum in Mesopotamia Romam legatus, suo et Patriarchae totiusque nationis nomine a Pontifice humillime et devotissime petiit regulam fidei, quam Romana profitetur Ecclesia. Eugenius e Cardinalibus et praelatis Concilii deputavit qui cum Syriis conferrent, hique repererunt, eos non recte sentire de processione Spiritus sancti, ac de duabus naturis, voluntatibus et operationibus in Christo Domino. Quapropter pro ipsis

[1]) Labbe XIII. 1204.

in sessione die 3° Septembris a. 1444 habita, publicata est fidei Formula *Multa et admirabilia*, quae doctrinam orthodoxam de istis capitibus continebat; addita fuerunt tria Unionis decreta jam confecta.[1]) — Chaldaei quoque et Maronitae Romam legatos suos miserunt, ut unionem perficerent. Venerunt videlicet Timotheus archiepiscopus Tarsensis Chaldaeorum in insula Cypro, et Isaac nuntius Eliae episcopi Maronitarum in eadem insula. Maronitae illi Monothelitarum, Chaldaei vero Nestorianismi errores sectabantur. Legati autem eorum suo suorumque nomine errores abjurarunt, et doctrinam catholicam juxta aptam formulam professi sunt in solemni sessione habita die 7° Augusti a. 1446, uti habetur in bulla *Benedictus sit Deus* in ea sessione edita.[2])

62. Post unionem variarum illarum nationum, Concilium Florentinum a. 1445 Romae conclusum est. — Opportunum videtur hic animadvertere, in illo generali populorum orientalium ad Sedem Apostolicam concursu, et in unione illorum cum Ecclesia Romana, apparuisse, quam sapienter Christus Dominus Ecclesiae suae prospiciat. Divinus enim Ecclesiae auctor, praevidens bellum acerrimum, quod saeculo ab illa aetate proximo Lutherus, Calvinus aliique novatores Ecclesiae ejusque doctrinae essent illaturi, rem ita disposuit, ut circa medium saeculum decimumquintum in praeclara totius Ecclesiae concordia, in magna antistitum latinorum ac graecorum frequentia, communi ecclesiarum Orientis et Occidentis suffragio et plausu Romani Pontificis primatus, atque eo ipso totius Ecclesiae ut societatis visibilis ordinata et firma constitutio definita fuerit, simulque aliae doctrinae capita a novatoribus brevi post impugnata, uti vis sacrificii Missae et existentia purgatorii.

Finis Concilii.

63. Consentiunt Catholici, Synodum Florentinam oecumenicum fuisse Concilium, saltem usque ad discessum Graecorum. Id quidem tempore Concilii Tridentini Orator

---

[1]) V. Labbe XIII. 1222.
[2]) V. Labbe XIII. 1225.

Gallorum Ferrierus[1]) et Cardinalis Guisius in epistola ad suum secretarium scripta,[2]) ac dein plures Gallicani negarunt. Natalis Alexander, qui merito oecumenicitatem hujus Synodi tuetur, propterea fatetur eam a Gallicanis negatam fuisse, quod suum systema cum definitionibus Florentinis conciliari non posse viderent. Sed quum Petrus de Marca viam ostendisset, scrupulus ille Gallicanorum cessavit, et ex tempore Ludovici XIV usque ad dies nostros jam omnes Gallicani oecumenicum fuisse Concilium Florentinum convenerunt. Recentiores vero antagonistae, qui praerogativas s. Sedis impugnarunt, iterum effutierunt, Concilium Florentinum oecumenicum non fuisse. — Profecto adfuerunt omnes conditiones, quae ad oecumenicitatem Concilii requiruntur, convocatio et praesidentia Pontificis, praesentia episcoporum Occidentis et Orientis, et confirmatio per Pontificem. Quodsi ex Gallia non adfuerunt episcopi, sed tantum oratores ducis Burgundiae, ex Germania vero pauci praelati, ita ut maxima pars essent episcopi Itali, id ex temporum difficultatibus provenit, et ejusmodi defectus *materialis* repraesentationis Ecclesiae per episcopos omnium regionum, frequenter quoad Concilia oecumenica per summi Pontificis praesentiam, approbationem et confirmationem suppletur.

An Concil. oecumenicum.

64. Quaestio autem agitata est inter auctores catholicos, utrum sessiones, quas post discessum Graecorum Eugenius primum Florentiae ac dein Romae continuavit, dici possint sessiones Concilii oecumenici, et consequenter si Decreta pro unione Armenorum et aliarum nationum Orientis, recensenda sint inter decreta condita in Concilio oecumenico, an vero Eugenio IV tantum attribuenda. (Hinc tamen auctoritati decretorum praejudicium non crearetur). — E theologis Sirmondus, L' Herminier, Habert, Vitasse, ex historicis Natalis Alexander, dicunt, Concilium, quod Eugenius IV Florentiae habuit, post Graecorum discessum non fuisse nec esse oecumenicum, adeoque idem

[1]) Raynald. a. 1563. n. 4.

[2]) Pallavicini, Hist. Conc. Trid. L. XIX. c. 16. n. 9.

esse quidem nomine, sed non auctoritate cum Concilio anteriori. Merito tamen haec opinio a plerisque rejicitur, et Concilium usque ad conclusionem, quae Romae facta est, ut oecumenicum habetur. Rationes praecipuae quibus haec sententia fulcitur, sunt istae: 1° Eugenius Papa post Graecorum discessum cum maxima et nobilissima Concilii parte sessiones publicas celebrare perrexit, Concilium continuavit et a. 1445 Romae absolvit. Graeci tantum partem Concilii constituebant; post confectam unionem pacifice discesserunt, et prius quam Florentiam relinquerent in conficiendam unionem cum Armenis consenserunt. 2° In Concilii actis decreta pro Armenis, pro Aethiopibus aliisque leguntur tradita „sacro approbante Concilio Florentino", et „data in publica sessione synodali." 3° In Actis Concilii Tridentini, quae asservantur Romae in arce s. Angeli, refertur, quod die 26° Februarii a. 1547, quum episcopus Leodiensis in congregatione generali difficultatem movisset de bulla unionis Jacobitarum, Florentiae in publica sessione data die 4° Februarii a. 1441, quasi ea non pertineret ad Concilium Florentinum, quod terminatum fuisset a. 1439, Cardinalis a Monte, Concilii Tridentini praeses, dixerit, *hallucinari eos, qui putant finem Concilii Florentini fuisse unionem Graecorum, quum longe post, post tres scilicet fere annos perduraverit, usque videlicet ad annum Domini 1442, quo VI Kal. Maji celebrata sessione Romam translatum est; patere id ex diversis Constitutionibus medio illo tempore editis, quae in Actis Concilii habentur, et adnotantur in summario Concilii Basileensis, per Augustinum Patricium Canonicum Senensem.*[1] Benedictus XIV autem in Constitutione *Allatae sunt*, data die 26° Julii a. 1755, eadem ratione qua Graecorum, etiam Armenorum et Jacobitarum unionem adscribit Concilio Florentino: *In Concilio Florentino,* inquit, *sub Eugenio IV, ad quod Joannes Palaeologus et Joseph patriarcha Constantinopolis cum caeteris orientalibus episcopis convenerat, unio statuta fuit; eodem in Concilio Armenorum et Jacobitarum ecclesiae ad obedientiam*

Oecumenicum usque ad finem.

[1]) Palma, Dissert. de Conc. Flor.

Sedis Apostolicae redierunt. Profecto ab Eugenii IV intentione dependebat, ut Concilium qua oecumenicum tum Florentiae tum Romae continuaretur. Hanc vero fuisse intentionem ejus satis ex documentis colligitur; ac defectus in *materiali* repraesentatione Ecclesiae propter absentiam Graecorum, (videntur tamen adfuisse Bessarion et Isidorus Russiae episcopus), auctoritate pontificia suppleri poterat.

De B. Ludovico Arelatensi.

65. Concludamus hanc dissertationem aliquot observationibus, quae spectant cultum postea exhibitum Ludovico Cardinali Arelatensi, qui conciliabulo Basileensi et Lausannensi usque ad dissolutionem ejus praefuit. De Potter, virulentus ille catholicismi adversarius, ut conviciis suis laceret et irrideat s. Sedem, animadvertit, Cardinalem Arelatensem, nullo unquam exhibito resipiscentiae signo, ac nulla prodita significatione doloris ob schismatica sua facinora, in permagna sanctitatis fama mortuum esse, multa ad ejus sepulchrum patrata esse miracula, et Clementem VII, edito Brevi apostolico, honores illi sacros qui Beatis haberi solent decrevisse.[1]) Similia etiam Janus irridens animadvertit.[2]) Haec igitur aliquantisper elucidare opportunum esse videtur.

66. Henricus Spondanus ad a. 1438. n. 11. de Ludovico Alemano Cardinali s. Caeciliae, archiepiscopo Arelatensi, ita habet: „Vir quidem ille Arelatensis legationibus Apostolicis aliisque rebus praeclare gestis insignis, magnaque pietate, doctrina et religione ac vitae integritate conspicuus, sed quem sive simultas aliqua (a pluribus asserta, licet non adeo probata), seu zelus non secundum scientiam et nimia credendi calumniatoribus facilitas, ab Eugenio retraxerat, et in defensione Concilii Basileensis obfirmaverat. Sed schismatis hinc exorti culpam ipsum diluisse intelligi datur ex sancto ejus fine, quippe quem et miraculis ad ejus sepulchrum Arelate fieri solitis, ut Aeneas Sylvius testatur, claruisse constat, et una cum Petro Luxemburgio, quem aeque in schismate sub Clemente dicto

[1]) Histoire philosophique, politique et critique du christianisme T. IV. L. 7. p. 122.

[2]) Janus p. 358.

VII sancte vixisse et obiisse vidimus, postea Clemens vere VII ad annum 1527 ob memoriam egregiarum utriusque virtutum ac piorum operum, necnon miraculorum coruscationem, debito Beatis cultu et veneratione honorari concessit, haud tamen propterea intendens, ut ait, eosdem in catalogo Sanctorum esse relatos, donec servatis debitis solemnitatibus in canonizatione solitis ad illorum canonizationem deventum fuerit."

67. Narrat Pontifex Clemens VII in suo Brevi, Franciscum episcopum Tusculanum Cardinalem Claromontium suum in Gallia legatum a latere, ad se Arelatensium preces retulisse, ut quoniam adeo celebrata erat in iis locis sanctitatis fama, qua Ludovicus Alemanus Cardinalis claruerat, celebria et saepissime ad ejus sepulchrum Arelate patrata erant prodigia, et jamdiu obtinuisset ut ille, (quod idem de Petro Luxemburgo refert), propter virtutes, quibus praestiterat, in Coelitum numero aestimaretur relatus: posset ejusdem corpus ex loco humiliori ad commodiorem et nobiliorem transferri, ejus imagines, prout jamdiu fiebat, apud fideles possent haberi et una cum Petro ipse in Beatis coli. His vero precibus Pontifex annuendum ratus, quod poscebatur concessit, illud tamen aperte declarans, non idcirco inter Sanctos eos posse censeri relatos, sed id reservari ad tempus, quo causa canonizationis peracta et absoluta fuisset.[1]) Si res ergo consideretur ex ratione qua vere gesta est, Clemens VII cultum Ludovico non tunc primum veluti Beato tribuendum decrevit, sed assensus est tantummodo, ut Arelatenses in eodem cultu Cardinali Ludovico exhibendo perseverarent, quem jamdiu ei et Petro Luxemburgensi exhiberi, gravissimis testimoniis et publica celebritate et populi veneratione constabat. Clementis VII Breve.

68. Affirmant quidem Potterus et Janus, Clementem VII Beatorum honores Ludovico decrevisse, licet ille nullam poenitentiae, nullam displicentiae significationem exhibuisset de gestis suis schismaticis. Jam ante eos etiam

[1]) V. Bolland. Acta Sanctorum Septemb. T. V. p. 436 sqq.

Bailletus, Natalis Alexander aliique Gallicani negaverunt poenitentiam Ludovici et contenderunt, in ea eum defunctum fuisse opinione, quam secutus fuerat Concilii Basileensis tempore. Fatetur quidem Alexander, nec justam fuisse depositionem Eugenii IV nec canonicam electionem Felicis V, vel sic tamen affirmat, schismaticos proprie dictos non fuisse Basileenses.[1]) Bona fide eos fuisse censet, et hac aliisque rationibus eos excusat, atque statuit. consultius asseri et verius, Ludovicum Cardinalem Arelatensem gestorum in Synodo Basileensi non poenituisse. quia nihil se egisse poenitendum persuasus erat. — Sed hae Natalis Alexander sententiae certe sibi non constant. Dubium non est, Basileenses fuisse post depositionem Eugenii IV et electionem Felicis V schismaticos. Ut tales ab Eugenio IV in Concilio Ferrariensi (Florentino) damnati fuerunt. Nec universim statui potest, eos in bona fide fuisse.

Ludovici gesta. 69. De Ludovico Arelatensi autem caute et prudenter disceptat Stilting in Commentario praevio ad ejus vitam.[2]) Advertit, specie boni deceptum et zelo nimio abreptum fuisse videri Ludovicum. Ei persuasum fuisse, potestatem Concilii generalis majorem esse potestate summi Pontificis, ac Pontificem debere Concilio parere, non Concilium Pontifici. Quum porro Ludovicus scientia theologica minus imbutus fuisse videatur, quam lectione multorum librorum. ut facile colligi potest ex iis quae variis vicibus disputavit, adeo in sua opinione se obfirmaverat, ut nec rationes contra disputantium satis intelligere potuerit, nec adverterit, coetum illum Basileensium, quando ipse praesidebat. non posse amplius haberi pro Concilio generali. Tantae viro, nimium pro sua opinione fervido, ortae erant tenebrae. — „Vellem sane, ait porro Stiltingus, ut satis probabiliter possim existimare, sine omni culpa in Concilio fuisse b. Ludovicum. Imo et lubens agnosco, videri ex ignorantia processisse omnia illa, quae in Concilio poenitenda commisit. Verum iterum dico, non omni ignorantia

[1]) V. H. E. in saec. XV. Dissert. VIII. Art. 7.
[2]) Cfr. Acta Storum l. c.

excusari, male agentem. Quare malo Deo committere judicium de ignorantia Beati nostri; nec ausim judicare, quousque illa excusare potuerit actiones temerarias et schismaticas. Illud pro certo habeo, illam ignorantiam b. Ludovico profuisse ad veniam a divina misericordia facilius impetrandam. Verum omni judicio carere mihi videtur dictum Alexandri, non poenituisse, quia nihil se egisse poenitendum persuasus erat. Etenim etiamsi perrexisset credere, ut fortasse in actionis fervore crediderat, omnia juste acta esse contra Eugenium, videbat saltem omnia illa in fumos abiisse. Videbat, nihil fere boni in schismate factum. Videbat, innumera mala ex schismate, quod agendo contra Eugenium induxerant, orta esse et damnum animarum non leve. Itaque, nisi cor habuisset saxo durius, non poterat non deplorare tantam animarum jacturam." (L. c.)

70. Ostendit porro Stiltingus, argumentum contrarium, non posse inde desumi, quod Basileenses in documentis reconciliationis cum Ecclesia et electionis Nicolai V errores suos non agnoverint, nec dolorem de iis quae egerant ostenderint. Oeconomia practica videlicet, consentiente Nicolao V, res istae dispositae fuerunt. Credibile quidem est, nonnullos Basileensium, ubi semel errores suos agnoverant, animo satis fuisse generoso ad publicam eorum confessionem faciendam. At cum in multitudine hominum multi semper reperiantur infirmi, cumque in coetu illo aliqui verisimiliter pristinis erroribus inhaererent, alii solum de jure suo dubitarent: sperare non poterat Pontifex, omnes unanimi consensu se subjecturos, si in decretis quibus ad obedientiam accedere debebant errores suos aperte agnoscere debuissent. — Quapropter minus attendendum est ad verba, quam ad subjectionem ipsam et secutam paulo post coetus Lausanensis dissolutionem. Poenitentiam, quam verbis dissimularunt, factis prodiderunt.

Ludovici poenitentia merito supponitur.

71. Quoad Amadeum (Felicem V) advertere juvat, quae scribit auctor coaevus Jannotius Mannetus in Vita Nicolai V. Narrat, id suis virtutibus consecutum Nicolaum ut „schisma jam dudum inveteratum, praedicto

Amadeo illius concilii principe *errata sua recognoscente ac confitente, et poenitente,* et Sanctitati suae ut par erat adhaerente, dissolveret deleretque. Ipsum enim Romanae ac catholicae Ecclesiae, *ubi veteres perfidiae suae errores recognovit,* Cardinalem sponte creaverat: quod solum, unicum, et certum dissolvendi illius concilii remedium conveniensque et idoneum ejusmodi dissolutionis antidotum fore, sua sapientia existimaverat." [1]) Ita etiam Ludovicum Arelatensem praecipuum Amadei sequacem, errata sua agnovisse eorumque ipsum poenituisse, non est cur dubitemus. Sincere certe se Nicolao V subjecit, multosque dicitur pertulisse labores ad schisma penitus exstinguendum. Nec Arelatenses eum in tanta veneratione habuissent, nisi opiniones anteriores abjecisset. Tempore schismatis videlicet Arelatenses adhaeserunt Eugenio IV, et quum Ludovicus tunc ecclesiam suam invisere vellet, pessime receptus est. Sed post reconciliationem cum Nicolao V eum in ecclesia sua magno cum honore fuisse, ingens concursus totius provinciae ad exequias ejus ostendit. In epitaphio vero sepulchri apposite inscriptum fuit: „Devote viam est universae carnis et *catholice* ingressus." Quapropter Arelatenses, qui tempore schismatis aversabantur Ludovicum, quique eum in exequiis miro concursu honorarunt, dum observant *catholice* defunctum esse, sat clare insinuant, defunctum non esse in iis opinionibus, quas tempore shismatis defenderat.

Vita sancta.

72. Post mortem porro mox multis miraculis Ludovicus inclaruit. Dionysius Sanmarthanus T. I Galliae christianae scribit: *Anno MCDLI, XIX Januarii ac sequentibus diebus, inquisitum est in miracula, quae variis in locis patraverat. Hujus autem inquisitionis Acta in archivis ecclesiae cathedralis asservantur.* [2]) Atque Aeneas Sylvius, seu Pius II, in sua *Europa* (c. a. 1458): *In Arelate,* ait, *ad*

---

[1]) V. Muratori Scr. It. T. III. P. II. p. 922

[2]) Gallia christ. T. I. Instrumenta, p. 103. — Forte epocha inquisitionis expressa est modo veteri, quo annus inchoabatur a Paschate, et sic inquisitio facta inde a die 19° Januarii a. 1452.

sepulchrum Ludovici Cardinalis s. Caeciliae, ejus urbis episcopi, quem Basileae in concessu patrum praesidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta est, et invalidorum frequens concursus spe sanitatis factus.[1]) Cultus Ludovici dein invaluit; et ex dictis colligitur, immerito Clementem VII argui, quod cultum permiserit ac Beati titulum Ludovico concesserit.

[1]) De Europa c. XLII.

Dissertatio trigesima sexta.

De statu Ecclesiae ad finem vergente saeculo XV et ineunte saeculo XVI.

Dissertationis indoles.

1. Omnium eventuum qui in Ecclesiae historia ultimis saeculis acciderunt funestissimus fuit defectio illa, qua saeculo decimo sexto haud exigua Christianorum pars in Occidente a vera fide et ab Ecclesia catholica defecit. Haec defectio aliorum quidem perversitate, aliorum seductione consummata est; sed quemadmodnm in vita singulorum graviores lapsus praeparari solent diuturno saepe tempore, ita etiam in societate magna christiana paulatim plura evenerunt, quibus talis defectionis crimen veluti praeparatum fuit. Illud autem munus nostrum manifeste requirit, ut dum perlustramus historiam temporum, quae apostasiam hanc praecesserunt, rerumque statum exponimus, ad ea sedulo attendamus, quae in praefatum eventum aliquem influxum exercuere. Sed inde ab initio praeoccupare convenit erroneum quemdam rerum conceptum. Ne de Protestantium loquamur errore, qui praetendunt, talem fuisse Ecclesiae corruptionem, ut legitima et justa fuerit separatio, quam sub ementita reformationis appellatione designant: praepostera quaedam opinio etiam apud Catholicos interdum invenitur. Autumant videlicet aliqui. tali perversione talibusque abusibus Ecclesiam revera

foedatam fuisse, ut propterea multi, quamvis ausu temerario et lugendo errore, eam reliquerint, ac si illi qui ab Ecclesia defecerunt sanctiores quaesivissent mores atque doctrinas. At falsa sunt ista. Illi enim maxime ab Ecclesia defecerunt, quos corruptionis virus jam infecerat, quique superbia inflati jam opinionibus falsis adhaerebant, liberiores mores quaerebant, auctoritatisque jugum exosum habebant. Alios dein ipsi perverterunt et incautas multitudines dolo ac vi seduxerunt, atque hac ratione secessio facta est. Dissertationis indoles.

2. Ecclesia igitur catholica illo quoque tempore, quod praecedebat pseudoreformationem Protestantium, missioni suae nullatenus defuit, multiplicique virtutum, sanctitatis, et doctrinae ornatu fulgebat ac florebat; varia tamen aderant in christiana societate elementa, e quibus morbidus multorum status proveniebat et dispositio quaedam ad defectionem, quae dein subsecuta est. Ut claritati enarrationis quantum fieri potest provideamus, rerumque ecclesiasticarum illius temporis descriptionem aptius componamus, agemus primum *de Romanis Pontificibus* illius aetatis, dein *de Concilio Lateranensi V*, postremo vero *de causis quibusdam quae in subsequentem defectionem influxum exercuerunt.* — Fontes et auctores opportunius visum est citare ad singula hujus Dissertationis capita, quum de permultis personis et gestis in eadem agatur.

I.

De Romanis Pontificis.

3. Nicolaus V (1447—1455). — Vid. Janotti Manetti, *Vita Nicolai V* ap. Muratori Scr. It. T. III. P. II. p. 905 sqq. — Aeneae Sylvii *Opp. de Europa c. 58.* — Balan, *Storia d'Italia T. V. L. XXXVI.* — L. Pastor, *Gesch. d. Päpste seit dem Ausgange des Mittelalters; T. I. L. III.* Freiburg 1886.

Post mortem Eugenii IV, die 6° Martii a. 1447 unanimi suffragio in Pontificem electus fuit Nicolaus V.

Hic propter vitae integritatem, eximiam prudentiam qua Ecclesiam gubernavit, et protectionem virorum doctorum, magnam sibi meruit apud coaetaneos et posteros laudem. Aeneas Sylvius ita de ipso scribit: *Nicolaus V, natione Tuscus ex oppido Sarzana,*[1] *patre medico, theologica doctrina illustris et omni ferme scientiarum genere insignis, post Eugenium in Petri cathedram suffectus est, qui paucis* (tribus) *ante mensibus Cardinalatum quum apud Germanos legationem obisset, nec diu prius episcopatum Bononiensem acceperat.* — Legationes plures ad Germanos praecipue simul cum ipso Aenea Sylvio Thomas pro Eugenio susceperat, et ad pacem cum Germanis restituendam multum adlaboraverat. Unde convenit hic primum commemorare Concordatum, quod a Nicolao V mox a. 1448 cum principibus Germaniae et Imperatore conclusum est, quodque generatim Concordatum Schafnaburgense dicitur [2])

Concordat. Schafnaburgense.

4. Quum videlicet Eugenius IV, uti vidimus, concessisset, ut decreta Basileensia, sicut ea cum certis restrictionibus a Germanis fuerant acceptata, servari possent, donec de iis rebus Concordatum factum esset inter Pontificem et nationem Germanicam, Nicolaus V ad res illas, quae ad beneficiorum reservationes, annatas, taxasque spectabant, componendas, legavit Cardinalem Joannem de Carvajal ad diaetam seu comitia Schafnaburgi congregata, ubi inter legatum Apostolicum et Imperii principes de his convenit: 1° Ut Sedi Apostolicae reservata esset collatio seu provisio omnium beneficiorum, quorum possessores morerentur in Romana Curia et in itineris duorum dierum circuitu; item eorum omnium quae per depositionem, translationem, abdicationem, electionis aut postulationis rescissionem a Pontifice factam vacaverint. 2° Ut extra hos casus episcopi et abbates eligerentur a capitulis, Pontifex vero electiones, modo canonice factae fuerint, confirmaret, qui etiam e rationabili et evidenti causa electo

[1]) Nomen ejus erat revera Thomas Parentucelli et Pisae natus est, sed nominabatur Thomas de Sarzana, unde mater ejus originem trahebat.

[2]) Viennae in Austria tamen perfectum est; praeliminaria Schafnaburgi constituta erant.

digniorem et utiliorem substituere posset. 3° Ut circa majores dignitates post episcopales in ecclesiis cathedralibus et collegiatis servaretur modus antea usu adhibitus, et reliqua beneficia inferiora conferrentur alternis mensibus a Romano Pontifice et collatore ordinario. 4° Ut annatarum loco de episcopatibus et abbatiis vacantibus e fructibus primi anni solverentur pecuniarum summae taxatae in libris Camerae Apostolicae, quae *servitia communia* appellantur, et de aliis beneficiis solveretur dimidium annatarum seu fructuum primi anni. — Atque isto Concordato dein res ecclesiasticae in Germania usque ad tempora recentiora disposita fuerunt.

5. Nicolaus V, scribit porro Aeneas Sylvius, „urbem Romanam multis et maximis aedificiis mirum in modum exornavit, cujus opera si compleri potuissent, nulli veterum Imperatorum magnificentiae cessura videbantur. . . . . Schisma, quod apud Sabaudienses adhuc in Ecclesia vigebat, explosit. Amadeum papatui renuntiantem in gratiam recepit, Cardinalatus honorem et in paterno dominio legationem reliquit. Cardinalibus aliquot ab eo creatis dignitatem dimisit. Romanos longa pace ditavit. — Jubilaeum feliciter gessit.“ — Cardinales creavit, „inter quos et germanum suum Philippum s. Susannae Cardinalem assumpsit placidis moribus et incorruptae fidei. Jurium libros ex tota Graecia perquisitos ad se jussit afferri et in latinam converti linguam curavit, magna praemia translatoribus praebens. Acceptissimi ei fuerunt in transferendis operibus Georgius Trapezuntius, Laurentius Valla, Petrus Candidusdecember, et Georgius Castellanus, item Demetrius Graecus. Qui soluta oratione utentes, cum Pontificis aures mirifice oblectarent, nihil ex eo quod peterent non abstulerunt. — Nicolaus quoque Perotus, Polybio e Graecis commode ad nos traducto; Joannes Tortellius Aretinus, libro de orthographia apertissime conscripto; Albertus Florentinus, conditis de architectura egregiis voluminibus, aliique paene innumerabiles nova cudentes opera ejus Pontificis gratiam meruere. Adeo enim ingenia excitavit fovitque Nicolaus, ut vix aevum inveniri possit, quo magis

Gesta Nicolai V.

humanitatis et eloquentiae, caeterarumque bonarum artium studia, quam suo tempore floruerint." — Floruerunt igitur isto tempore jam maxime studia humaniora; Nicolaus vero insigni modo ea protexit atque ita eadem dirigere studuit, ut non degenerarent, sed pietas eis juncta esset morumque temperantia. Pericula enim erant non exigua, ne humanistae antiquiorum opinionibus et venustate operum illorum abrepti, opiniones foverent et mores a pietate valde alienos. Id postea revera evenit.

Porcarii conjuratio.

5. Nicolaum V, quem pietate insignem fuisse coaevi omnes referunt, Potterus[1]) et Sismondi[2]) lacessunt, quod severitate inhumana animadverterit in Stephanum Porcarium nobilem quemdam Romanum et socios ejus nova molientes, quodque sine praevia inquisitione morte affecti fuerint. Sed non fundatam ac plane malevolam esse hanc accusationem, liquet, si quae de ista re auctores coaevi graves scripserunt, considerantur. Nobis sufficiat ea referre quae habet Aeneas Sylvius, paucis rem enarrans: „Hujus tamen tam admirabilis, tam expendendae Pontificis vitae non defuerunt insidiatores. Stephanus enim Romanus e familia Porcaria, tenui censu eques, res novas saepe in urbe molitus ac propterea Bononiae relegatus, clam inde recedens magnis itineribus Romam rediit, convocatisque mox amicis, mentem suam exposuit, turpe esse dictitans, eam urbem quae totum sibi subjecerit orbem, nunc sacerdotum imperio subjacere, quos rectius feminas quam viros quisque appellaverit. Venisse se paratum patriae jugum excutere, rem factu facilem, si viri fuerint. Nicolaum Pontificem celebri Epiphaniarum die in aede B. Pauli sacra facturum, haud magno negotio comprehendi posse, populum libertatis amore quam proclamari audierit, mox opem audentibus daturum. Ad colligandum autem Praesulem catenam auream secum attulit, a se jam pridem paratam, quam congregatis ostendit. Neque enim mox

---

[1]) Tom. IV. p. I. p. 158.

[2]) Histor. Ital. Rerum publicarum medii aevi, t. X. c. 75.

occidendum Praesulem ex usu esse dicebat, sed observandum, donec arcem s. Angeli per eum recuperarent; atque ut erat homo facundus facile in suam sententiam congregatos traxit, atque eo facilius, quod inopes, aere alieno gravatos et ob patrata scelera judicia formidantes ad se convocaverat, quibus nihil erat in pace sperandum. Sed praesensit insidias Nicolaus, missisque militibus hominem comprehendi jussit. Illi eum jam animo fractum apud sororem in arca latentem invenerunt. Complices ejus in domo qua convenerant expugnati captique sunt. Ex quibus unus Baptista Sciarra manu promptus et animo intrepido per medias Pontificis cohortes gladio sibi viam aperiens effugit. Stephanus in arce s. Angeli, alii in Capitolio suspensi vitam finiere, atque ita Pontifex Max. ingenti periculo liberatus Romanae Sedis dignitatem imperiumque servavit." Rem eadem ratione narrant Platina in Vita Nicolai V et Infessura ad a. 1453[1]) aliique scriptores.

Poena justa.

7. Immerito autem conqueruntur Potterus et Sismondi, inquisitionem juridicam factam non esse. Etenim imprimis omnes illi in flagranti conjurationis delicto comprehensi sunt; Stephanum *seriem conjurationis fassum*, ait Platina, *suspensum fuisse;* ac Infessura refert, reliquis *lectam fuisse sententiam seu rationem, cur suspenderentur*, nec ipse veritatem conjurationis negat, quamvis Porcarii consilia sibi

---

[1]) Stephani Infessurae Senatus Populique Romani scribae Diarium Urbis Romae ap. Eccard. t. II. p. 1863 sqq — Quum istud Infessurae quod inscribitur Diarium rerum Romanarum fons sit ex quo multi hauriunt, pauca de eo notare juvabit. In illo Diario res gestae narrantur ab anno 1294 usque ad a. 1304, pauca de Pontificibus Avenionensibus, ac dein varia quae acciderunt a reditu Rom. Pontificum usque ad a. 1494. Infessura tantum a 1484 Scriba factus esse videtur, et certe non ea scripsit quae multum aetatem suam praecedunt. A variis igitur Diarium illud confectum est, inter quos ex Codicibus aliquot recensentur Laelius Petronius et Paulus de Magistris Infessurae antecessores. Res externae non secundum historicam veritatem, sed ex rumoribus et narrationibus popularibus potius narrantur, imo etiam in iis quae Romae acciderunt referendis plena fides narratoribus haberi non potest. Auctores enim Columnensibus, Sedi Romanae saepe adversantibus favebant, auctoritatique Pontificum ac temporali eorum gubernio se infensos ostendunt.

comprobari satis prodat. Plane falsum porro est quod Potterus et Sismondi effutiunt, captos statim, eodem die poena mulctatos fuisse; etenim juxta auctores citatos capti sunt conjurati die quinta Januarii, Epiphaniae pervigiliae nocte; supplicio vero affecti die 9° Januarii, ita ut tempus instructionis faciendae in re aperta sufficiens fuerit. Nemo autem nimiae severitatis propter supplicium conjuratis inflictum Nicolaum accusabit, qui perpenderit, maxima pericula Pontificibus ex viris ejusmodi seditiosis et turbulentis illa aetate imminuisse. Eugenius IV nonnisi fuga arrepta sibi providere potuit, ac dein nonnisi magnis adhibitis conatibus et expensis pro expeditione armata auctoritas pontificia restituta est. Erat igitur plane necessarium, ut nova temerariorum conamina cum severitate Nicolaus reprimeret.

Refellitur calumnia.

8. Sismondi loquens de Porcarii conjuratione, affirmat, condemnatis poenitentiae et eucharistiae sacramenta fuisse denegata, quamvis ea vehementer postulassent, in qua re, subdit, licet etiam fortasse Pontifex putavisset, nihil mali se conjuratis irrogare, erat tamen id miseris magno dolori, quod Pontifici ad pleniorem ultionem capiendam satis erat. — Non minus iniqua profecto quam insana est illa insinuatio, qua Nicolai fidem catholicam auctor impie in dubium revocat, nec in ea refellenda immoramur, quum Pontificem pium ac virtutibus insignem fuisse omnes scriptores aequi conveniant. Quod vero ad denegationem illam sacramentorum attinet, ea plane aliena erat a moribus Ecclesiae Romanae, atque auctores qui de conjuratione Porcarii scripserunt, certe rem tam insolitam notassent et fusius retulissent. Tantum auctor Diarii apud Infessuram dicit: *Die illa* (9. Jan.) *laqueo suspensi sunt in capitolio sine confessione et communione infrascripti.* Jussu Pontificis sacramenta denegata esse non dicit, nec advertit ipsos sacramenta petiisse. Sed merito hoc adjunctum reputandum est falsum, et ab auctore Diarii, homine qui seditiosis favebat et in Pontifices facile calumnias conjicit, acerbo animo adjectum, quin rei veritatem inquisierit. Potuit fieri, ut illi conjurati non illo ritu ad sacramenta

admitterentur et ad mortem ducerentur, uti Romae in usu erat, sed non servatis solitis caeremoniis supplicio afficerentur, ne nova orirentur pericula; indeque potuit malevolus rumor oriri, nec sacramentis ante mortem eos munitos esse. Ex malevolis enim rumoribus multitudinis, vel adversariorum Pontificum auctores Diarii venenato stylo multa scripsisse, jam viri graves conveniunt, ac facile id videbit qui libellum istum aliquanto perlustraverit.

9. Quum in reliquis felix et pacatus esset Nicolai V pontificatus, illam vidit maximam calamitatem ut Imperium Graecum a Turcis, expugnata Constantinopoli, funditus everteretur. Pontifex tamen statim sollicitus fuit, ut christianos principes et populos contra Turcas evocaret, sed fervor fidei in multis languerat. Qua de re Trithemius: „Anno 1454 Nicolaus Papa V misit praedicatores et nuntios in omnes christiani orbis nationes, qui cruciatum et passagium praedicarent in Turcas. Venerunt missi quilibet in regionem sibi a Pont. Max. delegatam, praedicaverunt crucem, sed paucis, ut contra infideles pugnarent aut pecunias contribuerent, persuaserunt. Omnes enim quae sua erant nimis avide quaerentes, communia neglexerunt. Eodem anno mense Octobri venit ad Herbipolim, civitatem Francorum orientalium, Fr. Joannes de Capistrano, Italus, Ordinis Minorum de Observantia, Doctor s. theologiae, generalis Inquisitor haereticae pravitatis et Apostolicae Sedis Nuntius, vir doctus et sanctae conversationis, qui multis diebus in eadem civitate per interpretem praedicavit. Ab Herbipoli descendit in Frankfurt, inde ad alias civitates et oppida regni, et ubique summa cum diligentia et fervore crucem praedicavit.“[1]) — Nicolaus porro, cum doloribus arthriticis per omnem ferme pontificatum suum vehementer laborans, in dies magis ac magis opprimeretur, nec jam amplius mortalem pollutumque comitatum candidior anima dignaretur, e vita (die 25° Martii a. 1455) decessit.[2])

Constantinopolis capta.

---

[1]) Chron. Hirsaaug. ad a. 1454. [2]) Aeneas Sylvius l. c.

10. *Calixtus III.* (1455—1458). V. Raynald. *Annales a, 1455—1458;* Platina, *Vita Calixti III;* Aeneas Sylvius, *De Europa,* c. 58; Pastor *Gesch. etc. T. I. L. IV.*

Post mortem Nicolai Cardinales Conclave ingressi initio in Bessarionem eligendum visi sunt inclinare, sed dicitur Alanus Cardinalis Avenionensis eos a proposito isto revocasse, eo quod non conveniret, Graecum, qui nuper tantum ad unionem cum Ecclesia Romana accesserat, Pontificem constituere. Electus igitur est Alphonsus Cardinalis ss. Quatuor Coronatorum, natione Hispanus, Valentia nobili loco natus, vir insignis virtutibus multis, scientia juris eminentissimus, et multarum rerum expe-
Calixtus III. rientia praeditus. Nomen sumpsit *Calixti III.* Erat autem aetate valde provectus, videlicet, teste s. Antonino coaevo, octoginta circiter annorum. Sed magno cum fervore gubernium Ecclesiae suscepit, et praecipue animum suum ad delendam Turcarum et legem et gentem convertit. Hoc negotium belli gerendi contra Turcas, qui nominis christiani erant aperti et perniciosissimi hostes, inde ex illo tempore merito omnes Pontifices sollicitos habuit, eorumque adscribendum est continuis conatibus, quod christiana societas non plane ab illis barbaris subjugata sit. Illud tantum dolendum erat, quod principes et populi maxima parte caeca quadam socordia vocem Pontificum surdis reciperent auribus. Exercitus tamen Christianorum, ducibus Hunyade rege Hungarorum et s. Joanne Capistrano, a. 1556 apud Belgradum ingentem de Turcis reportavit victoriam, in cujus memoriam Calixtus III festum celebrari instituit transfigurationis Christi. Quo festo, die 6° Augusti a. 1558, ipse Pontifex, senio et aegritudine quadraginta dierum confectus, obiit, quum secundum s. Antoninum octoginta quatuor esset annorum. Virtutum ejus omnium scriptorum concors est sententia laudis.

11. Plures tamen in Calixto arguunt, ipsum propinquorum augendae amplitudini nimis studuisse, atque una die duos sororum filios sacro Cardinalium collegio aggregasse, nimirum Ludovicum Miram, et Rodericum Lenzuolium, cui, ac Petro illius fratri gentilitia insignia

et Borgiae cognomen tribuit. Tradunt vero, eum contradicente illi aperte et constantissime Dominico Capranica Cardinali Firmano, Petrum Spoleti ducem in Umbria creasse, ac Urbi et copiis pontificiis praefecisse, virum caeteroquin vitiis inquinatum, qui avunculo Pontifice defuncto haud ita multo post exstinctus est. Nec longe dispar moribus Rodericus, qui arcano Dei consilio postea sub nomine Alexandri VI Sedem Apostolicam ascendit. — Haec vero advertere opportunum erat, quia inde ex hoc tempore plures Pontifices propinquos suos honoribus et auctoritate sublimare visi sunt. Sed de isto quem dicunt *nepotismo* inferius agemus uberius, ut injustas simul accusationes rejiciamus, et quae justa animadversione digna videntur notemus.

12. *Pius II* (1458 –1463). Cfr. Aeneae Sylvii *Opera*; Campanus, *Vita Pii II*, ap. Muratori Rer. Ital. script. t. III. P. II. p. 967; Platina, *Vitae Pontificum;* Düx, *Nicolaus von Cusa,* Regensburg 1847; Scharpff, *Der Cardinal und Bischof Nicolaus von Cusa, etc.,* Tübingen 1871; G. Voigt, *Enea Silvio de' Piccolimini als Papst Pius II und sein Zeitalter.* 3 Voll. Berlin 1856 — 1863. (Auctor eruditus sed protestans minus aequus est in Pontificem cujus vitam describit.)

Justis funeribus Calixto III persolutis, octodecim Cardinales, qui tunc in Urbe degebant, Conclave ingressi, XIV Kal. Septembris Aeneam Sylvium Cardinalem Piccolominaeum summum Pontificem renuntiarunt, qui *Pius II* appellatus est. De cujus primordiis pauca haec perstringit s. Antoninus: *Hic natione Senensis, nobili et antiqua familia ortus, studiis ab adolescentia deditus, juris scientia peritus, ac litteris gentilium valde eruditus, eloquentissimus, vir bonus et justus reputatus est, amator pacis et zelator fidei.*[1]) Accuratius autem ipse Aeneas primitias suas graphice descripserat paucis annis antequam Pontifex fieret, in litteris ad Petrum Nepetanum equitem, in quibus inter alia dicit: „Annos sex et viginti natus, quum darem Pius II.

[1]) Hist. P. III. tit. XXII.

Aeneae Sylvii vita.

juri civili operam, exorto bello patriam et studium coactus sum relinquere, accessi tamen grande illud Basileense Concilium, invenique gratiam in oculis patrum. Scriba in Synodo fui et litterarum abbreviator, et unus de duodecim viris, qui magistratus illic quasi censorius videbatur. . . . In deputatione fidei in qua eram inscriptus saepe praesedi; inter collatores quoque beneficiorum bis sum electus; legatus ab ipso Concilio ad complures principes missus. Cum pontificatum Amadeus dux Sabaudiae suscepisset Felix nuncupatus, in secretarium sum ab eo accitus, nec diu post vocatus ad Fridericum Imperatorem protonotarii officium ab eo sum adeptus (sic Germani secretarium appellant). Dum legationes Caesaris obeo, universam ferme Germaniam circuivi. Dissidebant Theutones cum Eugenio Max. Pont.; neque illi neque Felici obedientes neutrales vocabantur. Concordia pluribus conventibus agitata est quibus jubente Caesare semper interfui. Bis cum tractatis pacis ad Eugenium veni; tertio nationis illius Apostolicae Sedi obedientiam attuli. Secretariatus et subdiaconatus honorem ab Eugenio, et mox illo defuncto a Nicolao suscepi, cujus conclavis cum eligeretur cum caeteris principum legatis custodiae praefui. Lapsum est postea breve tempus, in quo me Nicolaus Tergestinae ecclesiae nihil tale merentem praefecit episcopum, quadriennioque abinde decurso Senensis urbis pontificatum ad me detulit.“ Divinam misericordiam et providentiam extollens dein ulterius describit, quomodo prae aliis melioribus bonis et honoribus cumulatus fuerit. A Calixto III eo anno 1456 etiam Cardinalis factus, et dein post biennium ejus electus est successor.

13. Quum Aeneas Sylvius per decennium praecedens summa in Ecclesiam merita sibi collegisset, ejusque opera negotia difficillima ad felicem finem perducta essent, supremo Pontificatus munere dignus habebatur. Iis annis, quibus ut laicus variis muneribus functus erat, liberiorem quidem duxerat vitam, moribusque levioribus illius aetatis indulgens, ab incontinentia haud abstinuerat, uti epistolis variis nimis etiam aperte tradit. Sed quemadmodum a

schismatis sensu sincera conversione vero Pontifici se junxit, eique suam navavit operam, sic etiam post juventutis aberrationes vitam duxit honestam et piam, ita ut tamquam clericus, Episcopus et Cardinalis virtutum laude floreret. Pontifex creatus se totum, confirmata prius Ecclesiae ditione, ad curam reipublicae christianae convertit, bellumque contra Turcas maximo cum fervore excitare studuit. Hinc a. 1459 principum conventum indixit habuitque Mantuae. Multa quidem ibi de expeditione facienda constituta sunt, quae Pontifex in Bulla *Ecclesiam Christi* data die 15° Jan. a. 1459 explicavit: sed principum animis in alia conversis, effectum est nihil.

Appellatio ad Concil. prohibita.

14. In eodem conventu edidit Pius II, comprobantibus patribus praesentibus, celebrem Constitutionem *Execrabilis,* qua prohibuit appellationem a Pontifice ad Concilium generale. *Execrabilis,* inquit, *et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice Jesu Christi Vicario, cui dictum est in persona B. Petri: „Pasce oves meas", et „Quodcumqe ligaveris super terram, erit ligatam et in coelis", nonnulli spiritu rebellionis imbuti non sanioris cupiditate judicii, commissi evasione peccati, ad futurum Concilium provocare praesumant, quod quantum sacris canonibus adversetur, quantumque reipublicae christianae noxium sit, quisquis non ignarus jurium intelligere potest.* Natalis Alexander[1]) et Bossuet[2]) asserunt, a Gallicanis prohibitionem illam tantum intelligi de appellationibus irrationabilibus, vanis, sine motivo factis, non vero de omnibus appellationibus sine exceptione. At quantopere haec sententia a vero aberret, facile patet. Dum enim Pontifex recenset textus illos, quibus B. Petro ejusque successoribus *suprema et plena potestas* in universam Ecclesiam tradita est, ultimam indicat rationem, cur appellatio ad Concilium futurum prohibeatur. Haec vero ratio, omnes ejusmodi appellationes prohiberi, perspicue ostendit. Nec aliter prohibitio effectum habuisset. Nam

---

[1]) Hist. Eccl. in saec. XV et XVI. Diss. IV. art. III.
[2]) Defens. Declar. Cleri Gall. L. X. c. 28.

qui appellabant semper asserebant, se ex gravibus appellare motivis.

15. Scripsit Pius II a. 1461 epistolam prolixam ad Mahumetem II, in qua de veritate religionis christianae erudite disseruit, Christianos benignitati Imperatoris comcommendavit, eumque ad eamdem religionem suscipiendam hortatus est. Verum surdis auribus cecinit; quapropter. novis litteris episcopos, principes et populos ad parandum bellum sacrum hortatus est, seque cum militia christiana die 15° Junii Ancona profecturum esse significavit. Reipsa magnanimus Pontifex Anconam profectus est; in eamdem urbem ingens numerus militum undique convenit: advenit etiam Christophorus Maurus dux Venetorum cum decem triremibus. Verum Pius II, vir jamdudum infirmae valetudinis, morbo quo antea affligebatur ingravescente, ibidem die 14° Augusti a. 1461 piissime diem clausit supremum, annos fere quinquaginta novem natus. Exercitus vero ducum et stipendiorum defectu dissolutus est.

Pii II indoles. 16. Erat certe Aeneas Sylvius inter saeculi decimi quinti homines maximi ingenii vir, eruditione praeditus immensa, in omnibus gentilium litteris versatus, nec rerum theologicarum ignarus. Labore suo et rerum gerendarum peritia pervenit ad multiplicia illa munera honorifica, quibus per vitae suae cursum perfunctus est. Postquam a licentiore vivendi more et a schismate conversus est, egregia fuerunt ejus in Ecclesiam merita, atque ut Pontifex vires suas, jam multis vitae valde agitatae laboribus attritas, pro Ecclesiae bono promovendo plane consumpsit. Supersunt multae ejus epistolae, leviores quaedam, aliae graviores, ac plurima scripta de rebus sui temporis admodum utilia. „Quatuor habuit, ait Platina, ex sorore nepotes: ex his duo minores natu, ejus gratia et auctoritate a rege Hispano equestri ordini sunt additi. Primus, cui Ferdinandus rex filiam in matrimonium locaverat, dux Amalphitanus creatur. Secundus, quem Pius in numerum Cardinalium retulit (quum haberet septemdecim annos), cum virtute et integritate adhuc vivit, ut in eo

nihil sit inquirendum quod ad amplissimum virum pertineat, ingenio, moribus, solertia, religione, modestia, gravitate.“ Quum adeo hic Cardinalis excelleret moribus, coaevos non offendit, quod junior annis Cardinalis creatus est; hic et postea meruit, ut in Pontificem (Pium III) eligeretur. Etiam alia quae Pius II pro amplificanda familia fecit, Ecclesiae utilia simul fuerunt.

Judicia de ipso.

17. Quum Pius II talis esset et tantus Pontifex, discrimen tamen facile animadvertitur inter ipsum et magnos illos Pontifices, qui saeculis XI, XII, XIII varii floruerunt, quique severis inde a juventute imbuti moribus, scientia etiam severa theologica potius floruerunt quam gentili, ac severa quadam dignitate ut Pontifices effulgebant. Caeterum conveniebat Pio II elogium illud quod ei tribuit Barletus in Vita Scanderbegi, ducis Albaniae et Turcarum adversarii invicti: „Magnus profecto et clarus Pontifex; contempsit pecunias, virtutem apprime dilexit, neque secundis rebus intumuit, neque succubuit adversis; neque spes ei gaudium, neque metus tristitiam auxit. Potus cibique parcissimum fuisse tradunt; divina templis officia diurna nocturnaque nusquam neglexisse. Pompas saeculi fugerat, calcaverat avaritiam, libidinem subegerat.“ Quum expeditio contra Turcas irrita facta esset, ex malo exitu etiam consilium Pii damnarunt varii ut temerarium, et calumnias sparserunt, ac si vel ipsum negotii coepti poenituisset, et domum reverti, si superstes esset, jam decrevisset; ac male audisse videtur Pontifex primis annis post mortem. Eo pertinent haec Jacobi Cardinalis Papiensis, qui ejus memoriam defendit: *Exempla ejus exempla virtutum omni tempore erunt, gratiusque versabuntur in ore succedentium nobis quam nostro. Perseverat enim in nobis adhuc vivitque tenor quidam invidiae atque odii has calumnias operans, sed paulatim exstinguitur, paulatim veritas oppressa resurgit; audis quotidie magis ac magis Pium laudari, et apud multos etiam desiderium ejus esse. . . . Secundus annus a morte ejus longe melior primo est factus; celebrior adveniet tertius, quartus illustrior; sic porro quantum ad annos accedet, tantum ad ejus gloriam adjungetur*; *plenus*

religione, plenus veritate et plenus clementia ejus pontificatus fuit.[1])

18. *Paulus II* (1464—1471). Cfr. Raynaldi *Annales a. 1464—1474.* — Platina, *Vitae Romanorum Pontificum.* — Quirini, *Smi Pauli P. M. vindiciae adversus Platinam aliosque obtrectatores.* Romae 1740.

Paulus II R. P.

Post Pii II mortem Cardinales Romam corpus defuncti Pontificis deducentes, obsequiis rite expletis VI Kal. Septembris Conclave ingressi sunt. Variis autem, juramento edito, se constrinxerunt legibus, quas electus Pontifex observaret. Inter quas sufficiat commemorare eas, quod post triennium Concilium convocaturus esset, expeditionem in Turcas quantum posset promoveret, lapsos curialium mores reformaret; quod Cardinales non ante crearet, quam ii qui creati jam habebantur intra viginti quatuor essent reducti, majorem hoc numero non pateretur in Ecclesia esse, neminem quoque assumeret, qui non trigesimum annum excederet, quique non professus esset pontificium jus, vel civile, vel litteras sacras, nec nisi unum eumque hujus generis hominem de cognatione sua eligeret. Et aliae plures erant dispositiones, eligendi Pontificis auctoritatem sane satis incommode restringentes. Electus fuit in Pontificem prima suffragiorum collatione Petrus Barbus Venetus, Cardinalis s. Marci et Eugenii IV ex sorore nepos; *Pauli II* nomen assumpsit. Hic a Quirino Cardinali, qui ejus vitam et mores vindicavit, natura dicitur fuisse blandus, mitis, humanus, amicorum studiosus et eorum praesertim quos in clientelam susceperat.

19. Paulus II decessorum suorum exempla secutus mox a pontificatus sui exordio omnes curas intendit ad christianae religionis defensionem contra Turcas; sed principes Europae conatus ejus parum adjuvarunt. Georgium Bohemiae regem, qui Hussitis addictus erat, Paulus, quum resipiscere nollet, tum Ecclesiae communione, tum regno privatum declaravit a. 1466, atque Matthiam Hungariae regem excitavit, ut Bohemiam occuparet. Pluribus

---

[1]) Ep. 50. ap. Raynald a. 1464. n. 49.

provinciis jam amissis, Georgius cum Pontifice de reconciliatione tractavit, sed rebus nondum compositis tum ipse tum Pontifex obierunt. Idem Pontifex Jubilaei gratiam ad quemque annum vigesimum quintum extendit, bona ecclesiastica alienari aut ultra triennium locari prohibuit; cavit etiam, ne legati Apostolici aut provinciarum ditionis pontificiae rectores munera acciperent. Electum Antiochenum Maroniticae nationis Patriarcham confirmavit, ac petenti misit expositionem fidei catholicae de Smae Trinitatis et Incarnationis mysterio. Officium Abbreviatorum, quo nomine designabantur qui brevia pontificia componebant, abrogavit, volens, ut Apostolicae Sedis gratiae gratis concederentur. Mortuus est Pontifex apoplexia die 26° Julii 1471.

Accusationes in Paulum II.

20. Quamvis Paulus II Ecclesiam dignissime videatur gubernasse, et ejus utilitati ac bono sollicite providisse, severos nihilominus habuit censores. Etsi autem nulla accusatio gravior subsistere videatur, tamen pluribus haud gratus fuisse videtur Paulus; qua de re jam pauca subjicimus. Jacobus Cardinalis Papiensis, qui iis temporibus vivebat et virtutis laude florebat,[1]) maxime in Paulo II reprehendit, quod leges in Conclavi statutas abrogaverit, et subdit, eum Cardinales, ut subscriberent placitis etiam non cognitis, partim induxisse blanditiis, partim terrore compulisse, ratum, pontificalem auctoritatem nullis legibus ab electoribus in angustum esse contrahendam. In quo tantam vim a Paulo adhibitam ait, ut Cardinalem Bessarionem refugientem in cubiculum manu retraxerit, et anathema illi, ni chirographum scripto non perlecto adderet, intentarit. Ipse Cardinalis Papiensis initio quidem restitit, sed demum a Paulo se passus est vinci, unusque Cardinali Carvajal, Hispanus, homo grandaevus, semper subscribere renuit. „Subscripsimus omnes, scribit Cardinalis Papiensis, partim cupiditate assequendorum quae volumus, partim

---

[1]) Jacobus Ammanati, natus a. 1422, episcopus Papiensis a. 1460, dein a. 1461 Cardinalis creatus est, Romaeque obiit die 10° Septembris a. 1479.

metu, ne quotidiana indignationis suae sustineamus flagella. Fateor, molles fuimus, delicati ac nostrimet nimium cupidi: respeximus non quae Dei, sed quae carnis et saeculi sunt; nemo tamen probavit; solus Joannes Carvajal, genere Hispanus, aetate grandaevus, meritis magnus, constantiae laudem invenit."[1]) Ea de re igitur probabiliter plures minus Paulo favebant, atque in modo agendi forte Pontifex durior fuit. Quod vero ad abrogationem in se spectat, poterant Pontifici esse graves rationes, ut nimium revera auctoritatem talibus dispositionibus constringi existimaret; nec deerat exemplum Innocentii VI. qui etiam conventionem in Conclavi factam postea ut illegalem et nocuam merito rejecerat. Suasores Paulo fuisse perhibentur a Jacobo Papiensi „Stephanus Ecclesiae Mediolanensis Antistes et Theodorus Tarvisinae Episcopus, qui videntes desideria sua his legibus impediri, quod numerus Cardinalium justo major, nonnisi longa exspectatione rediturus ad legitimum videretur, simulato in Pontificem affectu, agere cum eo de iis abrogandis coeperunt." Caeterum tamen Cardinalis Papiensis illos viros ut pios et de Ecclesia optime meritos commendat, ita ut potius dicendum videatur, in negotio isto, prout in humanis rebus accidere solet, rationes in utramque partem a diversis afferri potuisse. — Creavit autem Paulus tres ex nepotibus suis Cardinales, idque vel ipse Papiensis serio probasse ex epistolis suis agnoscitur. Neque Paulus abrogatis illis dispositionibus ea omisit facere, quae statuta in ipsis Ecclesiae gubernio vere utilia videbantur. Sic, quod conventione illa continebatur, consilium Cardinalium generatim sollicite adhibuit, Ecclesiae patrimonium bene tuitus est, bellum contra Turcas promovit.

Expenduntur.

21. Platina acri stylo hujus Pontificis vitam scripsit eumque inter alia accusat, quod viros litteratos (qualis erat Platina) male habuerit, fastus amans plurimum fuerit,

[1]) Papiens. ep. 182. V. Raynald. a. 1464, n. 61 sqq.

Platinae convicia.

magnanimitate destitutus et avarus.[1]) Sed Platinae accusationes nullius ponderis esse habendas, intelliget quisque, si attenderit, unde factum sit, ut in Paulum infensum ille gereret animum. Erat videlicet ipse ex Abbreviatoribus illis, quos Paulus abrogavit; quumque ira incensus minaces etiam litteras Pontifici mitteret, in custodiam injectus est, atque aliquot annis post in ipsum etiam inquisitum, eo quod fundata adesset suspicio de conjuratione in Paulum facta. „Mortuo Pio, scribit ipse Platina, in ejus locum Paulus suffectus statim ubi magistratum iniit, sive quod ita pollicitus erat, sive quod Pii decreta et acta oderat, Abbreviatores omnes quos in ordinem redegerat, tanquam inutiles et indoctos (ut ipse dicebat) exauctoravit. Eos enim bonis et dignitate in dicta causa spoliavit: quos etiam propter eruditionem et doctrinam ex toto orbe terrarum conquisitos magnis pollicitationibus et praemiis ad se vocare debuerat. Erat quidem illud collegium refertum bonis et doctis viris. Inerant divini et humani juris peritissimi. Inerant poëtae et oratores plerique, qui certe non minus ornamenti ipsi curiae afferebant, quam ab eadem acciperent; quos omnes Paulus tanquam inquilinos et advenas possessione pepulit. . . . Atque ego certe, qui horum de numero eram (tentavi) rogando etiam, ut causa ipsa judicibus publicis, quos Rotae auditores vocant, committeretur. Tum ille torvis me oculis aspiciens: Ita nos, inquit, ad judices revocas, ac si nescires, omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse. Sic stat sententia, inquit, loco cedant omnes, eant quo volunt, nihil eos moror; Pontifex sum, mihique licet pro arbitrio animi aliorum acta rescindere et approbare. . . . Ego vero tanta ignominia excitus, quod mihi ac sociis meis coram non licebat, id agere per litteras institui. Scripsi igitur epistolam his fere verbis: Si tibi licuit in dicta causa spoliare nos emptione nostra justa ac legitima, debet et nobis licere

[1]) Platinae accusationes repetierunt recentiores historici varii, uti Sismondi, Hallam, Roscue, Martin. Cf H. de l'Epinois, Paul II et Pomponius Laetus; Revue des Questions historiques 1866. I. 278.

conqueri illatam injuriam injustamque ignominiam. Rejecti a te ac tam insigni contumelia affecti, dilabemur passim ad reges ac principes eosque adhortabimur, ut tibi Concilium indicant, in quo potissimum rationem reddere cogaris, cur nos legitima possessione spoliaveris. Lectis litteris Platinam reum majestatis accersit, in carcerem trahit, compedibus revincit, mittit Theodorum Tarvisinum episcopum qui quaestionem habeat."

Expenduntur.

22. Post quatuor menses tamen dimissus fuit Platina, sed inde ab aliquot annis jure gravissima suspicio orta est de conjuratione in Paulum II facta a Callimacho academico, et ob indicia quaedam etiam Platina cum pluribus aliis eruditis viris in arcem s. Angeli inclusus, et causa contra eos acta est. Qua in re secundum morem illius temporis etiam quaestio (tortura) adhibita fuit. Quae tamen de toto illo negotio et de tormentis narrat Platina ad rhetorum artem exaggerata sunt. Liquet vero non ex odio in viros litteratos et doctos, sed propter vehementem conspirationis suspicionem Pontificem in hos viros durius egisse. Non mirum tamen est, simul Paulum II, uti Platina narrat, de vehementi et fere inepta antiquitatis paganae praedilectione, qua christianam religionem paene despicere videbantur, illos homines increpasse. Videbimus enim, *humanistas* multos ea aetate revera tum moribus tum opinionibus gentiles potius quam Christianos fuisse secutos. Caeterum vero viros litteratos a Paulo bene habitos et beneficiis cumulatos fuisse, facta et scripta coaevorum testantur. Sic Philelphus, Georgius Trapezuntinus, Flavius Blondus, Theodorus Gaza, Joannes Antonius Campanus ejus benevolum animum experti sunt.

23. Platinae accusationes alias nullius momenti esse, ex dictis conjicies: in malam partem videlicet Pontificis mores et actus interpretatur. Sic Paulus II satis sollicitus erat de externa quadam majestate et dignitate Pontificis et Cardinalium; inde Platinae accusatio, eum fuisse sumptuosum. „Etenim fuit in homine, scribit Platina, quantum ad corpus pertinet, majestas Pontifice digna. Erat

enim magni et vasti corporis, adeo ut dum ad rem divinam proficisceretur solus emineret. Circa cultum corporis etsi morosus non erat, nequaquam tamen negligens habebatur. Fuere etiam qui dicerent, eumdem, cum in publicum prodiret, faciem sibi fucis concinnare (ineptum sane mendacium). De apparatu pontificio non est, cur ambigas, majores ab hoc uno superatos, regno praesertim, sive mitram velis appellare, in quam multas opes contulit, coëmptis undique et magnis pretiis adamantibus, saphiris, smaragdis, chrysolitis, jaspidibus, unionibus, et quidquid gemmarum in pretio est, quibus ornatus tanquam alter Aaron in publicum forma humana angustiore prodibat."[1]) Inepte pariter avaritiae eum idem auctor accusat; largum enim potius dixeris Paulum II fuisse, quam pecuniarum tenacem. Sed singulas illas querelas minutim discurrere non vacat. Dixeris vel ipsum Platinam sensisse, se injuste Pontificem vituperare, conviciis enim mox laudes intermiscere solet. — Si vero quaeritur, unde factum sit, ut Paulus II generatim non permagnam benevolentiam coaevorum sibi conciliasse visus sit, quamvis quaerelae eorum parum inveniantur fundatae, forte inde ortum est, quod rigidiori minusque grato agendi modo interdum uteretur, auctoritatemque suam minus caute ostenderet et vindicaret.

24. Sixtus IV (1471—1484). Cfr. Rainaldi *Annales a. 1471—1484*; E. Frantz, *Sixtus IV und die Republik Florenz,* Regensburg 1880; Civiltà cattolica a. 1868 v. I. II. III. *(Pontificato di Sisto quarto.)* — Post mortem Pauli II in ejus locum suffectus est Franciscus Card. Roboreus, qui nomen assumpsit *Sixtus IV.* Hic natus a. 1414 inde a pueris e matris voto habitum gessit Fratrum minorum, et novennis huic Ordini est addictus. Multum profecit in philosophicis et theologicis disciplinis, ita ut inter celebriores illius aetatis theologos haberetur; sed et munus praedicationis in plurimis Italiae magnis civitatibus cum laude exercuit. Factus dein sui Ordinis Minister generalis Sixtus IV R. P.

[1]) Platina, Vita Pauli II.

a. 1464 creatus est Cardinalis, et a. 1471 in summum Pontificem electus. Bellum Christianorum contra Turcas etiam hic Pontifex acriter promovit et rebus ecclesiasticis sedulo providere studuit; per Bullam *Mare magnum* Religiosorum firmavit privilegia, et cultum B. M. V., praecipue Immaculatae Conceptionis, impense fovit. — Multum quoque Sixtus IV et qui eum secuti sunt Pontifices rebus politicis Italiae se implicare debuere. Principes videlicet Italiae quibuscumque mediis eo tempore potentiam suam amplificare et dilatare studebant, adeo ut RR. Pontifices adigerentur, ut de juribus suis ac de ditione ecclesiastica defendendis valde solliciti essent, viresque suas ad id impenderent. Sunt qui inde a Sixto IV usque ad Paulum III *Pontifices politicos* numerant, eo quod rebus politicis componendis prae aliis ipsi studuerint. Quodsi ejusmodi rebus revera multum vacare visi sunt, temporum adjuncta id omnino requirebant. Ab uno alterove tamen excessum esse factum, vel inde aliquid curae rebus spiritualibus promovendis esse subtractum, non est cur inficiemur: neque semper felices in consiliis suis et conatibus fuerunt Pontifices.

Conjuratio Pazziorum.

25. Nonnulli scriptores, ut vel ipse Onuphrius Panvinus, qui post Platinam inde a Sixto IV usque ad Pium V *Vitas Pontificum* scripsit, arguunt Sixtum IV, quod odium inter Florentinas Mediceorum et Pazziorum familias foverit, ac famosae horum in illos conjurationis particeps fuerit. Imo conjurationem in aedibus Vaticanis dispositam fuisse asserit Villari;[1]) ac Gregorovius contendit, Pontificem fuisse conjuratinis illius caput politicum.[2]) At solidae rationes non adsunt, cur acres illae accusationes in Sixtum IV ferantur. Quod ut pateat eventuum seriem paucis enarrabimus. — In republica Florentina Mediceorum familia supremum regimen inde ab initio hujus saeculi sibi vindicaverat, atque hoc tempore Laurentius et Julianus

---

[1]) Machiavelli e i suoi tempi, I. 48; Firenze 1877.

[2]) Storia di Roma, VII. 285. V. Balan Storia d'Italia L. XXXVI. n. XLIII.

fratres primas partes tenebant. Isti vero, ac maxime quidem Laurentius, inique potestate sua abutebantur, et contra se praesertim excitarunt nobilissimam Pazziorum familiam, quod dominandi cupidine moti muneribus publicis Pazzios excludebant suisque juribus privabant. Hostilem porro se jam identidem ostenderat Laurentius summo Pontifici, et inique Sedis Apostolicae et Ecclesiae laeserat jura, ita ut Sixtus IV plane perspiceret, a viro isto superbo et vafro pericula non exigua sacrae Sedi et Italiae imminere. — Eo tempore igitur Pazziorum contra Mediceos facta est conjuratio, cui etiam Hieronymus Riarius comes, Imolae dominus, Sixti Pontificis nepos, et Franciscus Salviatus archiepiscopus Pisanus adhaeserunt. Laurentius Mediceus enim in Riarium se ostenderat hostilem, ita ut hic metueret, ne Imolam cujus possessioni ille inhiabat, sibi eriperet; Salviatum vero impediverat Laurentius, quominus episcopatu Pisano potiretur. Consilia concepta conjurati exequi nisi sunt die 26° Aprilis, quum Laurentius et Julianus Medicei, una cum Raphaële Riario, Pontificis nepote octodecim annorum recenter ad dignitatem Cardinalis elevato, in ecclesia B. Mariae Virginis interessent missae solemni. Caesus est a conjuratis Julianus Mediceus, minor natu; Laurentius vero, natu major, leviter in jugulo vulneratus fugit in sacrarium, ac mox a sequacibus suis auxilio venientibus salvus deductus est in palatium suum. Quum porro multitudo non se jungeret conjuratis, facili negotio hi repressi sunt.

26. Medicei vero Pazziis praevalentes terribilem vindictam sumpserunt. Riarius, Cardinalis legatus ac Sixti nepos, ob suspicionem injustam vix necem effugit, et e templo in custodiam ductus est; Salviatus archiepiscopus Pisanus, cum omnibus suis, sontibus et insontibus, aliique viri nobiles ad curiae fenestras extemplo laqueo suspensi sunt. Multi etiam sacerdotes et ecclesiastici viri gladiis, fustibus, laqueo interfecti fuerunt. Sixtus IV autem, quum tantam injuriam ordini ecclesiastico ipsique Sedi Apostolicae in Legato suo sine ulla judicii forma illatam audivisset, in Mediceos et Florentinos eorum complices anathema, inter- Mediceorum vindicta.

dictum, aliasque poenas pronuntiavit. Illi vero ad Concilium generale provocantes Pontificis censuras spreverunt. Brevi post grave bellum inter utramque partem exarsit, in quo Veneti, Mediolanenses et principes Mantuae atque Ferrariae se conjunxerunt cum Florentinis; Senenses vero et Ferdinandus rex Neapolis partes Pontificis defenderunt. Ludovicus XI rex Galliae, in Florentinorum partes vocatus, missis Romam legatis Pontifici mala minitatus est, nisi censuras in Florentinos latas revocaret; sed Pontifex regis legatis graviter respondit, justasque suae in Florentinos severitatis causas esse demonstravit. Anno autem 1480, quum magna ex Turcis viderentur imminere pericula, Pontificem inter et Florentinos pax restituta est.

Quaenam Sixti IV partes.

27. Qui porro Sixtum IV hac in causa accusant, unum tantummodo afferre valent documentum, ex quo Pontificem argui posse contenderint, confessionem scilicet Joannis Baptistae Montisecii unius ex conjuratis, coram judicibus ante ipsius supplicium factam. Is videlicet inter alia fassus est, se Jacobum Pazzium renitentem, ut conjurationi se jungeret movisse, relato colloquio quod ipse, Franciscus Pazzius, ac Hieronymus Riarius, cum Pontifice habuerint. Observandum vero est imprimis, Montisecium non asseruisse coram judicibus diserte, a Pontifice revera illa quae Jacobo Pazzio exposuerat dicta fuisse; sed asseruit, se Jacobo ut eum alliceret ista retulisse uti a Pontifice dicta. Unde non plane certum est, iisdem verbis illud colloquium cum Sixto IV habitum esse. Caeterum vero ex ipso colloquio, uti a Montesecio relatum fuit, colligitur quidem, consensisse Pontificem, ut Florentiae provocaretur et obtineretur gubernii mutatio ac Medicei principatum suum in rempublicam perderent; sed eum noluisse omnino, ut sanguis illorum effunderetur. Identidem enim in relato illo colloquio protestatur, se nullatenus assentiri alicujus neci, sed penitus obsistere. Nullo autem jure supponeretur, haec non serio sed ficte a Pontifice dicta fuisse. Sed sincerum fuisse revera ejus animum, ex charactere ac tota vita ipsius confirmatur. Unde certum est, Sixtum nullatenus conscium ac participem fuisse facinoris, quo feroci aggres-

sione in ecclesia facta Julianus trucidatus ac Laurentius vulneratus fuit. Quodsi vero consensit in conamen, quo modo non cruento gubernium Florentiae mutaretur, et libertas reipublicae restitueretur repressa dominatione Mediceorum, potuit Pontifex censere, id licitum esse et expedire, quum Medicei arbitraria et tyrannica ratione dominarentur, alios opprimerent, in sacram Sedem hostiles se ostendissent et jura Ecclesiae praefracte violassent.[1])

28. Sixtus IV dein non parum reprehenditur, quod in nepotibus suis nimium ostenderit favorem ac dignitatibus et honoribus eos cumulaverit. Quae hac in re in Sixtum prolata fuerunt ex parte quidem sunt exaggerata et falsa, ex parte tamen vera et non omnino probanda. Ut justum ferre possimus in hac quaestione judicium, imprimis facta quae hunc Pontificem spectant referemus; dein quum occasio haec opportune se praebeat, generatim de *nepotismo* aliquanto accuratius agemus. Verum videlicet est, aliquot Pontifices, ac speciatim Sixtum IV nepotismo nimium addictos fuisse, plura tamen quae de malis illius nepotismi proferuntur, exaggerata invenientur. — Ut de modo, quo Sixtus erga propinquos suos egit, aequum feratur judicium, animi ejus indoles consideranda est; etenim tum in bene factis, tum in iis quae minus laudanda sunt, insita naturae indole homines facile ducuntur et abripiuntur. *Nemo*, ait Panvinius, *ad eam diem Pontificum nec animo ad munificentiam liberalitatemque propensior, nec in dando hilarior, nec in promerendis hominibus promptior fuisse commemoratur. Quum admodum liberalis esset, nec ulli prorsus negare quicquam sciret, plurimis easdem gratias importune rogantibus saepe concessit.* Cum hac igitur innata ad liberalitatem propensione, et animi in alios bene affecti inclinatione, cohaeret etiam nimius ille propinquorum amor et profusa benignitas. *Sixtus enim suorum amantissimus et indulgentissimus omnium judicio est existimatus* (Panvini).

Sixti IV nepotismus.

---

[1]) Fusius haec evolvuntur ap. E. Frantz l. c. C. III. Cfr. Balan Storia d'Italia L. XXXVI. n. XLIII sqq.

Sixti IV nepotismus.

29. Quum Sixto fratres essent ac sorores, qui honestis ex matrimoniis numerosam prolem procreaverant, quando ad pontificatum pervenit ipsi permagna aderat turba nepotum et pronepotum. Quindecim saltem facili negotio enumerari possunt, qui juventute et robore florentes, omnes a sene Pontifice multa et magna beneficia exspectabant atque petebant. Nec frustrati sunt desiderio suo.

Primi qui experti sunt Pontificis beneficentiam fuerunt Petrus Riarius, Sixti ex Blanca sorore nepos, et Julianus della Rovere, Raphaëlis fratris filius, qui postea fuit Julius II Pontifex. Hos mense Decembri a. 1471 creavit Cardinales; praeterea eos commendis episcopatuum ac beneficiorum pinguium locupletavit, et eorum imprimis opera in rebus publicis administrandis usus est. — Leonardus della Rovere, alius Pontificis nepos, a. 1472 mense Martio praefectus Romae creatus est, isque uxorem duxit Joannam, filiam notham Ferdinandi regis Neapolis. Joannae in dotem concessit Ferdinandus ducatum Soranum et quaedam castella, de quibus gravissima lis fuerat inter s. Sedem et regem. Haec igitur unio proficua videbatur Ecclesiae. Sed, rege petente, Sixtus IV Ferdinando non tantum remisit debita quae contraxerat in s. Sedem, quum ex pluribus annis censum feudalem 8000 unciarum auri non solvisset, sed etiam censum hunc ipsum sustulit, modo singulis annis equum album feudi nomine offerret, oram maritimam duobus triremibus semper paratis contra praedones tueretur, et Pontificem, si opus foret, milite juvaret. *Hoc qui improbarent fuere multi, sat esse dicentes, si diminueretur, non omnino tolleretur tributum, sive quod nunquam solverat ei condonaretur.*[1]) Sed inter alios Cardinalis Papiensis, vir severus, hanc rei dispositionem ut prudentem et utilem laudavit et commendavit. — Leonardo post biennium jam morienti, substituit Sixtus IV ut Romae praefectum alium nepotem Joannem della Rovere, Juliani Cardinalis fratrem, qui vix tria lustra excesserat, eique in

---

[1]) Vita Sixti IV ap. Muratori Ror. Ital. Script. T. III. P II. p. 1059.

matrimonium collocavit Joannam Urbinatium ducis filiam. — Hieronymum etiam Riarium, Petri Cardinalis fratrem, multis honoribus Sixtus locupletavit; uxorem hic duxit Catharinam Galeatii ducis Mediolanensis ex concubina filiam; Galeatius ei in dotem dedit ducatum Imolae. Sic etiam iste ducatus ut feudum in potestatem venit Pontificis. Adjunxit autem Sixtus dominio Imolae etiam dominium Forilivii (Forli) et Forlimpopoli, et in his a. 1480 Hieronymum constituit vicarium suum. Restituit quoque eo tempore Ludovicus XI, monente s. Francisco a Paula, Romanae Ecclesiae Diensem et Valentinensem comitatus, atque in Hieronymum Comitem Riarium nepotem Pontificium transfundendos decrevit, qua de re actae illi a Sixto gratiae.

Sixti IV nepotismus.

30. Hieronymum Bassum ex sorore Lucina nepotem Sixtus IV a. 1472 episcopum Albengae, et a. 1477 Cardinalem creavit, egregiae virtutis virum; ejus autem fratri Antonio Basso Pontifex a. 1479 nobilissimas nuptias procuravit Catharinae Marzana, quae erat neptis Ferdinandi regis. Sed Antonius jam a. 1480 mortuus est. — Alios vero nepotes et pronepotes minoribus dignitatibus, sive ecclesiasticis sive civilibus, Pontifex auxit. Ascanium quoque filium ducis Galeatii Mediolanensis creavit Cardinalem, eaque dignitate pariter insignivit Raphaëlem Sansonium, qui Riarii nomen tulit, annorum septemdecim; et Johannem Jacobum Sclafonatum Mediolanensem, Parmae episcopum, quem servitio solo sibi acceptum et gratum ex humili loco in altum evexit. Adhuc recensentur Christophorus et Dominicus della Rovere, fratres Tarvinenses, quos creavit Cardinales; sed videntur tantum nomen commune cum familia Pontificis habuisse, non vero, nisi forte remotissima aliqua parentela, ei cognati fuisse. Unde fortasse ex suo merito potius illam dignitatem adepti sunt. — In elevatione igitur familiae suae Sixtum IV *modos excessisse,* non est cur negemus. Sed jam universim de nepotismo quaedam animadvertamus.

31. Nepotismus nostra aetate et jam ex duobus fere saeculis per Constitutiones ipsorum Romanorum Pontificum

Nepotismus expenditur.

abolitus est, idque fecerunt propter *abusus*, qui irrepserant et, quum suprema dignitate s. Sedes toto fulgeat in orbe terrarum, atroces invectivas et accusationes haereticorum, et reprehensiones etiam Catholicorum excitarant. Sed moderato, quamvis speciali favore, Pontifices prosequi propinquos, per se honestum est ac nullo modo illicitum: atque etiam sancti Pontifices talem favorem in suos propinquos ostenderunt. Quos Pontifices si quis inde carpere vellet, temerarium sycophantem talem merito dixeris. Sic Pius V Pontifex, qui severiora principia maxime sequebatur, nepotem suum Michaëlem Bonellum O. P. quum haberet annos viginti quinque Cardinalem creavit et in summis negotiis egregii hujus viri opera usus est; et ante eum etiam B. Gregorius X simili favore moderato prosecutus est familiam suam. Eadem ratione egerunt Innocentius IV, Gregorius IX, Innocentius III, B. Urbanus V, aliique. Multi dein fuerunt inter Cardinales nepotes viri plane eximii, qui de Ecclesia praeclarissime meruerunt. Tales fuerunt s. Carolus Borromaeus, quem Pius IV, quum esset viginti quatuor annorum, purpura decoravit; Franciscus Piccolominius, nepos Pii II, qui postea fuit Pius III, aetate tamen junior (XVII a.) erat, quum Cardinalis crearetur; Robertus de Nobilibus, quem etiam in aetate nimis tenera (XIV a.) Julius III Cardinalem creavit; Alexander Farnesius, nepos Pauli III; Philippus Buoncompagni, Gregorii XIII nepos; Cardinalis de Montalto, pronepos Sixti V; Paulus Sfondrati nepos Gregorii XIV; Petrus et Cincius Aldobrandini nepotes Clementis VIII, Pontificis sane piissimi, et multi alii Cardinales nepotes.

32. Catholici scriptores, qui saeculo decimo septimo abolitionem nepotismi Pontificum promoverunt, moderatum tamen favorem licite propinquis ostendi posse, omnino professi sunt, uti Cardinalis Sfondratus in suo libro *Nepotismus theologice expensus.*[1]) Universim hac in re admittenda sunt principia, quae a s. Thoma his verbis exponuntur: *Circa consanguineos praelati distinguendum est:*

[1]) Cfr. Civiltà catt. 1868. v. 2. p. 654.

quia quandoque sunt minus digni simpliciter et per respectum ad bonum commune; et sic si dignioribus praeferuntur, est peccatum acceptionis personarum in dispensatione spiritualium, quorum praelatus non est dominus, ut ea dare possit pro lubitu. Quandoque vero consanguinei sunt aeque digni ut alii, et sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos praeferre, quia saltem magis in hoc praeeminent, quia de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia spiritualia pertractent; esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam praeter dignitatem bona Ecclesiae consanguineis dandi.[1]) — *Ita*, ait Sfondratus, *s. Doctor; ex quo colligis, duas ab ipso conditiones requiri, ut praeferre consanguineos liceat. Prima, ut consanguinei aeque sint digni ac alii, hoc est in administrandis Ecclesiae negotiis aeque periti, aeque versati, aeque seduli, aeque virtutibus christianis et politicis imbuti. Secunda, ut periculum scandali malique exemplum absit.*[2])

31. Erant porro saeculis XV et XVI plures rationes, ex quibus explicatur, quomodo majori quadam amplitudine nepotum favor ea aetate invaluerit; et quamvis excessus non sit laudandus, res ipsa tamen ostenditur pro eo tempore non nocua sed potius proficua fuisse. Certe jam per se supponendum videtur, graves adfuisse causas, cur etiam Pontifices omnino digni nepotes aliosve propinquos ad munera summi momenti, Ministri principis, praefecti urbis Romae, gubernatorum provinciarum promoverint; id explicari nequit unice vulgari illa ratione, quod familiam elevare et amplificare voluerint. Et revera praeter illud generale motivum, quod in propinquis fideles prae caeteris ministros quaerebant in gubernio suo, specialis fuit etiam ratio ex difficili temporum conditione repetenda. Per commorationem a Pontificibus Avenione factam et per lugendum Occidentis schisma evenerat, ut Nepotismi rationes.

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 3 ad 1.
[2]) Op. cit. §. VI. n. 3 ad 2.

Nepotismi rationes.

potestas temporalis Pontificum in Italia vehementer imminuta esset, et ordo rerum valde turbatus, ita ut inde ab a. 1420, quando Martinus V Romam reversus est, omnes vires intendere deberent Pontifices, ut auctoritatem suam collapsam restituerent, luctamque non facilem hac in re habuerunt. Dominabantur Romae factiones familiarum nobilium, quales erant e. g. Colonna, Ursini, Sabelli, Sancta Crux, Comites d' Anguillara, Della Valle, Margani, Del Bufalo. Istae familiae violentis discordiis saepe in Urbe inter se dimicabant, spreta Pontificis auctoritate, necnon in ipsum Pontificem interdum insurgebant. Eugenius IV, Nicolaus V, Calixtus III, Paulus II, Sixtus IV, Innocentius VIII maximas ex parte illorum nobilium difficultates habuerunt; et tantum sub Julio II, celebri *Pace* inter barones Romanos constituta, pericula illa imminuta sunt. Haud mirum igitur est, Pontifices illos quum jure diffiderent istis nobilibus, praehabuisse nepotes suos fideles, ut ipsis pro securitate sua munera maximi momenti, ut praefecturas exercitus, urbis Romae, castelli s. Angeli et similia munera conferrent. Ipsa prudentia id suadebat, quum nepotes illi nulli factioni addicti, sed Pontifici dediti essent. Hinc Calixtus III et Pius II eo modo egerunt, ut nepotes praefectos et belli duces constituerent, eosque Sixtus IV imitatus est. Post Sixtum multi Pontifices ea officia, ex quibus securitas personae ipsorum et gubernii pendebat, pariter contulerunt propinquis, ita ut consuetudo quaedam hac in re oriretur.

34. Similis ratio favoris nepotibus praestiti invenitur ex graviorum auctorum sententia in conditione reliquae ditionis ecclesiasticae saeculo XV. Eversa libertate communali quae medio aevo vigebat, in multis civitatibus singuli nobiles dominium sibi vindicaverant. Sic tempore Sixti IV dominabantur Ferrariae nobiles Estenses, Arimini familia Malatesta, Pesari Sforza, Forolivii nobiles Ordelaffi, Faventiae et Imolae Manfredi, Bononiae familia Bentivoglio, Urbini Montefeltro, Foligni Trinci, Perusiae Fortebraccio, et alii alibi summum gubernium arripuerant.

Domini isti quidem supremam Pontificis auctoritatem nominetenus agnoscebant, suum territorium feudum s. Sedis esse profitebantur, homagia reddebant, *vicariosque Papae in temporalibus* se appellabant. Sed dependentia illa saepe illusoria erat, auctoritatem Pontificis contemnebant frequenter illi dynastae, vasallorum obligationes non observabant, ad arbitrium populos subditos vexabant, adversariis etiam adhaerebant s. Sedis. Molestissima erat haec rerum conditio Pontificibus, et quum ex ipsa feudorum et vicariorum temporalium institutione incommoda illa scaturirent, inde a saeculo XV studuerunt Pontifices paulatim haec abolere, et immediate sibi territoria subjicere. Alexander VI, Julius II et subsequentes Pontifices sedulo ut eo perveniretur adlaborarunt; lege statuta Pius V decrevit ut feuda nulla amplius constituerentur, ac tandem a. 1631 ultimum magnorum feudorum, ducatus Urbinatensis, ad s. Sedem devolutum est. Sed nonnisi per varios gradus ad abolitionem feudorum perveniri poterat; atque ejusmodi gradus quidam erat collatio feudorum facta consanguineis Pontificum. Vacante videlicet feudo sive per domini mortem sive per delicta ejus, substituti sunt nepotes aliivi propinqui Pontificum. Isti, utpote homines novi qui Pontifici exaltationem suam debebant, ex indole rei magis addicti et devoti erant Sedi Apostolicae, quod factis etiam et experientia comprobatum fuit. Via porro hac ratione complanata est, ut paulatim feuda omnino aboleri possent.

Nepotismi rationes.

35. Nepotismus igitur, uti ex dictis patet, minus ex imprudenti quodam sanguinis affectu quam ex gravibus rationibus ortum habuit et incrementum, quamvis varii dein in ipso excessus et abusus fuerint. Interventio illa nepotum Pontificum suam habuit utilitatem; quando vero saeculo XVII jam illa utilitas publica magna ex parte cessaverat, Deo disponente ipsi Pontifices mox eo adducti sunt, ut nepotismum penitus abolerent propter abusus et damnorum pericula. — Illo tempore etiam matrimonia, quibus nepotes Pontificum affinitatem cum familiis regum

ac principum praesertim in Italia contrahebant, rebus publicis stabiliendis et confirmandis utilia erant. Contribuit enim cognatio ista cum familiis nobilissimis non modicum, ut Pontifices potestatem suam temporalem recuperare, ac ea stabilire possent firmitate, qua per plura saecula splendor et vis quaedam externa Sedi Apostolicae, in difficillimis circumstantiis maxime necessaria, addita est. Facilius quoque contra hostes Pontifices se defendere poterant, dum varios principes vinculis cognationis sibi amicos habebant. Ex factis ea quae diximus perspicue comprobantur.

Sixti IV nepotes.

36. Quod igitur in nepotismo reprehensione dignum invenitur, est excessus, quatenus vel nimia amplitudine vel indignis favores concedebantur. Atque propter haec pericula, in ista re ob vincula sanguinis valde obvia, variosque abusus, merito paulatim nepotismus Romae penitus exstinctus fuit. Excessisse Sixtum IV in propinquorum favore jam diximus. Erant tamen fere omnes, quos honoribus et muneribus auxit, viri digni. Maxime Sixtus vituperia multorum incurrit propter exaltationem fratrum Riariorum Petri atque Hieronymi. Non defuerunt videlicet qui turpes quasdam calumnias in Pontificem sparserunt, vel quod ipsius filii hi essent, quos ante Pontificatum genuisset, vel quod amore impudico eos prosecutus esset. Sed putidae istae sunt calumniae, quum de vita honesta Sixti tum ante pontificatum tum tempore pontificatus omnes auctores graves conveniant. Praedilectionis quam in Riarios ostendit ratio obvia est. Erant illi nepotes ejus ex Blanca Pontificis sorore et Riario patre geniti; pater autem in eorum infantia mortuus est.[1]) Hinc Sixtus de eorum educatione valde sollicitus fuerat, ac Petrus exemplum avunculi secutus, adolescens Ordinem s. Francisci ingressus, ipsi avunculo quum ad dignitates perveniret, comes fuit individuus et valde utilis. Nam etiam in electione Pontificis plurium Cardinalium vota in

---

[1]) Argumentis solidis id demonstratur Civiltà cattol. l. c. III. p. 415 sqq.

Sixtum fertur inclinasse. Mirum igitur nullatenus est, Sixtum prae indole naturae suae hos nepotes etiam aliis praetulisse. Cardinalem P. Riarium negotiis gerendis aptissimum fuisse, auctores coaevi etiam ei adversantes testantur, sicuti Brutus, qui in Hist. Florent. l. V scribit: Erat in ipso *calliditas et perspicacia tanta, ut nemo, etiam omni aetate magnis tractandis gerendisque rebus acta, plura aut provideret animo, aut praestaret ubi provisa perspectaque haberet.* Merito autem ipsi objicitur profusa prodigalitas et ingens fastus, qui fere Pontificis majestatem obscurabat, eoque minus Cardinali juveni (XXVII a.) conveniebat, quod ex Ordine erat s. Francisci. Panvinius scribit de ipso: *Petrus ipse amplissimis sacerdotiorum redditibus auctus ita splendidus erat, ut pecuniae perdendae natus esse videretur; nam eo biennio quo tantum postea supervixit, ducenta aureorum millium absumpsisse, LX vero millia aeris alieni, argenti autem celati CCC pondo reliquisse traditur.* Quod vero addit hic auctor: *Obiit voluptatibus confectus,* nullo documento historico probatur. Cardinalis Papiensis quidem acri stylo prosequitur luxum Riarii, libidinem tamen ei non objicit, nec alii scriptores coaevi. Voliterranus autem, ex quo Panvinius haec desumpsit, scripsit triginta annis post mortem Cardinalis.

Petrus Card. Riarius.

37. Quae diximus sufficiunt, ut de nepotismo Sixti aequum feratur judicium; excessit sane in favore erga propinquos, ac nimia etiam beneficia ecclesiastica in Cardinalem Petrum Riarium cumulavit. Caeterum vero indignis eum contulisse illos honores et munera dici nequit, nec mala pro Ecclesia ulteriora inde secuta esse videntur.[1])

[1]) Severius quidem de Sixti IV nepotismo judicat Knöpfler, eumque, uti et Alexandri VI nepotismum Italiae conditioni politicae valde nocivum fuisse censet. (Rohrbacher-Knöpfler K. G. T. XXIII p. 240 sqq. 263 sqq.) Ut certa hac in quaestione ferretur sententia, examen accuratum rerum politicarum Italiae requireretur. Caeterum auctores Itali graves expositioni quam dedimus consentiunt. Praeter scriptorem citatum (Civiltà cattol. 1868) cfr. Balan Storia d'Italia L. XXXVII. Inter alia: Sisto IV, scribit, „amò troppo i nepoti, singolarmente Girolamo Riario; ma non è vero che tutte le sue imprese fossero dirette a farlo

Generatim pontificatus Sixti splendore non caruit, ac pro difficultatibus temporis res ecclesiasticae et civiles satis florebant. Ipse celebre sacellum Sixtinum ac bibliothecam Vaticanam condidit. Mortuus est Sixtus IV die 13° Augusti a. 1484.

38. Innocentius VIII (1484—1492). — Raynaldi *Annales a. 1484—1492.* — *Diario di Roma,* ap. Muratori. III. 2. p. 1091 sqq. — Infessura, *Diarium.* — Panvini, *Vita R. Pontificum.* — Vialardi, *Vita di papa Innocenzo VIII;* Venezia 1613.

Innocentius VIII. Successit Sixto IV die 29° Augusti a. 1484 Joannes Baptista Cardinalis Cibò Genuensis, qui nomen sumpsit Innocentius VIII. Cardinales antequam suffragia conferrent nonnullas leges partim ad augenda sua commoda, partim ad rem ecclesiasticam temperandam condiderunt, quibus novum Pontificem obstrictum voluere, quamvis jam ante ab Innocentio VI sancitum fuerit, nulla humana arte pontificiam auctoritatem contrahi posse, neque Cardinales, Romana Ecclesia sua viduata pastore, ulla alia potestate, quam ad dandum orbi antistitem pollere. Innocentius VIII quidem etiam post electionem vovit, se ejusmodi leges

grande, assai miglior fine ebbe; incontrossi in tristi tempi, quando i vassalli della Chiesa erano spesso ribelli, quasi sempre disubbidienti, quando la politica, calpestata sede e religione, avea a sola guida l'utile; egli, come molti de suoi successori dovette trattare con gente sleale, combattuto dai baroni troppo potenti di Roma, costretto ad inalzare gli uni per umiliare gli altri". n. IX. Et L. XXXVIII. n. III.: „Alessandro VI era stanco di quel perpetuo flagello che erano per gli Stati della Chiesa i baroni, usurpatori quasi tutti e ribelli, torbidi traditori ad ogni occasione, riluttanti al dovere ed alla ubbidienza, tiranni i più, duranti nella signoria col terrore e col sangue. È ingiustizia stimare che Alessandro avesse a solo fine lo arrichire Cesare Borgia delle terre di coloro; più che altro importava liberare i popoli e se stesso; se Cesare fu il terribile capitano che operò i fatti e se de fatti a lui principalmente venne profitto forse troppo grande, non è a farne gran colpa; l'indole trista dei tempi e degli nomini non lasciava modi nè ministri migliori, e certamente Alessandro compi un' opera buona e bella; i modi non furono sempre buoni, ma spesso o ignorati o non potuti impedire dal Papa."

servaturum esse, postea vero aliquas quidem observavit, alias vero sibi non servandas esse ratus est, eo quod constringere Pontificis auctoritatem non liceret. — Varii auctores male de Innocentio VIII scripserunt; verum quamvis inter Pontifices eximios non numeretur, immerito tamen multa ei objecta fuerunt.

39. Habuit Innocentius in vita sua anteriore plures liberos; sed existimant graves auctores cum Ciacconio, eum priusquam Ordines susciperet, matrimonio junctum fuisse, adeoque prolem fuisse legitimam.[1]) Vivebant vero quando Pontifex factus est Innocentius, Theodorina filia jam nupta Gerardo Usimari Genuensi, et Franciscus filius. In familiam suam nimium favorem ostendisse, ut eam exaltaret, etiam hic Pontifex arguitur, quamvis ex dictis plura quae fecit per se non videantur reprehendenda. Quod enim Francisco nobiles nuptias Magdalenae filiae Laurentii Medicei procuraverit, non inconveniens fuisse dixeris; sed minus laude dignum fuit, quod Joannem Mediceum, Magdalenae fratrem a. 1488, quum tantummodo tredecim annos haberet, Cardinalis dignitate ornaret. Addita est tamen ea conditio, ut insignia non sumeret, nec in Collegium admitteretur nisi post aliquos annos. Id etiam merito plures notarunt, quod Laurentium Cibo, fratris filium spurium, archiepiscopum Beneventanum ac dein etiam Cardinalem creaverit. Innocentii gesta.

40. Bellum contra Turcas quidem Pontifex promovere studuit, sed principes christiani socordiores isto in negotio remanserunt. Zizimus (Dschem) tamen, Turcarum princeps, qui contra fratrem suum Bajazet imperatorem Turcarum de imperio dimicaverat, victus ad Christianos confugit, et ab equitibus Rhodiensibus primum in Galliam, dein missus

[1]) Secundum alios leviores fuerunt Joannis mores quum adolescens esset, habuitque tunc illegitimos filium et filias plures. Dein matrimonium iniit, et viduus factus ingressus est in statum ecclesiasticum, in quo negotiorum peritia et indole miti excelluit. V. Hergenröther K. G. T. II. Per. VI. C. I. n. 165.

Innocentii gesta.

est ad Innocentium VIII, qui eum honorifice Romae detinuit. Inde factum est ut Bajazet ageret cum Pontifice, ne eum dimitteret ad turbas in imperio Turcarum excitandas, et tum varias sacras reliquias traderet, tum pecunias solveret. Displicuit aliquibus, quod tales relationes inter Sultanum et Pontificem existerent; sed quum ex culpa principum bellum cum vigore geri non posset, non immerito ea saltem commoda Innocentius quaesivit, ac otium quoddam pluribus regionibus christianis a Turcarum aggressione procuravit. Acre bellum habuit Pontifex cum Ferdinando rege Neapolis, qui in regno suo, Pontificis feudo, multipliciter Ecclesiae jura violabat, et nobiles opprimebat. Pontifex regem excommunicavit, is tamen a. 1492 se Innocentio submisit. — Non desunt documenta, ex quibus apparet, Innocentium sollicitudinem suam modo conveniente ad totam extendisse Ecclesiam; desideratur tamen ille vigor, quem antiquitus Pontifices exercuere quique ea aetate valde opportunus fuisset, ut mores Christianorum et disciplina Cleri reflorescerent. Ditionem ecclesiasticam Pontifex bene gubernavit, ita ut acceptus subditis esset. Animadvertitur, eum valde facilem fuisse, ut supremi supplicii poenam vel alias etiam poenas duriores in pecuniae mulctam commutaret. — Sub ipso etiam, uti sub praedecessore Sixto IV, ille mos magis magisque confirmatus et amplificatus est, ut munera varia publica venderentur, ac nova etiam, occurrente necessitate, conderentur officia, ut ex emptoribus ampla copia pecuniae obtineretur. Propter talem venditionem officiorum, Pontificum adversarii conclamaverunt *omnia Romae venalia fuisse* (Janus, p. 373); ac scriptores quoque in Ecclesiam bene affecti, consuetudinem illam vehementius carpunt. Sed si usus iste examinatur, apparet, nullam simoniae labem ea in re adfuisse, quamvis disputari possit, utrum ille modus administrationis utilis fuerit.

41. Res igitur Romae ita jam ex antecedente tempore constitutae erat, ut multa essent officia ac munera publica, pro quibus obtinendis certa summa pecuniae solvi debebat ea fere ratione, uti saeculis nostrum praecedentibus in Gallia

aliisque regnis pro muneribus honorificis in militia obtinendis a nobilibus gubernio pecunia satis ampla solvebatur. Habebant autem illa munera proventus suos vel ex ipsius muneris, e. g. notariatus indole, vel frequentius assignata erat talibus officiis pars aliqua annatarum, taxarum, aliorumve tributorum, ita ut qui talia officia vel tales titulos emerant, a gubernio pensionem quamdam vel censum annuum obtinerent. Gubernium videlicet vel camera Apostolica pro talibus pensionibus assignabat partem pecuniarum, quae ex annatis et taxis vel ex tributis indirectis et gabellis proveniebant. Erant igitur qui talia officia emerant *creditores* gubernii, qui pro suis pecuniis solutis quotannis censum recipiebant, fere uti nunc lucrum ex mutuo guberniis praestito recipitur, quamvis ampliori ratione. Quando autem Pontifices majori aliqua pecuniae summa indigebant, e. g. pro aliqua expeditione bellica, haud raro collegium integrum novorum officiorum creabant, quae officia potius erant titulus quidam, qui jus dabat ad certam pensionem. Ex emptoribus illorum officiorum tunc colligebant copiam pecuniae qua indigebant, sicuti nunc gubernia mutuam sumunt pecuniam.[1]

Munerum venditio.

---

[1]) Quum ista agendi ratio clarius a Leopoldo Ranke describatur, ejus jam expositionem subjicimus: „Quelque droit qu'on ait eu de se plaindre des exactions de la cour de Rome pendant le XVe siècle, il faut avouer cependant que peu de chose du produit arrivait dans les mains du pape. L'argent arrivait à la cour . . . en sommes considérables; mais il filtrait par mille canaux divers. Il était absorbé surtout par les emplois qu'on avait coutume de vendre depuis longtemps. Ces emplois pour la plupart étaient fondés sur des droits de casuel ou épices. On avait laissé trop de jeu à l'industrie des fonctionnaires, aussi le pape n'en retirait rien que le prix de la vente lorsque les emplois étaient vacants. — Le pape voulait-il procéder à une entreprise coûteuse, il lui fallait nécessairement de nouvelles ressources extraordinaires. . . . Il n'avait encore qu' à créer de nouveaux emplois, il était sûr de les vendre. Singulière espèce d'emprunt, dont l'Eglise acquittait fidèlement les intérêts en augmentant les taxes. . . . D'après un régistre de la maison Chigi, il y eut en l'année 1471 environ 750 emplois venaux dont on évaluait le revenu environ à 100000 scudi. Ce sont presque tous des procuratores, des correctores, des registratores, des notaires, des écrivains, même des coureurs et des portiers. Leurs occupations ne

45. Alexander VI (1492—1503). — Cfr. Raynaldi *Annales a. 1492 — 1503.* — Burchardi *Diarium Curiae Rom. sub Alexandro VI, ap. Eccard Copp. hist. II. 2017.* — Ranke, *Histoire de la papauté pendant les XVI et XVII siecles.*

Alexander VI. Obiit Innocentius VIII die 25° Julii a. 1492. Cardinales die 9° Augusti conclave ingressi, die 11° Augusti in Pontificem elegerunt Rodericum Cardinalem Borgiam, qui *Alexander VI* appellatus est. Haud felicis sane memoriae inter Pontifices est Alexander VI; attamen multa ei exprobata esse videntur sine solido fundamento. Difficultas permagna ad vera a falsis discernenda in eo sita est, quod accusatores Alexandri scriptores sint minus fide digni, uti Guicciardini et Jovius, homines partibus addicti et auctores historici parum fideles. Praecipuus vero scriptor qui Alexandri vitia enarrat, est Burchardus, qui ex civitate Argentoratensi oriundus sub Innocentio VIII et Alexandro VI Magister caeremoniarum erat in Curia Romana, quique *Diarium* conscripsit in quo multa continentur valde probrosa, quae ab illo viro crudo modo narrantur. Sed successor ejus Paris de Grassis de ipso Burchardo ait: *Non solum non humanus, sed supra omnes bestias bestialissimus, inhumanissimus, invidiosissimus.*[1]

---

signifiaient rien ou peu de chose. . . . Ces emplois n' avaient aucune autre importance, si non d'augmenter la valeur des intérêts par quelques petites prérogatives. On ne peut donc véritablement considérer ceci que comme un emprunt sur rentes viagères. Il n'y avait aucune ville au monde, où l'on pût placer si avantageusement ses capitaux. L'effet favorable de ce systême financier permet encore de ne pas imposer de nouvelles taxes. Entre tous les Etats, l'Etat de l'Eglise, et Rome entre toutes les villes, payaient alors les plus légéres impositions. — Mais cet état de choses ne pouvait se prolonger au delà du temps où cesserait l'excédant des caisses de l'Etat. Leòn X ne trouvait déjà plus à réaliser tous ses emprunts. Sa mort subite laissa les finances dans un état d'épuisement qui se fit vivement sentir à ses successeurs." Histoire de la Papauté pendant les XVIe et XVIIe siècles, T. II L. IV. §. 2.

[1]) V. Diarium Paridis ap. Döllinger, Beiträge z. Gesch. etc. T. III. p. 370. — Pars Diarii Burchardi edita fuit a Leibnitio a. 1696; dein illud Dia-

Praeterea ex variis indiciis conjicitur, Diario Burchardi plura posteriori tempore addita fuisse. Plerique tamen auctores catholici admittunt, Alexandri vitam ante pontificatum sat inhonestam fuisse, et in pontificatu etiam plura accidisse reprehendenda; alii quidem apologiam hujus Pontificis nostro tempore suscepere, et ostendere nisi sunt, ex studio partium et odio vehementi maximis calumniis Alexandrum, uti alii quidam Pontifices, affectum fuisse.[1] Non vacat quidem Alexandri VI vitam et gesta accuratius expendere, attamen quum quaestio de hoc Pontifice pro tempore recruduerit, praesertim ea quae de ejus moribus ex documentis historicis colligi videntur recensebimus, et simul quaedam advertemus quoad apologiam hujus Pontificis.

46. Natus est Rodericus Borgia die 1° Januarii a. 1431 Ejus adolescentia. prope Valentiam in Hispania ex nobilissima familia. Matrem habuit sororem Calixti III ex gente Borgia; patrem vero Jofredum, quem pariter ex gente Borgia fuisse recentiores ex documentis colligunt, Lenzuoli cognominatum, ita ut verum non esse videatur Rodericum, quum ab avunculo Calixto ad dignitatem Cardinalatus promoveretur nomen mutasse. Ex vita ejus usque ad annum aetatis 26um pauca sunt nota. Tradunt quidem, eum primum jurisprudentiae, dein ab anno aetatis decimo octavo militiae operam dedisse; sed incerta haec sunt, imo probabile est, eum inde a pueris statui ecclesiastico destinatum fuisse. Avunculus enim ejus Alphonsus a. 1444 Cardinalis factus est, atque existit documentum, quo nepoti Roderico qui *tunc sacrista erat* ecclesiae Xativae, providet *de canonicatu et*

---

rium publicavit Eccard Corp. Hist. T. II. Recenti tempore illud ediderunt Thuasne Parisiis 1883. 1884, et Gennarelli. Firenze 1854. Textus originalis Diarii deperditus esse videtur.

[1]) Praecipui scriptores qui apologiam Alexandri VI texere studuerunt sunt: Ollivier, Le pape Alexandre VI et les Borgia, Vol. I. Paris 1870; Nemec, Papst Alexander VI, Klagenfurt 1879; Leonetti, P. Alessandro VI secondo documenti e carteggi del tempo 3 vol. Bologna 1880.

dignitate praecentoris in ecclesia collegiali Xativae. Quo anno data fuerit illa provisio non indicatur, sed quum vix dubium esse possit, hic agi de Roderico nostro, probabilissime colligitur, eum inde ab initio ingressum fuisse statum ecclesiasticum.[1] Ex subsequenti tempore documenta non habentur; anno autem 1455 constat, eum Roma, quo probabiliter postquam Calixtus Pontifex factus est, advenit, profectum esse Bononiam, ut studia sua ecclesiastica absolveret.[2] A Calixto III a. 1456, X Kal. Martii. Rodericus est creatus Cardinalis Diaconus s. Nicolai in carcere, et episcopus Valentinus renuntiatus; Petrus vero frater ipsius dux in Umbria creatus et Urbi ac copiis pontificiis praefectus est.[3])

Epistola Pii II.

47. Exstat porro documentum anni 1560, ex quo colligitur, leviores fuisse Roderici mores, videlicet epistola Pii II, ex balneis Petrioli XII Junii data, qua eum monet et corrigit, eo quod gravitatem et decentiam clericalem Senis occasione alicujus festi laesisset. Quum illa Pii epistola, ut mores tum Roderici tum illius temporis dijudicentur, multum conferat, quaedam ex ea citare opportunum erit.

„Pius Papa II Vicecancellario. Dilecte fili salutem etc. Nudius quartus quum in hortis dilecti filii Joannis de Bichis convenissent feminae complures Senenses ad saecularem vanitatem compositae, audivimus, circumspectionem tuam, parum dignitatis quam sustinet memorem, inter illas ab hora fere decima septima usque ad vigesimam secundam (i. e. a meridie ab hora 2ª ad 7ᵃᵐ) fuisse, et ex collegio tuo socium habuisse eum, quem si non honor Apostolicae Sedis, aetas tamen admonere satis officii sui debebat. Saltatum ibi est, ut accepimus, cum omni licentia: nullis illecebris amatoriis parsum, tuque etiam inter haec omnia non secus versatus, quam si unus esses ex saecularium juvenum turba. Referre singillatim omnia pudet,

[1]) V. Villanueva, Voyages littéraires en Espagne, t. IV. p. 270.

[2]) De Bursellis ap. Muratori, t. XXIII. p. 888. — Muzzi, Annali di Bologna, t. IV. p. 442.

[3]) Cfr. Raynald. a. 1450. n. 71 et a. 1458. n. 41.

quae in hoc loco facta asseruntur; ista non modo re, sed appellatione quoque indigna sunt gradu quem tenes. Mariti, patres, fratres et consanguinei puellarum quae aderant, ut liberior esset vobis voluptandi facultas, ab ingressu prohibebantur; vos soli cum paucis domesticis auctores hortatoresque chorearum eratis. Dicitur nunc nulla de re alia esse in civitate Senensi sermonem, praeterquam vanitatem tuam ab omnibus irrideri; hic certe in balneis, ubi ecclesiasticorum et saecularium non parvus est numerus, vulgi es fabula. ... Valentinae ecclesiae praees, fili, quae inter Hispanorum ecclesias praecipua est; Apostolicae etiam cancellariae regimen tenes, quodque factum tuum reprehensibilius facit, ad consilium Romanae Sedis inter Cardinales cum Pontifice sedes; si puellis blandiri, fructus missitare, hinc inde vinum praegustatum illi, quam diligas mittere, effuso studio omne genus voluptatum per totum diem spectare, denique ut fieri omnia licentius possint, maritos illarum excludere, gradibus tuis convenire videntur, tibi ipsi judicandum relinquimus. ... Quodsi excusationem allegas aetatis, non est ea tibi jam aetas, ut non intelligas, quantum onus dignitas tua sustineat. Esse irreprehensibilem Cardinalem oportet, vitae morum salutare exemplum, cujus persona omnium non solum animis, sed oculis debet inservire. ... Circumspectio igitur tua iis vanitatibus modum imponat, dignitatem suam recogitet, nec velit inter juvenes et mulierculas amatoris nomen tenere: si enim haec rursus acciderent, cogeremur ostendere, nobis invitis et dolentibus ea accidisse, neque sine rubore tuo esse nostra animadversio posset. Te semper dileximus et tanquam eum, in quo gravitatis et modestiae speciem vidimus, dignum nostra protectione putavimus: velis, ut opinionem hanc et mentem retinere diu possimus, quod nil praestare melius poterit, quam graviorum morum assumptio; anni tui qui correctionem adhuc pollicentur, faciunt, ut paterne te moneamus.“ Dat. Petrioli, XII Junii MCDLX.[1]

[1]) Raynald. ad a. 1460 n. 31. 32.

Epistola Pii II.

48. Ex his litteris colligitur, Rodericum Cardinalem eo tempore levius se gessisse quam statui ecclesiastico ejusque dignitati conveniret; sed non videtur ob graviorem libidinem diffamatus fuisse. Nec facile concipitur, quod quidam auctores existimarunt, eum antea secreto matrimonio junctum vel ex illegitimo commercio jam quinque liberorum patrem extitisse, vel ut aliis placuit, hypocrisi quadam, dum voluptati deditus esset, exterius singularem pietatem prae se tulisse. Ex litteris Pii II dixeris, eum fuisse virum, qui tunc leviori animo mores non convenientes haud occultabat, sed gravium transgressionum nondum reus judicabatur. Ipse Pontifex advertit, se antea gravitatis et modestiae specimen in eo vidisse: ex quo conjicies, initio Cardinalatus Rodericum sibi magis cavisse.

Apologetae Alexandri VI.

49. Auctores, qui Alexandri VI pontificatum narrant, referunt, quinque (saltem) ipsi fuisse liberos, quorum erant filii quatuor, Petrus Ludovicus, Joannes, Caesar et Godefridus, filia una Lucretia, eorumque matrem, primo forte excepto, unanimiter dicunt fuisse Venotiam nobilem Romanam. Qui apologiam scripserunt Alexandri opinantur, hos liberos jam ante a. 1456, quo anno Alexander Cardinalis factus est, ex legitimo matrimonio natos fuisse; vel fuisse ejus nepotes, non vero filios. Sed cedere oportet documentis gravibus, ut admittamus revera Rodericum Cardinalem liberos (saltem quatuor) genuisse cum Venotia.[1]) Etenim si ante a. 1456 nati fuissent, quo tempore Rodericus Pontifex creatus est jam provectioris fuissent aetatis; sed ex documentis et factis colligitur, rem ita non se habere. Juxta P. Ollivieri recentem Alexandri apologiam, Caesar Borgia anno 1500 saltem 46 annos habuisset; sed ex relatione ministri Venetiarum in Curia Romana[2]) Caesar a. 1500 erat 27 annorum (è di anni 27). — Anno 1488 Petrus Pompilius *Syllabica* sua dedicavit Caesari Borgiae, et ex

---

[1]) Collection d'Albéri, série II. v. III. p. 9. 10. 11. et ap. Ranke. Dre Päpste etc, Appendix n. III.

[2]) Fusius quaestionem hanc invenies tractatam ap. Matagne, *Une réhabilitation d' Alexandre VI*, Revue des Questions histor, T. IX. p. 466.

praefatione apparet, hunc Roderici filium tunc valde juvenem fuisse.

50. Quod ad Lucretiam attinet, haec postquam nobili Hispano (Comiti de Procida) desponsata fuisset, diremptis sponsalitiis successive nupsit Joanni Sfortiae Pesari dynastae, Alphonso de Bisselia, et Alphonso Estensi duci Ferrariae, cum quo in matrimonio pacifico et glorioso vixit usque ad mortem a. 1519. Matrimonium cum Alphonso contractum est per procuratorem die 29° Decembris a. 1501, et Ferrariam ingressa est ducissa die 2° Februarii a. 1502. Ex P. Ollivier tunc habuisset 47 annos. Sed jam per se improbabile est, Alphonsum, virum 25 annorum, qui viduus erat sine liberis ac certe ex uxore successorem desiderabat, tale matrimonium contraxisse. Dein vero habuit Lucretia sex liberos ex Alphonso duce, et in puerperio septimi mortua est a. 1519. Primus filius fuit Hercules, qui natus est die 4° Aprilis a. 1508, quo tempore Lucretia fuisset, ex censu P. Ollivieri, 53 annorum. Subsequentibus annis nati sunt alii pueri, e. g. Franciscus a. 1515, et quum in partu septimae prolis a. 1510 Lucretia moreretur, fuisset 63 annorum; talia certe admitti nequeunt, eaque suppositio, Lucretiam ante a. 1456 natam esse, manifeste dimittenda est.[1]) Fuit Lucretia, quando nupsit Alphonso, viginti trium annorum; primum vero matrimonium contraxit a. 1492, aetatis proinde quindecim annorum.[2]) Joffredum Alexandri VI filium valde juvenem fuisse, ex iis patet, quae scribit Guicciardini quoad sponsalia ex desiderio Pontificis inter ipsum et filiam Alphonsi regis Neapolis contracta: *Sponsalia inter Sancem Alphonsi extra conjugium filiam et Guiffredum, sive mavis Gothifredum, Pontificis natu minimum, cum uterque per aetatem ad connubiales amplexus esset ineptus.*[3])

Lucretia Borgia.

51. Supponit porro P. Ollivier, uxorem Roderici fuisse Juliam Farnesiam, eamque a. 1455 mortuam esse, et tunc

[1]) Nihilominus haec omnia P. Ollivier revera admittit.

[2]) De his vide Frizzi, Memorie per la storia di Ferrara, 2 ed. t. IV. p. 2. 3. 281.

[3]) Hist. Ital. L. I, ad a. 1492.

Quaenam Vanotia.

Rodericum ingressum esse statum ecclesiasticum, tradidisse vero liberos suos educandos socrui suae Joannae (Vanotiae) Cajetani, hancque esse illam Vanotiam de cujus inhonesto commercio cum Alexandro dein auctores fabulas texerint. Sed haec suppositio est pariter falsa. Exstant enim Romae in hospitio mulierum prope s. Mariam de Consolatione plures inscriptiones, quae spectant Vanotiam benefactricem illius hospitii. Sunt autem inscriptiones hujusmodi: Vannozia Catani Borgia; Vanotia Catani Borgia de Carignano. Alia inscriptio longior incipit: Vanogza Catanea Madre del Duca Borge; et eâdem edicitur, Vanotiam a. 1517 tria anniversaria fundasse, pro se et maritis suis duobus Georgio Croce et Carlo Canale. Appellabatur videlicet ipsa Vanotia (Joaanna) de Cattaneis, et illis duobus *viris* matrimonio juncta fuit, sed nomen Borgiae interdum nomini ejus jungebatur. Quum vero nulla ratio adsit dubitandi de veracitate ejusmodi inscriptionum quoad hospitii benefactricem, vides validum hinc argumentum deduci. Omne dubium dein tollitur ex epitaphio Vanotiae, quod alias in ecclesia s. Mariae del popolo inveniebatur, et ex collectione inscriptionum manuscripta saeculo XVI editum fuit a. 1867 per Vincent. Forcella.[1]) Est autem hujusmodi:

Vanotiae Cathanae Caesare Valentiae Joane Gâdiae
Jafre Doscylatii Et Lucretiae Ferrariae Duab.' Filiis Nobili[2])
Probitate Insigni Religione Eximia Pari Et Aetate Et
Prudentia Optime De Xenodochio Lateranên Meritae
Hieronymus Picus Fideicomiss. Procur. Ex Têsto Pos.
Vix. Ann. LXXVI M.IIIID.XIII Obiit Anno M.D.XVIII. XXVI Nov.

52. Aliam rationem vindicandi Alexandri VI memoriam iniit P. Leonetti. Statuit videlicet ipse, qui dicuntur

---

[1]) Iscrizioni delle Chiese . . di Roma. Vol. I. p. 335. n. 1276.

[2]) Corrige: Jofredo Scylatii Et Lucretiae Ferrariae Ducibus Filiis Nobili. — Non commemoratur hic Petrus Ludovicus Alexandri filius, vel quod ex alia esset muliere, vel quia mortuus est puer ac nomen ejus ponere Picus oblitus est. — Ad Juliam Farnesiam, quod attinet, erat haec soror Alexandri Farnesii Cardinalis (Pauli III), tempore Alexandri VI matrimonio juncta cum nobili ex familia Orsini et in florida aetate. Mortua est a. 1524. Cfr. Civiltà cattol. Ser. VIII. v. 9. p. 718 sqq.

fuisse Alexandri liberi, esse ejus nepotes, ab Alexandri fratre Petro Ludovico, vel ab alio propinquo ex Vanotia uxore genitos. Mortuo eorum patre, censet Rodericum Borgiam, quum Vanotia novas nuptias iniisset, illorum liberorum paterna cum sollicitudine affectuque paterno curam gessisse ac beneficiis eos cumulasse. Inde, vel ex malevolorum invidia, vel ex usu illius temporis factum, ut filii Alexandri isti dicerentur. Hac ratione apprime explicari, quod a coaevis Alexandri adversariis, quum acriter ob alia eum impetant, libidinis ipse non arguatur, quodque quatuor Pontificum praedecessorum favore dignus habitus sit. Aequam esse hanc explicationem et admittendam, nisi certa afferantur documenta ex quibus ea falsa probetur.[1]) — Sed a gravibus auctoribus haec quoque suppositio discussa ac merito explosa est. Quum Rodericus Cardinalis ingenio ac negotiorum peritia praestaret, atque ea aetate ad liberiores mores vitae privatae minus attenderetur, satis explicatur, quomodo non obstante illa incontinentia, Pontifices munera gravia et honorifica ei committere potuerint. Inde est, quod ejus adversarii minus eum ob mores laxiores eum impetierunt; non desunt tamen invectivae in eum, imo a malevolis etiam plus aequo impudicitiae accusabatur. Caeterum, quod est argumentum rem evincens, variis in documentis liberi isti adeo clare Alexandri proles dicuntur, ut suppositio, eos fuisse ejus nepotes, excludatur.[2])

P. Leonetti sententia.

53. Ex his omnino apparet, negari non posse, illegitimos ex Vanotia plures liberos Alexandro VI fuisse, atque oleum et operam perdere, qui eousque apologiam hujus

---

[1]) Papa Alessandro T. I. p. 194—203.

[2]) Ita e. g. in documento notariali anni 1491 Lucretia dicitur filia carnalis Roderici Cardinalis, ac germana Petri Ludovici Borgiae ducis Gandiae. — Caesar in documentis variis dicitur *de episcopo cardinali genitus et conjugata*, et auctores coaevi manifeste eum ut verum filium Alexandri designant. Singula persequi longum esset. Quaestionem hanc erudite discusserunt H. de l'Epinois, *Le Pape Alexandre VI*, Revue des Quest. hist. T. IX. p. 373 sqq. et C. Duais, *Les débats récents sur la vie privée d'Alexandre VI;* Controverse 1883, I. p. 79 sqq.

Pontificis texere volunt, ut etiam ante pontificatum illibatam vitam eum gessisse asserant. Quod vero ad ea spectat, quae durante pontificatu ipsi objiciuntur, certe plura plane falsa merito existimantur, alia exaggerata, alia vero dubia sunt et incerta. Sic incertum esse censerem, utrum media illicita munerum adhibuerit Alexander, ut ad pontificatum perveniret[1]), falsa sunt quae de Lucretia filia ejus a malevolis narrata fuere. Haec enim femina honesta et proba fuisse videtur, quae quum esset ducissa Ferrariensis omnium virtutum laude florebat, ita ut nec coaevi vera censerent flagitia, ipsi a quibusdam scribis et poetis stilo venenato imposita. Sed quum in curia Romana atque in ipso palatio pontificio Alexandri filii adessent et ipsa haec filia, quum nuptiarum aliorumque festorum solemnia magno cum splendore et levitate quadam quae ea aetate invaluerat, celebrarentur, ita ut mulieribus nobilibus etiam accessus pateret, rumores pessimi et calumniae facile spargi poterant. Magna morum corruptio ubique fere existebat, hinc facile quae voluptatem spectant supponebantur et credebantur. Praeterea vero, quum Alexandro Neapolitani infensi essent, humanistae qui in aula Neapolis vivebant, moribus ipsi dissoluti, scriptis et epigrammatibus famam Pontificis et liberorum ejus acriter lacerabant. Ex rumoribus vero et suppositionibus malevolis Burchardus et alii scriptores varia scripserunt vel plane falsa vel exaggerata. — Debellavit quoque Alexander magno cum ardore et pari successu dynastas feudatorios ditionis ecclesiasticae, qua in re usus est opera Caesaris filii. Quumque tum filium hunc tum alios filios evehere studeret, etiam inde odia sibi conciliavit. Ac Caesar quidem in illo bello passim violentia et fraudibus usus est; caeterum vero illa dynastarum repressio justa erat et paci Italiae proficua, uti jam advertimus.

Varia facta incerta.

[1]) Quae ex Infessura, Burchardo aliisque colliguntur de corruptione simonistica rem non evincunt, quum rumores potius malevolos referant. Neque plane demonstratam censerem hanc corruptionem iis quae erudite discutit Th. Hagen, *Die Papstwahlen von 1484 und 1492*, Brixen 1885.

54. Singula quae pontificatum Alexandri VI spectant ulterius prosequi, longum esset. Sollicitudo pro negotiis Ecclesiae ipsi non defuit, et in gubernio ditionis ecclesiasticae magnum ostendit vigorem.[1]) — Sed opportunum esse videtur aliqua animadvertere quoad Bullam *Inter caetera*, propter quam Pontifex a Protestantibus et incredulis scriptoribus vehementissimis conviciis impetitur.[2]) Quum videlicet inter reges Lusitaniae et Hispaniae ortum esset dissidium de exploratarum et explorandarum regionum novi Orbis jure et possessione, Alexander VI per Bullam *Inter caetera* a. 1493 litem ita composuit, ut rex Hispaniae occidentalem et rex Lusitaniae orientalem partem circuli indicati, (per lineam ab Alexandro ab uno polo ad alterum ductam,) haberet, ea tamen lege, ut ambo reges in occupatis regionibus catholicam fidem propagandam curarent. *De nostra mera liberalitate et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnes insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem, fabricando et construendo unam lineam a polo arctico, scilicet septemtrione, ad polum antarcticum scilicet meridiem, ... quae linea distet a qualibet insularum quae vulgariter nuncupantur de los Azores y Cabo verde, centum leucis versus occidentem et meridiem, ita quod omnes insulae et terrae firmae repertae et reperiendae, detectae et detegendae, a praefata linea versus occidentem et meridiem per alium*

Bulla Inter caetera.

---

[1]) Ad rem Hübner: „Après Paul II commence l'époque des papes politiques, des Sixte IV, des Innocent VIII, des Alexandre VI, des Jules II, des Clément VII. Non qu'aucun d'eux ait méconnu ou négligé complètement ses devoirs de chef de l'Eglise et de gardien de la foi: Alexandre VI, de triste mémoire, passait lui-même parmi les contemporains pour un grand pape. L'histoire de son règne (qui est encore à écrire), doit nous être parvenue fort dénaturée, ou bien le sens moral de cette génération était singulièrement perverti, puisqu' Arioste dans son poëme publié sous Léon X et du vivant de Lucrèce Borgia a pu célébrer le nom de celle-la sans froisser la conscience publique.“ Sixte V. Introduction IV.

[2]) E. g. Marmontel: „De tous les crimes des Borgia cette bulle fut le plus grand.“ Les Incas, Préface, p. XXVII.

regem vel principem christianum non fuerint actualiter possessae usque ad diem nativitatis N. D. J. Ch. proxime praeteritum, . . . quando fuerint per nuntios et capitaneos vestros inventae aliquae praedictarum insularum, auctoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro concessa ac vicariatus Jesu Christi quo fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, juribusque et jurisdictionibus, ac pertinentiis universis vobis . . . in perpetuum tenore praesentium donamus, concedimus, assignamus.[1]) Hanc *donationem* igitur auctores protestantes ac Sedi Romanae adversarii, e. g. Robertson in sua *Americae historia*, Busching in sua *Geographia*, Marmontel l. c., aliique, ut facinus nequissimum arrogantiaeque pontificiae delirium impium traducunt atque condemnant. Sed si bene totum hoc negotium examinatur:

Expenditur. 55. 1. Regula juris est, in contractibus voces et expressiones indefinitas intelligendas esse juxta limites justitiae et aequitatis. Hinc donatio illa non id significat, ut reges Hispaniae se pro libito atque arbitrio dominos illarum regionum constituere possint, sed *supposito justo titulo*. Id jam antiquiores scriptores quoad hanc Bullam observarunt, uti Suarez, De Lugo, Coninck, Salmanticenses.[2]) *Quia*, inquiunt, *concessio quantumvis ampla et absoluta sit verbo, restricta debet intelligi ad terminos juris et aequi.* Ejusmodi autem universale dominium terrarum, ut eas donare et distribuere pro arbitrio posset, theologi catholici nunquam Romano Pontifici tribuerunt; calumnia est haec haereticorum. Se jura aliorum venerari, Romani Pontifices semper professi sunt.

2. Jam illo tempore Cajetanus, et paulo post Dominicus Soto sensum expositum verbis Bullae convenire ostenderunt. Sed omne dubium tollitur ex Bulla plane simili, quae a. 1497 Portugalliae regi Emmanueli petenti

---

[1]) V. Raynald. ad a. 1493 n. 19.

[2]) Suarez, Disp. XVIII De Fide, sect. I. p. II. n. 9. — Lugo, Disp. XIII De Fide, n. 102. — Coninck, Disp. XVIII. de Fide, n. 160. — Salmant. Tract. XXI. De Decal. p. II. n. 9.

data est quoad Africae populos. In ipsa adhibetur quidem eadem formula, *libere donamus, concedimus et assignamus,* sed explicite additur conditio, quae subintelligitur in altera Bulla de qua locuti sumus: *Auctoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro concessa de civitatibus, castris, locis, terris et dominiis infidelium, quae tibi ditionique tuae subjici, et quae te in dominum cognoscere seu tributum solvere velle contigerit, . . . tenore praesentium investimus, illaque tibi libere donamus, concedimus et assignamus, ac illa conquirendi plenam et liberam facultatem elargimur.*[1]) Hic igitur supponitur, quod vel jure belli legitimi, vel deditionis, vel ex alio justo titulo dominium in illa regna illosque populos acquiratur.

56. Nec inde inferas, inutilem fuisse talem donationem, quae jam acquisitionem ex alio titulo supponit. Interveniente videlicet tali Pontificis approbatione et concessione, tota societas christiana illud dominium habebat ut validum, jam alii principes eas terras occupare non poterant, et possessio auctoritate pontificia contra hostes internos et externos vindicabatur. Sic v. g. quum aliquando naves Anglorum aliquot ad oras Africae appellerent, quarum dominium Lusitanis a Nicolao V concessum erat, Joannes II Lusitaniae rex litteris monuit Eduardum IV de violato dominio, idque satis erat, ut Angli a coeptis desisterent.[2]) — Merito porro Pontificem principes Castiliae et Lusitaniae in arbitrum elegerant, et dum lineâ ductâ terminos figeret, qui praecipue cursum navium dirigerent ad novas regiones inveniendas, rationem sequebatur aequitatis, attentis expensis quae a principibus illis factae erant. Titulos autem ex quibus principibus liceret terras inventas vel populos sibi subjicere non determinabat Pontifex, sed juri naturali et publico ista quaestio reservata erat. Variae certe et multiplices rationes, uti primae occupationis, justae defensionis, liberae subjectionis, adesse poterant, ex quibus possessio aliqua acquirebatur. Vel ipsae leges Hispaniae per Scopus.

[1]) Ap. Raynald. a. 1497 n. 83.
[2]) V. Civiltà catt. a. 1865 v. 1. p. 673.

se Indianos liberos, non vero subjectos esse supponunt, eamque libertatem Paulus III a. 1537 duplici Brevi (*Pastorale officium* d. d. 23° Maji et *Veritas ipsa* d. d. 2° Junii) iis vindicavit, nullo modo existimans, se Bullae Alexandri VI contradicere. Quod si illi qui *Conquistadores* vocantur interdum fecerunt ad nationes barbaras proclamationes, quibus eis intimabant titulo dominii universalis R. Pontificis et donationis ab ipso principibus factae ipsas teneri ad submissionem, ejusmodi agendi modus plene arbitrarius erat, nec a Pontifice approbatus.

Opinio quorumdam. 57. Modo exposito plerique, uti diximus, Bullam Alexandri VI jure merito exponunt. Erant quidem eo tempore aliqui theologi et juris periti qui censebant, Romanum Pontificem disponere posse de regnis infidelium, quod praecipue ratione praedicationis evangelicae admittebant: vel infideles universim non habere posse dominium aliquod legitimum. Propter rationes tamen allatas et maxime ob Bullam Lusitanis de Africa datam, censemus, Alexandrum ea opinione non fuisse imbutum. Sed etiam si vi talis opinionis erroneae donationem illam fecisset, manifeste inde contra infallibilitatem pontificiam nihil deduci posset, quum non agatur de definitione dogmatica. Possibilitatem alicujus erroris in Alexandro VI admittit Gregorius de Valentia scribens: „Alexander VI, (si in eo facto particulari, ad reges illos tantum et ad illas insulas pertinente erravit), solum concessit illis regibus jus quoddam superintendentiae et patrocinii in infideles illos, postquam debito modo essent ad fidem conversi. Nec enim potuit infideles illos dominio suo privare propterea solum, quod essent infideles.“[1])

Alexander VI mortuus est die 18° Augusti a. 1503. Eum exstinctum fuisse imprudenter sumpto veneno, quod Cardinalibus quibusdam Caesar Borgia praeparasset, fabula est. Constat enim ex diariis illius temporis manuscriptis

---

[1]) T. III. De sp. 1. 9. 10. p. 7. p. 540 ad 2. — Cfr. de tota hac quaestione Civiltà Cattolica a. 1865. v. 1., et Hergenröther, Kirche und Staat p. 337.

et ex ipso Burchardo, inde a die 12° Augusti Pontificem male habuisse et febre laborasse, ac sacramentis Ecclesiae rite munitum, morbo ingravescente, post aliquot dies exspirasse.[1])

58. Pius III a. 1503. — Post mortem Alexandri VI Caesar Borgia tumultus quosdam excitavit, sed mox secedere coactus est. Remotis igitur qui vim inferre poterant, Cardinales Conclave ingressi, quum disciplinam ecclesiasticam labefactatam admodum perpenderent, vexatumque assiduis infidelium incursionibus christianum Imperium, nonnulla iterum pactionum capita, quibus novum Pontificem obstringerent designarunt, quorum praecipuum fuit, ut excurrente proximo biennio solemnes episcoporum totius orbis coetus celebrarentur, ac recurrente quoquo triennio instaurarentur. Haec polliciti Patres singuli, si ad pontificatum evehi contingeret, octavo die Franciscum Cardinalem Piccolomineum, Pii II ex sorore nepotem, Pontificem crearunt *Pium III* appellatum, cujus fama bonitatis animi omnium ad bene jam de religione deque rebus humanis sperandum excitati fuere. Sed Pius ex ulcere cruris, quo diu laboraverat, trigesimo post creationem die decessit (die 18° Octobris 1503), nihilo rerum a se gesto quas maximo animo conceperat. Nam et ecclesiam Romanam reformare, Concilium celebrare, et in Turcas proficisci avunculi imitatione statuerat.[2]) Pius III R. P.

59. Julius II (1503—1513). — Cfr. Raynald *Annales a. 1503 — 1513.* — Balan, *Storia d' Italia LL. XXXIX. XL.*

Justis funeribus Pio III persolutis, Cardinales Conclave ingressi Calendis Novembris erexere in sacrosanctum

---

[1]) Cfr. Raynald. a. 1503. n. 11 — De filiis Alexandri VI cfr. Civiltà cattolica a. 1873. v. 1. p. 718. Ex documentis ea quae superius diximus ibidem confirmantur, atque etiam ostenditur, negari non posse, tempore pontificatus, versus annum 1497, alium filium Joannem vocatum Alexandrum ex vidua Romana genuisse. In arbore genealogico Citadellae adhuc indicatur Girolama et alia proles NN. (Cf. Nemec l. c. in fine.) Sed de his videtur res incerta esse.

[2]) Volaterra ap. Raynald. a. 1503. nn. 13—15.

solium Julianum Cardinalem Robureum, Raphaëlis filium, Sixti IV ex fratre nepotem, qui contracto Juliani nomine, *Julius II* appellari voluit. Sub Alexandro VI hic fere semper, quum Pontifici esset invisus, exul degerat; sed in comitiis post mortem Pii III habitis tanto studio in eum Patrum omnia suffragia sunt conversa, ut prima die, fere antequam Conclave plene occlusum esset, Pontifex sit electus. Paulo ante electionem Cardinales iterum nonnullas tulere leges, ad quas observandas jurejurando se obstrinxerunt. Inter eas etiam haec continebatur, ut intra biennium Concilium oecumenicum celebraretur. Julius II in Pontificem electus, uti statutum erat, leges istas se observaturum esse juramento promisit; cum vero postea conceptum sacramentum ad exitum perducere cunctaretur, inde conflatum est schisma et varia mala consecuta sunt.

Julii II bella.

60. Julius, pontificatu firmato, quum turbis variis totam ecclesiasticam ditionem labefactatam invenisset, non ad recuperanda solum quae amissa erant, sed etiam amplianda animum adjecit. Nec defuerunt rationes justae, quum qui varias civitates detinerent feudatariorum officia multipliciter violarent, et Pontificis jura spernerent. Singula quae hac in re Julius suscepit hic enarrare non vacat; merito autem hac de re Panvinius scribit: „Fuit Julius Pontifex animo magnus, constans, rerum ecclesiasticarum defensor acerrimus, contumeliarum insolens et contumacibus implacabilis, in calamitatibus semper se ipso major et excelsior, invicto animo, rebus prosperis continens, ingenti liberalitate; neque ob alias causas tot bella gessit, quam ut imperium ecclesiasticum a diversis occupatum recuperaret. Ecclesiae Romanae, Bononiae cum Aemilia et Flaminia pulsis tyrannis et Venetis, firmissimum imperium et maxime stabile restituit, potiundae Mutinae ecclesiae initia dedit, Parmam, Placentiam ditioni ecclesiasticae adjecit. Suorum parum indulgens eis nihil de vetere ecclesiae ditioni donavit, fratris enim filium Franciscum Mariam in ducatu Urbini a propinquo suo Guidone Feltrio sine prole mascula decedente adoptari et haeredem constitui procuraverat, Pisaurum, Joanne Sfortia

sine haerede mortuo, eidem stipendii debiti nomine assignavit.[1])

61. Veneti eo tempore Ariminium, Faventiam et Ravennam et plura alia oppida de ecclesiae Romanae ditione occupaverant, praeterea vero jura Ecclesiae invadebant, et libertatem ecclesiasticam ac majestatem Apostolicam in conferendis sacerdotiis inique violabant. Hinc Julius, quum monita ejus spernerent, cum Maximiliano Imperatore, Francorum et Hispaniae regibus, Ferrariae et Mantuae ducibus, (horum omnium varias civitates Veneti sibi subjecerant), Cameraci in Belgis foedus iniit, Venetosque repugnantes gravissimo anathemate percussit. Veneti ingenti praelio a Ludovico XII Gallorum rege superati, cunctas brevi momento copias et urbes quas in continente possidebant, amisere. Caesar enim Maximilianus, qui nihil fere praeter legatos et augustum nomen ad id bellum contulerat, Veronam, Vicentiam, Patavium cum Carnis; Gallus Bergamum, Brixiam, Cremonam et Cremam; Hispanus Tranum, Monopolim et Barlettam in Apulia; Pontifex Ravennam, Ariminium et Aemiliam omnem; Ferrariae dux Rodigium, Mantuae vero Asulam receperunt. Veneti tunc in tantas angustias redacti, ut de conservatione reipublicae desperarent, Pontificis gratiam implorarunt; is precibus eorum flexus et exterorum dominationem in Italia pertimescens, concordiam cum iis iniit, et a censura absolutos in gratiam recepit. Inde vero praecipue factum est, ut Maximilianus et praesertim Ludovicus Galliae rex Julio II infensi redderentur, moxque Ludovicus XII schismati excitando faveret. Qua de re inferius agemus, quum de Concilio Lateranensi V a Julio II congregato disseremus.

Bellum contra Venetos.

62. Laboribus et morbo consumptus, magna cum pietate ac humilitate obiit Julius II septuagenario major, Romae in Vaticano a. 1513, die 21° Februarii. Ante pontificatum tulerat, uti scriptores tradunt, filiam Feliciam, quam Joanni Jordano Ursino Pontifex factus in matrimonium dedit; alia autem quae ipsi objiciuntur, v. g. quod

---

[1]) Vita Julii II.

Indoles Julii II.

nimium vino deditus fuerit, inter falsas accusationes rejicienda sunt. Maxime laudandus est ob Ecclesiae ditionem fortiter conservatam et auctam, quamquam a nonnullis parum probatus, quod armis magis quam sacrosanctum Pontificem deceret, deditus esse videretur. Merito tamen scribit Pallavicinus: „Indulsit ille quidem militiae studiis supra quam opus fuit, ad recuperandam et conservandam ecclesiasticam ditionem, et supra quam tanti capitis sanctitatem deceret. Sed quis tam perfecte sui compos est in rebus gerendis, praesertim iis quae citra aestum et impetum fieri nequeunt, qui nunquam extra fines arctissimos honesti dilabatur. . . . Pro se quisque perpendat, an majorem mereantur laudem constantia ac vigor Julii, quibus jam senior posthabitis otii commodis tot tantisque laboribus ac periculis sese objectavit, ut lacerum Petri pallium resarciret paucos sibi annos gerendum nec postea consanguineis relinquendum, an majorem vituperationem, quod succensam semel, nec injuste bilem cohibere nequierit, ne quando in flammam minus moderatam exarserit, sicuti peritissimus militum imperator nequit semper exactissima disciplina suas copias coërcere.“ [1])

II.

De Concilio Lateranensi V.

63. Sub Julio II coeptum, sub Leone X absolutum est Concilium oecumenicum Lateranense V; quod quamvis non omnes eos qui desiderari poterant produxerit fructus. Ecclesiae tamen proficuum fuit tum propter exstinctum schisma, tum propter firmatam fidei doctrinam et morum reformationem inceptam. Paucis de eo agere hoc loco convenit. — Occasio convocandi Concilii Lateranensis V fuit congregatio conciliabuli, quod Pisis, instigante maxime

[1]) Hist. Conc. Trid. L. I. c. 1.

Ludovico XII Gallorum rege, animo schismatico convenit. Ludovicus XII videlicet, qui Veneticae reipublicae destructionem suaeque in Italia dominationis incrementa quaerebat, inita inter Pontificem et Venetos concordia ita offensus fuit, ut copias suas in Italia consistere juberet, nonnullas Romanae ecclesiae terras occuparet et Alphonso Estensi principi Ferrariensi, injusto Comaclensium salinarum quae ad Romanam ecclesiam pertinebant detentori, patrocinaretur. Quapropter Julius II Ludovicum prius admonitum et monita spernentem excommunicationi subdidit, et ad pellendas ex Italia Francorum copias foedus iniit cum Venetis, Helvetiis regibusque Hispaniae et Angliae. Ludovicus XII exacerbatus a. 1510 episcopos et doctores regni sui convocavit Turones, qui ad propositas sibi quaestiones secundum regis vota respondentes, dixerunt, Pontificem primo per legatos esse monendum, ut a coeptis desisteret et concordiae viam ingrederetur; quod si audire nollet, esse interpellandum de convocando Concilio generali libero secundum decreta Basileensia; quibus peractis et responso Pontificis accepto, providendum esse quod juri consentaneum foret. Confestim Ludovicus cum Maximiliano Imperatore contulit de cogendo Concilio generali, a quo Julius in ordinem redigeretur; sed Maximilianus, quamvis primo commotus in Julium, quod misso foedere Cameracensi se confoederasset cum Venetis, brevi post melius edoctus, a schismaticis Ludovici conatibus recessit. Ludovicus vero non tantum quodvis commercium cum Romana curia Gallis prohibuit, sed etiam id consecutus est, ut tres Cardinales in Julium rebelles, Bernardinus Carvajal episcopus Sabinensis, Franciscus Cardinalis Cusentinus, et Guilelmus Cardinalis Narbonnensis d. d. 16° Maji a. 1511 Concilium generale indicerent die 1° Septembris Pisis inchoandum. Praetendebant, Julium II promissam in conclavi convocationem Concilii generalis negligere, quum tamen illud tum ad reformandam disciplinam tum ad componendas inter christianos principes discordias esset necessarium.

Discordia cum Ludovico XII.

Convocatio Conc. Later.

65. Julius Pontifex ut rebellium conatus redderet irritos d. d. 18° Julii a. 1511 gravissimas edidit litteras. Iisdem imprimis accusationem negligentiae sat solida argumentatione repellit. *Quis*, inquit, *tanti erroris particeps est, qui nos de negligentia erga convocationem Concilii redarguere possit, cum nihil nobis per ultimos undecim annos quibus Cardinalatus officio functi sumus magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale Concilium et Romanae ecclesiae statum in melius reformari. Quid enim felicis recordationis Alexandro VI R. P. praedecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium et cura generalis Concilii celebrandi? . . . Aperiant oculos cordis et odii obstacula resecent et cogitent, qua voce, quibus oculis, qua facie promiserimus, ut dicunt, in nostra ad pontificatum assumptione, juraverimus et voverimus generale celebrare Concilium; quoniam nostrae promissioni interfuerunt, certe palpabunt, nos non sola voce, non simulate, sed in cordis simplici veritate id egisse quod praedicant. Quod si ea quae diximus attendere nolunt, examinent et inspiciant omne studium in pontificatu nostro circa praemissa. . . . Quid ultra facere debuimus aut potuimus ad restituendam Ecclesiae pacem, quod omiserimus. Novit ipse Cardinalis* (Carvajal), *quidnam a nobis habuerit in mandatis; . . . communicet illa fratribus suis, qui cum illo sentire videntur, proferat monita in scriptis illi tradita, certo certius et luce meridiana clarius erit hanc indictionis desperationem de celebrando a nobis Concilio nedum levem et inanem, sed falsam, irrationabilem, impossibilemque fuisse. Nulla nostra culpa neque sanctae Romanae ecclesiae Cardinalium dilata est generalis Concilii indictio, convocatio et celebratio. Distulit haec infelicitas temporum, quae sub eodem Alexandro praedecessore nostro vexare coepit Italiam et adhuc vexare non cessat, et instans necessitas recuperandi terras et jura ejusdem Romanae ecclesiae; nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atque intentissimum fuit.* — Rescissa dein conciliabuli indictione, ait: *Oecumenicum, universale ac generale Concilium, in alma Urbe nostra communi omnium patria, loco aptissimo et tutissimo apud Lateranum, ubi plu-*

rima Concilia per antiquos patres nostros habita fuerunt, et Altissimus Petri sedem collocari voluit, litteratorumque et peritorum numerus copiosus habetur, post festum Resurrectionis D. N. J. C. proxime futurum inchoandum anno D. 1512 die lunae 19° mensis Aprilis, celebrandum, et ut sequitur, auctore Domino, finiendum denuntiamus, convocamus, statuimus, indicimus et ordinamus.[1])

Conciliabulum schismaticum.

66. Verumtamen Ludovicus Galliae rex et Cardinales rebelles a coeptis non destiterunt; sed die 1° Novembris a. 1511 conciliabulum Pisis congregarunt, animo uti vulgabant Ecclesiae reformandae cum in membris tum in capite hoc est Pontifice, adeoque ipsius exauctorandi. Sed Pisani, quamvis Florentinae cui parebant reipublicae imperio adacti essent ad coetum illum admittendum, apertis eum execrationibus uti sacrilegum excepere, neque se ab ulla significatione contemptus et aversationis abstinuere, conclamante per liberam indignationem populo, longe indigentiorem reformationis esse quemlibet coëuntium, quam ii ad quos reformandos se convenisse jactabant. Clerus non modo recusavit synodi functionibus interesse, sed non aliter quam jussu reipublicae coactus usum ecclesiae sacrique ornatus concessit. Translatus est dein, tribus sessionibus habitis, quum praelati suae timerent incolumitati, coetus ille Mediolanum, magna Gallorum antistitum laetitia, qui una cum Alibreto Cardinali, dumtaxat metu regis concurrebant, ideoque opportunitatem quamlibet ejus dissolvendi cupide conquirebant. Verum Mediolani cum despectu regiae auctoritatis recepti sunt non ut Cardinales et Episcopi, sed ut perditi ac scelerati homines. Praelati rebelles triginta circiter numero, inter quos septem Cardinales, nihilominus continuarunt conciliabulum suum, ac Mediolani die 4° Januarii a. 1512, quartam, dein caeteras usque ad octavam sessiones habuerunt. In his multa contra auctoritatem R. Pontificis summa cum arrogantia decreverunt; Julium ceu notorium Concilii perturbatorem, contumacem et schismatis auctorem ab omni Ecclesiae regi-

[1]) V. Raynald. a. 1511. nn. 9 sqq.

mine suspensum declararunt, et omnibus cujusvis conditionis Christianis, ne ei deinceps obedirent, prohibuerunt. Schismaticum hoc decretum Ludovicus rex d. 16° Junii a. 1512 in omni ditione sua observandum mandavit. Quapropter Julius II die 21° Julii universam Galliam sacris interdixit. — Interim Francorum res in Italia collabebantur, et conciliabulistae illi haud tutius Mediolani quam Pisis agentes confugerunt Lugdunum; nihil tamen ibidem legitur gestum. Quum vero ineunte a. 1513 mortuus esset Julius II eique Leo X successisset, ad ejus clementiam Cardinales rebelles mox perfugerunt, ac paulatim tum ipsi tum alii praelati qui conciliabulo Pisano adfuerant, ecclesiasticae unitati benigne restituti sunt.

Concil. Later. gesta. 67. *Concilium Lateranense V* a Julio II indictum et convocatum ad conterenda schismatica conciliabuli Pisani studia, ad reformandos mores, ad procurandam pacem inter christianos principes et bellum contra Turcas promovendum, inchoatum fuit die 3° Maji a. 1512, et duodecim sessionibus absolutum die 16° Martii a. 1517. Adfuere tempore procedente circiter 150 episcopi et Cardinales, praeterea multi episcopi absentiam suam per procuratores excusaverunt; aderant multi doctores, generales ministri Ordinum religiosorum et oratores principum christianorum. — *Exstinctio schismatis* omnino obtenta fuit. Mox enim advenere legati Germaniae, Daniae, Norwegiae, Hungariae, Scotiae, Angliae, Castellae, Arragoniae, Italiae, Sardiniae et utriusque Siciliae, qui nationum suarum nomine Concilio adhaeserunt. Postquam vero Leo X Apostolicam Sedem ascendit, etiam praelati rebelles, uti diximus, ad obedientiam rediere, et sessione VII venia ipsis concessa fuit. Maxime porro Ecclesiae proficua fuerunt *abrogatio Sanctionis Pragmaticae* et Concordatum cum Francisco I Gallorum rege a Leone X confectum. Constitutio de Concordato Gallicano promulgata est sessione undecima, eodemque die (XIV Kal. Jan. a. 1516) alia Constitutio a Leone, sacro approbante Concilio, edita est, qua Bituricensis conventus acta rescidit, Praedecessorum suorum, qui Pragmaticae restiterant, et Ludo-

vici XI qui illam abrogaverat auctoritatem commemoravit, ac *Pragmaticam ipsam Sanctionem seu corruptelam, ejusque approbationem quomodolibet emanatam, omniaque et singula decreta, capitula, statuta in eadem quomodolibet contenta, inserta,* etc., indicta excommunicationis poena damnavit.

68. Quod ad *disciplinam ecclesiasticam* spectat, varia decreta sunt. Sic in sessione quinta, die 16° Febr. a. 1513, diploma pontificium Julii II promulgatum et a Concilio approbatum fuit, quo simoniaca pravitas in Romani Pontificis electione damnatur, electio quae simoniace fieret irrita pronuntiatur, Cardinales sic eligentes et quicumque consilio vel auxilio electionem illam promovissent, poenis canonicis subjiciuntur.[1]) — Sessione decima, die 4° Maji a. 1515, Leo X Constitutionem edidit, qua montes pietatis approbavit, et aliam Constitutionem, qua libros et scripta nisi antea legitime discussa et approbata imprimi vetuit. — Varia decreta sunt in pluribus sessionibus de *reformatione* Ecclesiae valde utilia; attamen negotium illud arduum ac summi momenti non eo promotum est fervore, qui necessarius fuisset, ut fructus uberiores obtinerentur. Id postea in Concilio Tridentino factum est, quum magna pericula ex apostasia Protestantium orta animos vehementius commovissent, et divina providentia viros insigni sanctitate praeditos excitasset, qui rem difficillimam perficerent. Ex eo igitur, quod in Concilio Lateranensi V potius de exstinctione schismatis ac de abolitione Sanctionis Pragmaticae solliciti essent, quodque generatim mala in Ecclesia oborta nondum satis ponderarentur, animusque

Decreta de disciplina.

[1]) Hanc Constitutionem Julius II jam XIX Kal. Febr. a. 1505 ediderat. Eum motum fuisse existimant varii auctores cum Rainaldo (ad a. 1506 n. 1) inde, quod Alexandrum VI simoniace pontificatum acquisivisse censeret. Remanet tamen res dubia. Ab Infessura ipse Julianus Cardinalis (Julius II) maxime arguitur, quod in electione Innocentii VIII simoniae se reddiderit reum. Sed sicuti de ipso forte immerito tales rumores orti sunt, ita id fieri potuisset in electione Alexandri, iisque rumoribus fortasse nimiam fidem adhibuit Julianus Cardinalis. Certe optimi fuit consilii, ut Constitutione severa conatus simoniaci praevenirentur ac provideretur honori Sedis Apostolicae.

deesset remedia ardua adhibendi, factum esse putamus, ut reformatio per Concilium Lateranense amplior non fuerit. Immerito autem culpatur Leo X, quod ipsi reformatio minime fuerit cordi. Qua de re pauca addere opportunum videtur.

Quaestio de reformatione.

69. „Praecipue Leo, scribit Alzog, ad reformationem parum pronus videbatur"; ac dein in nota ex Raynaldo ad a. 1513 n. 97 refert: „Quum Leoni nuntiaretur, mediam fere praelatorum partem desiderare reformationem universalem in toto a capite ad pedes, — Papa *quasi subridens* dixit, velle aliquantulum cogitare, ut omnibus satisfiat, et sic in prima sessione futura deliberare, ut omnium reformatio fiat tam sui quam *reformatorum*." [1]) Ex his crederes fere, Leonem ut futile quid reformationem istam habuisse: sed si conferuntur ea, quae ex Paride de Grassis Magistro caeremoniarum pontificio et episcopo Pisauriensi, apud Raynaldum l. c. referuntur, rem omnino aliter se habuisse patet. In sessione VIII videlicet tres Sanctiones lectae sunt, prima contra errores de anima humana sparsos; secunda de legatis mittendis a Concilio ad principes, ut pax et expeditio contra Turcas obtineretur; dein tertia qua Leo id praecipue proponebat, se in Bullam redegisse quae ad *reformationem officialium curiae Romanae* spectarent, ac velle hanc Bullam in altera sessione proponere. Finita lectione, lector Joannes Franciscus episcopus Taurinensis quaesivit: „Placentne vobis, patres, omnia quae per me lecta fuerunt? et scrutatores vota conquisierunt. Ad primam et secundam sanctionem omnes: Placet, responderunt. Tertia fuit super reformatione, et multis absolute non placuit; sed quod reformatio fieret universalis in toto a capite ad pedes: quo audito Papa quaesivit, an multi essent, et ille (lector) respondit: Quasi media pars praelatorum qui essent a latere sinistro. Et ego (Paris) qui aderam respondi similiter: Placet, quod reformatio fiat universalis, et quod reformatores reformentur; quo

[1]) Alzog, K. G. T. II. § 274 (ed. 8a) Simili ratione Kraus, K. G. (ed. 1) p. 436.

audito Papa quasi subridens dixit, velle aliquantum cogitare, ut omnibus satisfiat, et sic in prima sessione futura deliberare, quod omnium reformatio fiat tam sui quam reformatorum." Haec sane, si recte intelligantur, non ostendunt, Leonem a reformatione serio facienda alienum fuisse, sed contrarium potius insinuant.

70. Animadvertendum est, *quum tria imminerent reformanda, et Papa vellet super tribus rebus providere, videlicet super reformatione morum et rerum urbis et orbis, et super pace et quiete in republica christiana, et tertio super schismate tollendo,* [1]) tres Commissiones constitutas fuisse aliquot Cardinalium et viginti quatuor praelatorum, ita ut octo praelati pro unaquaque Commissione eligerentur. Ab illa reformationis Commissione elaboratum fuerat decretum de reformatione, quod officiales curiae Romanae spectabat, illudque decretum sanctione tertia, in sessione sequente annuntiabatur postea publicandum. Jam vero multis displicuit, quod tantum ageretur de reformatione officialium curiae Romanae, idque maxime ipsis praelatis curiae Romanae videtur haud gratum fuisse, ita ut postularent reformationem generalem totius Ecclesiae. Eo pertinent verba ipsius Paridis de Grassis, qui erat Magister caeremoniarum pontificius, adeoque ex officialibus praelatis curiae. Suffragium suum coram Leone dedit magna cum libertate et verbis, quibus *tangit praelatos et Cardinales,* qui decretum reformationis pro aliis, non vero pro se ipsis fecerant. Dum enim dicit: „Placet quod reformatio fiat universalis, et quod *reformatores* reformentur", nomine *reformatorum* designat Cardinales et praelatos Commissionis, et indirecte etiam totum coetum Patrum. Ad verba succensentis Magistri caeremoniarum Leo pro indole sua *subrisit,* et comiter respondit, se velle cogitare ut omnibus satisfiat et etiam sui et reformatorum reformatio fiat. Haec sane convenientissime ab ipso dicta sunt.[2])

Explicatio e fati Leonis.

---

[1]) V. Raynald. ad a. 1513 n. 97.

[2]) Haec explicatio verborum Leonis X, qui ob ea prolata passim carpi solet, rerum adjunctis apprime respondet. Advertendum etiam

70. Decretum porro de reformatione curiae per subsequentes menses varie mutatum fuit, ideoque etiam sessio nona, quae indicta erat pro die 9° Aprilis, prorogata est ad diem 5um Maji. In eadem vero nona sessione promulgatum fuit illud diploma de ecclesiastica disciplina instauranda, multaque hoc decretum continet, quae non solam curiam Romanam, sed etiam generatim clerum spectant. Attamen non satis provisum fuisse difficillimo reformationis universalis negotio, jam animadvertimus.

Decreta contra errores.

71. Commemoranda postremo sunt decreta, quae errores quosdam philosophico-theologicos spectabant. De his aliqua dicere opportunum erit, quum intime nectantur cum statu societatis christianae illius temporis. Saeculo XIV et XV plura systemata philosophico-theologica orta erant, quibus doctrinae scholae medii aevi impugnabantur. Perniciosissimum illorum systematum fuit ille *Aristotelismus antischolasticus*, qui praecipue in Italia superiore propagabatur et doctrinis Averrois philosophi Arabis maxime nitebatur. Averrois principium fundamentale erat, religionem maxime colendam et populo valde necessariam esse; eam tamen non absolute esse veram, adeoque varias religiones aeque aestimandas. Philosophum igitur religioni venerationem exhibere debere, sed philosophiam religione superiorem esse, variaque posse eadem contineri religioni opposita; talia proinde esse theologice falsa, sed philosophice vera. Secutus porro fuerat Averroës Aristotelem, ejusque philosophiam ita exponebat, ut plura christianae religioni plane opposita ex ea deduceret. Aristotelismus antischolasticus Averroismo plane affinis multos asseclas saeculo XV invenit in Venetorum republica, atque

---

est, Paridem ejusmodi indolis fuisse liberioris simul ac facetae, ut dum talis vir postularet, ut *reformatores reformarentur*, Pontifex eo facilius moveretur ut subrideret. Ex iis quae referuntur a Raynaldo ex Diario Paridis, et ex Diariis nuper editis ab Armelli (Il Diario di Leone X di Paride de Grassi, Roma 1884) et Döllinger (Beiträge etc. T. III. 363.) colligitur, Paridem pronum fuisse ad ironiam. Quomodo aliquando archaeologis illuserit, vide ap. Jöcher, Gelehrtenlex. tit. de Grassis.

in celebri Universitate Paduana per viros famosos tradebatur. Ineunte saeculo XVI ibidem systema suum Aristotelicum proponebat Petrus Pomponatius, famamque et laudem summam sibi comparaverat. Praecipuae quaestiones, quae explicabantur ab illis philosophis spectabant animam humanam; doctores hi juxta principia philosophica animam mortalem esse nitebantur ostendere, simul tamen dicebant, ex fide catholica se eam habere ut immortalem. Quum in ditione Venetorum eo tempore cum magnis divitiis magna etiam morum perversio orta esset, doctrina illa de mortalitate animae, et generatim Aristotelismus Averroisticus, qui materialismo favebat, multos invenit asseclas; et pro religione christiana inde in istis regionibus apud multos nobiliores et magis cultos libertinismus morum et opinionum invaluit. Huic malo grassanti igitur Concilium Lateranense V obviavit edito in sessione octava decreto: *Cum diebus nostris, quod dolenter referimus, zizaniae seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores a fidelibus semper explosos in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit aut unica in cunctis hominibus, et nonnulli temere philosophantes secundum saltem philosophiam id verum esse asseverent, contra hujusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus et haec in dubium vertentes, cum illa non solum vere, per se, essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone fel. recordationis Clementis P. V praedecessoris nostri in generali Viennensi Concilio edito continetur, verum et immortalis et pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit; . . . omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus, et ut aliter dogmatizare non liceat districtius inhibemus. . . . Insuper omnibus et singulis philosophis in universitatibus studiorum generalium et alibi publice legentibus districte praecipiendo mandamus, ut cum philosophorum principia et*

Decretum de anima humana.

conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint vel explanaverint, quale hoc est de animae mortalitate, aut unitate, et mundi aeternitate, ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis christianae omni conatu manifestam facere, et persuadendo pro posse docere, ac omni studio hujusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere. Quum de hac Bulla suffragia Patrum colligerentur, ex 125 Patribus duo *Non placet* responderunt, quorum alter erat celeberrimus Cajetanus, cui (immerito) non placebat, quod philosophi juberentur revelatam veritatem proponere. Ex hoc facto colliges, Cajetanum, qui inter praecipuos auctoritatis et infallibilitatis pontificiae propugnatores recensetur, falso adulationis accusari; talis enim si fuisset, praesente ipso Pontifice, contra illam Constitutionem non dedisset votum suum.

Confirmata Bulla *Unam Sanctam.* 72. In sessione undecima, die 19° Decembris a. 1516, Constitutione, qua rejecta fuit Pragmatica Sanctio, confirmata etiam est Bulla *Unam Sanctam* Bonifatii VIII his verbis: *Et cum de necessitate salutis existat, omnes Christi fideles Romano Pontifici subesse, prout divinae Scripturae et Patrum testimonio edocemur, ac Constitutione fel. memoriae Bonifatii P. VIII, quae incipit „Unam Sanctam", declaratur, pro eorumdem fidelium animarum salute, ac Romani Pontificis et hujus sanctae Sedis suprema auctoritate, Ecclesiae sponsae suae unitate et potestate, Constitutionem ipsam, sacro praesente Concilio approbante, innovamus et approbamus, sine tamen praejudicio declarationis sanctae memoriae Clementis P. V quae incipit Meruit.*[1] — Multa etiam in variis sessionibus pro bello contra Turcas decreta sunt.

74. Finis impositus est Concilio Lateranensi V sessione duodecima, die 16° Martii a. 1517; plures tamen Patres, inter quos Cajetanus O. P., commendabant Concilii continuationem. Adfuerunt ad ultimam sessionem sexdecim

---

[1]) In ista declaratione *Meruit* non contineri immutationem vel restrictionem Bullae *Unam sanctam,* sed tantum declarationem, qua falsa cavebatur interpretatio, jam vidimus.

Cardinales et centum circiter praelati. Haud immerito Raynaldus: *Tam paucos numero praesules ex tot amplissimis regnis, quae tunc Romanae Ecclesiae parebant, toties ad Concilium Apostolico imperio vocatos venisse, indicat eorum temporum socordiam, quibus plures episcopi, abjecta ecclesiarum cura terrenarumque rerum amore irretiti, inanibus curis se implicabant.*[1]) — Concilium Lateranense inter Concilia oecumenica recensendum esse manifestum est; fuit enim universale Concilium tum convocatione, tum celebratione, tum confirmatione. Sufficiens repraesentatio Ecclesiae in celebratione, quamvis numerus episcoporum minus amplus esset, habebatur, et quidquid quoad materialem repraesentationem, eo quod multi vocati non venerant, desiderabatur, abundanter per Pontificis praesentiam et auctoritatem supplebatur.

De Concilio Later. V consuli possunt: Acta Concilii Later. V. ap. Harduin. T. IX. p. 1561—1856. — Raynald., Annal. a. 1512—1517. — Natalis Alexander, Hist. Eccles. saec. XV et XVI. Dissert. XI. — Hefele, C. G. VII.

III.

De causis praecipuis, quibus praeparata fuit defectio Protestantium.

75. Magnam illam defectionem, qua ineunte saeculo XVI societas christiana Occidentis afflicta est, variis causis praeparatam fuisse, tum ex ipsa natura eventuum magnorum, qui sane non veluti ex abrupto accidere solent, conjici, tum ex eis quae disseruimus jam colligi potest. Convenit tamen, ut hoc loco paucis insinuemus praecipuas causas, quibus pseudoreformatio ista praeparata fuit. Quum Variae causae.

[1]) Ad a. 1517. — Falso tamen scribit Janus p. 369, in Concilio Later. V tantum 65 episcopos adfuisse. De sessione VIII ait Paris de Grassis: „Fuerunt in totum mithrae centum et viginti duae, praeter Pontificem et Cardinales qui sunt, ut dixi, viginti quinque.“

vero defectio in eo fuerit, ut rumperentur a multis penitus vincula fidei et communionis quibus unitas Ecclesiae consistit, facile vides inde peti generatim debere defectionis praeparationem, quod praecedenti tempore *vincula illa communionis et fidei magis magisque atteri coeperint.*

Variae igitur quae recenseri possunt rationes ad hanc causam generalem facile reducentur.

Oppositio contra R. Pontificem.

76. Commemoranda itaque venit 1° ut causa praeparans defectionem completam diffidentia illa, antipathia et oppositio contra auctoritatem RR. Pontificum, quae inde a duobus saeculis magis magisque invaluerat. Primum quidem, praesertim Philippi Pulchri perfidiâ, apud principes et nobiles se haec oppositio manifestaverat; dein occasione commorationis RR. Pontificum in Gallia, Ludovici Bavari et Fraticellorum, schismatis subsequentis et Concilii Basileensis, magis magisque eadem aucta est, atque etiam apud multitudinem et multos episcopos, praesertim in Germania, altas fixit radices. Sic reverentia erga Pontifices maxime imminuta est, simulque tendentia perversa contra potentiam legitimam eorum spiritusque quidam rebellionis animos plurimorum occupavit. Quum vero voluntatis dispositio vehementer influat in intellectum, ex hac antipathia maxime, et simul ex tristibus temporis eventibus, uti ex diuturno schismate, ex rebellione Concilii Basileensis ac neutralitate nationis Germanorum evenit, ut etiam ipsa *principia* de divina primatus origine ac de ejus necessitate obscurarentur.

2° Invaluerat pariter ex multis annis, quod cum his quae diximus cohaeret, *postulatio clamorosa reformationis* in capite et in membris, ita tamen ut multi maxime in Pontifice Romano et in Curia aestu plane exaggerato hanc reformationem fieri poscerent, et ex Curiae corruptione et socordia omne malum emanare falso contenderent. Hinc quum sub ementito reformationis nomine novatores magna cum audacia procederent, multis eorum conatus valde placuerunt.

3° Quemadmodum saeculo XV invaluerat contemptus auctoritatis ecclesiasticae atque antipathia et oppositio contra

eam, ita etiam apud eruditos propagata erat contemptus scientiae illius ecclesiasticae, quae tum quoad theologiam tum quoad philosophiam unitate quadam eousque omnes continuerat. Oppugnaverunt videlicet multi *Scholasticam* illam, quam inde a saeculo XII viri omnes eximii coluerant, et irrisioni et contemptui hanc scientiam ecclesiasticam, tum quoad doctrinas, tum quoad methodum, devovere studuerunt. Originem habuit haec lucta ex *Restauratione* quae dicitur disciplinarum humaniorum, quae saeculis XIV et XV contigit, et *humanistae* magna ex parte scientiae antiquae ecclesiasticae acres erant oppugnatores. Quum videlicet antiquorum paganorum scripta nimio sectarentur amore et ardore, mox non tantum formam ac stylum adamavere, sed etiam principia et doctrinas in auctoribus illis contenta. Unde quum eousque medio aevo unitas quaedam scientiae in societate christiana viguisset, haec diruta est, ac multa systemata philosophica et theologica propugnata, antiquorum vero doctrinae ac methodus irrisioni datae sunt. Sed etiam multis humanistis principia paganorum quoad vitam moralem comprobata erant, ita ut moribus essent maxime dissolutis. Inde mox quoque adversarii infesti institutionum et auctoritatis Ecclesiae facti sunt, atque theologos et ecclesiasticos viros impugnarunt, et promptissimos se exhibuerunt ut novatores sequerentur. Humanistarum tendentiae.

77. 4° Mirum non est, in tristibus illis rerum circumstantibus *morum quamdam relaxationem* apud multos in christiana societate inolevisse. Defuit multis ecclesiasticis viris morum illa severitas, quae statum decet sacrum, ne de iis loquamur qui dissolutam vitam sequebantur.[1]) Ac

---

[1]) Continentiae disciplinam saepe violatam fuisse, refert Aeneas Sylvius dum narrat, Sigismundum Imperatorem institisse apud Basileenses, ut coelibatus legem abolerent, quum adeo eadem violaretur. „Prius quam abiret (Sigismundus), scribit, Johannem pontificem Lubicensem, quem propter jocos immodicos histrionem synodi nuncupabant, ad singulas deputationes precatum misit, ut sacerdotibus Christi nuptias restituerent, ... inutiliter uxores esse praereptas sacerdotibus; vix inter

Relaxatio morum.

defectus seminariorum certe una fuit ex causis praecipuis, quod vigor et sanctitas in sacerdotibus desiderarentur. Etenim in Universitatibus disciplinae quidem, humaniores praesertim, egregie colebantur, sed non satis provisum erat, ut virtutibus clerici imbuerentur. Plures etiam in Clero superiori leviorum erant morum, quumque filii nobilium secundogeniti saepe statui ecclesiastico destinarentur, ut ad dignitates majores pervenirent, quamvis vocatio non adesset, factum est, ut liberiorem saepe ducerent vitam, habitumque ecclesiasticum non deferrent. — Simili ratione etiam in Ordinibus religiosis, vel in variis monasteriis, vitae severioris relaxatio apud plures inveniebatur, nec omnes veram vocationem religiosam habebant. Postea tum illi clerici vitae liberioris tum ejusmodi religiosi pseudo-reformatoribus adhaeserunt. — Morum autem levitas et dissolutio maxima erat apud laicos, tum principes ac nobiles, tum plebejos, ita ut plurimi parvi penderent voluptatibus illicitis se committere. Quamvis nihilominus plerique religioni catholicae addicti essent, verus tamen apud non paucos deerat religionis fervor, ac facile tales homines seduci poterant. Ista morum relaxatio ex scriptoribus illorum temporum relucet, v. g. ex epistolis Aeneae Sylvii. Ut quaedam saltem citemus, opportunum erit referre quid in *Descriptione urbis Viennensis* (ep. 165) de incolis eorumque moribus dicat.

78. Postquam descripsit splendorem aedificiorum, domuum ac templorum civitatis, quae tum ultra quinquaginta millia incolarum habebat, ait: „Sacerdotes abundantes bonis pluribus. ... Quatuor Ordines mendicantium procul a mendicitate ibi absunt. Scoti (Benedictini) et Canonici regulares s. Augustini admodum divites habentur, moniales

mille unum reperiri continentem presbyterorum, omnes aut concubinarios, aut adulteros, aut quod pejus est inveniri. . . . Vicit tamen sententia eorum, qui hoc tempore tantum opus aggrediendum negavere." De rebus Basileae gestis commentarius, ed. Fea p. 57. — Exaggerata quidem sunt dicta Sigismundi, qui ipse in voluptates effusus erat; ostendunt tamen, disciplinam non raro violatam fuisse.

que sacrae et sanctae virgines. Ibi quoque monasterium est ad sanctum Hieronymnm nuncupatum, in quo meretrices conversae recipiuntur, quae die ac nocte hymnos lingua theutonica decantant: quarum si qua redire ad peccatum deprehensa fuerit, in Danubium praecipitatur. Sed agunt ibi pudicam et sanctam vitam; rarus de his sermo malus auditur. . . . Studentes (Universitatis) ipsi voluptati operam praebent vini cibique avidi. Pauci emergunt docti, neque sub censura tenentur, die noctuque vagantur, magnasque civibus molestias inferunt. Ad haec mulierum procacitas mentes eorum alienat. . . . Caeterum in tanta et tam nobili civitate multa enormia sunt; die noctuque rixae ad modum praelii geruntur: nunc artifices adversus studentes, nunc curiales in artifices, nunc isti opifices adversus alios arma sumunt. Raro celebritas absque homicidio peragitur. Frequentes caedes committuntur. Ubi rixa est, non sunt qui dividant contendentes. Neque magistratus, nec princeps custodiam (ut par esset) ad mala adhibent. Vinum domi vendere nihil existimationi officit. Omnes fere cives vinarias tabernas colunt, stubas calefaciunt, coquinam instruunt, bibulos et meretrices accersunt, hisque cibi aliquid cocti gratis praebent, ut amplius bibant, sed minorem mensuram dant. Plebs ventri dedita, vorax, quidquid hebdomada manu quaesivit, id festo die totum absumit: lacerum et incompositum vulgus Meretricum maximus numerus; raro mulier est uno contenta viro. Nobiles ubi ad cives veniunt uxores eorum ad colloquium secretum trahunt, viri allato vino domo abeunt ceduntque nobilibus. Plurimaeque puellae patribus insciis viros sibi delegunt. Viduae intra tempora luctus ex arbitrio suo nubunt. Pauci in civitate sunt, quorum proavos vicinia novit, rarae familiae vetustae, advenae et inquilini omnes. Mercatores divites senio confecti puellas in matrimonium ducunt, easque brevi dimittunt viduas; illae inter familiares domesticos, cum quibus saepe consuetudinem adulterii habuerunt, juvenes viros accipiunt; ita qui heri pauper, hodie dives invenitur. Contra quoque hi superviventes, uxores alias accipiunt, resque per circulum ducitur. Raro filius

Descriptio Viennae.

patri succedit. . . . Captatores haereditatum multi, qui senibus blandientes scribi haeredes sese curant. Aiunt et mulieres esse admodum multas, quae viros graves uxoribus veneno auferunt. Constat, a nobilibus saepe caesos esse cives, qui uxores suas verbo terruerunt, quibus amatores in curia fuerunt. . . . Excommunicationes tantum timent, quantum infamant, aut damno temporali sunt. . . . Ad haec festa parum religiose colunt" etc. Similis fere videtur rerum status fuisse in aliis civitatibus, ita ut lepor quidam et levitas morum apud multos inveniretur.

Attamen omnino falsum est, universim societatem catholicam corruptam fuisse; adsunt enim ex illa aetate innumera virtutum, pietatis, sanctitatis exempla. Imo majorem religiosorum, ecclesiasticorum et forte etiam laicorum partem censemus bonam fuisse ante pseudoreformationem.[1] Sed qui corruptione infecti erant, uti semper fieri solet, magis prominebant, mox novatores secuti defecerunt et incautas multitudines seduxerunt.

Antagonismus contra Clerum.

79. 5⁰ *Antagonismus et lucta* existebat inter praelatos et civitates eis subjectas, quum civitates, quae paulatim ad magnam pervenerant potentiam amplasque divitias, juribus episcoporum aliorumque praelatorum resisterent, et independentiam magnam sibi vindicare niterentur. Dissidia ista ad defectionem civitates reddiderunt promptiores. — Nobiles pariter infensi erant episcopis, eo quod ecclesiastici maxime eorum rapinis et turbis bellicosis resisterent, et ad servandam pacem Imperii sub Maximiliano conclusam eos adigerent. In multitudine autem populari tum civitatum tum ruris aestus quidam libertatis exortus erat, et cum desiderio independentiae civilis mox etiam tendentia quaedam ad independentiam in re religiosa sese junxit, atque ita quum pseudoreformatores libertatem evangelicam annuntiarent, animi vehementer allecti sunt.[2]

---

[1]) De conditione societatis in Germania versus finem saeculi decimi quinti, cfr. Jansen Geschichte des deutschen Volkes, T. I.

[2]) Statum Germaniae turbatum discordiasque et simultates quae ad defectionem ab Ecclesia disponebant bene describit Höfler *Papst*

80. 6° Recenseri etiam solent quidam praecursores reformationis, qui liberius auctoritatem Ecclesiae vel ejus doctrinas impugnarunt. Tales certe fuerunt Wiclefus et Joannes Hus, de quorum doctrinis jam egimus. Mediante saeculo XV *Joannes Weselius* (J. Ruchrat a Weselia ortus), primum in Universitate Erfurtensi, dein in Basileensi professor, ac demum canonicus et praedicator ecclesiae cathedralis Wormatiensis, opiniones falsas sparsit, ac jurisdictionem et auctoritatem Ecclesiae impugnavit. Contra eum ab archiepiscopo Moguntino inquisitum fuit et scripta ejus combusta sunt, ipse vero in monasterium relegatus a. 1481 mortuus est. — *Joannes de Goch* (Puppar) Ord. s. Augustini, tantum s. Scripturas ut regulam fidei agnoscebat, et vota monastica condemnabat. Obiit ipse a. 1475. — Alius quidam *Joannes Wesselius* ortus ex oppido Groningen, inter theologos illius temporis famosus, etiam opinionum erronearum suspectus fuit, simulque liberius abusus qui in Ecclesia ipsi adesse videbantur aggressus est. Processus quidem in ipsum factus, sed non condemnatus fuit, mortuusque est a. 1489 in civitate patria Groningen. — Temerarias opiniones similiter ea aetate *Nicolaus Russ* in civitate Rostock propugnabat, quum in monachos atque in hierarchiam Ecclesiae, in cultum sanctorum et reliquiarum et contra indulgentias audacter declamaret. **Praecursores pseudoreformationis.**

81. Plane immerito *Hieronymus Savonarola* inter praecursores Lutheri recensetur. Etenim doctrinas haereticas nullatenus sparsit. Sed intempestivo quodam ardore reformationis et correctionis abreptus est, ut aequi excederet limites, donec triste sibi conscivit supplicium. De ipso quid judicandum, usque ad tempora nostra etiam inter doctos et pios controvertitur. Placet ea citare, quae habet Raynaldus ad a. 1498. n. 10 sqq.; nam etiam consideratis iis quae a recentioribus de Savonarola scripta sunt, Raynaldi relatio brevis rei et quaestionis summam satis clare exhibere videtur. „Hoc eodem anno Florentiae

---

Adrian VI (Wien 1880), L. I; cfr. etiam Jansen, Geschichte des deutschen Volkes, T. II. L. I.

H. Savonarola. tumultus civiles aucti, in quibus Hieronymus Savonarola O. P. qui magna doctrinae et sanctitatis opinione apud suos ob adstrictam religiosam disciplinam necnon pietatis cultum inter populares provectum florebat adeo, ut etiam ob Italicas calamitates multo antequam contingerent praedictas propheta haberetur, cum in concionibus coelestia jactaret visa, miracula polliceretur nec patraret, novasque res moliturus in Alexandrum declamaret, sollicitaretque reges, ut concilium oecumenicum, ad christianam disciplinam in pristinum statum restituendam, decernendumque in Turcas pro restituenda Orientis religione sacrum bellum, agendum curarent, Florentinaeque reipublicae gubernacula a partium suarum sectatoribus qui pii videbantur regenda affectaret, ab adversariis quos depressos cupiebat supplicio affectus est, quum in carcere fassus esset, vaticinia quae propalasset, partim ex sacris oraculis elicuisse, partim sagacitate mentis collegisse, coelestia visa sibi objici confinxisse ad captandam famam, tum ingentia illa pietatis opera, uti de congreganda Synodo oecumenica pro moribus cleri populique perpoliendis, conficiendo sacro bello, augenda pietate, ad improbum finem, nempe ad mundanam gloriam assequendam direxisse. Inique tamen ipsum oppressum ab aemulis, et quamvis haec de se fassus sit, tormentorum saevitiae succubuisse, ejus studiosi voluere. Virum illum in non paucis peccasse graves contendunt auctores, seque in impietatis grave discrimen conjecisse, pavisse curiosos impostoris instar fallaci prodigiorum spe, unde arcano Dei judicio flammis, quas a suis veluti rosas impune calcandas jactabat, exustus perierit."

82. „Discissa erat tunc contrariis duabus factionibus Florentina respublica. Pars, quae Hieronymum ut vatem colebat, Caroli Francorum regis exspectatione sustentabatur, Pisas quibus potiebantur Veneti aliasque urbes creditas Carolo recuperare illius adventantis ope sperabat: pars vero adversa Pontificis ac Mediolanensis Venetique foederatorum societatem amplectendam suadebat. Inter quae quum Hieronymus pontificia Romanaeque curiae vitia acerbe carpsisset, solemnesque episcoporum coetus cogen-

dos, ut tot malis modus poneretur, contenderet, in crimen factionis novae concitatae suspectaeque doctrinae ab adversariis adductus est. Quare ab Alexandro concionatorio interdictus est munere, cumque aliquanto tempore paruisset, verum exinde famam obsolescere seque injuste opprimi putaret, pontificium interdictum contra leges latum palam contendit, sectatorum suorum patrocinio fretus. Tum vero magis collapsae illius res auctusque adversariorum numerus, qui illum tanquam contumacem Pontifici, et summo Ordinis Dominicani Magistro rebellem traducere coeperunt, praecipue ii, quibus Sedis Apostolicae nomen sacrosanctum erat, a cujus imperiis etsi acerbissimis viro praesertim rèligioso desciscere nefas esset, atque inter hos Franciscus Ord. Min., qui in ecclesia S. Crucis sacras conciones habebat, in illum veluti perduellem nefandaeque doctrinae satorem invectus est. Contra autem illum Ordinis Praedicatorum concionatores palam defendere, ac Dominicus e Piscia eo progressus est, ut Minoritam de subeundo ad probandam dictorum fidem ardente rogo provocarit." H. Savonarola.

83. „Ad has Praedicatorum Minorumque Fratrum concertationes exarsere Florentini, qui novo quodam prodigio oculos pascere cupiebant; atque etiam Raynaldus Ursinus archiepiscopus Florentinus, qui hujusmodi imprudentium hominum in flammas ruere parantium provocationes compescere debuisset, eos magis provexit, ut questus est in carcere Savonarola, qui invitus ad hosce laqueos trahebatur. Hic cum die constituta excitatis duobus ingentibus rogis in medio foro, in quod populus ad spectandum confluxerat, adversarium Minoritam incendii ardore non territum videret, spes in Eucharistia ad demulcendas flammas reposuit, negavitque sodalem Dominicum ingressurum rogos, ni secum Christi corpus, in quo spes sitae erant, deferret, cum Minorita contemptor vitae id non deposceret, sed palam se in cineres redactum iri profiteretur, instaret tamen, ut nisi praedicator aemulus illaesus e flammis emergeret, Savonarolae doctrinam de non parendo pontificio interdicto impiàm censendam. At Florentini magistratus qui ex editiori theatro rei exspectatione su-

H. Savonarola. spensi erant nec miserorum imminenti ustulatione movebantur, cum animadvertissent, sacrilegum facinus patraturos Deumque impie tentaturos, si sacram Eucharistiam flammis inferri paterentur, spectaculum prudenter dissolverunt. At populus prodigii jactati exspectatione delusus, Savonarolam ut hypocritam et pseudoprophetam, qui Ecclesiam non audiret seque audiri vellet, traducere coepit." — In carcerem deinde dejectus eique processus factus est; acta Romam transmissa fuerunt ibique reus declaratus est. Generalis Ordinis Praedicatorum Magister et Romolinus Episcopus postea Cardinalis Surrentinus delegati a Pontifice judices illum una cum duobus sodalibus sacerdotali exutum dignitate Florentinis magistratibus tradiderunt, qui die 23° Maji a. 1498 strangulatum laqueo flammis exusserunt.

84. Nonnulli, uti jam monuimus, dubitarunt, inique Savonarolam oppressum fuisse, publica vero illius judiciariae actionis monumenta vel adulterata ab adversariis, vel illum tot dierum cruciatibus fractum ex humana imbecillitate interrogantium cupidini morem gessisse. Constatque, atrocissimas calumnias, quas in Romana Curia sparsas fuisse refert Burchardus, de arcanis exomologeseon a sodalibus illi patefactis vitaque impura ac sacrilegis inquinata, omnino falso affictas fuisse. Neque doctrinae haereticae a Savonarola in scriptis suis sermonibusque propositae sunt. Sed ardore imprudenti et fervidiore imaginatione delusus in multos incidit excessus. Quae vel ex s. Scripturis colligi ipsi visa sunt, vel imaginationis suae somnia fallacia, quum lumine divino sibi ea immissa reputaret, instar prophetae multitudini annuntiabat, futuras Italiae vaticinans calamitates. Simul vehementer non solum in adversarios quos Florentiae habebat, sed etiam in eos qui Ecclesiae praeerant temeraria audacia invehebat. Testantur haec ipsius sermones, ex quibus postea juxta Tridentinas regulas complures in *Indicem* redacti fuere. Jure igitur Alexander VI intervenit, et Savonarolam monachum Romam citavit, praedicationem inhibuit, ac demum excommunicavit.

85. Debuisset certe Savonarola, vir ordini religioso addictus, Alexandro VI obedire, etiamsi eum censeret indignum esse Pontificem. Sed submissionem detrectavit, Pontificem illegitimum esse contendit, eoque progressus est, ut ad principes dirigeret litteras, quibus, ut Alexandrum VI convocato Concilio generali deponendum curarent, eos excitaret. Quum porro factio politica Savonarolae adversa Florentiae praevaluisset, in carcerem conjectus et actio juridica in eum instituta est. Postulavit Pontifex, ut Romam hic mitteretur ad ipsius tribunal. Quod si factum fuisset, in monasterium quidem relegatus esset Hieronymus, verum non damnatus ad ultimum supplicium. Sed petitioni Pontificis non obsecuti sunt qui Florentiae dominabantur. Hinc Româ missi sunt Magister generalis Dominicanorum et Romelinus episcopus, qui actioni in virum infelicem institutae causaeque examini interessent. Etsi vero in hoc examine partium studia habuerint influxum, nec omnia rite peracta esse videantur: ex eventuum serie tamen satis colligitur, non omni culpa Hieronymum Savonarolam caruisse, sibique adscivisse ruinam maxime eo, quod iras vehementes adversariorum politicorum imprudenti suo ardore provocaverit. Nec est, cur in Alexandrum VI ob ea quae evenerunt Savonarolae acrius invehatur.[1]

H. Savonarola.

[1]) V. Balan, Storia d'Italia L. XXXIX. nn. IX –XIV. Apprime ad rem hic auctor: „Da alcuni santo, da altri fu il Savonarola stimato eretico; ma eretico non fu, fu traviato da zelo immoderato, da calda avversione al vizio che vedeva in ogni parte potente, e resistette al Papa per quell' errore nel quale alcuna volta cadono anche uomini savi e pii di mente focosa e persuasi di avere una missione straordinaria nella Chiesa, quegli uomini che dannosi a credere di dovere salvare la Chiesa a suo dispetto e che dimenticano, come il saldo fondamento della virtù sia l'ubbidienza al Vicario di Cristo, e il primo dovere il non disfare colla ribellione al capo ciò che si vuole costruire." L. c. n. XIII. — De Hieronymo Savonarola cfr. etiam *Jérôme Savonarole et son temps*, par Pasquale Villari, traduit de l'italien par G. Gruyer. Paris, Didot 1874; P. Bayonne, *Etudes sur Jérôme Savonarole d'après de nouveaux documents,* Paris, Poussielgue 1879; Rouard de Card, O. P., *Jérôme Savonarole et la statue de Luther à Worms;* Louvain, Fonteyn 1877.

Status rerum Romae.

86. 7° Maximi sane momenti fuisset, ut labente saeculo XV in Sede Apostolica viri sederent, qui virtutibus, dignitate, auctoritate, ingenio eminerent, rebusque ecclesiasticis restaurandis singulari energia, quemadmodum aliquando Gregorius VII ejusque successores, operam darent. Sed adeo insignes non fuerunt Pontifices illius aetatis, ac variis etiam rerum circumstantiis, praesertim Italiae turbis impediti fuerunt, ut influxum opportunum et necessarium, quo mala imminentia forte cohibuissent, in universam Ecclesiam exercerent. Et quamvis multa quae de Curiae corruptione dicuntur omnino exaggerata sint, tamen quamdam disciplinae relaxationem etiam ibi irruisse, negari nequit. Quum id in aliis regionibus et nationibus non esset ignotum, minus etiam effecerunt conatus ab aliquot Pontificibus adhibiti ut saluti Ecclesiae providerent, magnumque detrimentum ipsi reverentiae erga Pontifices eorumque auctoritatem inde exortum est.

87. Quae recensuimus videntur fuisse causae praecipuae, quibus defectio aliquatenus praeparata est; debent eaedem spectari, quatenus ad relaxationem vinculorum communionis et fidei contribuerunt. — Ab auctoribus Ecclesiae minus addictis reformationis tres istae causae proferuntur: 1° Ignorantia tum sacerdotum tum multitudinis in re religiosa. 2° Corruptio morum profunda. 3° Abusus intolerabiles tum in doctrinis, tum in vita praecipue sacerdotum et religiosorum. Quid de his verum sit ex dictis colligi potest, universim autem haec assertio admitti nequit. Quod ad ignorantiam spectat, nullatenus tanta fuit quanta saepe describitur; nec vere asseritur, praedicationem verbi Dei admodum neglectam fuisse. Ex testimoniis enim coaevis contrarium colligitur.[1]) Sic e. g. celeberrimus illius temporis praedicator Geilerus, concionator Argentoratensis, in suis sermonibus loquitur de iis, qui in civitatibus „ab uno sermone ad alium currunt"; et in suo oratione funebri in Episcopum Albertum de

[1]) Cfr. Moehler, Hist. de l'Eglise, T. III. Ch. I. §. 3. La prédication à la fin du moyen âge; Jansen l. c., T. I. L. I. Sect. II.

Mirbach (1506) inducit praelatos se excusantes quod non concionentur his verbis: „Nonne jam tanta abundantia habentur conciones, ut nausea moveatur auditoribus.“ Norimbergae a. 1526, quum nimia esset sermonum multitudo, constituebatur, ut in duabus ecclesiis parochialibus ad s. Laurentium et s. Sebaldum, et in quatuor Religiosorum monasteriis diebus Dominicis et festis mane haberetur sermo, non vero a meridie, sed ut post meridiem concio tantum fieret in quatuor aliis ecclesiis. — Nec ruri praedicatio negligebatur. Ex coaevis tantum illae querelae audiuntur, quae etiam aliis temporibus communes sunt, videlicet nimis negligenter praedicari et nimium esse usum collectionum sermonum confectarum, inter quas ea cujus titulus erat „*Dormi secure*“. Plurimae ejusmodi sermonum collectiones habuere illa aetate editiones, unde ea Wimpfelingi querela ad Geilerum: „Bibliopolae nostri nihil elegantis habent; sola *verborum composita*, et sermones *Dormi secure*, quibus sacerdotes rurales fallunt, caeteraque id genus.“ Praedicatio non neglecta.

Admitterem vero, quum uti vidimus saeculo XV tendentia quaedam Sedi Apostolicae ejusque auctoritati opposita etiam in clero propagata esset, minus clare etiam multitudini expositam fuisse doctrinam de primatu ejusque necessitate et auctoritate, ac sic facilius postea defectionem obtineri potuisse. — Abusus intolerabiles in doctrinis adfuisse plane negandum est; quousque aliqua morum relaxatio invaluerit, jam exposuimus.

Index.

Pag.

Dissertatio trigesima.

De Pontificatu Bonifatii VIII. 1

I. De Pontificatu s. Coelestini V, et de electione Bonifatii VIII 3
II. Initia Pontificatus Bonifatii VIII ac de origine dissidii inter ipsum et Philippum Pulchrum 14
III. De dissidio cum Columnensibus, de Jubilaeo aliisque Bonifatii gestis 30
IV. De conflictu cum Philippo Pulchro vehementius renovato . 38
V. De Bulla „Unam sanctam" ac de Bonifatii obitu . . 48
VI. De processu juridico contra Bonifatium 71

Dissertatio trigesima prima.

De abolitione Ordinis Templariorum. 78

I. De electione Clementis V, deque initiis ejus Pontificatus . 80
II. De processu contra Templarios instituto 91
III. De abolitione Ordinis Templariorum in Concilio Viennensi . 108
IV. De justitia abolitionis Ordinis Templariorum . . . 118

Dissertatio trigesima secunda.

De Pontificibus Avenione commoratis. 150

I. Series Pontificum Avenionensium 153
II. De Minoritarum turbis 174

Pag.
III. De dissidio inter Pontifices Avenionenses et Ludovicum Bavarum 188
IV. De Reservationibus, Annatis et Commendis 217

Dissertatio trigesima tertia.

De magno Occidentis schismate. 239
I. De electione Urbani VI et ortu schismatis 242
II. De schismatis incrementis 263
III De Concilio Pisano 279

Dissertatio trigesima quarta.

De Concilio Constantiensi. 291
I. De exstinctione schismatis 294
II. De decretis Sessionis quartae et quintae 308
III. De condemnatione Joannis Hussii errorumque ipsius . . 325

Dissertatio trigesima quinta.

De Concilio Basileensi ac de Synodo Florentina. 344
I. De Concilio Basileensi 345
II. De Synodo Florentina 375

Dissertatio trigesima sexta.

De statu Ecclesiae ad finem vergente saeculo XV et ineunte saeculo XVI. 406
I. De Romanis Pontificibus 407
II. De Concilio Lateranensi V 458
III. De causis praecipuis, quibus praeparata fuit defectio Protestantium 469
Index 482
Index alphabeticus rerum 484

Index alphabeticus rerum.

A.

Aegidius Romanus, D. XXX. 55.
Aeneas Sylvius, v. Pius II.
Alexander V, D. XXXIII. 47; an legitimus Pontifex, 51 sqq.
Alexander VI, ejus nepotismus, D. XXXVI. 28. 37; pontificatus, 45; adolescentia et mores, 46 sqq.; apologetarum quorumdam sententiae expenduntur, 49 sqq.; bulla *Inter caetera,* 54; in causa Savonarolae, 81 sqq.
Alliacus Petrus, D. XXXIV. 3 sqq.
Amadeus dux Sabaudiae (Felix V), D. XXXV. 21. 22. 71.
Annatae earumque indoles, D. XXXII. 73 sqq.
Appellationes a R. Pontifice ad Concilium damnatae per Pium II, D. XXXVI. 14.
Armenorum unio cum Ecclesia et decretum unionis, D. XXXV. 57 sqq.
Ausculta fili bulla expenditur, D. XXX. 42.
Avenionenses Pontifices, D. XXXII. 1 sqq.; Incommoda ex commoratione Avenione facta, 89.

B.

Basileense Concilium, D. XXXV. 1 sqq.; indictio, 3; inchoatio 5; dissolutio, 7; variae sessiones, 10 sqq.; ab Eugenio IV agnitum, 12; oppositio contra Pontificem, 17 sqq.; electio antipapae, 21; schismatis exstinctio, 22. 23; auctoritas hujus Concilii, 33 sqq.
Bellarminus de potestate R. Pontificis in temporalia, D. XXX. 62
Benedictus XI R. P., D. XXX. 77.
Benedictus XII R. P., D. XXXII. 14; gesta quoad Ludovicum Bavarum 61 sqq.
Benedictus XIII antipapa, D. XXXIII. 34 sqq.; quoad Concil. Pisanum 42; depositus in Conc. Constantiensi et illegitimus, D. XXXIV. 15. 16.
Bonifatius VIII R. P. et quaestiones de ipso tractandae, D. XXX. 1 sqq.; in electione Coelestini V, 3; quoad Coelestini abdicationem 8; electio Bonifatii. 9. 13; pontificatus initia, 15; gesta quoad Coelestinum, 16. 17; adversarii ejus, 18; gesta cum principibus, 19; dissidia cum Philippo Pulchro, 21; bulla *Clericis laicos* et aliae variae Constitutiones in hac causa, 23 sqq.; expenduntur, 28; dissidium cum Columnensibus, 31; Jubilaeum 36; conflictus cum Philippo renovatus, 40; bulla *Ausculta fili* aliaque documenta, 42 sqq.; bulla *Unam sanctam,* 52 sqq.; Phi-

lippi persecutio, 71; Bonifatius captus, 75; moritur, 76; processus in ipsum, 77 sqq.; vindiciae, 81.
Bonifatius IX R. P., D. XXXIII 34 sqq.

C.

Caesarini Julianus Cardinalis in Concilio Basileensi; D. XXXV. 4 sqq.
Calixtini Hussitae, D. XXXIV. 64.
Carolus IV Imperator, D. XXXII. 67.
Carolus II rex Neapolis ejusque influxus quoad Coelestinum V et Bonifatium VIII, D. XXX. 4. 7. 13. 14.
S. Catharina Senensis et Gregorius XI, D. XXXII. 22; D. XXXIII. 4; pro Urbano VI, 25 sqq.
S. Catharina Suecica, D. XXXIII. 28
Causae praeparantes defectionem Protestantium, D. XXXVI 75 sqq.
Clemangis Nicolaus, D. XXXIV. 2 sqq.
Clemens V R. P. quoad processum in Bonifatium VIII. D. XXX. 78; electio, D. XXXI. 3 sqq.; coronatio 11; decretalis *Meruit*, 12; in causa Templariorum, 16 sqq.; abolitio Ordinis, 26; fabula de citatione per Molaeum 58; gesta varia, mors et indoles, D. XXXII. 5 sqq; reservationes, 81; commendae 86.
Clemens VI R. P, D. XXXII. 15; gesta quoad Ludovicum Bavarum, 66.
Clemens VI antipapa (Robertus Gebennensis), D. XXXIII. 7; electio, 23; conditio tristis 31; mors, 34.
Clemens VII R. P. concedit cultum b. Ludovici Arelatensis, D. XXXV. 65.
Clericis laicos bulla expenditur. D. XXX 23 sqq.
S. Coelestinus V R. P. eligitur, D. XXX. 3 sqq.; indoles et gesta 6; abdicatio, 8; fata et mors, 16.
Commendae earumque indoles, D. XXXII. 74; tempore Pontificum Avenionensium 85 sqq.
Compacta Pragensia, D. XXXIV. 65.
Constantiense Concilium ejusque tendentiae, D. XXXIV. 1. 2. 3; convocatio, 5; ratio votorum, 7; inchoatur, 8; sessiones variae 11 sqq.; decretum *Frequens*, 17; electio Martini V, 18; an oecumenicum 21; decreta sessionis IV et V discutiuntur, 22 sqq.; qualis sensus, 32 sqq.; Eugenii IV sententia quoad eadem, 38; causa Hussii 52 sqq.
Constantinopolis expugnata a Turcis, D. XXXV. 48.
Coptorum unio cum Ecclesia. D. XXXV 60.

D.

Dantes Alighieri Bonifatio VIII infensus, D. XXX. 38; liber de Monarchia, D. XXXII. 52.
Decretalis Bonifatii VIII *Unam Sanctam*; D. XXX. 52; Clementis V *Meruit*, D. XXXI. 12; Nicolai III *Exiit*, D. XXXII. 24; Clementis V *Exii de paradiso*. 27; Joannis XXII variae quoad Minoritas, 27 sqq.
Defensor pacis, liber; D. XXXII. 37.

E.

Eugenius IV ejusque sententia de decretis Constantiensibus; D. XXXIV. 38; electus, D. XXXV. 4; dissolvit Conc. Basileense 7; agnoscit idem per bullam *Dudum sacrum*, 12; expenditur bulla, 14; transfert Ferrariam Concilium, 21; indoles Eugenii IV,

22; concordata cum principibus Germaniae, 25 sqq.; declaratio ante mortem, 34; celebratio Concilii Florentini, 37 sqq.
Execrabilis, constitutio Pii II; D. XXXVI. 14.
Exiit, decretalis Nicolai III; D. XXXII. 24.
Exivi de paradiso, decretalis Clementis V; D. XXXII. 27.

F.

Falkenberg Jo. ejusque libellus; D. XXXIV. 26.
Felix V antipapa; D. XXXV. 21. 22. 71.
Florentinum Concilium; D. XXXV, 1; fontes, 36; celebratio 37 sqq. unio cum Graecis, 45; an unio coacta, 49; unionis decretum quoad primatum expenditur, 51; unio variarum sectarum, 57 sqq. Concilium Romam translatum et finis, 61. 62; oecumenicum usque ad finem, 63. 64.
Franciscus I ejusque concordatum cum Leone X; D. XXXV. 32; XXXVI. 67.
Fraticelli, D. XXXII. 27. 38.
Frequens, decretum Concilii Constantiensis; D. XXXIV. 17.
Friderici Austriaci lucta cum Ludovico Bavaro; D. XXXII. 44; reconciliatio, 47.

G.

Galliae status tempore schismatis occidentalis; D. XXXIII. 29 sqq.
Germaniae neutralitas tempore Concilii Basileensis, D. XXXV. 24.
Gersonius; D. XXXIV. 2 sqq.
Gregorius XI R. P.; D. XXXII. 20; redit in Italiam et moritur, 22. XXXIII. 4.
Gregorius XII R. P.; D. XXXIII, 39; quoad Concilium Pisanum. 42 sqq.; abdicatio, D. XXXIV 13.

H.

Henricus VII Imperator; D. XXXII. 5.
Hieronymus Pragensis; D. XXXIV. 54.
Hus Jo. ejusque condemnatio; D. XXXIV. 40 sqq., errores, 49; salvus conductus, 51; gesta Constantiae, 52; quaestio de salvo conducto, 55; de supplicio Hussii, 62.
Hussitarum fata, D. XXXIV. 63.

I.

Jacoponus a Todi, D. XXX. 18.
Innocentius VII R. P.; D. XXXIII. 38.
Innocentius VIII R. P.; D. XXXVI. 38 sqq.
Joannes XXII R. P. electus et gesta; D. XXXII. 8; quaestio de visione beatifica, 10 sqq.; constitutiones quoad Minoritas, 27 sqq.; lucta cum Ludovico Bavaro, 41; bulla spuria *Ne praetereat* 57.
Joannes XXIII R. P.; D. XXXIII. 54; in Concilio Constantiensi, D. XXXIV. 8; depositio, 12.
Joannes II Palaeologus Imperator Graecorum in Concilio Florentino; D. XXXV. 37; quaestio de formula unionis, 55.
Joannes de Goch; D. XXXVI 80.
Joannes de Janduno; D. XXXII. 35. 37.
Joannes Ruchrat a Weselia; D. XXXVI. 80.
Joannes Wesselius; D. XXXVI. 80.
Josephus patriarcha Cptanus in Concilio Florentino; D. XXXV. 39. 42.
Jubilaei celebratio per Bonifatium VIII; D. XXX. 36.
Julius II R. P., D. XXXVI. 59 sqq.

L.

Lateranense V Concilium, D. XXXVI. 63; gesta, 67; decretum de anima, 71; confirmatur bulla *Unam sanctam*, 72.
Leo X R. P. ejusque concordatum cum Francisco I; D. XXXV. 32; effatum de reformatione Ecclesiae; D. XXXVI. 69 sqq.
Ludovicus Arelatensis quomodo beatus; D. XXXV. 65.
Ludovicus Bavarus ejusque dissidia cum R. Pontificibus, D. XXXII. 39 sqq.; electio, 40; dissidia cum Joanne XXII, 43; excommunicatus, 45; expeditio in Italiam, 49. 50; principia de Imperio, 51; negotiatio cum Benedicto XII, 61; dispensat in matrimonio filii, 66; mors, 67.
Ludovicus XI rex Galliae tollit Sanctionem pragmaticam Bituricensem; D. XXXV. 30.

M.

Marcus Ephesimus adversarius unionis inter Latinos et Graecos; D. XXXV. 48. 47. 49.
Margarita Maultasch, D. XXXII. 66.
Marsilius Patavinus; D. XXXII. 35. 37.
Martinus V R. P.; D XXXIV. 18; mors, D. XXXV. 4.
Meruit decretalis Clementis V; D. XXXI. 12.
Michaël Caesenas ejusque oppositio contra Joannem XXII; D. XXXII. 35 sqq.
Minoritarum turbae; D. XXXII 23; quaestio de paupertate Christi, 29; oppositio contra Joannem XXII, 35 sqq.
Molay Magister supremus Ordinis Templariorum captus; D XXXI. 14; fatetur crimina, 20. 28; retractatio et supplium, 31; conficta citatio Clementis V ad tribunal Dei 58.

N.

Ne praetereat bulla spuria Joannis XXII; D. XXXII. 57.
Nepotismus expenditur; D. XXXVI. 28 sqq.
Nicolaus III R. P. ejusque decretalis *Exiit;* D. XXXII. 24.
Nicolaus V R. P. de schismate Graecorum; D. XXXV. 48; electus Pontifex; D. XXXVI. 3; gesta 5.
Nicolaus V antipapa; D XXXII. 49.
Nicolaus Ruch; D. XXXVI. 80.
Niem Theodoricus; D. XXXIII. 3.

O.

Occam; D. XXXII. 35 sqq.
Officiorum venditio qualis Romae fuerit; D. XXXVI. 40. 41.
Orsini Napoleo Cardinalis in electione Clementis V, D. XXXI. 3; epistola de Clemente V; D. XXXII 7.

P.

Palaeologus Joannes II Imperator Graecorum in Concilio Florentino; D. XXXV. 37 sqq.; quaestio de formula unionis, 55.
Paulus II R. P.; D XXXVI. 18; Platinae convicia in eum, 21.
Paupertas Christi et quaestio de ea; D. XXXII. 29 sqq.
Pazziorum conjuratio in Mediceos; D. XXXVI. 25.
Petrus de Corbaria antipapa (Nicolaus V); D. XXXII. 49.
B. Petrus Luxemburgensis; D. XXXIII. 33. XXXV. 67.
Philippus Pulcher ejusque conflictus cum Bonifatio VIII; D. XXX. 26. 40; processus in Bonifatium 77; actio in Templarios, D. XXXI. 15 sqq.

Pisanum Concilium; D. XXXIII. 40 sqq.
Pius II R. P. (Aneas Sylvius) de decretis Concilii Constantiensis; D. XXXIV. 39; Aeneae gesta in Germania; D. XXXV. 25; pontificatus Pii II; D. XXXVI. 12; bulla *Execrabilis*, 14; indoles, 16. 17; epistola ad Cardinalem Borgiam, 47; descriptio urbis Viennae, 78.
Pius III R. P.; D. XXXVI. 58.
Porcarius Stephanus ejusque conjuratio; D. XXXVI. 6.
Potestas indirecta R. Pontificum in bulla *Unam sanctam;* D. XXX. 56; Bellarmini explicatio quoad terminologiam, 62; indoles potestatis, 83.
Praecursores pseudoreformationis; D. XXXVI 80.
Pragensia Compacta; D. XXXVI. 65.

R.

Reservationes earumque indoles et jus; D. XXXII. 69; tempore Pontificum Avenionensium, 77 sqq.
Robertus rex Neapolis vicarius Imperii; D. XXXII. 43; tendentiae et mors, 55.

S.

Sanctio pragmatica Bituricensis; D. XXXV. 28.
Savonarola H.; D. XXXVI. 81 sqq.
Schisma magnum Occidentis; D. XXXIII. 1 sqq.; ortus v. Urbanus VI; incrementa, 24; in Gallia firmatum, 27 sqq.
Sigismundus Imperator ejusque salvus conductus Hussio concessus; D. XXXIV. 51.
Sixtus IV R. P.; D. XXXVI. 24 sqq.; partes in conjuratione Pazziorum 25; nepotismus, 28.

T.

Templarii et quaestio de Ordinis abolitione; D. XXXI. 1 sqq.; Ordinis institutio et propagatio, 14; processus, 15; crimina objecta, 17; constitutio *Faciens misericordiam,* 20; constitutio *Regnans in coelis,* 21; examina Templariorum, 22 sqq.; suppressio Ordinis, 24; bulla *Vox in coelo,* 26; bulla *Ad providam.* 30; supplicium Magistri supremi. 31; abolitionis justitia expenditur, 32; Templariorum confessiones, 37 sqq.; corruptio in Ordine, 52; explicatio, 56.
Theodoricus de Niem, D. XXXIII. 3.

U.

Unam sanctam bulla expenditur: D. XXX. 52; confertur cum aliis decretalibus, 70.
Urbanus V R P.; D. XXXII. 19.
Urbanus VI ejusque electio; D. XXXIII. 4; oppositio Cardinalium, 6; electio examinatur, 8; initia pontificatus, 18; defectio Cardinalium, 19; Urbani indoles, 21; electio antipapae, 23; Urbani gesta, 32.

V.

Viennae urbis descriptio per Aeneam Sylvium; D. XXXVI. 78.
Viennense Concilium; XXXI. 26 sqq.
Villanii narratio de electione Clementis V discutitur; D. XXXI. 3.
Visio beatifica et quaestio de ea sub Joanne XXII; D. XXXII. 10.
Vox in coelo bulla, qua Ordo Templi supprimitur; D. XXXI. 26.

W.

Wiclefus ejusque errores; D XXXIV 41 sqq.
Weselius Joannes; D. XXXVI. 80.
Wesselius Joannes; Ibidem.

Z.

Ziska Joannes Hussitarum dux: D. XXXIV. 63. 64.

A. M. D. G.